UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

urn:nbn:de:hbz:466:1-42728

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2404.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quid juvat innumeros
legere atq; evolvere libros:
si fugienda facis,
si facienda fugis.

Quale prior dixti, reddetur
tale vicissim

Capucinorum Paderbornensium

VITÆ,
siue
RES GESTAE SANCTORVM;

EX SELECTISSIMIS ORTHODOXIS PATRIbus, breui compendio conscriptæ, per Fr. ZACHARIAM LIPPELOO, Carthusiæ Colonienſis alumnum: & nunc recèns fideliſſimè recognitæ, ac vitarum aliquot acceſſione locupletatæ, per Fr. CORNELIVM GRASIVM eiuſdem Carthuſiæ profeſſum.

TOMVS TERTIVS:
complectens ſanctos Menſium,
IVLIVM AVGVSTVM & SEPTEMBREM.

Cum licentia Superiorum.

Fratrum Capucinorum. Paderbornensium. 1650.



COLONIAE AGRIPPINAE:
Sumptibus BERNARDI GVALTHERI.
Anno M. DC III.
Cum gratia & priuileg. Sac. Cæſar. Maieſt.

Bibliothecæ Fratrum Minorum Capucinorum Paderbornæ. 1650

APPROBATIO.

TERTIVM hunc Tomum, quem de vita, siue rebus gestis Sanctorum, ex probatis Scriptoribus, F. Zacharias Lippeloo Carthusianus Colonienſis breui compendio collegit: & nūc recens F. Cornelius Grazius, eiusdem Carthusiæ professus, magno studio recognouit: ex speciali commissione legi, & magno cum pietatis fructu in lucem mitti posse iudicaui.

Tilmannus Vosmerus
S. Theol. Licent.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. SASBOLDO VOSMERO, ARCHIEPISCOPO *Philippensi dignissimo S.*

ADeò sunt stupenda Omnipotētis Dei magnalia, Præsul amplissime, quibus electos suos, etiam luteo hoc ergastulo conclusos, in terris olim mirificauit, vt ad digne conscribendum, nonnulla perplexa valdè prima fronte cum appareant: tum incredibilia penè ob mirabilium altitudinem & excellentiam, haud pauca sanè videntur. Et quidē si humana sapientia temporariam illam claritatem vix sufficit debitis coloribus depingere, & comprehendere, quantominus ipsam æternam perfectionē delineare poterit & intellectu capere? Humanam quippè refugit notitiam, quam magna multitudo dulcedinis cælestis, quanta gloria, quantaque dignitas apud Altissimum præparata sit his: qui eum hîc dilexêre & coluêre in veritate. Vndè meritò fideliū quisque cum Regio Psalte exclamet: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui: nimis confortatus est principatus eorum; Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt.* Psal. 136. 144.

Rerum quidem mirabilium exempla quod attinet, cum & in hoc & in reliquis Tomis innumera penè extent: pauca quædam ex præcipuis hîc commemorasse sufficiet. Primus igitur sese offert cęlestis aulæ clauiger D. Petrus; qui sicut inter omnes Apostolos à Christo, primatu inter omnes, est auctus, ita etiam pręclariora quædam & insigniora ab eo miracula edi concessit; Illa nimirum, de quibus hæc in Actis S. Euangelista; *In plateas*, inquit, *eijciebant infirmos, & ponebant in lectulis & grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum,* Actor. 5.

& liberarentur ab infirmitatibus suis. Et post pauca; *Afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.* Hinc sanè vnius fuisse Petri curare languentes vmbra corboris, luce meridiana clarius elucet: Si namque cæterorum Apostolorum vmbra id præstitisset, quid tanta compressio in exponendis infirmis, quos Petri transeuntis vmbra curaret? Porrò si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Quid dicam de sacris eius vinculis, quæ velut nobilissimæ victoriæ glorioſa trophæa, omnium ferè sanctorum Patrum egregijs celebrata præconijs, in Ecclesia sunt perpetua memoria consecrata? Et quidem meritò. Si namque quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto magis de corpore meruerunt attrahere salubritatis, ferreo pondere saxis impressa membris vincula passionis? Optimo itaq; iure per oēs Christi Ecclesias, auro pretiosius multo habetur ferrū illud pœnalium vinculorū: quod sanè olim adeò illustribus miraculorum signis diuina virtute fuit glorificatum: vt vsitatissimum fuerit Romanis Pontificibus, præstantissimi muneris loco, aliquid ex eiusdem limatura ad insigniores personas mittere.

August. ser. 29. de Sanctis.

Calend. Aug.

Gregor. Papa lib. 1. epist. 6. & lib. 6. epist. 23.

Occurrit secundo loco gentium doctor D. Paulus; cuius admirandas operationes Euangelista paucis perstringens, *Virtutes*, ait, *nō quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia: & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Optimè sanè haud communes ac passim fieri solitas has appellat virtutes S. Lucas, quę per sudaria & semicinctia cum Pauli corpus tetigissent, Ephesi edebātur. Mirari namq; visus est & ipse Dominus subsequēti & eum comprimenti turbæ, quādo vestis suæ fimbriæ tactu sensit ex se virtutem exîsse, ac rogans dixit; *Quis me*

Actor. 19.

Luc. 8.

teti-

tetigit? Quin & maiores hæ virtutes videri poterant, quæ non vestium tunc corpori Apostoli inhærentium, sed earum quæ aliquandò Pauli corpori adhæsissent tactu editæ sunt; vt meritò de suis olim ipse Dominus dixerit. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet: & maiora horum faciet.* Matth 9. Marc. 5. Ioan. 14.

Apparet sanè in his stupenda Spiritus sancti in animabus fidelium operatio; adeò vt quamcunque ille suis charismatibus perfuderit, non tantum illam ea virtute sanctificari, verùmetiam redundantia & excrescentia superfluentis mensuræ ac exuberantis gratiæ, quæcunque illi inhærent, diuina virtute perfundi; & ea quidem, quæ terrenis pariter ac cælestib⁹ imperans, dæmones cruciet, & in fugam conuertat: & supra naturæ vires morbo languentes restituat sanitati; quemadmodum de sudarijs & semicinctijs Pauli diximus; quæ à corpore eius delata languores curabant: & prauos dæmones abigebant.

Hinc certè tam Christi Domini, quam Pauli Apostoli exemplo & auctoritate, cultum sacrarum reliquiarum in Ecclesia institutum, stabilitũ, eundemque ab Euangelistis scriptis testatum, atque miraculis comprobatũ, initiũ sumpsisse exploratissimũ est; vt non sit qui iure calumniã facere possit, si exemplo hæmorrhoissæ & aliorũ, qui (testante Euangel.) tangentes eandem Domini fimbriam sanabantur; atque Ephesiorum credentium, Christi, Pauli ac cæterorũ sanctorum, quisque fidelium reliquias petat: vt ex illis hauriat illam gratiam, q̃ illi olim sunt fide præuia consecuti. Si verò quis Hagiomachus eò temeritatis & procaciæ procedat, vt, non dicam Christi vestis oram, ipsa Pauli sudaria & semicinctia, verùm aliorũ in cælis regnantium sacras reliquias nullius virtutis habeat, sanè in eo malis dæmonibus peiorem sese exhibebit; qui non modò eadem sudaria Pauli ac semicinctia, verùmetiam aliorum plurimorum sanctorũ (vt passim in illorum gestis videre est) reliquias exhorrescentes, earundemque virtutem haud pati suf-

Luc 8. Matth. 9. Marc. 5. Marc. 6.

ferentes, cum se ab illis cruciari, torqueri, aduriq́ue exclamarent: tum ab obsessis diu corporibus eiulabundi fugiebant. Porrò quæ sunt diuinitùs concessa, orarijs & semicinctijs, eadem Pauli ossibus haud esse attributa, vel hæc omnia Paulo priuatim & non cæteris sanctis omnibus communicata, neminem ab exordio nascentis Ecclesiæ Patrum dixisse inuenerimus.

Longum verò nimis foret, omnes eos qui extra Ecclesiam Catholicam per diuersarum hæresum abrupta præcipitia sese dederunt, cultumq́ue sacrarum reliquiarum impugnâtunt hîc recensêre. Nos autem penes quos Catholica veritas, cum *a* Gennadio & cæteris *b* Orthodoxis Patribus (quos breuitatis studio omittimus) *Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum martyrum reliquias, perindè ac si Christi membra cẽsemus sincerissimè honoranda; & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijssimo & deuotione fidelissima adeundas.* Inhæsit porrò fidelibus pia ac religiosa traditio, vt cùm minus liceret ipsa Sanctorum sepulchris condita corpora tangere; sudarium vel aliquod aliud velum eisdem desuper admouerent. Quantam autem indè virtutem haurirent eiusmodi vela sanctorum tumulis admota, abundè testatur B. Gregorius *c* Papa & *d* alij.

Quidìquod non solum velamina atque panniculos, sed & vestimenta languentium ac defunctorum, sacris altaribus, vbi essent reliquiæ martyrum supposita, ad restituendos incolumitati ægrotantes, & ad vitam defunctos accepisse virtutem, apud fidelissimum testem *e* Augustinum reperimus? qui ad arguendam gentilium impietatem, complurium miraculorum suo tempore in Africa editorum catalogũ texuit; eandemq́ue grâtiam floribus, qui ijsdem sacrarum reliquiarum loculis admoueri consueuerunt, impertiri solitam, pluribus idem monstrat exemplis. Et quod magis est, nõ tantum sudaria & semicinctia, vela-

a De Eccles. dog. c. 73.
b Apud Rob. Bellar. tom. 1 Contr. 7. Lib. 2. & 3.
c Li. 3. ep. 30.
d Ioan. Diac. in vita Greg. lib. 2. c. 42. Greg. Turon. de glor. Mar. cap. 28.
e Lib. 22. de Ciu. Dei c. 8.

velamina, vestes, flores & frōdes, & si quæ alia sacris admota reliquijs, tantā operandi miracula vim consueuêre, sed & ipse puluis & situs, (quo vt accidit) Sanctorum sepulchra quandoqué obducuntur, vel etiam circumaspergūtur, eadem virtute prædíti fuêre. Fidem horum integram faciunt Patres ferè omnes; & inprimis a Gregorius Nyssenus; qui de eiusmodi consuetudine puluerís colligēdi hæc ait. *Si quis puluerem, quo conditorium, vbi martyris corpus quieſcit, obſitum eſt auferre permittat, pro munere puluis accipitur: atque tanquam res magni pretij condenda terra colligitur.*

a *In Oratione in laudē Magni Theo.*

De frequentibus autem eximijsque miraculis ex collecto puluere circa Sanctorum sepulchra iacente, diuina virtute fieri solitis, verax extat testis b Gregorius Papa; qui fideli certaque attestatione refert, ex puluere collecto ex altaris crepidine, mortuum esse reuocatum ad vitam. Complura quoque id genus, & de his quę ipse expertus est, scribit c Gregorius Turonensis.

b *Li. 3 Dial. cap. 17.*

c *Li. 2. de mirac. S. Mart. ca. 1. & alibi.*

Sed enim eandem virtutem in exigua parte reliquiarum martyris, quæ in toto sit corpore, inesse, experimento testatur d Gregorius Nazianzenus; vbi hæc dicit de sanctis martyribus: *Quorum*, inquit, *corpora idem possunt quod animæ, siuè manibus contrectentur, siuè honorentur; quorum vel solùm sanguinis guttæ, aut exigua passionis signa idem possant quod corpora.* Et e alibi: *Est adeò frequens horum luctæ, certaminumque veneratio, vt exiguus puluis, aut reliquiæ veterum ossium, totius ad honorem sufficiant; & nonnullorum saltem appellationem, reliquiarum omninò expertem, scio certis locis inditā esse pro toto martyre; quæ tamen eandem vim obtinuerit. Orem prodigiosam! salutem affert sola recordatio.*

d *Orat. 1. in Iulian.*

e *In Cygneis de animi submiss.*

Et quidem indè euenit, vt corpus vnius martyris in plures interdum partes diuidi soleret, recondique in diuersis altaribus; quæ sepulchra sunt martyrum. Indè & fortassè accidit, vt cum vnius eiusdemque martyris diuersis in locis re-

liquiæ conditæ haberentur, & æquè ac si integrum corpus vbique horum locorum conditum esset, eadem miracula sint operatæ: vnius eiusdemque martyris corpus diuersis in locis haberi dicatur Tolerabilis error; cui non hominum impostura: sed exuberans diuina largitas præbuit occasionem dum quòd ob virtutis præstantiam diuersis in locis sit vnius eiusdemque martyris erecta memoria, vel excitatum sepulchrum: quisque apud se corpus illius haberi est opinatus.

Quandoquidem ergò præpotenti Deo placuit electorum suorum non modò corpora, reliquiasque, sed & communia quæuis ijsdem admota, vilissimaque eorum tumulis inhærētia (vt puluerem & situm) tot tantisque salutiferis glorificare signis, vt quanta iam beatitudine eorum animæ in cælis fruantur liquidò atteſtaretur, quidni nos eos vtique ipsos ibidē iam triumphantes, tanquam promptissimos apud Omnipotentem intercessores ac potentissimos deprecatores fiducialiter adeamus, atque eorum suffragia imploremus? Facessant itaque aduersariorum cō-

a *Apud Rob. Bellar. tom. 1. Controu. 7. Lib. 1. 2. et 3.* menta, Patrum *a* testimonijs abundè passim diluta; meritoque sibi congratuletur Christianus ac Catholicus Orbis de SS. Reliquiarum abundantia; cum quotquot singulorum reliquijs exornatas, singulis dicatas possideat Basilicas, totidem reuerà habeat & in cælis patronos eximios: & in terris protectores

b *Homil. 32. in ep. ad Rō.* validissimos. Comprobat idipsum D. *b* Chrysostomus, cum Romam sepulchris B. Apostolorum Petri & Pauli munitam asseueret dicens; *Hoc corpus* (nimirum Pauli) *plebem hāc munit; quod quauis turri, innumerisque mœnibus ac vallis est tutius; & cum ipso, corpus etiam B. Petri.* Simile & Venantius Fortunatus, Chri-

Lib. 3. Carm. stianus nobilis poëta: inter alia;

c *Petrus.* *c Hic petra firma manens, c ille architectus habetur;*

d *Paulus.* *Surgit in his templum: quo placet ara Deo.*

d facie hostili duo propugnacula præsunt.

Quos fidei turres: Vrbs caput Orbis habet.

Sanè

Sanè quàm hæc de protectione vrbis Romæ sint vera, cum innumera penè vtriusque seculi extent exempla, vnum B. Gregorij Romani Pontificis sufficiat testimoniũ, ex his qnæ experimento didicit; sic enim scribit ad Rusticianam Patriciam: rogans vt Romã veniret. *Si gladios* (inquit) *Italiæ bella formidatis, solicitè debetis aspicere, quanta B. Petri Apostolorum Principis in hac vrbe protectio est; in qua sine magnitudine populi, & sine adiutorijs militum, tot annos inter gladios illæsi Deo auctore seruamur.* Lib. 7. ep. 35.

Idem ferè memoratus Chrysostomus de Sanctis Martyribus Iuuentino & Maximo; *Nos* (inquit) *illos & columnas, & scopulos, & turres, & candelabra, haud immeritò dixerimus. Christi etenim Ecclesiam sicut columnæ sustinent: sicut turres muniunt: sicut scopuli vndarum spiritualium assultus repellunt: sicut luminaria tenebras impietatis discutiunt.* Tom. 3. hom. habita ipsorũ die Natali.

Quàm autem nihil verius, post Iesum Christum redemptorem nostrum (quem semper & vbique supremum omnium moderatorem ac defensorem agnoscimus ac profitemur) de Patronis huius inclytæ vrbis ac Diœceseos dici queat, nullus non prudens inter tot discrimina & rerum varietates indies facilè aduertit.

Ceterùm cum Tertio huic Tomo de Sanctorum rebus præclarè gestis, è patronis asciscendus esset Præsul Reuerendissime: ad offerendum eum, (iam studiosè recognitum, innumeris penè locis emendatum, plurimumque auctum) ac commendandum R. T. P. multæ rationes cum me impellerent, tum potissimùm incitauit splendor insignium ac heroicarum virtutum tuarum; quæ toti Orbi Catholico intantùm sunt conspicuæ: vt non mihi opus sit ijsdem decantandis hîc multum immorari. Sed enim earrundem claritudine mirificè delectatus Pontifex Maximus, V. P. sublimem illã Pontificalem Cathedram conscendere voluit: quippè qui nisi summa & egregia quæque sibi de T. R. polliceatur; vnde & exiguo hoc munere honorem istum meritis tuis dignissimum tibi congratulor ex intimo sanè cordis affectu.

PRAEFATIO.

Dominus noster IESVS CHRISTVS Princeps Pontificum, ac totius Ecclesiæ caput, quæ tibi pro innumeris subitis periculis, ac immẽsis pro eadem exantlatis laboribus, incomprehensibilia æternaque præmia præparauit, vestros pios conatus, ad sui nominis maiorem gloriam, multorumque salutem etiã atque etiam prosperet, secundetque iugiter. Coloniæ Agrippinæ, è Monasterio nostro Cæthusiensi, Anno à partu virgineo, suprà sesquimillesimum centesimo tertio, postridie Assumptionis glorioſissimæ Deiparæ Virginis MARIAE.

Reuerend. V. P.

obseruantissimus

Fr. Cornelius Grasius.

Annumeror Bibliothecæ Fratrum Capucinorum Paderbornæ.

INDEX

INDEX SS. TERTIO HOC TOMO CONTENTORVM.

A.

Menses.	Dies.		
	3	A Natolij Episcopi Laodicensis	63
	9	Anatoliæ virg. & mart.	120
	10	Amelbergæ viduæ	129
Iulius.	17	Alexij Confessoris	182
	19	Arsenij Eremitæ	197
	23	Apollinaris Rauennatis Episc.	241
	26	Annæ Matris B. Mariæ	275
	5	Afræ martyris	381
	7	Alberti Carmelitæ	393
	10	Abdon & Sennes martyrum	415
	15	Assumption Solen. B. MARIÆ	466
Augustus.		Arnulphi Episc. Suessionensis	473
	16	Arsacij Confessoris	483
		Arnulphi Episc. Metensis	487
	18	Agapiti martyris	514
	19	Andreæ & sociorum mart.	522
	22	Audeni Episc. Rothomagensis	580
	26	Alexandri militis & mart.	609
	28	Augustini Episc. Hipon.	623
	31	Aidani Episc.	656
	3	Aigulphi & sociorum martyrum	688
	9	Audomari Episc. Morinens.	775
September.	12	Autonomi Martyris	825
	13	Amati Episc. Senonensis	856
		Amati Presbyteri & Abbatis	849
	15	Aichardi Abbatis	928

B.

	14	Bonauent. Card. & Episc. Abba. Mino.	162
	23	Brigittæ viduæ	254
Iulius.	5	Basilicæ B. Mariæ ad Niues	390
	19	Bertulphi Abbatis	533
	20	Bernardi Abbatis	543

Menſes.	Dies.	Index	
	25	Bartholomæi Apoſtoli	587
	30	Bononij Abbatis	649
Septemb.	5	Bertini Abbatis	728
		C.	
	1	Carilephi Abbatis	1
	8	Chiliani Epiſcopi & martyris	101
Iulius.	9	Cyrilli Epiſcopi & martyris	111
	10	Canuti Regis & martyris	131
	24	Chriſtinæ virginis & martyris	219
	25	Chriſtophori martyris	269
	29	Callinici martyris	299
	8	Cyriaci, Siſinnij ac ſociorum martyrum	403
Auguſtus.	12	Claræ virg Ord. Clariſſarum initiatricis	439
	13	Coſtiani Brixienſis Epiſcopi & martyris	454
	23	Claudij, Aſterij ac ſociorum martyrum	578
	26	Ceſarij Epiſcopi Arelatenſis	611
	8	Corbiniani Epiſc. Friſingenſis	762
Septembcr.	14	Cornelij Papæ	893
	14	Cypriani Epiſc. & martyris	901
	26	Cypriani & Iuſtinæ martyrum	1030
	27	Coſmæ & Damiani martyrum & ſociorum	1038
	28	Charitonis Confeſſoris	1060
		D.	
Iulius.	8	Diſibodi Epiſcopi	113
Auguſtus.	4	Dominici Confeſſoris	558
	29	Decollationis S. Ioannis Baptiſtæ	633
Septembcr.	1	Duodecim fratrum Afrorum	661
		E.	
	1	Eparchij Abbatis	31
Iulius.	6	Eſaiæ Prophetæ	70
	13	Eugenij Epiſc. Carthag.	154
Auguſtus.	1	Euſebij Epiſc. Vercellenſis	339
	1	Ethelwoldi Epiſcopi VVintonienſ.	346

Menses.	Dies.	Sanctorum.	
Augustus.	12	*Euplij Diaconi & Martyris*	458
	25	*Eusebij ac sociorum martyrum*	591
	1	*Egidij Abbatis.*	675
	5	*Eudoxij ac sociorum martyrum*	725
	6	*Eleutherij Abbatis*	731
	7	*Euortij Episcopi Aurelianensis*	742
	14	*Exaltationis S. Crucis solennitas*	886
September.	16	*Edithæ virginis*	938
		Euphemiæ virginis & martyris	942
	20	*Eustachij, vxoris eius ac filiorum martyrum*	981
	22	*Emmeranni Episcopi & martyris*	1013
	27	*Eleazari Comitis*	1043
		F.	
	3	*Felicis presbyteri & sociorum martyrum*	59
Iulius.	10	*Felicitatis ac filiorum martyrum*	122
	18	*Frederici Episc. Traiectens. & martyris*	188
	31	*Fabij martyris*	317
	1	*Friardi Recluſi*	336
Augustus.		*Felicis apud Gerundam martyris*	544
	30	*Fiacri Eremitæ*	644
		Felicis & Adaucti	647
September.	18	*Ferreoli martyris*	870
		G.	
	1	*Galli Aruernorum Episcopi*	9
	6	*Goaris Presbyteri*	72
Iulius.	8	*Godoleuæ martyris*	80
	29	*Gulielmi Episcopi Briocensis*	312
	31	*Germani Episcopi Antisiodorensis*	318
	11	*Gaugerici Episcopi Cameracensis*	438
Augustus.	25	*Genesij martyris Arelatensis*	595
		Genesij martyris Romani	597
September.	12	*Guidonis Confessoris*	819
	24	*Gerardi Episcopi & martyris*	1024

Menses.	Dies	Index	
		H.	
Iulius.	11	Hildulphi Episcopi Treuirens.	159
	14	Henrici secundi Imperatoris	168
	26	Hyacinthi martyris	273
Augustus.	13	Hippolyti ac sociorum martyrum	455
	18	Helenæ matris Constantini Imperat.	515
September.	7	Huniberti Confessoris	733
	17	Hildegardis Abbatissæ	959
	30	Hieronymi Presbyteri Doctoris Ecclesiæ	1069
		I.	
Iulius.	7	Illidij Episcopi	87
	11	Ioannis Gualberti Confessoris	143
	15	Iacobi Nisibitæ Episcopi	173
	18	Iustæ & Ruffinæ mart.	196
	25	Iacobi Maioris Apostoli	260
Augustus.	3	Inuentio S. Stephani mart.	356
	6	Iusti & Pastoris mart.	391
	28	Iuliani mart.	632
September.	1	Iusti Episcopi	683
	4	Idæ coniugatæ	713
	9	Ioannis, Petri, Dorothæi ac socior. mart.	773
	14	Ioannis Chrysostomi Episcopi	860
	19	Ianuarij Episc. ac sociorum mart.	973
		L.	
Iulius.	8	Landradæ virginis	106
	23	Liborij Episcopi	250
	29	Lupi Episc. Trecensis	306
Augustus.	17	Liberati & sociorum mart.	502
	19	Lodouici Episcopi Tolosani	529
September.	1	Lupi Episcopi Senonensis	669
	16	Luciæ & Geminiani mart.	934
	17	Lamberti Episcopi & mart.	949

M. Mone-

Menſes.	Dies.	Sanctorum.	
		M.	
Iulius.	2	*Monegundis coniugatæ*	44
	20	*Margaretæ virg. & mart.*	209
	22	*Mariæ Magdalenæ*	222
	30	*Maximæ & ſociarum mart.*	315
Auguſtus.	17	*Mamantis martyris*	494
	19	*Mariani Eremitæ.*	527
September.	4	*Marcelli martyris*	710
	10	*Menodoræ & ſororum mart.*	788
	14	*Materni Eyiſcopi Treuirenſis*	889
	21	*Matthæi Apoſtoli*	996
	22	*Mauritij ac ſociorum mart.*	1005
	29	*Michaelis Archangeli*	1064
		N.	
Iulius.	12	*Naboris & Felicis mart.*	151
	28	*Nazarij & Celſi martyrum*	899
September.	8	*Natiuitas B. Virginis MARIAE*	758
	10	*Nemeſiani ac ſociorum mart.*	762
	15	*Nicetæ mart.*	925
		O.	
Iulius.	2	*Othonis Epiſcopi Bambergenſ.*	50
	5	*Oſwaldi Regis Anglorum*	384
	2	*Proceſſi & Martiniani mart.*	41
	8	*Procopij martyris.*	88
	21	*Praxedis virginis*	220
	22	*Platonis martyris.*	230
	27	*Pantaleonis martyris*	286
Auguſtus.	10	*Polychronij Epiſc. ac ſociorum mart.*	413
	17	*Pauli & Iulianæ mart.*	506
	21	*Priuati Epiſcopi & mart.*	570
		R.	
Iulius.	1	*Rumoldi Archiepiſcopi & mart.*	13
	10	*Ruffinæ & Secundæ martyrum*	126
	16	*Raineldis virginis & mart.*	178

Rade-

Menses.	Dies	Index Sanctorum.	
	13	*Radegundis Reginæ*	458
Augustus.	16	*Rochi Confessoris*	485
	18	*Rainaldi Episcopi Rauennatis*	581
		S.	
September.	3	*Remacli Episc. Traiectensis*	703
		S.	
Iulius.	2	*Swithuni Episcopi VVintonienſis*	47
	27	*Septem Dormientium*	272
		S.	
	1	*Sophiæ & filiarum eius martyrum*	330
	2	*Stephani Pontificis & mart.*	350
	10	*Sixti & Laurentij mart.*	417
Augustus.	11	*Susannæ & aliorum martyrum*	426
	20	*Stephani primi Hungarorum Regis*	568
	22	*Symphoriani martyris*	572
	23	*Sidonij Aruernorum Episcopi*	575
	29	*Sabinæ martyris*	643
		S.	
	3	*Seraphiæ virg. & mart.*	698
September.	7	*Stephani Carthusiani, Episc. Diensis*	750
	10	*Saluij Episcopi*	793
	12	*Syri & Iuentij Episc.*	829
		T.	
Iulius.	1	*Theodorici Abbatis*	27
		T.	
	10	*Theodardi Episc. & mart.*	797
September.	11	*Theodoræ Alexandrinæ*	809
	23	*Teclæ virg & mart.*	1020
		V.	
	2	*Visitatio B. Mariæ Virg.*	34
Inlius.	4	*Vdalrici Episc. Augustani.*	65
	20	*VVulmari Abbatis*	215
	22	*VVandregisili Abbatis*	236
		V.	
	1	*Vinculorum D. Petri festum*	328
Augustus.	7	*Victricij Episcopi Rothomagensis*	401
September.	5	*Victorini Episcopi & mart.*	718
	28	*VVenceslai Ducis Boemiæ & mart.*	1058

FINIS.

IVLIVS.

VITA S. CARILEPHI ABBATIS MAdoalensis: ex ea quæ extat apud V. P. Laurent. Surium Floruit temporibus Childeberti Francorum Regis: qui regnauit Anno salutis 542. &c.

Anisolensis.

Vide Tom. 7 Annal. C. Baron.

BEATVS Carilephus ex prouincia Aquitaniæ pago Aruernico oriundus, parentibus morum probitate & Christiana religione pręstãtibus prognatus est Et quidem adolescere incipiens, totum te in amore superni Iudicis cõstringere, coætaneorum suorum insolentias & vaniloquia declinare, cælestiumq; rerum contemplationi iugiter vacare. Quod vt animaduertêre pij parentes, eum religiosis nutriendum, omniq; doctrina ac sacris mysterijs imbuendum tradidêre. Vbi per singulos dies ætate, sapientia & amore æternę patrię increscens, tantarum maturioris deniq; ætatis virtutum charismatumq; claritudine effulsit, vt cunctis redderetur amabilis, honorabilis, plurimumque suspiciendus. Vndè metuens vir sanctus ne in laqueum elationis quandoq; incideret, peregrinam cogitabat patriam: quatenus mortalibus ignotus, commodius æternæ beatitudinis acquireret gloriam.

1. Iulij.

Patria eius.

Quodam igitur die, diuino inflammatus amore, cùm compũctiuam admodum ad socios instituisset adhortationem: ad ardua quæque pro Christi amore subeunda paratissimos reddidit.

Peregrinatur.

didit. Quos itaque in pietate constantiores nouerat secum assumptis, cælesti cum lachrymis implorato numine, instar Abrahæ Patriarchæ, iter incognitum ingressi sunt; cum eccè se eis socium adiungit B. Auitus: viuum quoddam sapientiæ domiciliũ; qui vt inchoata peruigili animo perficerent eos animauit. Cępêre igitur milites Christi singula sanctorum loca sagaciter inuisere, si fortè inuenire possent Patres, quorũ exemplo per melioris vitæ tramitem, ad terram viuentium valerent pertingere.

Genes. 12.

S. Auitus se ei associat: cuius vita habetur 17. Iunij.

Paucos verò pòst dies transmisso Ligere fluuio, præcurrente fama consummatæ conuersationis beatissimi Maximini Aurelianẽsium Antistitis, feruenti desiderio ad eius properant monasterium: à quo reuerenter accepti & benignè aliquãdiu sunt habiti; SSq; Carilephus & Auitus sacerdotij dignitate decorati. Indè verò egressi ad vastam quandam eremum, in loco olim Pitiacus, nunc autem Cella S. Auiti nuncupato, deuenêre: ibiq; in multis ieiunijs & orationibus perseuerantes latitârunt. Porrò vir Dei Carilephus fontem aquæ viuæ oblatis omnipotenti precibus illic inuenit, atq; super eum, ad Dei honorem oratorium construxit: quod & vsque in præsens, nomen fontis S. Carilephi retinet. Ibidèm autèm in diuino famulatu dum strenuè exercerentur; eorum meritorum fama vsque adeò longè lateque diffundi cœpit, vt numerosa ad eos confluentium omnis conditionis ac sexûs multitudine, deuotionis illorum tranquillitas sæpenumerò multumq; interturbaretur

Inuisunt S. Maximinum Aurelianensium Antistitem: à quo & initiantur sacerdotio.

Id

Id haud ferens ſacerdos Domini Carilephus, eùm inſtar Iohannis Baptiſtæ ſolitariam vitam appeteret, relicto ibidèm in plebis conſolatione B. Auito, aſſumptis ſocijs duobus, ad partes Cenomanorum perrexit, ſingulaq; ſolitaria loca perluſtrans, vbi ſecretiùs degere poſſet explorabat. Verùm Dominus qui voluntatem timentium ſe facere conſueuit, deduxit eos ad locum ſolitudinis ipſi pergratum, Caſa Iagani olim nuncupatum, ſuper fluuium Aniſolam: vbi multi fontes frigidas fundunt aquas. Eò vt peruenit vir ſanctus, perſpexitq; locum à ſeculariũ habitatione & hominum frequentatione alienum; ſibi eum à Domino præparatum intelligens, gratias egit, diuinoque inuocato adiutorio, illicò manus operi accingere, ſentes eruere, vepres extirpare, ſpinas euellere, tuguria conſtruere, humum colere: herbarum ſemina iacere: quarum poſſint poſtmodùm radicibus victitare. Dum autem quodam die totis viribus operi incumbunt, repentè nutu Dei maceriam dirutam offendunt; ob nimiam vetuſtatem ſpinis & ſentibus opertam, ſerpentium hoſpitium & habitaculum beſtiarum: pauciſſimas quoq; vites de ruinis cõglomeratas, diuina diſpẽſatione vuis refertas. Ea re perſpecta Athletæ Dei, gratias agere Altiſſimo, pia precatione ſerpentes beſtiaſque profligare; vitium palmites à frutetis abſoluere: ac demùm emundato omnimodis loco, oratorium conſtruere; diuinis laudibus vacare, Miſſarumq; ſolennia & ſingularum horarum officia perſoluere: rerumq; ſupernarum contemplationibus animum iugiter paſcere.

Lucæ 2.

Pſal. 144.

Flumen Aniſola.

Sedem figit in loco planè ſolitario.

Pia eorum ibidẽ exercitia.

Et quidèm cum ibidèm aliquanto tempore, in Domini ſeruitio indefeſſi perſeuerâtes, ſeſe occultâſsent, ſicut non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita, neq; accenſa lucerna, poſita ſuper candelabrum; ſic nec ſacerdotis huius magni Carilephi meritorum eximius ſplẽdor. Erat ſiquidèm in ea ſolitudine bubalus miræ magnitudinis, miręq; ferocitatis: qui diebus ſingulis poſita feritate, ad ſanctum Dei Carilephum venire & ſummiſſo capite quaſi benedictionem poſtulare conſueuerat. Itaq; caput & collum eius contrectans, fratribus id quod futurum erat prædixit. Contigit etenim Francorum Regem Childebertum id temporis ijſdem in partibus degentem, de memorati Bubali vaſtitate & ferocitate audire; eremumq; ingreſſus, cum omni venandi apparatu, eiuſdem latibula ſagaciter inueſtigare. Ad eius verò ſtrepitum & clangorem buccinarum, canumq; latratum & hominum clamores commotum animal ad S. Carilephum quaſi ad portum refugij ſe recipere; tremens ac palpitans, huc illucq; toruis oculis adſpectare. Quem venatores velociter inſequentes, cùm prope Chriſti famulum ſtantem & palpitantem inueniſſent, timore perculſi conſtitêre primò: at vbi virum Dei à longè eſſent venerati, protinùs veloci curſu ad Regem reuertentes, ei quæ viderant, cum magno pauore nunciârunt. At ille in furorem verſus eò illicò cum ipſis aduolans, videnſque ſeruum Dei & bubalum ad tergum eius ſtantem indignabundus quinam eſſent, aut vndè illuc veniſſent, vel cuius authoritate ibi commorarentur, regiamq; venationem interturbare præſu-

Matth. 5.

Bubalus viro ſancto familiaris.

Innoteſcit Childeberto Francorum Regi.

præsumerēt, inquisiuit. At Christi sacerdos Carilephus, cum omni humilitate ad Regem properans, rationem sui eò aduentûs ac peregrinationis reddidit: verùm Rex cum ingenti indignatione minitabundus, eos omni cum celeritate indè recedere & alibi sedem figere iubet. S. verò Carilephus Regis iram aliquatenùs mitigare satagens, futurorumq; præscius, ei modicum vini liquorem, quem in paruulo vase ex paucis vitibus ibidèm inuentis habebat expressum, pro benedictione obtulit. Rex autèm in furore persistens, equumq; vertens, iussa exequi mandat.

Iamq; vt fortissimus equi moderator abibat; cum eccè Dominus Deus qui serui sui merita decreuerat in lucem proferre, gradienti Regi obstitit, nè posset iter prosequi. Repentè siquidèm equus eius obriguit, & haud secus atque præcipitium, viam quà tendebat, oscitabundus refugiebat. Rex autem eum magna contentione impellere, virgis cædere, calcaribus cruentare: equ⁹ verò nec progredi, nec retrocedere. Dum vnus ex Comitibus eius, diuina forsan inspiratione commotus, eum iniustarum in Christi famulos comminationum admonuit: vnicum cælestis in Regem vindictæ incentiuū. Eius autem verba Rex suscipiens, factiq; pœnitens, protinùs eundem ad virum Dei pro se intercessorem trāsmisit: qui mox veloci cursu eò delatus & ad pedes eius aduolutus, quid Regi euenisset indicauit. Ille vero gratias agens Deo, comiter iussit Regem ad se reuerti. Nec mora. Ôrem stupendam. Rex tāquàm nexibus solutus, eodem vectus equo, paulò antè nulla verberum

Miraculum.

vi, aut calcariũ pũctionibus mobili, mira velocitate ad S. Carilephum reuersus est. Vt autèm in conspectum eius venit, illicò ab equo descendere, eius sese vestigijs prosternere, transgressorem se & impium contradictorem cum lachrymis clamitare. At Christi seruus eum complexans, erexit à tellure; exosculatumq;, quibus virtutum ornamentis Regiam maiestatem, vt multo tempore in imperio stabiliatur, exornare iugiter allaboraret, instruxit; tanto eloquij pondere ac vultûs grauitate, vt Rex planè attonitus staret, haud secùs ac si Deum in pectore eius cerneret; pollicereturq; sãctissimas præceptiones eius, Domino auxiliante, sese impleturũ. Deindè manus sacerdotis exosculãs, obnixè rogabat, meri poculũ, quod antè oblatum despexerat, pro benedictione iã sibi porrigi. Quod cũ esset allatum sua manu obtulit Regi vino plenũ; qui illud hilariter accipiens, totũ vinum exhausit: sed & copiosa admodùm multitudo, quæ cũ Rege erat, ad satietatem bibit, nec tamen vinũ (mirabile visu) in vase aliquatenùs minutũ fuit.

En eximiam tanti Regis humilitatẽ.

Aliud miraculum.

Vndè Rex obstupescens, iterùm ad sancti viri pedes se abijciens, obnixè rogabat, quatenùs de Madoalẽsis fisci sui finibus, vbi posset monasterium cõdere, quantum sibi visum esset eligeret: vt congregata fideliũ caterua, solitudo (aiebat) in domum vertatur orationis: & ex brutorum animalium habitatione, fiat hospitiũ Angelorũ. Hac Regis tam benigna oblatione constrictus vir sanctus, id solum se accepturũ assensit, quod ad recipiẽdos peregrinos, vno die asello vectus circumire posset. Atq; eo munere accepto, benè precatus est Regi atq; omnibus socijs eius.

Donatur à Rege loco p. o exstruendo Monasterio.

His

His ita gestis cœperunt serui Dei magis magisq; sedulis ieiunijs & orationibus vacare, vt quos aduersa perturbare nõ potuerãt, prosperis successibus non eleuarẽtur. Adeò verò diuinus in S. Carilepho fauor sese declarauit, vt si ęgrotis manus imponeret curarẽtur, quocunq; esset morbo oppressi: sed & de obsessis corporib⁹ vociferabãtur dæmonia, flagris se & cruciatib⁹ nimijs, eo imperãte, expelli. His porrò sanationib⁹ corporũ, etiã animarũ studia iũgebantur: vt multorũ oculi interni illius monitis illuminarẽtur, atq; ad exercẽda præcepta dominica nutantium animi excitarẽtur. Multi quidẽ ex illis etiã viri spectabiles sancti Spiritus inflãmati calore, mũdanas respuentes illecebras, ad illius consortiũ cõuolabãt. Vndè admodũ Monachorũ cęt⁹ crescere: sonusq; prędicationis loca omnia cõplere.

Alia miracula S. Carilephi.

Complures eximij viri fiunt monachi.

Quodam autẽ die fodiẽte illo terrã cũ fratribus, eo in loco, vbi ad construendũ Domino tẽplum fundamenta iactari debebant, subitò magnum auri põdus in vase fictili sub terra inuenit repositum: quod in solũ peregrinorũ & indigẽtium vsum reseruari voluit. Nõ enim erat in beato viro auri sacra fames aut cupido; cui indumẽtum aliud nõ erat, nisi cilicium; & nuda humus substrato cinere lectum exhibebat: qui nudis semper gradiebatur pedibus, etiã in quacunque aẽris inclementia: qui cibi potũsq; ferè expers, sola propemodũ lectione pascebatur: post biduũ triduumq; pro corporis sustentatione, vile olus & parum leguminis sumẽs, neq; id tamen ad satietatem: aquæq; solius haustu contentus. Operabatur autẽ sedulò manibus, illud Apostolicũ memorans: Qui non laborat, nec manducet.

Inuenit thesaurũ aureũ.

Porrò Vltrogodæ Reginę S. viri fama aures

demulcente, misit ad eum quosdam ex iudicibus, qui reuerēter ab illo peterent, vt permitteret ipsi ad eum accedere, vt eius benedictione frueretur; simulq; offerret monasterio illius Madoalenses fines omnes. Postquàm illi hæc viro Dei significârunt, metuens ille, ne discipulorum mētes in aliquo stimularentur, per eos comiter Reginę remandauit, Monachum in terris possessiones habere non debere; benedictionē verò quam expetebat, ipsam à supernis sedibus percepturam: intrà cœnobium siquidèm sexū fœmineum nunquam ingressurū. Quod quidē ità seruatur vsq; in hodiernum diem. O magnum cordatumq; sacerdotem: cuius erat sermo ad doctrinam opportunus, ad intercessionem commodus, ad necessarias exhortationes lepore conditus. Ad excipiendos hospites promptissimus, in donis largus, pro miseris apud Regem interceſſor eximius. Quid multis? factus erat omnibus omnia, vt omnes faceret saluos.

Respuit à Regina oblatas possessiones.

En quàm vitârit sexum fœmineum.

1. Cor 9.

Instante autèm iam tempore vocationis eius (quod spiritu præuiderat) corripitur febre: accitisq; cunctis fratribus, sic ferè locutus est ad eos. Eccè charissimi filij, iam me ad migrandum ætas compellit: vltima itaq; hæc verba mea tabulis cordis vestri inscribite. Pacem custodite: iram omnem & murmurationem respuite. Pudicitiam seruate: hospitalitatem diligite. Damnate superbiam: fugite auaritiam. Non vos inuidia tabefaciat: non adulatio demulceat. Super omnia iugiter orate & psallite. Alterius ruina, vestra sit cautela: afflictio autèm vestra, aliena sit miseria. Hæc & his similia sancto patre

Morituri insignis adhortatio.

tre

tre prosequente, prostrati fratres omnes cum gemitu & rugitu cordis atq; immodico lachrymarum imbre amissionem tāti pastoris deplorare. At pius pater, humanissimè eos suo more consolari, confortareq́ue: demū adhortari quatenùs Dominum benedicerent ac psalmos decantarent: ipse autèm dum hæc agerent expansis in cælum manibus creatorem suum collaudans, sacratissimumq́; Christi corpus percipiens: gaudens & exultans emisit spiritum, non minoribus post obitum quàm in vita miraculis clarus. Ad eius namq́; sacrum corpus, quod in Basilica quam ipse Domino construxerat post altaris confinia humatum est, dæmoniaci liberantur, periuri vexantur, languidi curantur, rapaces vinciuntur. Atq; ita fit, vt qui fideliter eò accedunt, salute potiantur: qui verò infideliter, iuxta doctoris gentium vocem, tradantur satanæ in interitum carnis, vt spiritus salui fiant.

Migrat è corpore beatissimè.

Eximia fiunt miracula ad tumulū eius.

1. Cor. 5.

VITA S. GALLI, ARVERNORVM Episcopi, ex ea quæ est per Gregorium Turonensem. Desijt ab humanis Anno Christi Domini 573. Benedicti Papæ 1. Iustini Iunior. Imp. 8. fuitq́; Aruernensium Episcoporum Vigesimus-septimus. Interfuit Aurelianensi concilio quarto & quinto, quod habitum est anno tricesimo octauo regis Childeberti.

Vide Tom. 7 Annal. C. Baronij.

S. GALLVS Aruernorum antistes, à stirpe *Vectij Pagati, qui Lugduni glorioso martyrij triumpho pro Christo decertauit, descēdens, Patre Georgio, matre verò Leocadia

1. Iulij.

**Vetij Epaghati.*

Parētes eius.

cada natus est; qui prima senatorum dignitate ita celebres fuêre, vt in Gallijs nihil generosius, nihil nobilius inueniatur. Pater eius, cum vellet nominis sui gloriam per hunc filium conseruatam, filiam cuiusdã senatoris forma & moribus integram ei despondere voluit, eoq; coniugio partam magna virtute gloriam ac dignitatẽ lõgius etiam propagare. At Gallus, cognito parẽtis consilio, cùm iam antè facibus diuini amoris mirabiliter incẽsus de sanctiore aliquo vitæ genere cogitaret, assumpto secum vno puerulo, Cremonense monasterium, sexto ab Aruerna vrbe milliario situm, expetijt, ibidemq; monasticæ vitæ institutũ non segniter arripuit. Vbi cùm aliquandiu cum magna virtutis opinione versaretur, Quintianus Episcopus, visa adolescentis probitate spectataq; morum grauitate, secum eum ad ciuitatem abduxit, & cælestibus disciplinis apprimè erudiuit.

Petit monasterium.

Assumit Gallum S. Quintianus episcopus.

Accitur Gallus ad Regẽ Theodoricũ.

Interea crescente nominis eius celebritate, Theodoricus rex captus fama virtutis, quæ passim de eo ferebatur, eum accersit, tantoq; amore complectitur, vt proprio etiam filio chariorem haberet. Accidit autem, vt rex necessarium quãdoque iter in vrbem Agrippinam haberet, & hunc Dei famulum pro insito amore secũ duceret. Erat autem ibi fanum quoddam diuersis ornamentis refertum, & mira gentilium superstitione cultum; in quo post oblata dæmonibus libamina, incolę cibo potuq; ad vomitum vsq; se replebant. Erat præterea infinita quædã simulacrorum congeries dæmonibus impiè cõsecrata, ab ijs, qui in corporis animiq; periculis beneficia se à dijs suis accepisse credebant. Hanc nefariam

Nota de fano gentilium apud Agrippinenses.

riam ſuperſtitionem Gallus vt audiuit, vehementer ingemuit, atq; vt miſeros ab ea impietate ac dæmonum tyrannide liberaret, vno tantùm clerico comitatus ad fanũ abijt, paganiſq; abſentibus clam ignem ſubiecit, & flammas ad cælum vſq; tendentes excitauit. Accurrunt pagani, & amentia furentes incẽdij auctorem inquirunt: inuentum ſtrictis gladijs perſequuntur. Ille verò in fugam verſus, in aula ſe regia cõdidit: ac rege protectore, minitantes paganos blandis ſermonibus ſubmouente, improbum eorum furorem euaſit. Verùm Gallus poſteà ſæpè multis lachrymis deplorare ſolitus erat, quòd oblatã martyrij coronam declinaſſet.

Fanũ S Gallus incendit.

Cum verò beato Quintiano vita functo, Clerus de ſucceſſore antiſtite ſollicitus multis inter ſe verbis cõtenderet, Gallus vi Sãcti Spiritûs adactus; Quid, inquit, hi muſitant? Quid curſitant, quid contendunt? Inanis eſt eorum labor: nam certa domini volũtate hic honor mihi deſtinatus eſt. Clero interim contendente, & munera plurima ad regem deferente, Theodoricus rex, Gallum, diuino ſpiritu impulſus, Aruernis Epiſcopum tradidit, muneribuſq; repudiatis, datis de publico expenſis, feſtiuo conuiuio ciues ob Galli futuri Epiſcopi honorem exhilarauit. Igitur Gallus mox in ordinẽ presbyterorum cooptatus, (diaconatûs enim munere tantùm donatus erat) ſummo ſacerdotio initiatus eſt tanto fœlicius, quo liberiùs meritò gloriari poterat, non amplius ſe pro Epiſcopatu donaſſe, quàm vnum trientem coco qui ad prandium ſeruierat.

Prædicit ſe futurum Epiſcopum.

Datur Aruernis Epiſcopus.

Iam verò aſſumpto epiſcopatu, tanta vitæ ſan-

sanctimonia, tanta humilitate ac patiẽtia, cum omnibus conuersatus est, vt, si dici fas est, Moysi compararetur ad diuersas iniurias sustinendas. Vnde factum, vt à presbytero suo in conuiuio percussus in capite, ita se quietum ac modestum gesserit, vt ne asperiore quidem sermone tãtam iniuriam vindicauerit. Ita namque animo & mente constitutus erat, vt prospera pariter & aduersa à solo Deo immitti diceret, cuius voluntati obmurmurare impium esset. Hinc cùm Ennodius quidam, ex Senatoribus presbyter, virũ sanctum in conuiuio Ecclesiæ multis calumnijs atq; conuicijs ad satietatem vsque lacessisset, Gallus hilari ac tranquillo animo consurgens, loca sacra circuibat, cunctis ad tantam viri patientiam stupescentibus. Cæterum Ennodius viri sanctitatem non minùs quàm cæteri admiratus, magno protinùs dolore animi saucius, post eum perrexit, inq; ipsa platea humi se prosternens, admissi criminis veniam petijt. Cui vir sanctus & libenter ignouit, eum grauiter admonens, nè talia vltrà contra sacerdotes Domini proferre auderet: & prophetico planè spiritu prædixit, nunquam eum ad episcopalem dignitatem, cuius honore flagrabat, peruenturum. Quod postea rei euentus comprobauit. Nam cũ in Gabalitano ad episcopatum electus, iam iam consecrandus esset, subitò concitati populariũ animi è cathedra eum expulerunt, prorsus vt ab imminenti periculo vix saluus & incolumis euaderet.

Mira S. Viri patientia.

Prophetia eius.

Cùm Aruerna ciuitas horrendo correpta incẽdio penitùs deflagrare putaretur, Gallus post preces cum ingenti lachrymarum vi in templo pro-

profusas, apertis Euangelijs, furentibus flammis obuiàm processit, earumq; vim ita repressit protinùs, vt ne fauilla quidem remaneret. Eodem ferè tempore cùm inguinaria lues vniuersam regionem & Arelatensem maximè prouinciam depopularetur, Gallus precibus cladem illam auertere nitebatur; cùm ecce angelus Domini per quietem ei apparens metum adimit, nunciatq; iram Domini placatam populo deinceps parcere decreuisse: ipsum verò post annos octo, ad sempiternæ beatitudinis gaudia euocandum. Igitur definito hoc temporis spatio elapso, adfuit dies illi quidem optatissima, ciuibus verò admodũ luctuosa: qua vir sanctus, postquàm cælestem panem, quo sanctissimũ Christi corpus continetur, populo in Ecclesia distribuisset, è corporis ergastulo lætus in cælos immigrauit: ætatis suæ 65. Episcopatus verò septimo & vigesimo anno. Corpus eius fuit multorum lachrymis & magno ciuitatis totius luctu in tumulum illatum: qui multis & magnis clarus miraculis eximiam viri sanctitatem egregiè testatur.

Restingit incendium precibus.

Apparet ei angelus Domini.

Excedit è vita.

Claret miraculis post obitum.

VITA ET MARTYRIVM S. RVMOLDI, Archipræsulis Machlinienſis; Scotorum Regis filij: Martyrio coronatus est anno Domini septingentesimo septuagesimoquinto, octauo Kalendas Iulij. Solennitas verò eius agitur hoc die, auctoritate Alexandri quarti, Romani Pontificis.

Vide C. Baron. In notat. martyr. Romã: & Ioan. Molan. in Indiculo SS. Belgij.

1. Iulij.

CVM quondàm apud Scotos regni gubernacula, Dauid rex eximia fortitudine ac prudentia vir teneret, ducta in matrimonium

Parentes S. Rumoldi Dauid Rex Scotiæ & Cæcilia regis Siciliæ filia.

nium Cęcilia regis Sicilię filia, postquàm multo tempore nulla spe prolis vnà degissent, tandem precibus Guallaferi Dublinensis antistitis filiũ à Deo impetrârunt; qui vt angelo nunciante cõceptus: ita etiam eodem monente in lucem editus, Rumoldi nomen sortiri meruit. Tinctus à Guallafero lustralibus aquis, eidem in disciplinam magno parentum gaudio traditus est. Erat autem puer egregia indole, & ab ipsis cunabulis parsimoniæ plurimùm deditus; adeò vt, ternis in qualibet hebdomada vicibus, à maternis vberibus abstineret, eamq; abstinentiam ad extremum vitæ spiritum diuino afflatu edoctus conseruaret.

Vocatur à parente ad regiam anno ætatis. 15.

Postquàm verò artium maximarum disciplinis imbutus, quintumdecimum attigit annum, earumq; præsidio munitus haud vulgare prudẽtiæ specimen præ se ferret, illicò à parẽte ad regiam, moribus tali principe dignis erudiendus, & regio honore vt hęres decorandus, euocatur. Et quidèm Rumoldus, quanquàm à Regio luxu & externo illo vitæ splendore abhorreret plurimum, parentis tamen voluntati paruit, & in regiam concessit; ita tamen, vt tota mente regales pompas & fugitiuos honores auersaretur.

Alijs luxui deditis, ille precibus & operibus misericordiæ incumbit.

Nam cùm alij epulis, gaudijs, tripudijsq; intẽti, bellos, de more, homunculos agerent, Rumoldus regali in ædicula precationibus operam dabat; vel larga manu pauperibus consulebat; vel vinctos carceribus inuisebat; cæteraq; misericordiæ opera incredibili alacritate exercebat.

Angelus ei apparet.

Quodam autem tempore dum intempestæ noctis silentio sacras vigilias agitaret, angelus Domini, castissimi iuuenis operibus mirificè delecta-

ctatus, ei apparuit, hortatuſq; eum eſt, vt viriliter ijs inſiſteret, ac ſecura mẽte pro terreno diademate, cæleſte expectaret. Ea viſione monitiſque multò alacrior factus Rumoldus, omnes paternæ hæreditatis cogitationes ita reiecit ſepeliuitq;, vt non modò nuditatem, paupertatem, cæteraſq; corporis afflictiones pro Chriſti nomine expeteret: ſed ipſam mortem eamq; acerbiſſimam libens ſubijſſet.

Parentes & regni proceres volunt eũ matrimonio iungere.

Intereà parẽtes, vt regno maturè conſulerẽt, euocatis regni totius principibus, decreuêre filio æquè clari generis virginem ſacro matrimonij vinculo coniungere, & generis ac dignitatis ſplendorem noua ſobole ab interitu conſeruare. Igitur in magna procerum corona aduocatus Rumoldus, ſeriò ab vtroque parente monitus eſt, vt animum ad heroinam ſtemmate illuſtrem matrimonio ſibi copulandam componeret, & regni gubernacula poſt fatalem patris diem ſtrenuè viriliterque adminiſtraret. Quibus auditis, Rumoldus vultu oculiſque ad inſignem pietatem ac modeſtiam compoſitis:

Præclarum S. Rumoldi reſponſum ad Parentes & regni optimates.

Quæſo vos, inquit, obſeruandiſſimi parentes & optimates vniuerſi, nè me Chriſti amori ex animo addictum ad fugitiuos mũdi huius honores ac mulierum amplexus inducere velitis. Stat namq; firma ſententia menti, omnibus regni honoribus, ac diuitijs calcatis, in extrema rerũ inopia Deo ſeruire, Chriſtiq; veſtigijs pro fragilitate humana conſtanter inſiſtere. Hoc reſponſo commota genitrix, puſilli eum & abiecti nimis animi eſſe dixit, quòd regiam magnificentiam tam parui duceret, eamque cum ſempiterna nominis ſui ſuorũq; gloria ſuſcipere formidaret;

præ-

præsertim quòd in ea, præclara pietatis opera, non minus quàm in abiecto statu exercere posset. Ad quæ adolescens sanè prudenter : Quanquam, inquit, infracto eum animo esse oporteat, & diuina planè virtute præditum, qui terrenis hisce negotijs implicitus incontaminatã nihilominus vitam duceret, tamen vt concedam pietatis operibus in regio splendore exercitia nequaquam præcluſa esse; hoc certè constat, faciliorem expeditioremq; salutis viam, ex Christi ipsius doctrina in rerum humanarum cõtemptu ac paupertate constitutam esse. Quamobrem nihil certius, quàm spreta huius mundi pompa Christi humilitatem sectari, opesq; diuinas in sacris literis abditas die noctequè sedulò scrutari.

Mortuo Gallafero antistite, Rumoldus diuinitùs episcopus designatus.

Inter hæc & alia parentum filijque verba & certamina, quibus eum à tanta humilitate ad regni opes honoresq; abripere conabãtur, Gallaferus archiepiscopus extremũ vitę diem clausit, & diuturnum suis mœrorem reliquit. Cumque consultatione habita, vt fieri solet, in noui antistitis electione vota discreparent, fertur angelum Domini secundùm quietem apparuisse, ac monuisse vt Regis filium Rumoldum, insigni pietate ac prudentia virum, communibus suffragijs designarẽt. Nec mora: Auditis perceptisque omnibus, quæ maximè sanctitatem eius celebrem reddebant, Cantuarienſis & alij duo vicini antistites cum sacratissimo comitatu, expãso Crucis vexillo, ad regiam properârunt: & Rumoldum votis precibusq; in Regia ædicula intentum ad tanti muneris functionem euocârũt. Rex ipse quanquàm primò, ignarus rei, haud medio-

mediocriter miraretur, cùm tamẽ nutu diuino rẽ geri perſpiceret, lętabundus annuit, vt filius, à regio luxu & ſplendore auulſus, totus ad Chriſti caſtra atque ſpiritualia certamina tranſiret. Rumoldus verò, qua erat animi modeſtia & humilitate, totis viribus reluctari, tali tantoq; munere ſe indignum clamare; ſed victus tamen, ne diuinæ voluntati per angelum allatæ pertinaci animo reſiſtere videretur, ſeſe ſubmiſit, arduamque prouinciam Chriſti gratia confiſus ſuſcepit.

Inito Epiſcopatu vt ſe geſſerit.

Igitur pontificatu, ſumma parentum voluntate ac gaudio; inito, mox ad dæmonum potentiam verbis factiſq; frangendam ſeſe accinxit, ac breui multos à dæmonum caſtris ad Chriſti ſtipendia traduxit; plures verò à flagitioſo viuendi genere ad ſuorum ſcelerum pœnitudinem pertraxit. Et quidèm rigidus ſibi, alijs verò benignus ac blandus, opes magno ſtudio vndecunque corraſas pauperibus diſtribuebat, eorumque miſeriam & verbis leniebat, & factis ſubleuabat.

Defuncto patre, regni proceres eum regem habere volunt.

Intereà patre vita functo, cùm regnum legitimo hærede deſtitutum periclitaretur, Rumoldus omnium votis precibuſque ad gubernacula capeſſenda euocatur; iamque proceres omnes hunc, veluti ſingularem hæredem, inaugurare conſtituũt. Ecce autem nocte media, Rumoldo orationi de more incumbenti, Dei nũcius apparens mandat, vt ſine mora regnò excedat, exteraſq; regiones face Euãgelij illuſtrandas petat. Tum verò antiſtes cæleſti dicto quamprimùm obediẽs, clã & inſcio populo, natali exceſſit ſolo, ne violenta manu, quod futurum erat, à ſalu-

Monetur ab angelo, vt regno excedat.

Naulgat in Angliam, indè in Franciam.

tari fuga retraheretur. Itaque nauicula, ramis & corio bubalino (ea tunc gentis illius nauigia erant) obducta, transuectus; primò in Angliam, indè in Franciam est delatus. Ibi coruscantibus miraculis non paucos ab errore liberauit, & in viam salutis, dispulsis errorum tenebris, perduxit. Erat maturæ ætatis quidam ab ipsis incunabulis cæcus, qui præ foribus templi assiduo clamore transeuntium eleemosynas petebat. Huius miseriam ex animo miseratus Rumoldus substitit, & oculis cum insita pietate ad cælum sublatis: Surge, inquit, in Christi IESV nomine, qui diuino imperio cæco nato lumen contulit, & protinùs communi luce fruere. His dictis, euestigiò absterſa caligine mendicus exilijt, & Deo diuoque Rumoldo sinè fine gratias agens, lætus & incolumis domum abscessit. Indè alijs insuper clarus miraculis vir sanctus in Germaniam peruenit, vbi hominem horrenda lepra toto corpore deformem pari virtute sanauit, ac pueri instar recèns nati à fœda contagione perpurgauit. Quo miraculo populus permotus, abiurata impia superstitione, certatim ad veram religionem confluxit, ac sanctissimi viri monitis instructus, alacri animo suauissimum Christi iugum arripuit.

Iohan. 9.

Cæcum à natiuitate sanat.

Venit in Germaniam & leprosum mundat.

Abit Romã, & tradit Pontifici Episcopatum.

Rumoldus verò ijs successibus gaudẽs, cœpto itinere Romam perrexit, fœlicibusque auspicijs anno à Christo nato 752. Stephano eius nominis secundo eo tempore ad summum Pontificij honoris fastigium subrogato, Romanam vrbem ingressus, dignitatem suam magna animi submissione in manus Pontificis resigna-

signauit. Indè perlustratis quàm religiosissimè sacris locis, quę Petri & Pauli martyrio celebrã tur, eiusdem martyrij ardore incensus, diu multumque diuinum numen precatus est, vt similẽ vitæ finem expiandis sceleribus maximè idoneũ consequeretur. Hisce precationibus vehementer intentò, cælestis nuncius rursus adfuit, monuitq;, vt sine mora loca Scaldi fluuio contermina peteret, doctrina eius & martyrij gloria illustranda. Tum verò Rumoldus prima luce Pontificem adiens, obtenta ab eo abeũdi facultate, solitudinem à Deo sibi designatam, quanquàm loci viarumque ignarus petijt, multaque interim stupenda sanè miracula edidit; donec nõ sinè ingenti molestia per Germaniam ad Scaldim vsq; delatus ad destinatum martyrij locum peruenit. Is erat Machlinia, locus vast⁹ & incultus, densisque adeò sentibus ac vepribus obsitus, vt ferarum potiùs quàm hominũ domiciliũ esse videretur. Neq; modò locus ipse, sed humanę etiam mẽtes syluestres, in mores prorsus ferinos degenerârant; vt insitæ naturæ præstãtię obliti, solis corporis voluptatibus, veris animi relictis ducerentur. Eo verò tempore, quo vir sanctus lõgo itineris labore fractus ad eas oras appellebat, inuenit homines in syluis insano ludo dedi tos choreas exercere, fœdasq; voluptates ex vario lasciuiarum genere capere. Erat autèm dies qua Deus ipse, ingemiscẽte natura, in ligno supplicia sceleribus nostris debita exceperat. Quæ res cùm sanctissimi viri animum graui dolore percelleret, tum tanto ardore accendit, vt in medium prosiliens verba salutis magno cum põdere auribus eorum inferret, seduloq; moneret, vt

Orat pro martyrio.

Monetur ab Angelo, vt Brabantiam petat.

Ferini mores Machlinienſium.

S. Rumoldus Machlinienſibus ludo & voluptatibus

deditis concionatur magno cum fructu.

relicta insania, qua ad æternam perniciem ruebant, Christi pro nobis in Crucem sublati dolores mortemque perpenderent. Nec frustrà sanè populum, quanquam tota mente in vitia propensum, monuit. Nam peracta concione omniũ ita repẽtè mutati sunt animi, vt profusis lachrymis prioris vitæ errores detestarẽtur, certatimque vnius & veri Dei notitiam cum eximia vitæ puritate ac sanctitate amplecterentur.

Ado Comes Insignis.

At verò Rumoldus, vt erat cælestium rerum studio vehementer deditus, relicta hominum frequentia, mox ad nemora & syluas, precationibus ac lachrymis populi delicta expiaturus, commigrabat. Erat ijsdem in locis Archicomes quidam Ado, pręclara Pipini regis stirpe progenitus; qui ducta in matrimoniũ Elyza, æquè clari generis fœmina, annos sexaginta admodùm & sex sinè vlla spe prolis cum ea exegerat. Vt autem Rumoldi fama, miro omnium rumore celebrata, ad eius aures peruenit, mox accersito per internũcium viro, magno cum dolore infœcundæ vxoris miseriam ei expoſuit, rogauitq; vt, si posset, precibus nobilissimæ familiæ hæredem à Deo impetraret. Interim vir sanctus perhonorificè ab ijs habitus, alimonia vitæ æternæ illis vicissim suppeditabat, hortabaturque, vt eleemosynis ac benignè faciendi studio diuinũ sibi numen propitiarent; Nullum enim opus esse Deo gratius, quàm quod hominum beneuolẽtia & charitate continetur. Illis igitur ardenti studio benignitatis disciplinam exercentibus, & ingentem pauperum multitudinem cibo potuq;, alijsque rebus vitæ degendæ necessarijs, sustentantibus, Rumoldus post preces votaq; ritè

per

perſoluta, hoſpitibus ſuis fœcunditatis munus imprecatus eſt: dixitque apertè, prophetiæ ſpiritu imbutus, breui illis puerum corpore peruenuſtum, induſtrium, ac ſanctimonia celebrem naſcendum, & Libertum appellandũ. Habita eſt dictis fides, prorſus vt Comes eiuſq; vxor naturã citiùs defecturam, quàm ſanctiſſimi viri verba irrita aut inania fore, crederent. Fidem verò effectus definito tempore ſubſecutus, filium eis eleganti forma tradidit; qui incredibili tam parentes quàm populum vniuerſum gaudio perfudit. Admotus deindè luſtralibus aquis, ab ipſo Rumoldo Liberti nomen obtinuit; ea ſpe, vt veram Euangelij libertatem à ſacro antiſtite allatam ſibi ſuiſq; conſeruaret.

S. Rumold. impetrat Adoni prolem à Deo, eumq; Libertum appellandum dicit.

Et quidèm puer inſitam naturæ præſtantiam indolemque egregijs moribus ac virtutibus adornabat, & ſpe futurę ſanctitatis maximum omnibus gaudium inferebat. Sed, vt ſunt omnes res humanæ fluxæ & inſtabiles, tantam tamq; inſperatam lætitiam, maximus ſubitò mœror obtenebrauit: ſummaq; caligine inuoluit, Libertus ſiquidèm die quodam cum pueris coætaneis per ripam fluminis luſitabundus diſcurrens, dum parùm cautè veſtigia firmat, lubricante margine in fluuium dilapſus eſt: ac fluctibus hauſtus, ex omnium oculis abreptus euanuit. Ibi tunc in ipſo littore lugubres admodùm voces & eiulatus exorti totam repentè terram peruaſerunt, omniaque gemitibus ac lachrymis compleuére. Quantò verò quamque acerbo dolore optimos parentes funeſtus rumor perculerit, facilè quis apud ſe intelligere poteſt. Neq; tamẽ ſpem recuperandi filij abijciebant, cunctis certatim

Libertus ſub mergitur.

ſub-

submerso opem ferentibus, & aquis sese profundè immergentibus; sed cùm omnis vrinatorum industria frustrà laboraret, tum humano neglecto subsidio, ad diuinum Rumoldum concursum est. Aberat is longo satis interuallo, ita vt tertio à submersione die tristissimi nuncij certior primùm fieret. Erat enim studio videndi & alloquendi Gummarum, equestribus insignibus & eximia sanctitate virtuteq; apprimè clarum, vehementer incensus. Itaq; cùm ijs fortè diebus conueniendi virũ potestatẽ nactus esset, eius se colloquijs planè cælestibus ita oblectabat, vt ægrè alter ab altero diuelli posset. Non enim de asini vmbra (quod aiũt) sed de his quæ præcipuũ æternæ salutis pondus habent, vltro citroq; verba instituebant, differebantque, tanto vtriusque gaudio & profectu, vt deinceps locum illũ (qui ex eo ad Quercum nomẽ sortitus est) suauissimi sui colloquij voluerint esse perpetuũ. Is cùm esset vtriusq; domicilio intermedius, & religioni valdè opportunus, mira communis populi deuotione celebrari cœpit; adeò vt expiatus & diuinis rebꝰ cõsecratus anniuersaria supplicatione, prælatis vexillis sacris ac sacrosanctis reliquijs, magno deinceps in honore haberetur. Et sanè, quã esset Deo illa supplicantis populi deuotio grata, insigni miraculo declaratũ est. Rumold. & Gummarus quocũq; iter habebãt, nixi scipionibus, caballis iam antè valere iussis, incedebãt; cũ verò ad quercũ defixis in terram scipionibus ad res diuinas cum supplicante plebe pergerẽt, ecce qui multo tẽpore aridi fuerant, repentè virescere cœperunt, folijsq; vernantibus populũ vniuersum ad nouæ rei spectaculum excitarunt.

S. Rumoldi cum Gummaro colloquium & familiaritas.

S Rumoldi & Gummari scipiones virescunt.

Cùm

Cùm igitur eo in loco, vt diximus, Liberti interitus viro ſancto innotuit, ingẽtem animi dolorẽ profuſa lachrymarũ vi teſtatus eſt. Nihilominus hic, qui ęgrè in ſeipſo dolorem temperabat, alios ſolabatur, & verbis ſuauiſſimis recipiendi puerum ſpẽ oſtendebat. Inter ea vt ad locũ funeſtum peruentum eſt, ſublatis in cælũ oculis lachrymis miſerabiliter infuſis, celebri oratione terq; quaterq; Iesũ inclamat. Circunſtabant proceres multi, alijq; vtriuſque ſexûs homines plurimi, luctu lachrymiſq; deformati, euẽtûs finẽ præſtolãtes; cùm ecce, dictu mirum, puer in littore, toto corpore ac veſtibus ſiccis, non diſſono à triũ Babylonicorum puerorũ miraculo, cõſpicitur. Tum luctus gemituſque in voces lætitiæ conuerſi, præcipuo ſanè gaudio pueri genitores cumulârũt, permoueruntq;, vt ingentem auri & argenti vim D. Rumoldo gratiſſima animi ſignificatione offerrent. At ille reiectis omnibus haud contemnendis muneribus, Veſtra, inquit, vobis ſint; caduca enim aſpernamur, ne cũ cadentibus in præceps labamnr. Quid enim nobis cum rebus fugitiuis commercij, quorum iã totus in cælis actus debet eſſe & intentio? Cæterùm ſi aduenæ veſtro gratum munus donare vultis, eſt locus paluſtris, horridus & incultus, denſis vepribus ſpiniſq; obſitus, hunc perpetuo Dei ſeruitio abs te mihi donari poſtulo. Annuit non modo Comes, ſed gaudio inſuper ex poſtulato delibutus, donationem ſcripto confirmauit, ſolennique teſtamento ſtabiliuit.

S. Rumoldus Libertũ puerum ſubmerſum triduo, reſtituit.

Daniel. 3.

Reiectis muneribus auri & argenti, locum religioni perpetuò cõſecrandum ſibi donari poſtulat.

Erat loco iſti ab vlmorum luxuriantium copia Vlmo nomen, qui vt horrore, ita multo magis feris & maximè lupis admodùm infeſtus e-

rat. Sed diuinus Præsul nihil ijs periculis deterritus, collectis viris aliquot sanctimonia claris, domiciliũ in eo raptim extruxit, & fossa aquisque contra ferarum incursus muniuit, & ædiculam prothomartyri Stephano sacrã dedicauit; vbi annos complures sacra sub Christi militia, cum Liberto stipendia fecit. Postquàm enim adolescens pluribus nominibus viro Dei sese deuinctum animaduertit, epulas & luxum ac aulæ splendorem detestatus, quàm acerrimè sese ad sanctioris vitæ disciplinam sectandam cõparauit. Et quidèm in eo certamine tam egregium & inuictum se pugilem præbuit, vt ab ipso Rumoldo gregi vniuerso præfici mereretur, paulò pòst proprij cruoris laurea coronandus. Cùm enim efferi gentiles Hunni, Danique, in hasce regiones irrumperent, & omnia longè lateque ad ipsam vsque Agrippinensem Coloniam ferro & igne popularentur, Libertus in Hisbaniam euadendi periculi ergò confugiens, in æde S. Trudoni sacra, antè aram ab impia gente trucidatus est. Porrò cùm omnia circà loca, diuorum templa ac cœnobitarum conuenticula flammis absumpta iacerent, singulari Dei munere locus Rumoldi immunis perstitit; prorsus vt ipsi barbari, à superis dubio procul prohibiti, ne pedem quidèm manumve sceleratam inferre ausi fuerint.

Itaque Rumoldus, qui intenta cura diuinarum laudum pietatisque studium promouebat, vt ædem sacram augustiori forma, quali nunc est, extrueret, nouisque impensis augeret ornaretq;, duos imprimis artis fabrilis peritissimos euocauit, quibus templi totius fabricam cõcredidit.

Liberti pietas & sanctitas.

Martyrium Liberti.

Omnibus locis sacris vastatis, S Rumoldi diuinitùs conseruatur.

D Rumoldus Ecclesiã suã amplificat, exornatq;.

didit. Ijs verò diebus singulis, sole in occasum tendente, mercedem persoluturus, frequẽter de vitijs & virtutibus differebat, hortabaturq; assiduò, vt omnem peccati fœditatẽ, maximè verò adulterij crimen horrendis supplicijs puniendum, euitarẽt. Porrò cùm alter eorum illi vitio obnoxius, per omnia libidinum genera animo planè soluto vagaretur, tum certè salutaria sanctissimi viri monita pertinaci adeò mente respuebat, vt non rarò consilia de nece illi inferenda secum agitaret. Accedebat insatiabilis auri cupiditas, cuius D. Rumoldum valde diuitem existimabat. Igitur & libidinis suæ flamma incensus, & odio viri sancti incitatus, & pecuniarum auaritia captus, inter operas laboris socium cõpellauit; Vides (inquit) quàm ægrè improbo labore ac multis sudoribus tenuẽ nobis victum nisi in diem comparemns. Suadeo igitur aliquid à nobis tentandum, ne per omnem vitã inter plebeios & infœlices homines inglorij latitemus. Vir hic diuitijs nummisque refertus iam penè immensam auri vim in operas effudit, neque tamen vllis vel sumptibus vel oneribus deterretur, quinimò sinè cunctatione quotidie nostram nobis mercedem rependit. Hunc igitur occultis insidijs è medio tollamus, eiusque opibus ad gloriam & vitæ splendorem securi perfruamur. Facilè ab altero eodem auaritiæ morbo occæcato assensum; & dies locusq; nefando sceleri patrando opportuna designata.

Hortatur operarios suos ad omnem virtutem.

Operarij duo in necem illius conspirant.

Igitur vir sanctissimus more solito sub vespe ram operas lustraturus adueniens, à proditorum altero valido ictu ex insidijs in caput petit̃ humi sternitur, ac vulneris grauitate oppres-

Occiditur Vir sanctissimus.

sus confestim moritur. Tum vterque ad prædam quam antè magna spe amplissimam sibi proposuerant, conuersi, nummorum non amplius quã argenteos tres repererunt; quos fama tenet ipsũ sanctũ perpetuò sibi seruasse retinuisseq;, quantum quantum etiam expenderet. Qua re vehementer commotus cædis patrator, inuidia tabescentem sodalem conuitijs maximis inuasit, dirisque omnibus execrabili iuramento deuouit. Et quanquàm patrati facinoris pœnitudine ducti, & furijs conscientiæ agitati, vix sibi mente constarent, ne tamen pœnas tanto scelere dignas morte atrocissima luerent, raptim corpus sacrum arborum folijs inuolutum in flumẽ demiserunt. At CHRISTVS Dominus tam præclarum sæculi huius lumen nequaquàm diu tenebris inuolui passus est.

Corpus eius aquis immersum, lumine proditur.

Piscatoribus enim noctu circa negocia partito labore occupatis lumen cælitùs illuxit, & corpus superfusis luminaribus prodidit. Piscatores enim cælesti visione perterriti, Comitem Adonem adierunt, lucemque prodigiosam eodem semper loco apparentem eidem indicârũt. Comes nouitate rei permotus, se socium nauigij nocte concubia præbuit, cædisque Diui Rumoldi penitùs ignarus, eiectis harpaginibus inuestigare voluit, quidnam flumini immissum esset. Tum verò nobile corpus sanctissimi Præsulis piscatus, vehementer obstupuit, ac protinus ex inflicto vulnere rei veritatem cognouit. Funus fuit miserabili valdè ploratu & lachrymis multorum & imprimis ipsius Comitis curatum & in ædem sacram honorificè conditum. Eò cùm religionis causa multi confluerent,

rent, videndiq́ue Præsulis cupidi præ gaudio lachrymas funderent, coruscantibus subitò eius virtute miraculis multò quàm ante clarius, eximiam eius sanctimoniam cognouerunt. Multi namq́ue morbis & calamitatibus circumuenti dum supplices ad Deum preces funderent, opemq́ue viri sancti suis diffisi meritis implorarent, repentè curati sunt.

Miracula fiunt ad tumulum eius.

VITA S. THEODORICI, ABBATIS discipuli S. Remigij, ex ea quæ est apud R.P. Laurent. Surium. Claruit temporibus Clodouei regis Francorum circa annum Domini 520.

Vide Notatio: C. Baronij In Martyrol. Roma.

SANCTVS Theodoricus, patre Marchardo in pago Rhemẽsi Alamandorũ chorte natus, beato Remigio literarum morumq́ue disciplinis imbuẽdus est traditus; cuius futuram sanctitatem cùm alia multa, tum fõs quidã haud obscurè indicauit. Cùm enim panni, quibus infans inuoluebatur, in eo abluerentur, nullis non modò sordidus inquinari potuit, sed peracta lotione insolitum quendam inæstimabilis suauitatis odorẽ præbebat. Postquàm autèm annis pubertatis magna cum opinione virtutum exactis, ad certum aliquod vitæ genus vocaretur, pater ad matrimonij copulam, quanquàm is cælibem vitam vnicè adamaret, eum compulit; cuius volũtatem aspernari, optimi parentis animum sibi offensum redderet.

1. Iulij. Patria & Parentes eius.

Itaque inito cum virgine haud contemnenda nobilitate matrimonij fœdere, castissimis sponsam stringẽs amplexibus, hortari eam cœpit ad im-

Hortatur Sponsam suã ad virginitatem.

immarcescibilem virginitatis coronam ad extremum vitæ spiritum conseruandam. At illa rata se despectui haberi, grauiter querulari cœpit; donec verbis Remigij antistitis persuasa, virginitatis votum ex animo amplexa est, seque desiderio vitæ cælestis totam cum spõso vni Christo consecrauit.

Mons Hor. alius ab eo in quo mortuus est Aaron.

Est sylua tribus à ciuitate milliaribus egregio in monte nomine Hor sita, ad quẽ Thodoricus ex mandato antistitis conscendens, præclarum sanè pietatis domicilium ibidèm in loco angelico ministerio designato construxit, multisque viris insigni pietate & eruditione conspicuis celeberrimum reddidit, & tam admiranda virtutum opera effecit, vt nullis verbis pro dignitate explicari possint. Cùm autem à Remigio sacerdotio initiatus, quodam tempore ex more S. Antistite inambulans psalmos depromeret, & ad Montem memoratum tendentes, in locum quem Cedrium appellant, prostibulis infamem peruenissent, illicò (dictu mirabile) vox faucibus hæsit; adeò vt ne versum quidèm vnum proferre posset: idem passus, cum reuersi ex Monasterio, eundem locum præterirent. Quam rem admirante S. Remigio atque causam inquirente, Pater, respondit Theodoricus, Cur pateris animas diaboli nexibus implicatas interire? Videsne Deum preces nostras auersari, mihique orandi facultatem præripere, quòd Christi oues è tartarei lupi faucibus eripere negleximus? His auditis Remigius perculsus, supplicibus à rege precibus locum obtinuit, eumq; funditùs euertit, spurcissimaq; meretricum contubernia dissipauit: proq; eis aliud pietatis domici-

Loco lupanaris extruitur Ecclesia.

domicilium intrà vrbis mœnia, ædificijs & numero quadraginta virginum (tot enim fuerant ſcorta quæ profligauerat) inclytum extruxit.

Defuncto rege Clodoueo, quem beatus Remigius à gentili ſuperſtitione ad Chriſtianam religionem ac fidem traduxerat, ac è ſacro fonte ſuſceperat, filius eius Theodoricus regni gubernacula ſuſceperat; cuius filia graui & periculoſo morbo laborans, parentibus non ſolùm, ſed regiæ familiæ vniuerſæ inſignem dolorem inuſſerat. Iamque medicorum auxilio & ope deſtituta, ſignis minimè dubijs, vltimum vitæ terminum inſtare ſignificabat: cùm Remigius à Rege euocatus, at aduerſa ſimiliter valetudine cõflictans, vices ſuas B. Theodorico demandat: vt afflictæ puellæ precibus opem ferat. Sed antè quàm ille regiam intraret, illa vita functa fuit. Parentes verò cum regia familia luctu & mœrore deformati, lachrymas fundebant; cùm ſuperueniens Theodoricus cunctis paululùm ſecedere iuſſis, vt funeri neceſſaria præpararent, ipſe interim tota mente precibus intentus, examine puellæ corpus oleo ſancto inũxit: & ſubitò artus omnes vitæ expertes ſuo vigori reſtituit. Accurrunt rex & regina ad tantæ rei miraculum vix mentis compotes; ſtupent; exultant; filiam incolumem recipiunt; Chriſtiique potentiam & virtutem ſummis laudibus in Theodorico extollunt. Porrò Rex non modò diſcipulum Theodoricum, verum etiàm beatum Remigium regia munificentia proſequi appetens, Venderas villam, ad fluuium Matronam ſitam, ei; Gaudiacum autèm vicum pagi Rhemenſis S. Theodorico donauit: orans eum, vt pro ſe & Regno ſuo

Precibus & sãcto oleo excitat regis filiam vita functam.

suo Dominum deprecaretur.

Curat similiter oculum regis.

Accidit posteà vt idem Rex oculi incredibili vexatus dolore, post medicorum artem nequicquam tentatam, beato viro ad se accito eum humiliter curandum obtulerit; quem vir sanctus pari modo, dicto citius, dolore fugato, pristino lumine reformauit. Vndè, fama nominis virtutumque eius longè lateque cum magna admiratione peruagante, ingens ægrorum multitudo quotidie ad eum confluere cœpit; quos ille mira beneuolentia complexus curauit; ita vt vix vlla morborum vis eius precibus virtutique non cederet; prorsus vt infiniti à miserijs & morbis, beneficio viri sancti liberati passim eum prædicarent. Perseuerauit autem ad extremum vitæ spiritum in Christi seruitio, & in ea benignè faciendi disciplina; ac tandem bono certamine fœliciter consummato, plenus bonorum operum Kalendis Iulij ad Christum migrauit. Eius corpus Rex cum magno nobilium comitatu suis ipse humeris, memor beneficiorum eius, cum summo animi mœrore ad sepulcrum exportauit; quod multis admodum in præsens miraculis coruscat.

Multi sanantur.

Rex Theodoricus sancti corpus propriis humeris ad sepulcrū deportat

VITA

VITA S. EPARCHII ABBATIS,

& Confessoris, ex ea quæ teste Baronio, integra fide apud R. P. Laurentium Surium extat. Migrauit ex hac vita anno Domini 583. Pontificatus Pelagij 2. Papæ, 6. Tiberij Imperat. secundo.

In Notatio: Martyro: Rom. Item Tom. 7 Annal.

EPARCHIVS ex pago Petragoricensi, patre Felice cognomẽto Aureolo, matre verò Principia natus, postquàm iam ferè septennis literarum studijs adhibitus, minimè vulgarem eruditionẽ, & ingenij dexteritate & indefesso labore nactus esset, ab auo Felicissimo Comite accitus, Cancellarij officio præfectus est; quod ille etiamnùm adolescens tanta integritate ac prudentia annos quindecim administrauit, vt amplissimam ex eo laudem consequeretur. Cumq; in eo rerum statu, & honoribus & rebus gerẽdis admodùm clarus existeret, animaduertens tamèn demùm quàm essent cuncta vana, spretis viriliter omnibus, Sedacianũ petijt monasterium; & inuitis parentibus se totum diuino seruitio mancipauit. Ibi cùm inflammato in Deum animo duros pœnitentiæ labores alacri mente deuoraret, & vilissima quæque monasterij ministeria humilitatis ergò libens subiret, multos morbis pressos, vel à dæmone vexatos, suis precibus curabat. Feraque animalia solo verbo dicto sibi audientia reddebat. His alijsque virtutum signis inclarescens, cum ex honore passim oblato ruinæ grauioris periculum pertimesceret, fuga salutari tutiorem salutis portum in vasta aliqua eremo sibi quæsiuit. Cumque itinere per pagum

1. Iulij. *Patria & Parentes eius.*

Fit Cancellarius.

Petit monasterium.

Claret miraculis in monasterio.

Excitat mortuum. gum Equolinensem instituto, puerum Gratulphum nomine, in Anglesis villa interemptum

Item alium. offendisset, mox precibus vitæ eum restituit. Indè alium vita functum apud Burdegalenses pari modo excitauit: multisq; deinceps, quocunque gradum faciebat, miraculis coruscabat. Quæ res cùm famam eius admodùm celebrem redderet, veritus ne aliquādò in scopulos inanis gloriæ impingeret, locum quendam desertæ solitudinis instar ab Anthonio Burdegalensi Antistite sibi ostensum, obtenta primùm à Sabaudæ eius loci Episcopo ac suo Abbate plenaria facultate expetijt; in quo diuino admonitus oraculo constructa cellula, pauciscque eiusdem propositi sibi adiunctis, dies noctesque precibus incumbebat; & si quid auri argentique oblatum

Summa eius beneuolentia in pauperes & miseros. esset, aut necessitatibus pauperum, aut redimendis captiuis distribuebat. Erat enim mirè beneficus, nec vlla illi cura potior quàm miseros & calamitosos opibus precibusque subleuare.

Cum autem adhuc esset in ciuitate Burdegalensi, erat ibidèm ingens vinctorum numerus; quem vir sanctus, è vinculis vt eriperet, ad carceris ostia feruidas preces fudit, custode adstante, & exitum animo suspenso præstolante. Peracta verò precatione, mox ad eius imperiũ omnia carceris ostia aperta; pessula reiecta, multis locis quassata sunt. Porrò vincti omnes, impetu ad

Multos è carcere vinctos liberat. ecclesiam facto, populo acclamante & Eparchij sanctitatem magno plausu collaudante, mortis periculum euaserunt.

Postquàm verò ad Sacerdotij dignitatem est euectus, multa alia ab eo edita sunt, miracula:

quo-

quorum nos pauca duntaxàt cõmemorabimus. Quodam tempore, quidam vas melle plenum furatus à rustico; comprehẽsus ac suspendio adiudicatus, post dira tormenta ad furcam trahebatur. Eparchius vbi id comperit hominem diuinam humanamq; opem implorantem miseratus, supplices Iudici preces pro salute miseri obtulit. At illo, populoq; vniuerso reclamante, & sceleſtum non vno supplicij genere dignum asserente, vir sanctus ad solita orationis præsidia confugiens, Gratianum monachum presbyterũ ad vrbis portas interim præstolari iussit, vt hominem diuina virtute suspendio liberãdum quàm celerrimè ad monasterium perduceret. Intereà miser in altũ sublatus, ferrea catena collo iniecta suspenditur; sed recedentibus carnificibus, patibulum dissipatur, & vincula soluuntur; solutusque cursu rapidissimo ad oppidum properat: vbi precibus Eparchij à Iudice vita donatus est. Alius similiter multorum criminũ reus extremo supplicio afficiendus erat; quem vt eriperet vir sanctus, supplex Iudicem rogabat; qui non modò supplicem repellebat, sed reum insuper inuersis pedibus patibulo affixit. Quæ res cùm Eparchio innotuisset, tamdiù prępotentis Dei opem implorauit, donec hominẽ diuina bonitate solutum, sub horam vespertinam incolumem reciperet. Porrò quot ab immundis spiritibus alijsq; morbis liberauerit, ac quoties precibus carceres perruperit, longum nimis foret singulatim referre. Hoc vnum autẽ ad imitationem charitatis eius nobis sufficiat, quòd rebus illis, quæ dono ab alijs sibi suisque acceperat, ad duo hominum millia redemerit,

Suspensum furem cõseruat.

Item alium.

paratus sanè pro aliorum salute, si res ita postulasset, sanguinem profundere.

Cùm autem tanto studio curaq; alijs subueniret, tum in suum ipse corpusculum rigidissimus erat; victus siquidem vestitusq; eius semper asperrima fuêre. Vinum, aliaq; ebrietatem adferentia semper refutauit; neq; tamen rigor ille, vitæq; asperitas vires corporis fregerunt, sed ad vltimam vsq; ætatem firma valetudine perseuerauit. Post annos verò quatuor & quadraginta in ea solitudine cũ admiranda opinione sanctitatis & miraculorũ virtute exactos, leui correptus febre, sanctissimam Deo animã tradidit. Funus cùm aliorũ lachrymis, tum præcipua redemptorum cura & luctu admodum lugubri in ecclesia conditum fuit.

Alij volunt 39.

Migrat ad Dominum.

SOLENNITAS VISITATIONIS B. VIRginis, ex Concionibus R. P. Ludoici Granat. quæ quidèm ab Vrbano, eius nominis Pontifice Sexto instituta; à Bonifacio autẽ Nono confirmata vel potiùs publicata est, Anno Domini 1389. Idq; occasione vrgẽtis schismatis: ad quod componendũ eiusdem Dei Genitricis opem, Dei Ecclesia propensiùs (ea aucta celebritate) studuit implorare.

Vide Notat. C. Baron in Martyr. Roman.

2. Iulij.

POST auditam cælestis nuncij legationem, qua hinc Virginis, indè sterilis & grandeuæ mulieris conceptus nunciabatur, Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Suscepit hoc iter beata Virgo primùm, vt nouum atq;

Maria pergit ad Elizabetham. Lucæ 1.

atq; ingens miraculum, quod in sterili Elizabeth diuinam potentiam fuisse operatam ab Angelo acceperat, & oculis cernere, & cum ea aliquamdiu versari, & diuinam in eo potentiam & gratiam agnoscere, suspicere & adorare posset. Hoc enim vel præcipuum sanctorum hominum studium est, diuinorum operum contẽplatione animũ pascere, & in eis die ac nocte meditari. Vndè quidã eorum aiebat: Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis; hoc est, toto pectore, Domine, in operibus tuis perscrutandis & contemplandis exercebor; Quo enim magis in illa mentis oculos intẽdo, eo maiori animus meus, admiratione reficitur, maiori busq; delicijs pascitur. Sed prẽcipua tamẽ huius itineris causa, singularis quidã Diuini spiritûs impulsus fuit. Nunquam enim Virgo Deo plena aut iter aliquod suscepit, aut quiduis aliud molita est, quin id Spiritu sancto intus suggerente fecerit; qui omnes illius gressus & motus dirigebat. Si enim D. Paulus iter suum in vrbem Romã sinè Dei voluntate conficere non audebat; quid de illa censendum est, quæ tanto maiori gratia præstabat, quanto ad maiorem dignitatem electa fuerat? Ab hoc ergo Spiritu impulsa, iter hoc suscepit, qui eius aduentu infantem intra materna adhuc viscera hærentem sanctificare, & cælestibus donis replere volebat; sicut Gabriel Angelus Zachariæ patri fuerat antè pollicitus.

Quare Virgo sacra hoc iter susceperit.

Psal. 138.

Rom. 1.

Quòd verò tãta festinatione sacratissima virgo properauerit, causa fuit sũma Dei nostri bonitas, qui ideò iter accelerauit, vt infantem

Cur tanta cũ festinatione perrexerit.

Ioannem citius à peccato liberaret. Hoc autem nequaquàm leue esse putandum est. Nemo enim eorum est, qui diuino lumine collustrati, horrẽdam peccati deformitatem agnoscunt, cui si optio daretur vel vnius horæ spatio in peccato morari, vel mille annis ardentissimo igne cruciari, non priùs hunc adeò longum cruciatum eligeret, quàm tam breuis moræ spatio in peccato manere. Quid enim sanctos Martyres impulit tot, tamque varia, atque immania cruciatuũ genera forti & inuicto animo subire? quid ignes contemnere? rotas despicere? in ebullientes sartagines sese vltrò inferre? ferreas vngulas, equuleosque deridere, nisi peccati deformitatem vel breuissima horula deuitare? Probè namque cognoscebant & pœnitẽtiæ virtutem, & misericordiam Domini; qui negantem Petrũ plusquam paternis oculis aspexit, & pœnitentiam simul & veniam clementi pietate contulit, eamque sibi in simili infirmitate non defuturam intelligebant. Ne tamen breui illa mora, peccati iugo premerentur, nullum supplicij genus recusârunt.

Matth. 26.

Pergit igitur sacra Virgo, vt seniori in futuro partu obsequium præbeat. Qua in re videre licet, quantam vim habeat humilitas, & animi vera submissio, quæ efficit, vt nunquã pius homo, quamuis maximis à Deo donis honestatus sit intumescat. Maria sciebat quidèm se matrem Dei effectam; sed cùm se paulò antè ancillam appellasset, minimè quidem ancillæ officium voluit deserere, neq; vt mater Domini ad imperium, sed vt ancilla ad obsequium se præparauit. Quò autem ministerium suum fœlicius absolueret,

Summa humilitas Deiparæ virginis.

filij

filij sui præsentiam, quæ esset opem vicino partui latura, secum afferebat . Hæc autem prima processio fuit, qua Christi corpus gestatum est: quam non saltantium & ludentium turbæ, sed Angelorum chori Virginem comitantes & laudes Deo concinentes adornabant. Nec mirum si tam fœlix Elizabethæ partus extitit , qui talis matris & filij præsentia adiutus fuerit & honestatus.

Et factum est (inquit Euangelista) vt audiuit Salutationem Mariæ Elizabeth , exultauit infans in vtero eius , & repleta est Spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna , & dixit: Benedicta tu , &c. Exclamauit hæc adeò vehemens (quam sancta fœmina continere ac reprimere non potuit, quæ diuini spiritûs impetu excitata, in illam vocem prorupit) interni affectûs magnitudinem indicat . Duabus enim ex causis admiratio excitari solet; vel quia res maximæ, vel, quia insolitæ sunt. Hoc autem in loco, quatuor admiranda Dei opera huic sanctæ fœminæ reuelata fuisse videntur , quibus nihil neq; maius, neq; magis insolitum cogitari potest . Cùm enim B. Elizabeth , quæ Angelus cum sacra Virgine tractauerat, Spiritu docente didicisset, (alioqui nequaquàm diceret , Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino) quatuor hæc maxima & stupenda mysteria cognouit. Primum, Virginem Mariam sinè vllo commercio viri de Spiritu sancto concepisse. Secundum , Verbum Dei, Deum verum, humanã carnem assumpsisse , verumq; hominem similem nobis passibilem factum fuisse. Tertium, humilem illam fœminam, quam corã se præ-

Quæ fuerint Elizabethæ à Spiritu Sancto reuelata.

se præsentem cernebat, humili fabro desponsatam, Dei matrẽ, ac totius mũdi Dominam existere; sub illo humili ac vili habitu vniuersorũ latêre Reginam. Postremum, semestrem infantẽ vtero inclusũ, Domini sui præsentiã agnouisse, & præ gaudio exultasse atq; exilijsse. His autẽ miraculis quid, quæso, maius? quid magis insoli tũ? adde etiam, quid humano generi salutarius? Quid enim mirabilius, quàm Dei Verbũ carne vestiri? quid magis insolitum, quàm virginem concipere & parere? Quid magis nouum, quàm infantẽ in visceribus matris, fide, gaudio, & Spiritu sancto repleri, & Redemptorem suum non mente solùm, sed corpore etiam venerari? Hæc igitur omnia sanctæ illi fœminę momento temporis reuelata sunt. Nulla enim in discẽdo mora est, vbi Spiritus sanctus doctor est.

Maria vt sanctos omnes dignitate, ita & fide superauit.

Luc. 1.

4. Reg. 20.

Iudic. 6.

Hebr. 11.

Genes. 15.

Addit præterea Elizabeth, Beata quę credidisti. Verè beata, quæ sanctos omnes vt virtutibus & dignitate, ita fide quoq; superasti. Quã multi enim ex antiquis Patribus, vt minora crederẽt, signa petierunt? Zacharias Ioãnis pater, signum ad desperatam sobolem sperandam petijt. Ezechias in Solis retrocessione, spẽ salutis; Gedeon in rorido vellere, promissæ victoriæ signum petijt. Ipse quoq; Pater Abrahã (cuius fidẽ Paulus tantoperè commendat) cùm Cananæorum terram posteris suis tradendam à Domino accepisset, respondit, Domine Deus, vndè scire possum quòd possessurus sum eam? At beatissima Virgo tot miraculis & promissis (quibus nihil simile in omnibus sæculis visum est) ab Angelo propositis, nulla cunctatione, nulla interposita mora, nullo ad tantarum rerum maiestatem signo po-

stula-

ſtulato, aſſenſum ita præbuit, vt hoc potiſſimũ nomine à beata Elizabeth cõmendetur, dicente Beata quæ credidiſti. Ex quibus verbis apertè colligit Ambroſius, Mariam nihil addubitaſſe; quãdoquidèm eius hoc in loco fides, & beatitudo fide parta, Spirituſſancti teſtimonio commẽdetur. Subditq; protinùs.

Quoniam perficientur in te quę dicta ſunt tibi à Domino. Ex his verbis nouum aliud miraculum in matre, ſicut in filio, animaduertere licet; nempè inſignem prophetiæ ſpiritum huic sãctæ fœminę diuinitùs collatũ. Triplex enim prophetiæ genus eſſe ſtatuũt. Vnũ, quòd præterita, & ab omniũ hominũ memoria remota cõplectitur; quale Moſis fuit, cùm cęli & terræ molitionẽ, & priorũ hominũ vitas moreſq; ſoli Deo cognitas deſcripſit. Alterũ, quod præſentia, inſolita tamẽ neq; vulgari ratione cognita, oſtẽdit; cuiuſmodi prophetia Ioanni tribuitur, qui Dominũ Ieſum, cęleſti iudicio ſibi reuelatum, hominibuſq; incognitũ, digito oſtẽdit, dicens; Ecce agnus Dei; Tertiũ eſt cõmune atq; vulgatũ, cùm ea quæ futura ſunt, longè antè prænunciãtur. Hęc aũt tria prophetandi genera beata Elizabeth his verbis ſe percepiſſe declarat; Pręterita enim ſe cognouiſſe oſtẽdit, cùm ait: Beata quæ credidiſti. Futura, cũ ſubdit: Perficientur in te ea, quæ dicta sũt tibi à Domino. Pręſentia verò, cùm ait: Vndè hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?

Triplex Prophetiæ genus.

Ioan. 1.

Sed iam videamus quid tam magnificis dignitatum titulis ornata Virgo cogitârit, quid dixerit, quid ad propoſitas per Elizabeth laudes reſponderit; Magnificat (inquit) anima mea Dominum, hoc eſt, tu quidẽ, ô ſancta fœmina amplif-

plissimis laudibus dignitatem meam magnificas; ego verò huius dignitatis meæ auctorẽ Deũ ex intimis visceribus magnifico. Tu infanté,ais salutante me exultasse in gaudio in vtero tuo, at spiritus meus exultat in Deo Salutare meo. Me,ais inter mulieres benedictam, neque verò tu sola es quæ me hoc nomine prædices;beatam quippè me dicent omnes generationes, ad quas Christi Iesu nomen cognitioq; peruenerit;sed ideò prædicabunt,quia humilitatem, hoc est,vilitatem & indignitatem meam respicere ille voluit, qui potens est,& sanctum nomen eius; qui videlicet vt omnipotens potuit, & vt sanctus, hoc est, liberalis & beneficus, voluit me tam magnificis titulis honestare. Atque ita sacra virgo cùm omnia vni Deo tribuit, & sibi nihil assumit;exemplo suo nos docet,vt quęcunque bona,quæcunque laude digna in nobis existunt,vni illi accepta referamus, illi tribuamus, pro eoque sempiternum illi laudum sacrificiũ offeramus;quo præteritis beneficijs gratias agentes, futurorum digni habeamur. Quemadmodùm enim inter maxima Dei dona, donorum ipsorũ cognitio numeratur,(qua in largitorem grati& beneuoli sumus)ita percepta beneficia non agnoscere, magnum diuini furoris argumentum est. Hinc enim ingratitudo; hinc abusus diuinorum beneficiorum; hinc fastus & præsumptio; & aliorum contemptus;& superbia (peccatorũ omnium parens)originem ducunt. Hoc autem perditorum ac sceleratorum hominum commune est;qui vt publicas calamitates & clades, nõ culpæ supplicia sed naturæ conditionem,putãt; ita diuitias,honores,nobilitatem ac potẽtiam, non

Quid doceamur exemplo B. Virginis.

Donorum cognitio, inter maxima Dei dona numeranda.

Impia quorundam opinio.

non Dei dona, sed fortunæ munera arbitrantur. Quo fit, vt neq; plagis immissis corripiãtur, neque pro perceptis beneficijs gratias agant, sed illorum abusu deteriores fiant. At contrà Sanctorum omnium est, quæ sibi à Deo donata sũt nosse, immortalesq; pro illis largitori gratias agere. Cùm ergò B. Virgini longè plura dona quàm omnibus sanctis donata sunt, & pro magnitudine donorum fuit etiam, vt modò diximus, magnitudo gaudiorum, consequens est, vt quemadmodũ nulla cogitatio nostra donorum magnitudinem, ita neque huius gaudij magnitudinem concipere pro dignitate possit.

MARTYRIVM SS. PROCESSI ET MARtimani, ex eo quod est apud R. P. Laur. Surium. Erat olim Romæ Basilica hisce martyribus sacra, in qua S. Gregorius Papa habuit homiliam 32. in Euangel. vbi & de miraculis ad eorum sepulchra fieri consuetis meminit. Diruta autem prædicta Ecclesia, translata sunt eorum corpora in basilicam Vaticanam S. Petri Apostoli, vbi hactenus asseruantur.

Vide Notat. C. Baron in Martyr. Roman.

QVO tempore Apostolorum principes Petrus & Paulus, Neronis crudelitate Mamertini custodiæ traditi, res admirandas in vinculis gerebant, morbos pellebant, dæmones fugabant, aliaq; diuinę virtutis miracula patrabant, Processus & Martinianus Magistriani Aminelli Principis, inter alios milites, ad eorum custodiam deputati, rerum, quæ ab ijs gerebantur, admiratione defixi dixerunt; Viri ve-

2. Iulij.

Processus & Martinianus Petri & Pauli in Vinculis custodes.

nerabiles; non dubium, quãdoquidèm nonus iã mensis, quòd in custodia estis, agitur, quin vestri oblitus sit Nero: quare vos rogatos obnixè cupimus, vt quocunq; placuerit abeatis; tãtùm in eius nomine, per quem res adeò stupẽdas geritis, sacris aquis nos lustrate. Quibus Apostoli; Si, inquiunt, fidem Christianam syncera mẽte amplecti velitis, & vos eandem miraculorum gloriam operari potestis. Hoc vt audiêrunt reliqui carceris vincti, vnanimiter exclamârunt; Donate nobis aquam, quia siti periclitamur. Illis hoc modo iteratò clamantibus, Petrus: Credite, inquit, in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & cuncta vobis ministrabuntur. Hæc dicens, simulque de Christianæ religionis mysterijs breuiter differens, signum Crucis in monte Tarpeio eadem in custodia expressit, & profluẽtem aquæ vim è monte elicuit; qua expiati antè omnes Processus & Martinianus, reliquos multò vehementius eadem cupiditate inflammârunt. Prosternebant se cũcti promiscui sexûs quadraginta septem Apostoli Petri pedibus, vt eiusdẽ gratiæ participes fierent. Nec repulsi sunt diutius; sed cum ad vnum omnes lustralibus tinxissẽt aquis, oblatoq; pro eis Sacrificio, cęlesti epulo, quo Christi Iesu corpus & sanguis continetur, eos refecit.

Insigne miraculum.

Processus & Martinianus baptizantur.

His ita peractis, Apostoli, Processi & Martiniani precibus fatigati, carcere egressi sunt. Vt verò ad portam Appiam peruentum est, beato Petro, cuius pedes ferrei compedes attriuerãt, fasciola apud sepem in via noua cecidit; moxque Christus Dominus illi obuiã factꝰ est. Quo viso agnitoq;, Domine, inquit; quò vadis? Et Dominꝰ;

Ro-

Romam redeo iterum crucifigendus: Tu autèm Romam reuertere. Eo responso Petrus fugã suã notari cognoscens, vehementer erubuit, iterumque Romã redijt, & libens gaudensq; tentus à militibus vincula subijt. Intereâ rumore omniũ increbuit, Processum & Martinianum Christiana sacra suscepisse. Præerat tũc Paulinus summi Iudicis officio, vir vt genere & dignitate clar⁹, ita Christianis omnibus vehementer infestus. Is cõtinuò vinctos sibi Christi martyres sisti iussit, & multis blandicijs, vt honorata ad illum diem militiæ stipendia, cultu & obseruantia in Deos patrios conseruarent, hortatus est. At Martinianus cùm impura sceleratáque hortamina puris sanctisque auribus diutius non sustineret, Nos, inquit clara voce, iamdudum cęlestis militiæ sacramẽta habere cœpimus, quare noli quęso nobis abiecta dæmonis stipendia vlterius ingerere. Paulinus quanquam tam forti responso verba sua repulsam pati ægerrimè ferret, iterum tamen atque iterum eadem inculcans, robur eorum animi frangere nitebatur. Sed cùm verba in ventum se profferre intelligeret, ira & furore excandescens, ora eorum lapidibus contundi iussit. Cumque diu cæderentur martyres, ambo pariter iucundo sanè iubilo clamabant, Gloria in excelsis Deo. Paulinus ne quid intentatum relinqueret, tripodam & auream Iouis statuam à militibus adferri præcepit, vt maturè, quemadmodum sperabat, inuicti athletæ futura supplicia sacrificio redimerent. Sed martyres allatam tripodam statuamque risu & sputis exceperunt. Quo contemptu nimio furore incensus Iudex, sine mora vtrumq; in eculeo sus-

Paulinus iudex Processum & Martinianum vinctos sibi sisti iubet.

Lapidibus ora eorũ contunduntur.

In eculeo suspenduntur, fustibus cæduntur, & latera aduruntur.

suspendi, & neruis attrahi, fustibusq; mactari, ac postremò flammis ad latera eorum admotis aduri iussit.

Lucina insignis matrona martyres ad constantiã hortatur.

Intererat supplicijs matrona quædam nobilissima Lucina nomine; quæ, vt erat eximia pietate, & fortitudine, martyres in medijs tormentis constitutos ad constantiam hortabatur; prorsus vt virilis animi fœminæ verbis roborati, illata supplicia irriderent. At verò Paulinus eam ignominiam non ferens, suspensos in eculeo

Cæduntur scorpionib.

scorpionibus lacerari iussit. Sed mox, dum mente voceque in martyres sęuiret, hoc suæ crudelitatis à Deo præmium tulit, vt altero orbatus oculo, vix præ dolore mentis compos, tertiũ post diem à dæmone arreptus expiraret. Martyres verò in Mamertini custodiam ab eculeo reducti, à Lucina matrona benignè aliquãdiu habiti sunt; donec Pompinius paternæ mortis vltor sæuissimus, Cæsarium vrbis Præfectum compulit, vt mortis in eos sententiam dictaret. Igitur eiecti è custodia, & vrbis extra muros ducti, via Aurelia capite cæsi sunt. Trunca eorum corpora canibus deuorãda relicta, à sanctissima matrona Lucina collecta & preciosis aromatibus condita, in prædio eius sepulta sunt, Nonas Iulias; vbi præclara omnibus eorum opem implorantibus à Deo præstantur beneficia.

Plectuntur capite.

VITA B. MONEGVNDIS CONIVgatæ, ex ea quæ est per Gregorium Turonensem Lib. de vita Patrum Cap. 19.

Vide Notat. C. Baro. In Martyro: Roma. 2. Iulij. S. Monegundis patria.

BEATISSIMA Monegundis, Carnotena ciuitate oriunda, matrimonio magna parentum volũtate ac studio copulata, duas eximia

eximia pulchritudine filias obtinuerat; quas immenso admodum amore prosequebatur. Cumque immodico delibuta gaudio, futurorũ ignara, in summa securitate degeret, vno tempore, ambabus orbata, gaudium omne in luctũ adeò acerbum conuertit, vt nullis amicorum monitis, nullis blandicijs, nullis rationibus immodico mœrore vel ad tempus auocari posset. Tandem verò cùm assiduis fletibus ad satietatẽ diu multumque indulsisset, seipsam exemplo B. Iob solari cœpit: ne grauiorem diuini numinis iracundiam in se prouocaret. Imò verò vt deinceps terrenorum gaudiorum oblita, quæ re ipsa diuturna non esse cognouerat, ab vno Deo & Christo Iesu tota pẽderet, inq; eo dulcissima contẽplatione assiduò cõquiescceret, exuta veste lugubri, angustã sibi cellulam cõstruxit, in qua gratissimam Deo seruitutem, ancilla vnica quotidianum in ministeriũ assumpta, offerebat.

S. Monegundis vno tempore duabus filiabus, quas impensè amabat, priuatur.

Iob. 1.

Arctissimè se includit.

Porrò famula victûs eius asperitate paulò pòst deterrita clàm fugã inijt, Dominamq; diebus quinq: cibo omni potuq; destitutã reliquit: Illa, quanquàm asperis in rebus, perstitit tamen in precibus, ac facilè diram famẽ cælestium rerum meditatione pepulit. Sexto verò die protensis ad cælum manibus orationẽ fudit, vt qui manna populo esurienti de cælo, lymphasque sitienti produxit è saxo; ipse quoq; alimentum, quo parumper fessum corpusculum confortaretur, dignaretur indulgere. Protinusq; ad eius orationem nix de cælo decidua humum operuit. Quam illa cum gratiarum actione, educta per feneſtram manu, collegit: qua in aquam soluta & farinæ mixta panem solitum formauit.

Exodi 16. Num. 20.

Cælitùs accipit aquam.

Habe-

Habebat hortum cellulæ ſuæ contiguum: in quem prodire ſolitam mulier quædã ex vicino tecto importunè proſpexit, curioſius exploratura quid pia Chriſti famula rerum gereret. Sed mox lumine oculorum priuata, cognouit reatum ſuum, ſupplexq; accurrẽs orationis eius remedia poſtulauit. Tum Monegundis grauiter ſanè afflicta, quòd fœminam vtroque orbam lumine cerneret, confeſtim ſe humi deiecit, factaque oratione ſignum Crucis expreſſit, & clauſa lumina ilicò reformauit. Nec multo pòſt eadẽ virtute obſtructas alterius viri aures aperuit reparauitque.

Cæcã ſanat. Itẽ ſurdum.

His ſignis inter ſuos glorificata, nè vanæ gloriæ lapſum incurreret, S. Martini antiſtitis baſilicam, relicto coniuge, totaque familia, expetijt, qui locus nequaquàm ab eius virtute diu fuit inglorius. Ibi namque (obtenta demùm plenaria à coniuge licentia) in ſumma vitæ aſperitate degens, morbidos varios, opis eius implorandæ ergò accurrentes, oratione & Crucis ſigno ſanauit. Neq; modò corporeas ægritudines, ſed animarum etiam peſtes multò accuratiùs fugabat: & virgines non paucas ad eãdem vitæ ſocietatem clariſſimis virtutibus pertraxit.

Alia eius miracula.

Cùm autem tempus inſtaret, quo ad patriam cæleſtem à Deo vocabatur, ſociæ virgines graui mœrore cõflictatæ, aſſiduo lachrymarũ imbre ſtratum eius rigabant. Aliæ orbitatẽ ſuã ſolitudinemq; deplorabãt, aliæ præclarã illã virtutẽ, qua tã multis, calamitoſis cõſulebat, extinguendam ingemiſcebãt; rogabãtq;, vt antè diſceſſum oleũ ſalemq; benedicere dignaretur, quibus cõſuetam miſeris quibuſq; corporis animiq; medici-

Obitus S. Monegundis.

dicinam exhiberẽt. Tunc illa, oleo ac sale benedicto, eoq; eis tradito, animam in manus Creatoris suauissimè efflauit. Post obitum verò de memorata benedictione multi incolumitatis beneficia perceperunt: prorsus vt miraculorum operatio multò quàm antè clarius fulgeret.

Claret miraculis post mortem.

VITA S. SVVITHVNI, EPISCOPI VVintonienſis, ex ea quæ eſt per Gotzelinum Morinen. Exceſsit ex humanis anno Chriſti 862.

Vide Notat. C. Baro. In not. Martyro: Roma. Itẽ Ioan. Molanũ in Ann. Marty. Vſuardi.

GLORIOSO rege Anglorũ Egberto regnante, qui regi Kinegilpho, ab idolatria per beatũ Birinum conuerſo, octauus in regni adminiſtratione ſucceſſit, beatus Suuithunus pater & paſtor in Eccleſia Dei futurus, curſûs ſui in ſtadio mũdi huius exigẽdi accepit exordiũ. Annis verò puerilib. pia ſimplicitate trãſactis, iugo Dominicæ ſeruitutis ſuis ipſe humeris alacriter impoſito, tandẽ ſub Helinſtano VVintano Epiſcopo ad ſacerdotij honorẽ prouectus eſt. Eam dignitatẽ cùm multis virtutib⁹ ſanctiſſima indole dignis adornaret, fama eius celebri vulgata ſermone ad regis aures peruenit; qui accerſito & inter præcipuos amicos numerato, filiũ ei ſuũ *Adulphũ liberalibus diſciplinis erudiendũ, & ſanctis moribus imbuendũ tradidit: quẽ poſteà Subdiaconũ ordinauit. Attamen patre eius ſine hærede ex hac vita decedẽte, vxore ducta, Leone Pontifice ſacrum vinculũ ſoluente, regni gubernacula ſuſcepit.

2. Iulij.

Fit ſacerdos ſub Helinſt. ano Epiſcopo VVintano.

*Alidulphum.

S. Swithunus Helinſtano in epiſcopatu ſuccedit.

Defuncto verò Helinſtano antiſtite, omnium votis Suuithunus electus eſt; cuius precibus & exhor-

exhortationibus rex Adulphus permotus eccle-
siis Dei vniuersam decimam terræ regni sui be-
nignè donauit, ac liberè perpetuò vendicandã
concessit. Idem sanctus cùm ponti VVintoniẽsi,
qui ad orientem est, cõstruendo operarios suos
sumptibus destinâsset, & illi ludibundi ac lasci-
uia soluti, exposita mulieris cuiusdam oua vena
lia cõfregissent, antistes pietate permotus, vas
Miraculum. in quo confracta erant oua, Crucis signo signa-
uit, ouaq; (dictu mirũ) incorrupta & integra re-
stituit. In ædificandis ecclesijs assiduus erat; di-
Nudis pedi-bus consecra-turus eccle-sias incedit. rutas & confractas insuper instaurans: quas ritu
solenni dedicaturus, non equo vehebatur subli-
mis; verùm spreto inani sæcularis pompæ appa-
ratu: solis clericis & familiaribus suis comitã-
tibus, nudis pedibus incendens consecrabat. Cõ
uiuas mensæ non homines locupletes, sed pau-
peres & egenos aduocabat; quorum patrociniũ
Præclaræ ei-us virtutes. suscipiebat, eosq; vt fratres suos & regni cæle-
stis hæredes diligenter fouebat. Vigiliarum &
inediæ fuit mirè patiens; prorsus vt non nisi bre-
uissimo eoque leui cadentes oculos somno re-
ficeret. Moribus adeò suauibus compositisque
fuit, vt nihil eius colloquio dulcius, nihil ad-
hortatione salutarius videretur. Porrò in mo-
nendo hortandoq; erat assiduus, nullam tempo
ris partem otiosam transmittens, quin aliquos
vel è cœno peccatorum eriperet, vel stantes in
virtute confirmaret. Deniq; pacis & sanctimo-
niæ custos, fontem vitæ æternæ indesinenter si-
tiens, fœliciss imè tandem ab hoc sæculo ad sy-
Eius beata mors. dereas mansiones migrauit sexto Nonas Iulij.
Voluit verò vir sanctissimus corpus suum extra
ecclesiæ septa loco vili tumulari.

Post

Post obitum multis coruscauit miraculis; inter quę apparuit cuidam viro, incredibili membrorum omnium infirmitate laboranti; admonens, vt Etheluuoldum VVintoniensem episcopũ adiret, diceretq; ei, vt corpus ex diuino mandato intrà ecclesiam digniori loco honorificentiùs tumularet. Si diffidat & hæsitet, testimonij loco habiturum sanitatem, quam profligato eadem hora morbo, quo diu laborasset, ilicò esset recuperaturus. Addit etiam, vt ad locum sepulturæ veniat, vnum ex ferreis annulis, qui etiamnum lapidi infixi visuntur, sinè vlla lapidis læsione extracturus, rursumq; pari facilitate, nihil læso lapide, in suum locum repositurus. Surgit ille perfectè sanus; vti prædicta erant, omnia reperit; cunctaque ex ordine Episcopo enarrat.

Præclara eius post obitũ miracula.

Etheluuoldus igitur antistes corpus sanctissimum leuaturus, miram odoris fragrantiam percepit. Ibi tum miracula, quæ consenuisse videbantur, protinùs renouata sunt. Mulier cęca illustrata, & multi varijs pressi ægritudinibus, eius meritis curati sunt. Incidit ea translatio in annum ab obitu illius centesimum decimum, incarnationis Dominicæ 971. Idus Iulij. Eodem die puer, à natiuitate membris omnibus contractus, sanitatem ibidèm obtinuit. Mulieres tres, oculorum lumine orbatę visum receperũt. Alia verò nexibus ferreis in carcere compedita, eius ope, quam implorabat, ruptis vinculis liberata est. Paralyticus curatus, matrona nobilis, sed cæca, illuminata. Homines quinq; & viginti, varijs morbis vexati, perfectè restituti: & alij penè innumeri, quos longum nimis foret

Eius translatio & miracula.

referre, vtriusq; sexûs alijs atque alijs beneficijs affecti.

Statua S. Swithuni, & miracula ad eam.

Antistes Schireburnensis quandam statuam S. Swithuni à fratribus obtinuerat; quam in Ecclesia sua honorificè collocauit: vbi pręclara miracula crebrò edi solebant. Ad eam quidam lepra infectus, nulla quidem recuperandæ sanitatis spe, sed stipem ab aduentãtibus petiturus accesserat. Cumq;, vt fit, somno correptus paululùm illic obdormiuisset, visus ei Svvithunus adesse, qui manu sua lepram abstergeret, morbumque omnem repentè depelleret. Euigilans, lætus coràm omnibus soluto cingulo se purgatum ostendit.

VITA S. OTTHONIS, EPISCOPI Babengergensis & Apostoli Pomeranorum; ex ea quæ est syncera fide apud R. P. Laurent. Surium. Migrauit è corpore anno Domini 1139. Interfuit Concilio Moguntino anno 1131. Adscriptus fuit in SS. numerum à Clemente Papa tertio, anno 1189. Sed translatio solenniter celebratur 30. Septemb.

Vide C. Baron. in Notat. Martyr. Roman.

2. Iulij.

Patria & parentes eius.

BEATISSIMVS Ottho, è Sueuia oriundus, parentes habuit Bartholdum Comitem & Sophiã; nobilitate magis quàm rerum opulentia insignes. Ij cùm filium suum in prima ætate literis traditum, ad puberes annos perduxissent, vitæ munere perfuncti, facultates domumque filio alteri Frederico, absente nimirum Otthone, tractandas gubernandasq; cõmiserunt. Otthone igitur studiorum causa à patrijs laribus procul remoto, frater eius adhuc penè puer domesticam rem pro viribus gubernabat: tenu-

tenues sanè impensas fratri literarũ studijs strenuè incumbenti suppeditãs: Vndè Ottho, cũ ad sublimiora, libatis iam Philosophiæ præceptis, aspiranti necessarios sibi sumptus deesse cerneret, nè fratri aut alijs cognatis importunũ & odiosum se præberet, in ipsa adolescentia verecundiam & bonæ existimationis decorum atq; pulchritudinem secutus, in Poloniam peregrè profectus est; vbi ludo literario, publicè à se instituto, breui sibi, auctus insuper honoribus, rẽ familiarem egregiè locupletauit; sẽsimq; ad altiora progrediens, eruditionem suã multis virtutibus illustrauit. Atque hac ratione omnibus charus & gratus effectus, in magnorum virorũ & potentium sese amicitiam & familiaritatem insinuauit. Vndè cum præclaris naturæ dotibus admodum insignis, ad maxima quæque natus videretur; tum obeũdis legationibus & inter personas sublimes vltrò citroq; ferendis responsis valdè idoneus & opportunus; adscitus est in Aulam Ducis Poloniæ: qui ingenio eius ac moribus captus, eum ad Henricum Imperatorem, eius nominis quartum, legatum misit, ad despõsandam sibi (defuncta iam coniuge) eiusdem Imperatoris sororẽ Iudithã. Peracta verò legatione, expositisq; ducis Poloniæ mãdatis, Imperator, perspecta viri dexteritate, eũ apud se detinuit, atq; in honore propter ingenij morumque præstantiam habuit: in cuius etiam ministerio cum cæteris, quos Capellanos vocant, aliquandiu permãsit. Et quidem Ottho inter viros principes ea se moderatione & æquabilitate cõparabat, vt neq; ex sublimitate inuidiam, neq; ex abiectione & vilitate contemptum sibi conflaret.

Abit in Poloniam S. Ottho.

S. Ottho multis donis & gratijs ornatus.

Fit Cancellarius Imperatoris.

Porrò cum id temporis Imperatores, Ecclesiarũ inuestituras (vt vocant) conferrent, Cãcellario Imperij in Episcopum promoto, Ottho ab Imperatore in eius locum subrogatus est; quo munere ea dexteritate, industria, & comitate perfunctus est, vt aulici omnes multa eum beneuolentia & studio complecterentur. Interea Babenbergẽsi antistite Ruperto, anno Christi 1102. ex hac vita sublato, Episcopatûs insignia ad aulam Imperatoris allata sunt, & preces pro nouo pastore oblatæ. Ille verò, sex mẽsium spatio ad deliberãdum sumpto, eoq; elapso, Othonem manu apprehensum præsentibus Legatis præmissa præclara oratione & commẽdatione, antistitem designauit. Quæ vt Ottho audiuit, ad pedes Imperatoris aduolutus, vim lachrymarũ profudit, inopem se & tanto honore indignum iteratò clamitans. Tum verò Imperator conuersus ad Legatos, qui prima fronte hominem tanquam peregrinum auersabantur, Cernitis, ait, quæ sit huius hominis ambitio. Duos anteà ipse oblatos Episcopatus ad socios reiecit; Augustanum & Halberstadensem; tertium verò qua animi humilitate & pertinacia recuset, vos ipsi mihi testes estis. Hæc & plura alia dicens, annulo Episcopi, digito eius inserto, & pedo tradito, inuestitum eum Legatis resignauit. Mox ab vniuersis ei acclamatum est: Legatique eum amplectentes, Dominum & patrem suum appellârunt.

Ottho Babenbergensibus Episcopus datur.

Tres episcopatus recusauit.

Aegrè recipit cathedrã.

Hac ratione atq; hoc ordine Pontificatûs cathedram scandere coactus, ægrè admodum & cum multa hæsitatione consensit, propter contentionem illam quæ erat inter Regnum & Sacer-

cerdotium, causa inuestituræ, quam plus æquo imperialis auctoritas sibi vendicare nitebatur. Quare in ipso articulo, antequàm pedem aula efferret, votum Deo nuncupauit, nunquam se in Episcopatu permansurum, nisi postulante & cõsentiente Ecclesia sua, ipsius Pontificis Maximi manibus consecraretur. Natalem Christi Saluatoris diem Moguntiæ cum Imperatore celebrauerat, cum partim retentis, partim dimissis Legatis, Imperator Augustano & Herbipolensi mandat Episcopis, alijsque aulę honoratis viris, vt eum cum debitis honoribus ac comitatu Babenbergam deducant. Sed is cùm ingenti nobilium turba circũseptus oppido eatenùs appropinquasset, vt cathedralis Ecclesię monasterium in cõspectu haberet, protinus ab equo descendens, detractis sibi calceamẽtis, licet asperrimo hyemis tempore alijs præ frigore rigẽtibus, reliquum iter nudis pedibus confecit. Fuit à clero & populo ciuitatis vniuerso, longo ordine obuiam, cum hymnis & cantionibus ad personam & tempus accommodatis, procedẽte exceptus, & qua par erat summa veneratione in ædem S. Georgij introductus. Ibi post salutationum officia alijs calidam aquam ad abluendos pedes offerentibus, ille gnarus & prudens frigidã poposcit; eiq; pedes imponens, frigus frigore profligauit

Nota religionem S. Viri.

Exemplum præclarum humilitatis.

Memor autẽ voti sui, post paucos ab ingressu in oppidum dies, rebus omnibus ad Põtificis voluntatem integrè seruatis, nũcios ad Paschalem Pontificem eius nominis secundum destinauit; à quo per literas euocatus, Romam ipse profectus, pedum annulumque ad summi Sa-

Romam proficiscitur.

cerdotis pedes depoſuit,& temeritatis erratiq; ſupplex veniam petijt:addens tamèn nõ ſua voluntatè,ſed aliena poteſtate ità factum. Tum verò Pontifex, admiratus ſummam viri prudentiam,Ieuare eum inſignia iubet. At ille, indignum ſe proteſtans,conſtanter negabat,&rerum difficultate prudenter penſiculata, priuatus ſecum & quietus viuere decernebat. Igitur abdicatis omnibus, accitiſque itineris ſui ſocijs,

A Pontifice conſecratur epiſcopus.

præcedente illa nocte in precibus & lachrymis accuratè peracta,in viã ſe dedit. Sed vnius diei itinere confecto, Pontificis mãdato reuocatus, & obedientiæ præcepto coactus,Põtificalis honoris infulam in ipſo Pentecoſtes die,ſolẽni ritu inter Miſſarum ſolennia ſuſcepit.

Ab eo autem tempore, quo Epiſcopus conſecratus eſt,inuictũ ſe in ſtadio virtutum athletã præbuit, præſtititque comitate ac modeſtia,vt commiſſum ſibi gregẽ in omnibus dicto audiẽtem redderet. Primitiæ verò operum eius duo

Multa conſtruit Monaſteria.

fuêre cœnobia, in Epiſcopatu Herbipolenſi extructa; alterum Vraugia ſub patrocinio martyris Laurentij,Vra alterum in honorem beati Petri Apoſtoli;quæ & fabricæ magnificẽtia,& virtutum omnium ſplẽdore abſoluta reddidit. Deinde in Babẽbergenſi epiſcopatu tertiũ & quartum condidit; quorum alterum Michelenualt Iohanni Euangeliſtæ ſacrum, alterum in Lantheim ordinis Ciſtertiẽſis, honori Virginis Matris dedicatum:alia verò tria ordinis Cluniacẽſis fuêre. Et Michelenualt quidèm & Vraugiam in fundo proprio patrimonij Eccleſiæ: Lãtheim verò & Vram in aduentitio condidit. Iam verò in Ratiſponẽſi ſex monaſteria ſtructura pariter

& vir-

& virtutibus egregia ædificauit; quorum quinque Cluniacenſium diſciplinis addicta: Primũ, Entiſdorffum dictum, in honorem S.Iacobi Apoſtoli:Secundum Pruueningen ſub Patrocinio B.Georgij:Tertium,cognomentoMonaſterium: Quartum,Biburgum;ſub patrocinio beatiſſimæ Mariæ virginis: Quintum, Adelharteſdorffum: in honorem S. Iohannis Euangeliſtæ. Sextum porrò,VVindelbergum,Nortbertinis ſiue Præmonſtratenſibus ordinisClericorum regulariũ: in honorem Virginis Mariæ aſſignatum.

In Epiſcopatu Halberſtadenſi vndecimũ eius extat monaſterium Regẽſtorffum;Ordinis Cluniacenſis ſub Patrocinio B. Iohannis Baptiſtæ: duodecimum verò in Epiſcopatu Eiſtetẽſi, Halſprunnã vocant. ſub patrocinio Deiparę virginis. In Patauienſi tertiumdecimum eſt eius monaſterium Altiſpach,& decimumquartum Cluniacenſe ſub patrocinio B. Andreæ Apoſtoli, Aniſo fluuio finitimum. In Patriarchatu Aquileienſi decimumquintum cœnobium condidit, in caſtro Arnoldsſtein: ipſa munitione deſtructa. Hæc nimirũ quindecim cœnobia, opera illius & benignitate nunquam infœcunda, condidit & propagauit.Prætereà cellulas quinque, quæ poſteà ſtructuris auctæ & donis atque muneribus cumulatę,in celeberrima pietatis domicilia excreuerunt,cõſtruxit.Prima Aſpach, notæ magnitudinis Abbatia. Secunda, in loco Babenbergenſi, S.Michaëli ſacra. Tertia eſt Rota, in Herbipolenſi epiſcopatu. Quarta VVeſſera Nortbertinis attributa.Quinta Cella fuit in pago Tulleualt in Carthehauſen. Quòd ſi verum fateri liceat,etiam ſexta illi Tuckelhauſen attribuenda eſt.Eius enim fundatores cùm ſe cerne-

Tuckelhauſen tum eſt Carthuſienſe monaſterium.

rent prouehendæ illi minimè pares esse, eum Otthoni antistiti eiusmodi rerum studiosissimo permiserunt; qui multa etiam illi loco tunc impendit.

Porrò Cathedralis Babenbergensis ecclesiæ monasterium, quod sub eius antecessore flammis absumptum fuerat, magnis impensis pristinæ elegantiæ & dignitati restituit. Monasteriũ quoq; S. Michaelis deintegrò, & quidèm augustius atq; grandius extruxit; ipsamq; rẽ fratrum, plusquam nonaginta talẽtorum redditibus annuis, cumulauit: multa quoq; eidem loco ornamenta contulit: quippè quem singulari quodam studio & beneuolentia, tanquàm corporis sui post obitum futurum domiciliũ, semper cõplexus est. Multa hîc breuitatis causa prætereo, quę alijs locis elargitus est; quorum omniũ tam ingens est copia, vt numerus æstimationem vincere videatur. Et est sanè admiratione dignum, ab vno episcopo, tot locis tam multa conferri potuisse. Sed quo ille in tribuẽdo largior erat, hoc magis, vel ipso admirãte, quod erogaret suppetebat. Quæ verò illius in victu vestituque fuerit frugalitas, vix vlli credibile videatur. Nũquam enim satur à mensa surrexit, sed semper sobrius aç penè ieiunus, murmurante etiam stomacho, apposita egenis & ægrotis impertiebat.

Frugalitas eius in victu & vestitu.

Boleslaus Poloniæ Dux eum accersit.

Inter hæc Boleslaus Poloniæ Dux, vt Pomeranos recẽs suę ditioni iure belli subactos Christi aç veræ fidei cognitione collustraret; Otthonem acciuit. Nec recusauit vir sanctus; quin potius & nũcium hunc & profectionem hilariter suscepit, & summa Pontificis Summi voluntate, per Bohemiam, Deo duce, in Poloniam peruenit;

nit;moxque tribus presbyteris in Euangelij cooperationem assumptis, in Pomeraniam traiecit.Erat crasso admodum ingenio populus, duraque ceruice gens;sed Christiernus terræ princeps,iam ante Christianis sacris initiatus,rogãdo obsecrãdoque Episcopum, labores leniebat; cuius incitamentis animatus antistes,difficultates omnes perrupit,breuiq; tempore ingentem hominum multitudinem salutaribus vndis expiauit:& Principis etiam coniugem,ethnicismi erroribus adhuc implicatam,Euangelio genuit, ac vniuersa cum familia diuinæ gratiæ consortem fecit.Præterea apud Vvenceslaum Ducem effecit,vt concubinis(quæ numero erant viginti quatuor) repudiatis, sola legitima coniuge contentus viueret.Inde loca illa circumquaque magno studio peragrans, postremò inuenit incolas quosdam sceleribus adeò occæcatos, vt Christiana non modo sacra pertinaci animo respuerent,sed etiam Euangelij præconem in cœnum depressum atque calcatum indignis modis tractarent , contumelijsq; appeterẽt. Sed ijs nihil motus vir sanctissimus, desidem illum & socordem populum, tam diu tamq; accuratè adhortatus est,donec tandẽ beneficijs eius expugnati ac victi,suaui Christo iugo colla sua libẽter subderẽt, ingratiq; animi scelus multis etiã lachrymis deplorarent.

Pomeranos multos conuertit S. Otthо.

Ab incredulis multa patitur.

Verùm hoc loco res cõmemoratione digna, quæ sanctissimo Præsuli ad correptionem accidit,nequaquàm silentio prętereunda est.Erat in pago Buchebach nobilis admodum reliquiarũ thesaurus, quẽ ad locum maiore honore ac veneratione conspicuum transferre ardebat. Ita-

que adiunctis sibi spectatæ pietatis ac fidei Clericis, pia animi intentione sigillum resignari iubet. Illis autem hæsitantibus & trepidantibus, ipse arrepto ferro, semel atque iterum & tertiò sigillum malleo cecîdit. Ecce verò sanguis, è plumbi arcula haud aliter atque ex animantis corpore manans, alios quidem vehementi stupore oppressit, episcopum verò graui insuper adeò morbo perculit, vt in vltimam vitæ desperationem adactus, monasticæ vitæ habitum à S. Michaëlis Abbate expeteret; quem Abbas pro animi sui prudentia, collaudata viri obedientia, de industria distulit. Deinde aliquot post dies remissa non parum ægritudine, cùm memor voti sui multò quàm ante ardêtius propositi tenax habitum postularet, Abbas (consultis primùm compluribus honestis viris) reuerenter percunctatur, velitne promissam sibi obedientiam re ipsa exequi. Illo annuente, & inconcussam obedientiæ virtutem promittente; Benè, inquit, Abbas, in Christi nomine tibi præcipio, vt ad supremum vitæ spiritum in cura susceptî regiminis perseueres, & viduarum orphanorumq; patrocinium, vt hactenus consueuisti, sustineas.

Nota rem miram in reliquijs.

Cupit fieri monachus.

Abbas cui obedientiam promiserat, non sinit eum degere in monasterio.

Ab eo igitur tempore Episcopatus Babenbergensis totus in eleemosynas, totus in hospitalitatem erga pauperes & peregrinos collatus est. Quicquid auri vel argenti vspiam vel vnquàm inueniri potuit, per manus inopum in cæli thesauros transmissum est. Postea verò tam morbo quàm senio exhaustis corporis viribus, cùm indies acriori morbi infestatione ad finem se vrgeri sentiret, multò ardentius amicum sibi semper

& vsi-

& vsitatum eleemosynarum opus exercere cœpit. Videre licebat quotidie ingentem pauperum numerum ad ædes illius confluere, totamque ciuitatem peregrinis repleri. Viduarum & orphanorum longa examina; clericorum etiam & monachorum irruentium turbæ, sanctissimas eius nundinas frequentabant; quos ille innumeris humanitatis officijs recreabat atq; fouebat; donec languor prævalescens luctantem spiritum è corporis habitaculo migrare compelleret. Tum supplici & pura confessione præmissa, olea illa placida & sancta sacri olei extrema vnctione delibuta, sacrosanctum Dominici corporis viaticum accepit, circunstanteq; illo suo semper familiari tam clericorum quàm monachorum collegio, plenam operibus bonis & eleemosynis, plenã honoris & gratiæ animã ad cælos transmisit. Funus fuit summorũ infimorumq; lachrymis in S. Michaelis Ecclesiam illatum, ibidemq; honorificè tumulatum anno salutis 1139. tertio Nonas Iulij: Episcopatûs eius anno 37. Translatum autem est sacrum corpus anno 1189. sub Clemente tertio, pridie Kalendas Octobris; quo die anniuersario gaudio festiuitas eius celebratur. D Ioannes Tritthemius Abbas Spanheimensis affirmat eum in vita & post obitum multis claruisse miraculis.

Mira liberalitas eius in pauperes.

Sacramentis munitus migrat ad Dominum.

MARTYRIVM FELICIS PRESBYTERI; Irenæi Diaconi, Mustiolæ nobilissimæ Matronæ: & aliorum. Ex eo quod est apud R. P. Surium.

Coronati sũt An. Domini 275. Eutychiani Papæ 1. tecte.

TVR-

C. Baro: Tom. 2. Annal. 3. Iulij.

TVRGIVS, Aureliani Imperatoris vicari' præfectoria ornatus dignitate, homo ferina mente cum ab eodem Imperatore Christiani sanguinis auidissimo Tusciam ad Christianos discutiendos missus esset ; magna eos diligentia ad supplicia conquirebat. Et quidem erat in eadem ciuitate haud exiguus Christianorum numerus, religionis Christianæ studio florentissimus; quibus Felix presbyter in agro Falisco rum ad constantiam egregia pietatis ac fidei documenta quotidie depromebat, & futura ad certamina luculentis sermonibus roborabat. Quæ vt primùm ad aures Turgij delata sunt, ille sinè mora, prompta militum manu eò missa Felicem in vincula conijci mandauit.

Felix confirmat Christianos aduersùm persecutionem.

Altera verò die tribunali in Falisco rum ciuitate erecto, Felicem adduci præcepit, adductumque & de nomine & dignitate, si qua esset, interrogauit. Cui Christi martyr: Felix, inquit, mihi nomen est; & quanquam peccator, dignitate presbyter. Ad quem rursus Turgius; Cur diuersis in locis cogis conuenticula, & populum à cultu deorum abducis? Respondit Felix; Quæ verò est vita nostra, nisi vt hoc æuo breuissimo Christum Iesum prędicemus, populumque precioso illius sanguine redemptum ab idolorum spurcitie repurgemus, vt vitæ sempiternæ, ad quam à Deo creati sunt, mereantur esse consortes. Et quæ, inquit Turgius, est vita æterna? Cui Felix? Vita æterna hæc est: Vt cognoscant Deũ Patrem; & qui ad nostram omnium salutem è cælo in terras missus est, Iesum Christũ; & sanctum vtriusque Spiritum; eamque Trinitatem Deum vnum & verum credamus, timeamus, & omni-

Præclarum Felicis responsum.

Iohan. 17.

omnibus denique corporis animiq; viribus sincerè colamus. Tunc Turgius, densis peccatorũ suorum tenebris occœcatus: Recedo, inquit, ab isto infelici Deo tuo, teque Augustorum præceptis obedientem prębe, ne malè mulctatus serò tandem resipiscere cogaris. Imò, inquit Felix vtinam Christo Domino obedire mereamur, eiusque nomen eo, quo par est, cultu prosequi. Tum iratus Turgius, os martyris lapidibus tundi, penitusque conteri iussit. Eo supplicio diu fatigatus martyr, beatum Deo spiritum tradidit. Corpus eius canibus in plateam obiectum, fuit studio Irenæi diaconi iuxta muros Sutrij nono Kalendas Iulij sepultum.

Os eius lapidibus cæditur.

Reddit Spiritum.

Quod vbi resciuit Turgius, confestim Irenæũ catenis vinctũ ante rhedam suã nudis pedibus, Clusinã ciuitatẽ. Clusiũ Tusciæ ciuitatẽ profecturus, ire cõpulit. Vt verò Clusium peruenit, illo in carcerem coniecto, prima cura fuit reliquos Christianos discutere. Ea re diu agitata, Mustiola insigni pietate matrona noctu custodias diligenter obijt, ac ministris pretio delinitis intrò admissa, vinctorum pedes lauit, saucioſque vnxit, & singulis alimenta & vestes suppeditauit. Tantũ tamq; eximiũ charitatis lumẽ cũ diu in medijs tenebris occultari non posset, statim per Torquatum quendam, Turgio innotuit. Porrò cum Mustiolam Claudij Imperatoris esse consobrinam, Turgius audisset se deduci iussit; quam conspicatus incredibili pulchritudine præditam obstupuit, præcepitque sinè iniuria, immò etiam admodum honorificè reduci in domum suam. Deinde ad illam veniens, blandissimis verbis compellauit, monendo rogan-

Irenæi supplicium.

Mustiola consolatur captiuos.

Mustiola Claudij Imperat. consobrina.

rogandoque, ne vellet natales suos ad illum diē clarissimos sempiterno dedecore subuertere. Tu, dicebat, decus & gloria fœminarum, abiectissimorum hominum pedes lauare non erubescis? Tu damnatorum amicitiam etiamnùm expetis? Ecquæ dementia? Cui Mustiola: At, inquit, nostra nobilitas non generis claritate, sed sanctorum Christianorum humilitate æstimatur. Ideò lubens ego gaudensque eorum pedes exosculor, qui amore Christi IESV carceris vincula libenter perferunt. Eo responso commotus vehementer Turgius, iussit omnes Christi vinctos capite truncari: beatum verò Irenæum, spectante Mustiola, in eculeo suspendi; ferreis vngulis latera eius discerpi; flammisque admotis, cruciatibus ad adspectum sanè horrendis torqueri: At Irenæus in medijs supplicijs Christo sinè fine gratias agens, tandèm expirauit.

Irenæi cruciatus.

Obitus eius.

Magna Mustiolæ fortitudo inter supplicia.

Tum verò beata Mustiola conuersa ad Turgium: Quid, inquit, ô miser, tanta crudelitate in homines innocentes sæuis? sed hæc sors illorum est, vt peracto certamine gaudijs in cælo perfruantur sempiternis; tu verò in igne æterno sedem habebis. Turgius hoc audiens, furore inflammatus, præcepit eam coram se plumbatis cedi, donec planè deficiens spiritum traderet. Peregit hoc certamen sanctissima martyr quinto Nonas Iulij; cuius corpusculum à seruo Dei Marco apud vrbis Clusinæ muros conditum est.

VITA

VITA S. ANATOLII, EPISCOPI LAODICENSIS. Ex ea quæ est per Eusebium Cæsarecensem lib. 7. cap. 62. Claruit circa An. Domini 283

Vide Tom. 2. Annal. C. Baronij.

3. Iulij.

Eusebius Episcopus Laodicensis.

DEMORTVO Socrate, Laodicensis Ecclesiæ gubernatore, Eusebius ex vrbe Alexãdrina oriũdus gubernacula susceptit; quo in Syriam profecto, susceptæ de Paulo Samosateno controuersiæ ergò, ibidemque à religionis Christianæ propagandæ cupidis detẽto, Anatolius genere etiam Alexãdrinus post illum creatur Episcopus; bonus, vt aiunt, boni viri successor. Qui cum ob eloquentiam, tum ob doctrinã humaniorem & cognitionẽ Philosophię, inter homines nostri temporis, qui erãt spectatissimi, facilè principem locũ obtinuit; quippè in Arithmetica, Geometria, Astronomia & differendi facultate, in contemplatione & perspiciẽtia naturæ, in oratorum quoq; disciplinis venerat ad summum, quarum rerum gratia, fama est, ciues Alexãdriæ eum illi ludo, in quo Aristotelis doctrina docebatur, magistrum præfeciſſe. Ac tametsi in obsidione Alexandriæ, cùm ibi magna esset frumenti inopia, alias præclarè ab eo res gestas penè infinitas commemorant, vtpotè qui singularem dignitatis prærogatiuã præ cæteris magistratibus ab omnibus ciuibus adeptus fuisset, tamen, exempli causa, hanc vnam tantùm hoc loco citabo.

Anatolij multa doctrina.

Alexandriæ obsessio.

Fertur, cùm frumentum illis diu obsessis deesset, ita vt fames, quæ in vrbe grassabatur, multò magis intolerabilis, quàm hostium impetus, qui iam extrinsecus premebat, existeret, hunc, quem dico, cùm huic interesset calamitati, tale quod-

S. Anatolij consilio, Alexandrini Christiani seruantur.

quoddam remedium illis prouidè inueniſſe; Cùm altera pars ciuitatis cum exercitu Romano ſocietatẽ belli gerendi coiuiſſet, & propterea obſidione non vexaretur, Euſebium fortè inter eos, qui minimè erant obſeſſi, verſantem (adhuc enim ibi habitabat, inq; Syriam minimè demigrauerat) & magnum decus nomenq; celebre etiam à Duce Romani exercitûs conſecutũ, de his, qui fame illius obſidionis tempore interierunt, per internuncium Anatolius certiorem facit. Euſebius autẽ magni beneficij loco à Duce exercitûs impetrauit, vt illis, qui vellent ſe ab hoſtibus ex vrbe ad eum ſua ſponte recipere, vitam ac ſalutem daret. Quo nuncio ab Euſebio Anatolius accepto, Senatum Alexandrinorum coëgit, popoſcitque primùm, vt cum Romanis amicitiam iungerent. Quo quidem ſermone vbi illos grauiter commotos vidit, dixit; Si hæc ſententia minimè placet, certè illis, qui in hac dimicatione videntur minimè neceſſarij, minimeq; vobis vtiles, liberam è portis egrediendi poteſtatem, quo velint, faciatis conſilium eſt. Quid enim iſtos iam iam propè morituros, apud nosipſos continemus? Viros ſolos & iuuenes virib' valentes, non mancos & corporibus mutilatos, alere oportet.

En prouidum conſilium.

Quibus rationibus cùm Senatum in ſuã ſententiam adduxiſſet, inprimis vt qui erant Chriſtiani, deindè vt alij cuiuſque ætatis, qui ciuitatem incolebant, ſalui aufugerent, diligenter prouidit; vndè non hi ſolùm, quibus Senatûs decreto poteſtas facta erat ex vrbe exeundi, verumetiam ſub eorum nomine alij ferè infiniti, veſtitu muliebri, noctu illius prouiſione è portis e-

tis egressi sunt, & ad Romanorum exercitum confugerunt; vbi ab Eusebio benè excepti, more patris aut medici longa obsidione debilitati, omni prouidentia & curatione in integrum restituti sunt.

Duobus eiusmodi pastoribus ecclesia Laodicēsis (quorum alter alteri deinceps ordine proximè successit) diuina prouidentia potita est; qui post bellum iam demonstratum ab vrbe Alexandrina eò demigrârūt. Porrò Anatolius institutiones in Arithmeticam decem libris explicatas reliquit. Alia item extant eius opera; quæ exempla ocij, præclarè in sacris literis ab eo collocati, & multæ in eisdem exercitationis perspicua argumenta dant. Hunc Theotecnus, Cæsareæ Palæstinarum Episcopus, per manûs impositionem primus Episcopum ordinauit; Qui eum successorem sibi, post mortem, ad ecclesiæ suæ procurationem deligendum prouidit, vnaq; cū illo ad aliquod temporis spatium ecclesiæ Cæsarienſi præfuit Verùm Anatolius, cùm Concilium Antiochiæ de Paulo Samosateno conuocatum, eum accersferet, Laodicensium vrbem aduentans, ibi Eusebio mortuo commorari à fratribus coactus est. Anatolio exeunte è vita, postremus antè persecutionem illi ecclesię præficitur Stephanus.

Scripta Anatolij.

*VITA S. *VDALRICI, EPISCOPI AVgustæ Vindelicorum Ex ea quæ est per Bernonem Abbatem Augiensem. Diem obijt anno Domini 973. ætatis suæ 80. Ordinationis 50.*

Vldarici & Vlderici. *Vide Notas. C. Baro In Martyro: Roma.*

4. Iulij. *Progenies & parentes S. Vdalrici.*

EGregius Christi cõfessor Vdalricus, nobili comitum de Dillingen progenie ortus, parentibus Hupaldo & Thietburga, duodecima ab ortu hebdomada à lacte amotus, mira cœpit futuræ sanctitatis de se præbere indicia. Qua re parentes haud mediocriter gauisi, eum monasterio S. Galli tradiderũt, vt à religiosis fratribus tam sæcularium literarum studijs, quam cælestibus disciplinis institueretur. Ibi cũ aliquamdiu cælestis doctrinæ dulcedinem libasset, voluit protinus omnibus relictis, mente & corpore in eandem vitæ societatem concedere; sed Vviberatæ eximia sanctitate virginis, quę die nocteq; angusto incluſa habitaculo diuinã mentem consulebat, monitis prohibitus, ad parentes remeauit. Qui filium artium maximarũ disciplinis egregiè imbutum, Adalberoni Augustensis Ecclesiæ præsuli venerando commendârunt. Is, capta adolescẽtis probitate, eum secretorum suorum conscium fecit; ac domi foriſque prudentia eius ad magnam ecclesiæ totius vtilitatem vsus est.

Vviberata incluſa.

S. Vdalricus commendatur Adalberoni Episcopo Augustano.

Libuit interim viri Dei animo Romam pergere, vt sacra Apostolorum limina visitaret, & se suaque omnia illorum precibus attentiùs commendaret. Præerat id temporis Romanæ Ecclesiæ summa cum potestate Marinus, apud Deum & homines magnificus & glorioſus; qui Vdalricum ad se venientem perquàm benignè excepit, eumque, defuncto recens Adalberone, Augustanæ ecclesiæ Præsulẽ ordinare voluit. Sed Vdalricus contemptor omnis honoris eximius, nè eo dignitatis titulo decoraretur, clã die altera fugam

Romam petit

Marinus Rõ. Pontifex insignis.

gam inijt,& *Hiltenius in defuncti honoris locum succeſſit. Quo poſt annorũ quindecim curricula ex hac luce ſubtracto, Vdalricus fruſtrà reluctãs, ſumma regis Henrici ac populi totius voluntate in cathedram epiſcopalem ſublimatus eſt. *Hiltinus. *Fit Epiſcopus Auguſtanus.*

Adepto verò tantæ dignitatis honore, qualis quantuſque extiterit, nullius ſermo ad integrũ explicare valebit. Totus erat ſemper aut in oratione, aut lectione, maximè ſatagẽs ijs ſeſe virtutum exornare ornamentis, quibus Apoſtolus deſcribit verum Antiſtitem decoratum eſſe debere. Porrò haud exiguæ ei ſuberant curæ, de reparandis Eccleſiæ muris, de reædificandis domorum ac ipſius Ciuitatis ædificijs: ſub Anteceſſoribus ſuis aut nimia vetuſtate collapſis, aut igne conſumptis. Sed & familiam à Paganis partim penè necatam, partim nimia egeſtate afflictam reſtaurauit. In refectione verò quotidiana ſemper eius menſæ chara ſibi intererat pauperum turba; quam & victu pauit, & indumentis veſtiuit. Seipſum verò tanta maceratione affligebat; vt, eſu carnium penitùs interdicto, tenui admodum cibo potuque victitaret, corpuſque aſſidua caſtigatione in ſeruitutem redigeret. Sermo eius ſapientiæ ſale conditus, valdè erat ad perſuaſionem vtilis: eratque in ſermone pondus, & in verbis modus. Membra in Dei ſeruitio fatigata, in plumarum haud mollitie, ſed ſubterpoſito tapeto vel ſago, modico reficiebat ſomno.

Cùm aliquandò sãctiſſimo altaris ſacrificio, (quod cum admirãda corporis mentiſq; puritate per-

te peragebat)assisteret, & extenta manu mysteria consecrare vellet, dextera quædam adstantibus apparuit, quæ cum illius dextera diuina sanctificauit sacramenta. Alio verò tempore dũ sub cuiusdam noctis silentio membra quieti cõmendaret, sancta Afra martyr pulchra facie, veste decora, tunica succincta apparuit, eumq; manu (dictu mirabile) eduxit in campum, qui ex nomine ibidèm decurrentis fluuij Lecfelt dicitur; vbi sanctum Petrum Apostolorum principem velut in synodali colloquio sedentem inuenit, ingenti sanctorum multitudine, vel quos olim in carne vidit, vel tunc primùm diuina reuelatione cognoscere cœpit, stipatum; quorum omnium vox cùm de suis interfectoribus, vindictam expeteret, tum clamor ingens de Arnulpho duce Noricorum adhuc viuente audiebatur, ob destructionem ecclesiarum monasteriorumque; quorum res sacrilegus in beneficia laicorum distribuerat. His alijsq; pluribus cælestis signi visionibus Dominus eum illustrauit.

S. Afra martyr ei apparet.

Visio eius.

Arnulphus Dux Noricorum sacrilegus.

Porrò cum assidua viro sancto propagandæ pietatis ac ægris animabus medicandi, cura sub pectore viueret, easdem verbo diuino pascebat abundè & omnibus humanitatis officijs sibi deuinctas habere studebat. Hinc diœcesios suæ terminos vigilanter lustrabat, summisq; viribus Simoniacam inprimis hęresim tanquàm pestem pernicioſissimam profligabat. Quin etiam ortâ inter Otthonem Imperatorem, (propter fratrẽ ipsius Henricum Noricorum Ducem) & Ludolphum filium, cõtentionem, ità diremit, vt, cùm patris vtriusq; acies ad cõfligendũ parata staret, aduentu Vdalrici & Hartberti Curiensis eccle-

siæ e-

ſię episcopi, positis armis, ſumma ſe mutuò bene uolẽtiæ ſignificatione ac gaudio amplecterẽtur.

Post hæc aliaq; plurima notæ virtutis opera, Romam orationis ergô profectus, caput Abundij martyris ſecum indè Auguſtam magna cum veneratione abduxit. Reuerſus verò, multis & valdè admirandis cœpit indies magis magiſq; coruſcare miraculis. Morbi eius benedictione profligabantur. Qui oculorum laborabant caligine, oleo per eum conſecrato curabantur, varijs detenti languoribus priſtinæ incolumitati dicto citiùs reſtituebantur. Et quidem ſanctus Dei humanarum rerum admodum pertæſus, vt arctiori adhuc vinculo Chriſto iungeretur, voluit Adelbertum ſororis ſuę filium Epiſcopatûs totius curam ſuſcipere, vt ipſe ſub monachicæ religionis habitu ſoli Deo vacaret. Zelus quidèm erat, ſed non ſecũdum ſcientiam. Nam paucis pòſt menſibus, Adalbertus vitam cum morte permutauit, & Vdalricus, quanquam affecta valetudine, quamdiũ potuit vehiculo circumuectus, diuini verbi ſemina in audientium corda ſpargere non ceſſauit. Quamdiu vires concedebant, inter quotidiana Miſſarum ſolennia hoſtiam ſalutarem Domino mactabat. Deniq; deuexa planè ætate, die quodam in Eccleſia expleto Miſſæ ſacrificio, tapetem, è regione crucis ex qua Saluatoris effigies dependebat, ſterni curauit. Ibi tũ nixus genibus dimidiæ horæ ſpatio ardentiſſimas cum vi lachrymarum preces fudit, & ſibi ſuiſq; peccatorum veniam à Domino petijt; deindè quicquid ſuppellectilis, quicquid auri argentive reliquum erat, in medium adferri præcepit. Tum verò altiſſima ex imo pectore

Caput S. Abundij martyris Roma ſecum Auguſtam defert.

Quotidiè etiam grandæuus offert S. Miſſæ ſacrificium.

trahens ſuſpiria, Ah, inquit, quid mihi hæc omnia? ſimulq; per manus Præpoſiti cuncta pauperibus diſtribui iuſſit. Poſt quę, quaſi omnib⁹ mũdi ſarcinis exoneratus, totus in diuinarum rerũ contemplatione abſorptus, oppreſſis nonnunquam ſenſibus ad cæleſtia rapiebatur. Quadam verò vice quaſi de ſomno excitatus: Heu, heu, inquit, vtinã Adalbero nepos nunquã mihi viſus foret, quia quod eius deſiderio conſenſerim, nolunt me impunitum in ſuum recipere conſortiũ. Horrendũ profectò Dei iudiciũ, quod minutiſſima etiam peccata purgatorijs flãmis expianda committit. Paucis verò diebus interpoſitis iterũ ſpiritu recreatus, ſupplicib. verbis erratorũ ſuorum ab omnib⁹ veniã petijt, ac viciſſim benedictionẽ tribuẽs inter ſuorũ amplex⁹ lachrymaſque Deo ſpiritũ tradidit. Corp⁹ autẽ ſuauiſſimi odoris fragrantiã redolens, magna cũ gloria in Eccleſia S. Afrę martyris conditũ eſt; vbi multis admodùm miraculis clarum, quæ olim viuens; iam in cælo triumphans: omnibus opem eius implorantibus confert beneficia.

Nullum etiã veniale peccatũ manet impunitũ. Simile legitur apud S. Gregor. de Paſchaſio Diacono miræ ſanctitatis lib. 4. Dial. c. 40. Obdormit feliciter in Domino.

Vide Notata C. Baron. in Martyr. Ro.

VITA ET MORS ESAIAE PROPHETAE, ex Epiphanio Epiſcopo Cypri, & D. Iſidoro Epiſcopo Iſpalenſi.

6. Iulij. *Genus eius & Patria.*

ESaias filius Amos, non illius prophetæ, ſed alterius, qui ſimili nũcupatus eſt nomine. Ille ex genere paſtorũ fuit, oppido Thecue: hic aũt genere nobili de tribu Iuda ortus in Hieruſalé, quem etiã aiũt Hebræi ſocerũ fuiſſe Manaſſe. In quo tãta fuit ſanctitas & vitæ excellẽtia, vt vná tantũ dicatur habuiſſe tunicã cilicinã. Quanquá etiã poſtmodũ pro delictis populi abijt, & ſacco mẽbra cooperuit; ſed & hoc ad extremũ depoſi-

to,

ro, iuxta imperium Domini, nudo corpore, nudoque vestigio in conuentu populorũ versatus est. Sicq; æstiuũ feruorem, hyemisq; pruinas, atq; imbrium tempestates sustinuit, vt Dei præceptis obediret, populiq; delicta assiduo lachrymarũ imbre deploraret. Hic *quindecim gradib⁹ recedentẽ vmbrã retrò ascẽdere iussit. Cuius oraculo Rex Ezechias mortis dilationẽ promeruit. Quẽ Manasses extensũ à vertice per mediũ serra secuit, atrociq; supplicio & cruciatu extinxit. Tradunt autẽ Hebræi duabus de causis occisum fuisse; Vnam, quòd eos appellauerit principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ: Alterã, quòd testante Domino ad Moysen, Nemo potest videre faciem meã & viuet: iste ausus est exclamare, Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum; Non arbitrãtes cæcati mente Iudæi, quòd in sequentibus faciem & pedes Dei Seraphin texisse nouerat, ac mediam tantùm eius vidisse speciem.

*decem. 4. Reg. C. 20. *Vide efficaciam orationis Esaiæ.*

Serra sectus occubuit.

Esaiæ 1.

Exodi 33.

Esaiæ 6.

Tumulatus est sub quercu Rogel iuxtà transitum aquarum, quas olim Ezechias Rex obstruxerat, cùm eas vndas peruias efficeret. Fontẽ quippè Deus Siloam causa Prophetæ effecit, quoniã prius quàm è vita excederet precatus est, vt vndas illic effingere dignaretur. Et cõfestim demisit illi cælitùs aquam viuentẽ, vndè sortitus est locus ille appellationem Siloã, quod, si quis, interpretetur, sonat demissum. Sub Ezechia quoq; Rege antè quàm stagnum piscinasq; fabricasset, precibus Ezaiæ effectum, vt exigua lympha scaturiret, quòd populus in obsidione hostiũ teneretur, & nè ipsa periret, vndis destituta, ciuitas.

Sepulturæ eius.

Miraculus

Milites verò vrbe potiri cũ extrema penè si-

ti confecti laticem quærerẽt, nullo modo reperire quibant, fugiebat enim ab eis; Iudæi autem quandocunq; aquatum venerant, scaturiebat eis vnda, & aquabant. Cæterùm quandoquidem Esaiæ Prophetæ istud acceptum referũt, in perennem eius rei memoriam, populus accuratè, prophetam istic solo reddidit magna cum gloria, & perquàm honorificè; vt per eiusdem intercessiones in consummationem vsq; sæculi aquæ eiusmodi fructus impetretur, cui scilicet vsum referebant acceptum. Extat autem monumentũ Esaiæ finitimum sepulturæ principum post sepulcra sacerdotum, versus Notum partemque meridionalem. Salomon enim Hierosolymam constituens, ex præscripto Dauid patris, Regum excitauit Mausolea. Existit autem orientem versùs Sion, quæ introitum à Gabaoth possidet, quæque ab oppido viginti distat stadijs. Foueam prætereà fecit illic incomprehensibilem; magnæ etiamdùm parti mortalium incompertam.

Sancti post mortem pro nobis orant.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Ro. Itẽ Ioan. Molanũ in Ann. Marty. Vsuardi.

VITA S. GOARIS PRESBYTERI, EX ea quæ est per VVãdelbertum Diaconum & Religiosum Prumiensem, Is auctor claruit anno Christi 850. quo verò tempore hic sanctus floruerit patet infrà.

6. Iulij.

Patria & Parentes eius.

GOAR claris natalibus, patre Georgio, matre verò Valeria, ex Aquitania prouincia oriund⁹, *Childeberti Clodouei filij, Francorum Regis tempore admiranda fama sãctitatis floruit. Cùm enim ab ipsis penè incunabulis suauissimos pietatis ac iustitiæ fructus libare incepisset, eo sanctitatis breui peruenit, vt sa-

**Floruit hic Childebertus An. Domini 526. & se-*

vt ſacerdotij gradu & honore preſbyteratûs accepto; Chriſti amore, parẽtibus & cognatis libenter relictis, ad vltimos Galliæ fines, peregrinus ſeculo, & cæleſtis patriæ ciuis, migraret. Delatus itaq; in prouinciam, quæ ripis Rheni fluminis contigua, Trigoria nuncupatur, atq; ad Diœceſin pertinet Treuirorum, intrà terminos Veſalienſes ſita; exiguum templum ibidèm ſuper riuulũ, qui nunc VVochara dicitur; ſumma felicis Epiſcopi Treuirorũ voluntate, excitauit; in quo dies noctesq; diuinis operibus ſedulò intentus, præcipuo quodã ſtudio, hoſpilitatis virtutẽ exercebat: quam ad extremũ vſq; vitę ſpiritum vt propriam deindè poſſedit. Neq; tamen his operibus contentus, paganorum inprimis conuerſioni (quorum ingens ibidèm numerus ſimulacrorum cultui impiè deditus erat) incumbebat, omnibuſq; vana idolorum ſuperſtitione deceptis verbũ ſalutis annunciabat. Nec fruſtrà ſanè Euangelij ſementa, iecit; nam quos verbo non poterat, ſtupendis rerum factis excitabat, vt execrabili deorum inanium cultu relicto, veritatem amplecterentur, ſeq; ſuaq; omnia vni Deo & Chriſto Ieſu permitterent. Erat ei ſolennis conſuetudo, peracto indies pro ſtatu Eccleſiæ Miſſæ ſacrificio, & Pſalterio exintegrò intentè completo, pauperibus deindè & peregrinis operam dare; adeoq; hanc de omnibus benemerendi virtutem ſtrenuè exercebat, vt quidam tã excellentis diſciplinæ æmuli, dæmonis fraudibus concitati, virum ſanctum in apertum crimen, ſtructa calumnia, vocare non vererentur. Cùm enim totis diebus eum pauperes fouentẽ & peregrinos cibo potuq; reficientem cernerent, ca-

quẽtibus, teſte C. Baronio Tom. 7. Annalium.

Relicta patria, migrat in diœceſim Treueren.

Studet hoſpitalitati per omnem vitã.

Multos gentiles conuertit.

Aemuli S. Viri.

lumniati sunt sanctissimum virũ abdomini deditum, totos dies popinas exercere, seq; adebrietatẽ vsq;, nefanda ingluuie, sub magna pietatis specie, ingurgitare, Hæc cum fraudulento animi dolore ad Felicem Treuirorum antistitem detulissent, atq; obnixè per speciem ímulatæ pietatis rogarent, vellet in hominem per multa flagitia vagãtem maturè animaduertere,

Traducitur apud Episcopũ Treuiren.

Episcopus, missis confestim ijsdem summa cum auctoritate delatoribus, Goarem adducipræcepit; fuêre illi singulari humanitate ac beneuolẽtiæ significatione à viro sancto excepti; at quoniam terminus diei imminebat, nec iter statim arripere poterat, eos ea nocte detinuit, & quanquam pestiferum virus animorum eorum non ignoraret, appositis tamen dapibus pro labore illos viæ benignè refecit. Ipse verò, pro more, in Diuinis laudibus pernoctans; ortæ quãprimũ luce, cũ Deo Psalmodiæ & orationũvota persoluisset, tum demùm Missarũ solennia deuotè impleuit; ac deindè discipulo præcepit, quatenus hospitibus, sibiq; prandiũ, vt posset, instrueret. Verũ illi cùm tota mente in struẽdis viro sancto insidijs excubarẽt; vt mandari audiêrunt mensã,

Charitatis officia æmuli eius siniſtrè interpretantur & carpunt.

antè horã refectionis Ecclesiæ cõsuetudine receptã, sterni; mox quasi grãdis piaculi indignitate cõmoti, grauibus admodum verbis in eũ inuecti sunt, quòd legitimũ & canonicum manducandi tempus præueniret; quasi pluris, cibũ potumque quàm Ecclesiæ laudabilẽ morẽ faceret. Ad quæ vir sanctus ita respondit, vt intelligere possent, regnũ Dei nõ esca & potu, sed pace, iustitia & charitate cõstitui: neq; tã in cibo sumẽdo tarditatẽ, quã temperantiam & modũ requiri. Rogabat

bat eos deindè, vt vel ideò maturiùs sese reficerent, ne itineris labore fatigati in via succũberent: Illa siquidé non ventris sed beneuolentiæ & charitatis causa à se fieri. Illis præcisè recusantibus, & reatũ supplicio dignũ esse clamãtibus, nunciatur viro sancto peregrinũ præ foribꝰ stare. Quo audito, ilicò sanctus exiliens pauperé excepit, appositaq; mensa, cibũ vnà cũ peregrino sumpsit. Tùm verò vehemẽtiùs indignati executores, Goarẽ manifesti criminis reũ pronunciare, simulq; ingenti cũ festinatione equos sternere, vt sinè mora apud eũ, à quo missi fuerant, innocenté insimularent. Ne tamen in via rerum inopia pressi periclitarẽtur, alimenta à viro sancto, vel ingratis etiã benefacere paratissimo assumpserunt. Iamq; bonã itineris partem emẽsi, ponè sequente Goare, cum vehementer esurire, tantaq; lassitudine quantam experti essent nunquàm, affici inciperent (inter hæc viro Dei laudibus & psalmis intento) vt corpora sua reficerent, ad vicinum quẽdam riuulum deflexerunt. Cumq; è fonte aquas haurire, & escas è sacculis depromere vellent, aquæ protinùs fugitiuæ diuinam manifestè vindictam nunciârunt, & saculialimentis vacui malitiã eorũ redarguerũt. His perturbati quid agerent prorsus ignorabãt; cumq; lassitudo excresceret, Albinuinꝰ ex equo in animi deliquium prolapsus, Adaluuino socio ingentè formidinem incussit, adeò vt protinus, agnito vtriusq; delicto, supplex ad Goarem moribundo socio vitam impetraturus accurreret.

Hospitalitas eius quanta.

Item eius in æmulos benignitas.

Vltio cœlestis eos persequitur.

Tum vir sanctus, memor prçcepti Dominici, quo inimicos diligere præcipimur, & his qui nos oderunt benefacere, omniq; beneuolẽtia pro-

Matth. 5.

prosequi; Fili, inquit, recordari oportuit, quia Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Proindè cùm me hodiè cibum vobis solo Christi amore offerentē, & ipsum percipientem vidistis, non debueratis charitatis officium recusare, & sanctitatem ex nudo cibo potuque stultè atque impiè metiri, discite igitur vel nunc, diuina correptione admoniti charitatem, quę est vinculum perfectionis, amplecti. Dum hæc loqueretur, mox tres ingentis formæ ceruas conspicit; quas inuocata S. Trinitatis virtute consistere iussas manu apprehendit, earumque vbera mulgens, ex lactis copia languētes recreauit. Indè brutis rursus abire iussis, vim fugitiui fontis cohibuit, & cibos anteà in sacculis non inuentos restituit; miserosque ad tanti miraculi magnitudinem stupētes abundè refecit.

1. Ioan. 3.

Coloss. 3.

Ceruas iubet stare, & earum lacte moribundos sanat.

Post hæc multa luce Treuiros delati, cuncta ex ordine Episcopo retulerunt, qui rerum gestarum inuidia commotus, cœpit sibi adstantibus dicere, Goarem magica arte & maleficijs imbutum eiusmodi patrare, nec in illo aliquod veræ virtutis indicium existere posse, qui carni & ventri subditus, totos dies epulas sectaretur. Interea vir sanctus, considente cum suis Episcopo, ingressus cùm hinc indè prospiceret, vt cucullam suam appenderet, fortè vidit Solis radium per angustum domûs foramen penetrantem; quem vectem ligneum ratus prę clarè suspendio cucullæ suæ accommodauit, adeò vt antistes, rei admiratione defixus, hominem præstigiatorē & magū palā clamaret propiusq; accedere & rationem suorum operum reddere mā-

Calumnia Episcopi in S. Virum.

Ad Solis radium suspendit cucullam suam.

daret.

daret. Et quidem vir sanctus solo optimæ conscientiæ testimonio fretus simpliciter se artis magicæ prorsus ignarum esse respondit, mirabiliaque à se gesta non virtute propria, sed solius Dei virtute & bonitate ad hominum salutem ac cętera ex pura charitate acta testatus est.

Exposititij infātes olim Ecclesiæ & episcopo offerri solebant.

Hæc illo dicente, quidam Clericorum Leobigius nomine, expositicium infātem trinoctialem in vlnis sublatum, Episcopo & Ecclesiæ (vt moris erat) attulit. Quo viso, Episcopus, Nunc, inquit, virtutis tuæ experimentum capiemus, an opera tua Deo nitantur auctore. Igitur huius infantuli parentes nobis manifesta, quò innocentiæ puritatique tuæ, quam iactitas, fides ab omnibus adhibeatur . Si recusas, vel minimè possis; & magus, & maleficus capitalem sententiam excipies. Tunc vir beatissimus contristari vehementer, & affligi; negauitque ea sua, qui se peccatorem, sciret, opera esse, sed sanctorum miracula. Cùm verò Episcopi præceptum subterfugere non posset, tota mente ad preces & lachrymas conuersus, supplices ad Deum manus extendit , ac tandem expleta oratione ad baiulum infantis accedēs, quot noctium infans esset, quæsiuit. Illo trium noctium esse respondente, Te igitur, ô sancta Trinitas, (inquit Goares) inuoco, teque ô infans, per eandem sanctissimam Trinitatem adiuro, vt genitores tuos nominatim & clarè designes. Tunc infans, protenta ad antistitem manu, absolutissimo sermone respondit; Iste est pater meus, Rusticus Episcopus; & mater mea Flauia nuncupatur . Sic iustissimo Dei iudicio , dum in seruum Domini Episco-

Iniusta Episcopi in virum Dei sententia.

Iusto Dei iudicio, Episcopus ostenditur parens infantis expositicij.

Episcopus calumnias molitur, manifestè qualis esset cunctis innotuit. Itaq; vbi se proditum vidit, incredibili pudore suffusus ad sancti viri pedes procidit, eiusque sanctitatem sinè fine admirans, suam ipse impietatem impudicitiamq; damnauit. At verò Goares stupefactus, & grauissima ex imo corde ducens suspiria, profusis lachrymis Episcopum plangebat, hortabaturque, vt statim inflictum ab aduersario vulnus, dignis pœnitentiæ medicamentis sanaret.

Sigebertus Rex francorũ claruit Anno Domini 565. & sequentibus, Teste C. Bar. To. 7. Ann.

Inter ea, fama horum omnium celebri admodum sermone ad Sigebertum regem perlata est, qui missis legatis eũ accersiendũ curauit: moxq; accitum de rebus ab eo gestis per ordinem interrogat. Ad quæ vir sanctus respondere noluit, ne aditum ad iactationẽ popularem quærere videretur. Rege verò ea taciturnitate commoto, ac pręcipiente vt responsa daret, necessitate cõpulsus petijt ab ipso rege, vt quemadmodùm res gestas audîsset, ediceret. Quo rerum gestarum fidem ad se delatam explicante, beatus Goar subiungit; Obedientiam negligere nõ debeo, nihil tamen aliud ex me audies; quàm quod ipse dixisti; Tum Rex admiratione repletus, palàm omnibus, quæ de sancto agnouisset, enarrauit. Fuit continuò ab omnibus acclamatum, Goarem dignum esse, qui expulso Rustico, Treuirorum cathedram occuparet. Ille verò mœrere & angi, Regisque imperium grauiter ferre, ac palàm etiam profiteri mori sibi satius esse, quàm viuentis Episcopi sedem arripere. Non esse lapso negandũ pœnitẽtiæ locũ; omniũ in cęlis regẽ esse, qui de singulis iudicet; à quo vt velit ipse Rex

Sigebertus rex ei Episcopatum offert Treuerensem, & ipse constanter recusat.

pec-

peccata sibi dimitti, sic debeat Rusticũ permittere, vt ex illo suorum actuum veniã sedulus expetat; non esse tam facilè deijciẽdum officio sacerdotem, quãdò omnes mortales natura fragiles, ad peccãdum sint ex carnis infirmitate procliues. Ad quæ rex ità respondit, vt vir sanctus intelligere posset, se episcopalem dignitatẽ nullo modo declinare posse.

Prudẽter admodum excusat lapsum Episcopi.

Tũc Goar vbi regis animum immobilẽ vidit, cũ lachrymis viginti dierũ inducias petijt. Quibus facilè obtentis, ad cellulam suam abijt, seq; confestim in orationem prosternens Dominum deprecari cœpit, vt à tanto onere liber in abditis conscientiæ reliquum vitæ tempus trãsigere concederet. Cumque in his precibus persistens, multis se lamentis affligeret, valida febre ex Dei voluntate correptus, annis cõtinuò septem longo corporis incommodo ita fatigatus est, vt neq; regis cõspectũ, multò minus dignitatẽ oblatam subire posset. Interim toto illo temporis decursu orationi vacabat, & assiduo lachrymarum imbre populi & maximè Rustici antistitis peccata deflebat. Itaq; euoluto septẽ annorum spatio, Sigebertus de salute viri solicitus, alios alioq; destinauit legatos, qui eũ honorificè ad se deducerent. Sed vir sanctus post illos septem, quos memorauim⁹ annos, triẽnio & mẽsibus tribus in infirmitate & Dei laudibus exactis, plen⁹ dierum bonorumq; operũ ex corporis ergastulo in cælos migrauit. Funus fuit ab Agrippino & Eusebio egregijs Christi sacerdotibus, alijsq; insigni nobilitate viris, summo cum honore & reuerentia eodẽ in loco & Ecclesia, quã ipse con-

Obtinet à Deo ne fiat Episcopus.

Decedit è Vita.

struu-

ſtruxerat, conditum : vndè tamèn poſt multos annos in aliam nouam Baſilicam trãslatum eſt. In qua multa per eius merita fiunt aſſiduè miracula; multa infirmis præſtantur beneficia: quæ nos, nimia eorum prolixitate abſterriti, hîc referre ſupersedemus.

Claret eximijs miraculis poſt obitũ.

VITA ET MARTYRIVM S. GODOLEUÆ, ex ea quæ ſcripta eſt per Drogonem Monachũ & Sacerdotem Geſtellenſem; qui ex teſtibus oculatis cunctaſe habere teſtatur. Paſſa eſt anno ſalutis 1070. teſte Ioan. Mola.

Vide Ioan. Molanum In Annot. Martyrologij Vſuardi & in Indiculo SS. Belgij.

6. Iulij.

Patria & Parentes S. Godoleuæ.

BEATA Godoleua in Bolonienſi territorio, pago qui Londefort dicitur, patre VVifrido, matre verò Ogina, honeſtis & honoratis orta parentibus, generis nobilitatem moribus & vitæ ſanctimonia præclarè illuſtrauit. Porrò præter egregias animi dotes, fuit etiam inſigni formæ elegantia & corporis pulchritudine: niſi quod maligni quidam in ea capillos nigros & eiuſdem coloris ſupercilia vituperare potuerint. Cùm igitur exactis pueritiæ annis, iuſtum ætatis robur attigiſſet, à multis in coniugem expetita, tandèm Flandro cuidam Bertulpho nomine, vt nobiliſſimo ita & impientiſſimo, ſumma parentum voluntate deſpõſata fuit. Is verò quanquàm antèà incredibili eius amore incenſus nullum non mouiſſet lapidem, vt cupitis eius amplexibus frueretur, poſtquàm tamen ad ſuas eam traduxiſſet ædes, fraude maligni hoſtis ità repentè animo immutatus eſt, vt cane peius & angue eam odiſſe videretur. Ei verò

Deſpondetur Bertulpho.

verò odio etiam mater eius fomenta ſuggerebat, exprobatq; filio, quòd cornicem ex aliena regione adduxiſſet; quaſi in patrio ſolo nullæ eſſent, eius & genere & opibus digniores: Cœpit itaque Chriſti ancilla varijs exerceri moleſtijs; quas tamen inſita animi modeſtia deuorabat patientiſſimè. Nuptiarum celebritas triduò agebatur; ſed ſponſus, ne, quã exoſam habebat, aſpicere cogeretur, intereſſe recuſabat; tota cura matri cum amicis relicta; quæ, quãquàm maleuolentiæ virus propter conuiuas tegere nitebatur, attamen vultu ipſo pectoris arcana prodebat. Poſt triduum Bertulphus domum rediẽs, ſpreta coniuge & relicta familia, in paternam domum commigrauit. Sponſa igitur Godoleua inuiſa ſponſo, ſed Chriſto chara, domi reſidet; gubernat familiam; pudicitiæ ita ſtudioſa, vt etiam maledici nihil de ea ſiniſtrum vel confingere poſſent. Et ne torperet ocio, deſidiaq; & ſegnitie marceret, iam ducebat fila; iam texebat; tum verò etiam in preces incumbebat. Intereà Bertulphus qnanquam natalium ſplendore clarus, improbis tamèn moribus; & odio in Chriſti ancillam planè iniuſto, & ſe & familiam obſcurabat, nihilq; ſempiternæ ignominiæ notam veritus, ex marito ſæuum ſe latronẽ exhibebat. Præficiebat ei ex matris conſilio vernam quendam, qui malignè ei inſeruiret; & fruſtum panis, ſtatuta hora, ei præberet diras luiturus pœnas, ſi quid prætereà cibi potûſue ei impertiret.

Odium Bertulphi in eã.

Deſeritur à Sponſo.

Peſsimè habetur à Bertulpho.

Subiecta igitur ſeruo ſuo ancilla Chriſti, cõtumelijs exagitatur; quas mente tranquilla optimeque ſibi conſcia ità ferebat, vt exultanti

Mira eius pãtientia & abſtinentia.

etiam animo,Deo gratias ageret,panemq; suum cum sale & aqua pauperibus etiam communicaret;Maledicenti quoque viro non maledicta; sed verba suauissima & amoris plena,reddebat: pro se persequentibus &calumniantibus Deum deprecans.At neq; ijs quicquã mollitus Bertulphus,cùm fame & inedia eam se conficere posse desperaret, cœpit cruento de nece eius animo multa cogitare,quã ne inferret protinùs terror nobilissimæ familiæ, qua virginem prognatam non ignorabat,impedimento fuit: sperans autẽ fore vt maioribus fatigata molestijs tandem in murmurationes prorueret, dimidiam panis hactenus illi attributi portionem subtrahit. Illa verò eam annonæ diminutionẽ sedato ferens animo tametsi difficillimè in vitæ sustentationẽ sufficere videret, mediam tamen partem illius, consueto more, pauperibus largiebatur, precibusq; assiduis,quod corpori deerat, supplebat. Porrò in tanta immanitate Bertulpho cognati & amici eius fauentes, scelerato & iniquo odio eam persequebantur,&crudelem sponsi animũ, sua sponte satis incensum,magis insuper magisque incitabant; prorsus vt sancta virgo, tanta mariti & familiæ persecutione victa, fuga sibi salutem quærere cogeretur. Nudis igitur pedibus,vnica puella comite, ad natale solum reuertitur,parentibusq; suis calamitatis suæ historiã cum lachrymis & gemitu recensẽt. Pater eius, auditis filiæ querimonijs, primò quidẽ Balduinum comitem Flandrię,dein ex eius cõsilio Nouiomẽsis Ecclesiæ antistitẽ ipsius generi diœcesanũ adijt, eorumq; opem contra filiæ sponsum implorauit.Illi auctoritate sua monẽt coguntq;

Quãta fuerit eius commiseratio ergà pauperes.

Compulsa fugit ad parentes suos.

Ber-

Bertulphũ, vt positis inimicitijs coniugem suscipiat, foueat, & quo par est honore & amore prosequatur. Recepit illè quidèm virginem sanctissimã, sed animo in scelere suo adeò obfirmato, vt modis omnibus in eam curã cogitationemq; incumberet, vt eã è medio tolleret. Cernens aũt Christi sponsa ad pristinam ferocitatẽ quotidiè noua incremẽta accedere, totam sese precibus diuinæ prouidentiæ cõmisit, certa amplissimis præmijs patientiam suã aliquandò à Deo remunerandã. Cũq; alij eius miserias lamẽtarentur, dicerentq; eam solã esse, quæ neq; carnis voluptatibus, neq; mũdi delicijs esset fruitura, illa magna animi cõstantia, se neq; carnis voluptates, neq; mũdi huius oblectamẽta appetere, respõdebat; addebat autẽ; Vos quidẽ me infœlicẽ & lachrymis ac luctu dignã reputatis, at ego, tametsi inpræsentiarũ afflictio & angustia me obtinẽt, præ cũctis Flãdriæ mulieribꝰ exaltabor & sublimabor. Et hoc mihi faciet qui potẽs est, qui erigit elisos, & soluit cõpeditos: sanat cõtritos cor de, & mœrore affectos exhilarat. Multi quidèm ad eã veniebant, vt illã solarẽtur, & à mœstitia, quo ad possent, societate & verbis amãtissimis auocarẽt. At illa cęlesti plerunq; cõsolatione adeò perfusa erat, vt vultu & verbis è Sancti spiritus doctrina deprõptis nullius se solatio indigere ostẽderet; quin & monachos quosdam consummatæ virtutis ad se quandoque consolationis ergò commeãtes melliflua adhortatione ita afficiebat, vt mentem eius diuina sapientia perfusam minimè dubitarent.

Redit ad spõsum, & totã se Deo committit.

Consolatur se spe futuræ retributionis inter afflictiones.

Psal. 145. & 146.

Summè afflicta alios insuper consolatur.

Aſt Bertulphus vt animaduertit omnes suas machinas & artes ad illam perdendam adhibi-

tas in nihilum recidere, accitis ad se duobus famulis Lamberto & Hacca, illis animi sui propositum aperit, petitq; consilium, qua via modoq; inuisam sponsam internecione deleret. Illi animo confidenti nefarium facinus in se suscipiũt, remq; minimè difficilem esse docẽt; tempus exprimunt, quo occultiùs & commodius facinus perpetrari queat. Iamque aduenerat dies, qua virgo Deo plena in cælis coronãda erat. Ea ipsa igitur nocte qua fraude perditorum nebulonũ iugulanda erat, antè Solis occubitum venit ad eam Bertulphus, & primò quidèm simulato animo osculatur, amplectitur, ore mentitur risum, qui virus habebat in pectore; assidet deindè iuxta illam, propiusque se illi iungere formidantẽ manu ad se trahit, hisque compellat verbis. Non mediocri id dolore me afficit, quòd ità fero & præduro erga te animo esse videor, vt neq; præsentia mea tibi solatio sit, & neque colloquijs meis, neque mutuo concubitu delecteris. Equidẽ qui nos aduersus casus infestârit ignoro, vt & alieno in te animo essem, nec satis mentis meæ compos viderer. Nisi fallor, maligni dæmonis opera id effectum est: Sed iam tãdem volo hisce dissidijs finẽ imponere, teq; charæ instar coniugis colere, tensimque profligato odio, mente & corpore tibi coniungi. ô hominẽ ipso Iuda proditore nequiorem. Inueni, inquit, fœminam, quæ se iactitat posse nos mutuo amoris vinculo adeò copulare, vt non possint duo alij ardentiori inter se charitate coniungi. Ego id negocij Lamberto & Haccæ seruis meis commisi, qui fœminam ad te adducent: tu vide fidem vt illis accommodes.

Lambertus & Hacca interfectores S. Godoleuæ.

Simulator Bertulphus.

Hæc

Hæc cùm dixiſſet homo ſceleſtus & totus ex fraude & mendacio conflatus, Chriſti ancilla reſpondit, nihil recuſare, modò abſq; ſceleris alicuius cõmixtione id fieri poſſet. Tum Bertulphus, à ſcamno exiliens, equum aſcendit Brugas profecturus, vt ibidèm ab omni cædis ſuſpicione remotior, nuncium de extincta Godoleua opperiretur.

Dolosè euocatur occidenda.

Deindè nocte cunctis ſopore oppreſſis, Lambertus & Hacca ad Dominæ ſuæ cubiculum accedentes, eam excitant; fœminam, cuius herus mentionem feciſſet, præ foribus eam præſtolari impiè mentientes. Illa Deo ſe commendans, veſtibus ſe induere voluit. At illi, pedibus, aiunt, nudis, paſſis capillis, ſolaque in interula venias oportet. Id enim tibi inprimis maximè profuturum eſt. Illa quanquàm fraudem dolumq; facilè odorari poterat, nihil tamen vel mortis vel ingentis periculi timore perculſa, ſecura prodijt. Tum verò perfidi ac nefarij ſerui, iniecto in collum eius laqueo, eam ſtrangulârunt, exanimemq; in aquas, ibidèm, ſi quid ſpiritûs ſupereſſet, præfocandam demerſerũt. Extinctum deindè corpus ſceleſti illi homicidæ ad eius lectulũ reportârunt, veſtibuſque opertum reliquerunt. Intereà ſole altiùs ſcandente, cum hera de more in primo auroræ ortu non prodiret, familia inter ſe muſſitare, ac tandem dormientem excitatura cubiculum intrare: ſed mortua non expergiſcitur. Mox fama volat; accurrunt vicini; contemplãtur corpus exanime; nullum vulnus; nullum ferri veſtigium toto corpore reperitur. Ad collum duntaxàt cruentus viſebatur circulus, ex laqueo quo ſtrangulata fuerat, relictus. Inte-

Strangulatur à ſeruis Bertulphi S. Godoleua.

terim alijs naturali eam morte obijsse dicentibus, alijs diuersum affirmantibus, sui eam sepulturæ tradiderunt.

Attende miraculum.

Porrò cùm hoc modo immane facinus sempiterna obliuione deletum existimarent, Dominus, vt cædes illius cunctis innotesceret, cælestibus eam miraculis continuò illustrauit. Humi pars illa, vbi interempta est, in candidos lapillos versa est; & cú quidã pio deuotionis studio ducti de terra illa domum secũ asportarent, eã posteà in gemmas mutatã mirati sunt. Quod nè quis fabulosum existimet, auctor ipse, qui sanctissimæ huius virginis vitam martyriumq; conscripsit, se &proprijs oculis gemmas vidisse atq; manibus tractasse testatur. Quin etiam & aqua illa, quæ reliquias spiritus eius suffocauit, nequaquam virtutis expers fuit. Quotquot enim vel febribus vexati, vel alijs afflicti morbis, eam biberunt, repentè sanitatis beneficium illius meritis se adeptos lætati sũt. Pari virtute & monumentum eius illustratum fuit; quod vno aut altero ex pluribus miraculo cõfirmasse sufficiat

Miracula ad aquam vbi fuit submersa.

Item ad sepulcrum eius

Pater filium à primis natiuitatis annis cõtractum, eò attulit. Nomen puero Algotus erat; qui post vota precesque sospes cum patre domũ abscescit. Fœmina quædam omni membrorum officio similiter destituta, nouem annis ad fores monasterij S. Trudonis frustrà (Diuina id agente prouidentia) sanitatem postulãs iacuerat. Tú verò fama miraculorũ, quæ ad Godeleuæ monumentũ fiebãt excita, eò se deportari curauit; ibiq; orãs paulò post suis pedib⁹ læta domũ redijt.

Anno Christi millesimo octogesimooctauo corpus eius apud Gestellam à Ratbodone Noui-

uio-

uiomensi & Tornacensi antistite eleuatum est 3. Kalend. Augusti. Filia verò Bertulphi ex vxore secunda, luminibus à natiuitate orba, cùm aqua illa, quæ submersione eius & martyrij gloria celebris habebatur, oculos lauisset, protinꝰ à perpetuis tenebris liberata est. Quod sanè beneficiũ, vt grata memoria perpetuis temporibus celebraretur, extruxit ibidem sacrarũ virginũ domicilium, sub regula D. Benedicti militantium. In quo cœnobio, ipsi virgini Godeleuæ sacro, niueus eius cruor, qui ex ore & naribus in submersione emanauit, ad perpetuam rei memoriã conseruatur.

Filia Bertulphi à natiuitate cæca sanatur.

VITA S. ILLIDII ARVERNORVM Antistitis quarti; ex ea quæ extat apud Gregor. Turonens. Lib. de vita Patr. cap. 2.

Vide Notas. C. Baro. In Martyro: Roma. 7. Iulij.

BIllidius cum ab ipsa infantia, vt mortificatis mẽbris soli Christo viueret, diuersas abstinentiæ cruces sibi adhibuisset, tantam demùm, Domino largiente, vitæ sanctimoniam, tantaq; gratiarum charismata est assecutus, vt vnanimi omnium suffragio, Deo inspirãte, ad Aruernæ Ecclesiæ Pontificalem Cathedram sublimatus sit. Vndè factum est, vt fama virtutum eius, nõ solum ipsos Aruerni territorij terminos vicinarumq; vrbium fines adiret: verũ etiàm Treuerici Imperatoris aures attingeret. Cuius quidèm filia cum à spiritu immundo correpta grauiter vexaretur, & non inueniretur, à quo posset erui: ilicò beatum Illidiũ directis ad eũ pueris ad se euocauit. Quo potestati Regię celeriter se repręsẽtãte, ac venerabiliter admodũ

Episcopus creatur Aruernorum.

excepto, pater de exitu infelicis conqueritur filiæ. Ille verò confisus in Domino, in oratione prosternitur, nocteq; cum sacris hymnis, canticisq; spiritalibus transacta, immissis in os puellæ digitis, nequam spiritum à corpore abegit obsessæ. Quod miraculum Imperator cernens, immensam auri argentiq; vim sancto offert sacerdoti. Quam ille execrans ac refutans, hoc obtinuit vt Aruerna ciuitas, quæ tributa in specie triticea ac vinaria dependebat, in auro dissolueret: quia cum graui labore penu inferebãtur Imperiali.

Sanat dæmoniacam.

Moritur.

His ità feliciter gestis sacer Antistes ad propria remeans, in ipso itineris curriculo, corporalis ergastuli vinculis solutus migrauit in cœlos; à suisq; delatus, in vrbe sua conditus est; vbi plurima infirmis præstantur beneficia; quorum & author huius vitæ particeps fuit: Liberatus quippè eius meritis ab acerrima, qua vexabatur febre.

Miraculis claret post obitum.

Vide Tom. 3. Annal. C. Baronij. Anno Domini 308.

HEROICVM PLANE MARTYRIVM sancti Procopij, ex ea quæ est apud Metaphrasten. Eius acta citata reperiuntur, in secunda Synodo Nicæna. Act. 4. quo tempore agonem compleuerit, patet infrà.

8. Iulij.

DIOCLETIANO & Maximiniano Romanum administrantibus imperium, res Christianorũ in tantas eorum crudelitate atque sæuitia redactæ fuêre angustias, vt non nisi sola morte eaque valdè glorioſa ex turbulẽtissimo vitæ statu ad pacem ac gaudium denique sempiternũ peruenire possent. Vastauerat Diocle-

cletianus Alexandriam; sibiq́ue auctore quodã Achille rebellem, horribili strage ac nece multorum, iterum plenè subiugauerat. Cumq́ue rebus hoc modo in Aegypto ex animi sententia peractis veniſſet Antiochiam, ac ibidem è tribunali noua crudelitatis suæ in Christianos edicta proferret, suosq́ue commentitios deos deasq́ue, nefaria superstitione multis laudibus in cælum tolleret, fœmina quædam Senatorij ordinis, Theodosia nomine, marito Christiano recens orbata, vnico cum filio cui nomen erat Neanias, & ingenti pecuniarum vi supplicem se Imperatori pro tribunali sedenti exhibuit, vt filium vnicum egregio corporis robore adolescentem, & deorum amicum suscipiat, & aliqua militiæ præfectura, pro generis nobilitate, honoret. Imperator cùm ex veste lugubri maritũ Christianum è vita sublatum intelligeret, sciretq́ue eam cum filio strenuam inanium deorum cultricẽ, accepta, quam attulerat, pecunia vehementer gauisus est, eiusq́ue filium & spiritu & corpore personam minimè vulgarem præsentantem, perampla cum potestate, Alexandriæ præfecit, monuitq́ue, vt tota virtute eam in rem incumberet, vt Christianum nomen internecione deleret. Quod vt facilius exequeretur, duas ei militum cohortes attribuit, qui in Christianis supplicijs fatigandis assiduam ei opem ferrent.

Diocletiani sæuitia in Alexandrinos.

Theodosia mater S. Procopij.

Theodosia cum filio deos colit.

Neanias præficitur Alexandriæ. Is est Procopius

Profectus igitur Antiochia cum instructa militum manu ac Apameam Syriæ prætergressus, in ipso itinere tertiam circà noctis horam ingens repentè terremotus cum crebris fulgetris & horrendo tonitruo exortus cunctos effusam in fugam dissipauit, mortisq́ue timore vehemẽ-

ter oppressos humi strauit. Solus Neanias, diuina magis quàm humana virtute roboratus, constitit, vocemque cælitùs delapsam huiusmodi audiuit; Neania, quò vadis, & aduersùs quem in tanto impetu incitaris? Ille autem, qua erat animi libertate, Imperatoris edictum protinùs exposuit, ac ab eo acceptam potestatem; vt quoscunque nempè inuenire posset Crucifixo credentes, eos excrucians tolleret de medio. Tum rursus audiuit; Quid verò, ô Neania, tu etiam contra me venis? Ille autèm, tu, inquit, quis es Domine? non possum enim cognoscere. Hæc vt effatus est, vidit protinùs Crucem crystallino candore mirè rutilantem, vocemque ex ipsa non sinè stupore audiuit: Ego sum Iesus Crucifixus Dei filius. Tum verò Neanias maiore stupore oppressus; Et tu, inquit, Domine quomodò Dei filius es, qui tantis vulneribus tantisque supplicijs, dedecoris & ignominiæ maculis in exitu vitæ affectus fuisse diceris, quanta scelestissimus quisque nunquàm sustinuit? Cui Dominus; Ego quidèm extremam suppliciorum omnium ignominiam acerbitatemq; perpessus sum, multisque plagis contusus è vita excessi, sed nisi ego eas ægritudines sceleribus vestris debitas excepissem, doloresque, qui vobis subeundi erant, sustinuissem, vos sempiternis supplicijs addicti, nunquàm salutem consequuti fuissetis. Meo igitur cruciatu ab exitio & cruciatu sempiterno liberati: Mea morte, è faucibus æternæ mortis erepti estis. In hoc autèm signo quod tibi apparuit, vince hostes & pax mea erit tecum.

Christus in via apparet Neaniæ.

Neanias qui & Procopi°, more Apostoli Pauli à Domino vocatur.

Fructus passionis Christi

His

His CHRISTI verbis Neaniæ animus calore diuini amoris adeò incensus fuit, atque ex Crucis illius aspectu tanto repletus gaudio, vt mox Scythopolim ingressus, vocato ad se clanculum aurifabro Marco artis illius peritissimo, Crucis signum ex auro formari iusserit, quo perpetuo illius aspectu tanti beneficij memoriam recoleret, eamque pijs operibus continuò foueret. Interea Marcus dum operi sedulò incumbit, iamque extremam manum imponere parat, ecce subitò (dictu mirabile) tres extemplò imagines inscriptæ apparent, Hebræo sermone hoc modo designatæ: Supernè in principio, Emanuel: in ijs autem, quæ erant vtrinque, initijs Michael & Gabriel. Eas Marcus nequicquam delere conatus, cùm instaret, manumque vehementior adhiberet, sensit protinus diuina quadam virtute manũ langueſcere, ac omni planè virtute destitui. Interea Neanias superueniens, visis imaginibus, mysterium earum quæsiuit, & quo motu eas Cruci insculpsisset scire voluit. Respondit artifex, neque se eas elaborasse, neque scire prorsus quid sibi vellent, sed occulta quadam, ac planè diuina virtute, eas, profecto demùm opere subitò apparuisse. Tum Neanias magna pietate commotus Crucem adorauit, ac venerabundus eam amplexans, preciosissima purpura inuoluit, persolutoque artifici precio, lætus suis cum militibus domum perrexit.

Neanias crucem ex auro sibi formari curat.

Adorat Crucẽ Neanias.

Porrò eo tempore Agareni improba quadam cõsuetudine aliorum filias vi sibi vxores deposcebant, recusanteſq; armis suam in potestatem redi-

Agarenorum scelus.

redigebant. Ea res cùm parentes earum peſſimè haberet, tum verò Neaniam ſuppliciter rogabãt, vt deteſtabiles adeò Agarenorũ conatus reprimeret, filiaſque multorum à miſeranda ſeruitute in libertatem armis vindicaret. Non recuſauit ille, Crucis ſuæ virtuti confiſus, dicens; Profectò iam demum experiar, fueritnè verè Dei filius, qui mihi apparuit. Hæc identidem cogitans vox huiuſmodi auribus eius inſonuit; Confide Neania: Ego enim ſum Dominus Deus tuus, ego tecum ſum. Hac voce confirmatus mirificè, inflammato animo cum ſuis in Agarenos irruit, cunctiſque repentè in effuſam fugam cõuerſis, ſex hominum millia ferro trucidauit, nemine è ſuis prorſus deſiderato.

Inſignis victoria Neaniæ aduerſus Agarenos.

Ea potitus victoria, rectà ad matrem contendit, quæ glorioſi triumphi iam antè certior facta filio gratulabunda occurrit, magnisque clamoribus dijs tam præclaræ victoriæ laudem acceptam referendam dixit. At Neanias, Chriſti gratia à nefandis erroribus tunc ritè purgatus, appræhenſa matris dextera, eam in cubiculum inanium deorum ſimulacris refertum deduxit, aitque; Fraus maligni dæmonis hactenùs te à via veritatis in ſempiternum præcipitium impulit. Nam ſi dij, quos dicis, opem mihi in bello tulerunt, ipſi pronuncient, vocemque edant, vt credam eos vitę & mortis habere imperium. Theodoſia hæc audiens, primò haud mediocriter tantam filij audaciam indignata eſt; deindè ſupplici corporis habitu ad ſimulacra accedens, ſingula nominibus proprijs inuocauit. Sed cùm nulla reſponſa darentur, adoleſcens ſiniſtra Crucem tenens,

tenens, reiecta ex humeris chlamyde, matreque paululùm repulsa, dextera statuas deiecit, humi detraxit, calcibus insultans in frusta comminuit, ac postremò cuncta (erant enim ex auro & argento conflata) pauperibus distribuit.

Neanias matris simulacra destruit.

Tum verò mater, & naturæ & viscerum suorum oblita, mente furibunda, ad regiam cucurrit, & Diocletiano factum filij, ipsumque filium crudeliter prodidit. Imperator confestim datis ad Palæstinæ Præsidem literis (is erat Italus Iustus quidem nomine, at ipso Nerone crudelior) mandauit, vt Neaniam sacrificare recusantē omnibus supplicijs dirè excarnificatum, dignitate simul & vita spoliaret. Præses, acceptis literis, ilicò ad ædes Ducis festinauit, easque illi legendas exhibuit. Ille verò ritè perlectas minutatim cōscidit, parteſque ventis mandans, Ego sum, inquit, Christianus, quod imperatum tibi est, exequere. Cui Prę̄ses, Non, inquit, Ducum fortissime, sic agendum est; quin potiùs nouos tibi honores ab Imperatore tui studiosissimo concilia. Cui Neanias; Ego me Christo lubens sacrificabo. Eccè ergo propositæ sūt tibi carnes; castiga Præses, nostrisq; supplicijs, quæ ego auidè expecto, nostros tibi honores compara. Hæc dicens, militare cingulū in faciē Præsidis per cō temptum proiecit, vt citius ad inferendos cruciatus eum prouocaret.

Accusatur à matre.

Epistola Diocletiani ad Iustum, Palestinæ Regionis Præfectū.

Præclara Neaniæ constantia.

Ardor eius pro Christo patiendi.

Tum verò in iram & furorem conuersus Prę̄ses, vinctum eum Cæsaream abduci iussit, quem populus errore simulacrorum temulentus magnis clamoribus ad necem poscebat. Adfuit tandèm & Prę̄ses; qui à maligno dæmone animo efferatus, suspensum iuuenem crudelissimè cædi iussit,

Mittitur vinctus Cæsareā.

Verberatur immanissimè

iussit, adeò vt non pauci, martyris ætatẽ & corporis pulchritudinem miserati, lachrymas funderent. Sed Christi athleta, quanquàm toto corpore fœdè admodum laceratus, inuictus permanebat, flentesque hortabatur vt potiùs animarum suarum interitum, quàm eius corporis plagas, luctu lachrymisque prosequerẽtur. Præses tantam animi fortitudinem vehementer admiratus, iussit eum in carcerẽ abduci. Custos erat Terentius, qui multis iam ante à sanctissimo martyre beneficijs affectus, incredibili animi sui dolore eum excepit, ac Præsidis veritus minas in interiore carcere concluſit, fœnum tamen ac sindonẽ administrauit, vt fracta corporis membra commodius foueret. Sed qui omni solatio destitutus iacebat, non diu diuinæ cõsolationis expers fuit. Quomodò enim fieri posſit, vt benignissimus Iesus militem suum, tot tãtisque vulneribus concisum, relinqueret; Eccè verò nocte concubia, Angeli immenso corruscantes lumine carcerem subintrant, martyrem inclamant. At ille; Et quinam, inquit, vos estis? Cui illi; Angeli Dei sumus, à Christo ad te missi. Tum martyr: Si Angeli, inquit, estis Christi, ei genu flectite, vestrosq; oculos sacrosancta Cruce cõsignate. Fecerũt illi quod petebat martyr; eumq; rursùs, an veros eos Christi angelos esse crederet interrogabant. Tum martyr veluti omnium, quæ passus fuerat, oblitus, oculos pietate plenos ad cælum attollens, ô inquit, bone Iesu, iure quidèm tres pueros in fornace flamma cõstitutos tu Angelorũ visitatione dignatus es. A me autem quid factum est eiusmodi, vt angelorum tuorum solatio me digneris? His dictis, vidit

Angeli eum inuisunt.

Nota hæc Lector.

Mira humilitas eius.

dit à latere Christum ipsum clarissima luce circumfusa astantem, & aquis eum aspergentem, dicentemq; ; Non tu ampliùs Neanias, sed Procopius appellaberis. Prębe igitur te strenuũ inuictumque athletam, vt alios per te ad vitã destinatos, patri meo cælesti eodem martyrij gloria coronandos exhibeas. Procopius tam stupẽdo Dei beneficio penè exanimatus, flexis genibus scelerum suorum veniam suppliciter postulare, vires contra tormenta petere, seque totum profusis lachrymis Christo commendare. Inter hæc integræ sanitati, fugatis omninò plagarum vibicibus, restitutus, nouoq; insuper delibutus gaudio, iubente Præside, ita è carceris latebris prodijt, vt maxima populi multitudo, visa corporis eius eximia pulchritudine, ac diuino splẽdore, qui ex ipso vultu radiabat, vnum Deum Christianorum, verum & viuum clamaret. Ea re ingenti affectus molestia Præses, indicto silentio, Fratres, inquit, meritò magnis Deorũ nostrorum, clementia est celebranda laudibus, qui nouo insuper addito decore hũc famulũ suũ reformârunt. Tum Procopius; Quin, inquit, ad eorum templa cõtendimus, vt sciatis quisnam deorum adeò in me beneficus extiterit.

Christus ei apparet, & eum baptizat vocans eum Procopium.

Restituitur integræ sanitati.

Hoc dicto gauisus Præses, magnifico valdè apparatu eum deduxit, solumque ingredi cupientem honorificè dimisit. Ibi tum Procopius, clausis templi foribus, ardentiùs precari, Christiq; numen inuocare, vt statuas ad vnam omnes contereret, atque in aquam resolueret. Exauditæ eius fuêre preces; prorsus vt collapsis vno impetu simulacris, & in aquam resolutis, milites tanto permoti miraculo protinùs Christo nominadarent.

Procopius deorum simulacra precibus euertit, & multi credunt in Christum.

darent: eandemque martyrij palmam vehementer expeterent. Præses verò eorum conuersione turbatus, de ijs prima opportunitate suppliciũ sumere, ac cunctos repentino incursu opprimere cogitabat: Cum interim Tribuni militesque diuina luce collustrati, ad martyrem Procopiũ abierunt, supplicibusque ab eo verbis contenderunt, vt eos Christo sociare dignaretur. Ea re mirificè lætatus martyr, omnes ad Leontium ciuitatis illius antistitem noctu perduxit; sicque ritè ab eo instructi, & aquis expiati lustralibus in numerum fidelium percepto primùm viuifico corpore & sanguine Christi fuêre recepti ac paulò post vicesimo primo Maij, certamen fidei capitum suorũ abscissione præclarè absoluêre. Tribuni fuêre Nicostratus & Antiochus; quorũ omnium reliquias Eulalius, vir genere & pietate clarus, magno honore excepit, & in loco eorum virtute digno condidit.

Duo tribuni cum militibus suis credunt.

Plectuntur capite, & eorum reliquias colligit Eulalius.

Christi autẽ martyr Procopius maximo ferri pondere oneratus, tetro iterùm carcere conclusus fuit; ad quem mox duodecim prima nobilitate matronæ peruenerunt; quę se quoque Christiana imbutas fide profitebantur, Quod simulatque resciuit Iudex eodem eas carcere conclusit; ac cum paulò post easdem Christi confessione mirè constantes, varijs excarnificaret supplicijs, ferroque & igne ad aliorum terrorem immaniter exurerentur, fortè tunc aderat fortissimi martyris mater Theodosia: quæ cum molles fœminarum animos vna Christi virtute ita repentè roboratos cerneret, vt neque teterrimo carceris squalore, neque horrendis cruciamentis, quicquam à fidei constantia dimouerentur,

Duodecim matronæ ad Procopium in carcerem veniunt, credũtq; in Christum, ac postea dirè cruciantur.

imò

imò cuncta ſupplicia Præſidis, quædam reputarent ludibria, adeò immutata eſt, vt animo planè virili intrepidè ſeſe in medium carnificum turbam inferret, voceque libera Chriſtianam ſe profiteretur. Qua re obſtupefactus Præſes, cùm blanditijs multis nequicquàm eam ab ea mente reuocare conatus eſſet, tandem furore incenſus illam cum alijs matronis in carcerem detrudi mandauit, vbi poſt multa charitatis officia eiſdem exhibita; poſt ſuſceptum à Leontio Antiſtite ſacrum baptiſma; à diuino eius filio piè eſt roborata ad confeſsionem pro Chriſto cum alijs viriliter ſubeundam.

Theodoſia mater Procopij matronarum conſtantia ad fidem perducitur, & fit martyr, cum cæteris.

Miſit poſt hæc Præſes, vt omnes eæ ſimul ſiſterentur ad iudicium. Primò autem Theodoſiam aggreſſus; cum ſe contrà ſtimulum calcitrare cerneret; dirè verberatam, vnciſque ferreis toto corpore fœdè laceratam, tãdem capitalem ſententiam cum reliquis (quarum conſtantiam iam exploratã habebat) ſubire iuſſit. Quæ prompto vnà & alacri animo colla inclinantes, martyrio glorioſo vitæ finem accepêre.

Hac præclara earum conſummatione Procopius incredibili exultatione dum tripudiat; ecce iterùm ad tribunal euocatur; in quem ilicò Iudex verbis aſperis & vultu truculẽto inuectus; Quid verò, inquit, impium & execrandum caput, esne tot animarum interitu ſatiatus? Cui martyr, Nõ, inquit, ad interitum, ſed ad vitam tibi adhuc ignotam eas traduxi. Hoc cùm dixiſſet, ſtatim fuit veneranda facies, iuſſu Præſidis, ferreis contuſa manibus. Indè ad omnia corporis membra vngulæ immani crudelitate adhibitæ, aliaque pœnarum genera, quæ

Procopij facies cæditur.

tamen in caput Præsidis redundabat. Nam cùm æquè inuictum cerneret martyris animum, eum quidèm misit in carcerem: ipse verò, inuidia & furore tabescens, in febrem incidit; quæ, diuino perurgente iudicio, infœlicem paulò pòst excussit animam atque ad sempiternos Phlegetontis transmisit ignes. Ei continuò ab Imperatore suffectus fuit Flauianus, & ipse Italus; honesto quidem loco natus, sed priore nihil æquior; qui statim à ciuitatis ingressu martyrem ad certamen vocauit; ratus se dicendi facultate, qua multùm præstabat, inuictum athletæ animum superare posse. Sed cùm post longas sermonis ambages martyrem vbique palmam referre cerneret, in rabiem conuersus, imperat cuidam Archelao, vt stricto ense virum sanctum conficiat. Et quidèm martyr cùm alacriter sese lictori feriendum præberet, isque sublato brachio magnam ex eo facinore gloriam speraret, protinùs viribus destitutus, vnà cum ense in terram prolabitur.

Impius Iudex moritur.

Flauianus Iusti Præsidis successor.

Non potest lictor martyrem cædere.

Hæc cùm meritò ingenti stupore Flauianum afficerent, dubius animi vinctum iubet martyrem in carcerem abripi: vbi ardentibus precationibus diuinum implorãs numen, cęlesti voce rursùm confirmatus est. Intereà continuis sex diebus consilia agitat tyrannus, qua tandèm via victoria ex martyre potiretur. Demùm verò productum ex ergastulo sic affatur; Tametsi maleficijs tuis ensem auertisti, & spiculatorem exanimasti, nobisque omnibus tenebras offudisti, non tamen propterea noxiorum euades supplicia, sed efficiam vt malis edoctus imperata conficias. Hæc vt audiuit athleta, nullo timore

more perterritus, imò quo magis suam in Christum fiduciam ostenderet, liberè eum maledictis insectatus est, Tu, inquiens, ignis sempiterni nutrimentum, omnis iniquitatis operarie, me tanquam sontem puniri asseris, & non aduertis quantam mihi tua supplicia pariant voluptatem? Quid enim iucundius, quàm pro Christi nomine pati? quid vtilius quàm pro breuissimo cruciatu, æternæ vitæ præmia & cælestia gaudia percipere?

Mira animi fortitudo.

His magis ad rabiem accensus Iudex, iubet eum crudis neruis laniari, dorsumque vulneribus concisum prunis torreri. Inde candentes obeliscos liuoribus infigi, atq; postremò vstulata membra sale perfricari. Quæ cùm martyr inuicta plane virtute perferret, deosque ipsos maledictis & contumelijs appeteret, Iudex grauiori dolore saucius, dexteram eius, impositò thure & ardentibus impletam carbonibus, super aram extendi iubet, vt si acriori doloris sensu victus martyr manum excuteret, dijs sacrificasse diceretur. Et quidem manus longo tempore vrebatur, igniq; paulatim carnem absumebat, martyr verò intentis in cælum oculis, perfusus ora lachrymis, profundos ex imo pectore trahens gemitus, immotã cõstanter dexteram tenebat. Quicunq; aderant, stupebant; error labefactabatur, & Christus, cõfuso diabolo, glorificabatur. Inter ea martyr vocem exaltans; Tenuisti, dicebat, Domine dexteram meã, & accinxisti me virtute ex alto, & non impiè egi à Deo meo. In me sunt Deꝰ vota tua; quę reddam laudationes tibi? Quoniam liberasti animam meam à morte, oculos meos à lachrymis, & pedes meos à lapsu.

Atrocissimis afficitur cruciamentis.

Psalm. 17.

Psalm. 55.

Contrà verò Iudex: Si te nihil, inquit, tormenta hæc afficiunt, vndenàm gemitus & lachrymæ? Ad quæ præclarò admodũ martyr; Absit, inquit, ô tu verè digne lachrymis, vt ego corporeos hosce defleam labores. Sed quoniã corpus hoc ex luto formatum compactumque est, necesse est vt lutum, ignis calori admotum, ex natura aquam distillet: Alioqui autèm tuam quoq; miserrimam defleo animam, quod cum dæmones colas & impios Imperatores; à Deo deficias: igni æterno cum eis tandèm (ni resipiscas) tradendus. Carcer post hæc verba sanctum accipit; in quo manibus suspensus, immani lapidum pondere ab illius pedibus suspenso, vt compages eius dissoluerentur, aliquamdiu tortus fuit. Eo quoque superato tormento, in clibanum vehementer accensum coniectus fuit. Sed martyr, Crucis signo precibusque flammas ita discussit, vt ministros oberrantes momento deuorarent. Eo periculo vniuersa ferè ciuitas perculsa, clamare & vrgere Præsidem, vt quàm ocyssimè martyrem consumeret, ne vt illi dicebant, omnes illius maleficijs absumerentur.

Nota præclarum martyris dictum.

Magni cruciatus eius.

Stupendum miraculum.

Igitur Flauianus paucis pòst diebus capitis eum sententia damnauit. Cùm autem Martyr ad vltimi certaminis locum peruenisset, impetrato orandi spatio, ardentissimas multis cum lachrymis pro omnium salute preces fudit; Viduis & Orphanis & omnibus in tribulatione constitutis diuinum humanumque solatium flagitabat; Morbidis sanitatẽ impetrabat; Vinctis & animo deiectis libertatem precabatur; & omnibus deniq;, qui sui post transitum memoriam cum pietate agerent, opportunum in quauis ne-

ces-

ceſſitate Dei auxilium poſtulabat. Hęc orantem vox cælitùs delapſa confirmauit, certioremque reddidit, cuncta ad eius petitionem eſſe perficienda. Hanc vt audiuit vocem, alacer ſtatim ceruicem lictori præbuit, atque ictum gladij hilari vultu excepit, octauo Menſis Iulij. Sacrum porrò eius corpus à fidelibus noctu ablatum, vnguẽtis & aromatibus refertum, venerando in loco depoſitum fuit.

Capite plectitur.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI CHIliani Epiſcopi, Colomanni Presbyteri, & Totnani Diaconi. Ex ea quæ integra fide extat apud V. P. Surium. Coronati ſunt Anno Incarnati verbi 689. ſedente Sergio Papa, & Imperante Iuſtiniano Iuniore.

Vide Tom. 8. Annal. & Notat. In Martyr. Ro. C. Baron.

BEATVS *Chilianꝰ, ex Scotia, quæ & Hibernia dicitur, nobili inprimis proſapia oriundus, in ipſa pueritia liberalibus traditus ſtudijs, eò breui perfectionis deuenit, vt ſpretis cunctis mundi huius illecebris, ad monaſterium tãquam ſalutis portum vnum omnium tutiſſimum cõfugerit. Ibi verò aſſiduis ieiunijs, vigilijs, precibus, & diligenti rerum diuinarum commentatione, in ſtadio pietatis, Sacerdotio initiatus, tantùm profecit, vt ab omnibus propter ſanctitatis opinionem ad gubernandi curã electus, maximam nominis celebritatem conſecutus fuerit. Cumque fama beati viri longè lateque crebeſceret, veritus ne tandem populi fauore multorumq; applauſu in crimen inanis gloriæ incideret, accitis quibuſdam ſocijs, ſanc-

*Kilianus. 8. Iulij. Patria eius.

Fit monachus & monaſterij præfectus.

Venit Herbipolim.

ctioris vitæ ſtudio acriter incenſis, per Britanniam Galliaſque in Germaniæ Prouinciam, tũc quidèm orientalem Franciam nuncupatam commigrauit. Ibi aliquamdiu in oppido VVirtzburg vitam inter incredulæ gentis feritatem exegit, paratus pro earum ſalute Chriſtique gloria ſanguinem fundere. Interim tamen à verbo prædicationis abſtinuit, donec Põtificis Summi auctoritate, quam tunc eximia eruditione vir Conon adminiſtrabat, in opus Euangelij cum poteſtate mitteretur. Et quia Hibernia, propter Pelagianæ hæreſis contagionem, Apoſtolica cenſura damnata erat, vt eo nexu ſolueretur, Romam petijt, & coràm animi ſui propoſitum, Pontifici luculentis ſanè verbis expoſuit. Pontifex ſumma viri pietate & eloquentia delectatus, plurimumque gauiſus, eum Herbipolenſem antiſtitem perampla cum poteſtate creauit, propoſitoque æternæ retributionis præmio alacrem in opus Euangelij à ſe dimiſit.

Hibernia Pelagiana hæreſi quondam fœdata.

Ordinatur Epiſcopus Herbipolenſis.

Chilianus igitur Vrbe cum Colomanno preſbytero & Totnano Leuita egreſſus, ad locũ deſtinatum peruenit. Nec mora, gentis idiomate iam antè vtcumque inſtructus, diuini verbi pabula incredulis miniſtrare, ſignis & virtutibus perfidiam conuincere, rebelles mentes eloquẽtiæ vi Chriſto ſubdere, deniq; cuncta ita peragere, vt magna populi multitudo libenter Chriſto nomina daret. Princeps loci quem Gosbertum vocabant, vir magno ingenio præditus, audita fama Chiliani, rerumque geſtarum gloria, eum ad ſe vocauit, & acrem ſatis diſputationem inſtituit, vt argumentis vtrinq; oppoſitis diſceret, cuinam potius diuinus cultus, Dianæ (quæ ſum-

Multos ad Chriſtum conuertit.

Gosbertus Dux Franconiæ.

ſumma apud illum in veneratione erat) an verò Chriſto tribuendus eſſet. Porrò Chilianus ſecũdo tertiove congreſſu, verborum ſententiarumque grauitate adeò Principis permouit animũ, vt nihil in re tam ſalutari cunctandum exiſtimans, ſe totum antiſtiti committeret; cuius documentis diligenter inſtructus, proximo Dominicæ reſurrectionis die cum multis alijs, dato nomine, luſtralibus aquis expiatus eſt: priſtiniq; erroris abſolutionẽ ita promeruit, vt deinceps maxima virtutum incrementa ad perceptã baptiſmi gratiam adijceret. Vnum tãtùm erat, idq; maximum, quod viri ſalutem in extremum periculũ trahere videbatur. Erat ei coniunx *Geila nomine, quæ quondam fratri ipſius, matrimonij iure copulata fuerat. Eas nuptias vir præclarus in ipſis fidei initijs idcircò prohibere noluit, ne Princeps ea re abſterritus, ſuſceptæ fidei pœnitudine duceretur. Diſtulit ergò egregius martyr in aliud tempus magis opportunũ; quo quidèm in familiari colloquio ſic Principẽ allocutus fertur; Fili mi, quem per Euangelium Chriſto genui, equidem valdè gaudeo profectu fidei tuæ; ſed multum me mouet, quòd illicitis nuptijs implicatus, grauiter adhuc de æterna ſalute periclitaris. Nam monente Apoſtolo Iacobo: Qui totam legem ſeruauerit, offendit autem in vno, factus eſt omnium reus.

Dux franconiæ creditq; baptizatur cum multis alijs.

*Alij Giſilam, Alij Geilanam vocant.

Iacobi 2.

Audiẽs hæc Princeps, primùm ſtupore hæſit, deindè alta trahens ſuſpiria, (vehementer enim vxorẽ ſuã diligebat) tale fertur dediſſe reſpõſũ; Equidẽ audiui, te docẽte, pater, nihil Chriſti Ieſu amori præponendum; atq; ideò, quamuis incredibili ſanè amoris vinculo vxorem hanc mi-

hi sociauerim, tamen si ita salutis ratio postulat non inuitus dimittam. Sed quia nunc communis patriæ hostes nostris ceruicibus imminentes armis submouendi sunt, è prælio reuersus, viam modumq; excogitabo, vt eam à thoro separatã honestè dimittam. Hęc cùm ad aures Geilæ peruenissent, (Quis enim fallere posset amantem?) graui incanduit ira; prorsus vt viros sanctissimos ante mariti reditum sinè populari strepitu è medio tollere meditaretur. Itaq; iræ impatiẽtia & libidinis furore armata, duos crudelitatis suæ ministros spe præmiorũ allectos nactus est, qui eius se desiderijs satisfacturos promittebãt.

Geila Ducis coniunx meditatur cædẽ S. Chiliano.

Nec latuit ea fraus virum sanctum, sed noctu secundum quietem, à quodam, habitu formaque pulcherrimo, admonitus, in futurum certamen cum suis excubabat. Illis igitur nocte concubia oratione vacantibus, carnifices strictis gladijs locum penetrârunt. Quos sacer vir intuitus: Amici, inquit, ad quid veniστis? Vos implebitis præceptum, nos cursum consummabimus. His dictis, interfecti sunt, ibique cum sacris rebus terræ mãdati, ne res gesta ad aliorum notitiam emanaret.

Visio S. Chiliani.

S. Chilianus cum socijs necatur.

Sed erat nobilis quædam matrona Burgunda nomine; quæ à principio prædicationis eorum, sanctis viris adhęserat, & propinquas valdè sanctorum oratorio ædes habebat: Hæc tunc vigilijs intenta, diligenti studio rem gestam inuestigauerat; neque tamen timore prohibita pandit, sed fusum sanguinem mundo linteolo collegit, locumq; summa veneratione prosecuta, vigilijs & orationibus assiduè vacabat. Sceleratissima verò Geila, nè quo indicio sacra martyrum corpora

Burgũda mulier sanctorũ sanguinem colligit linteolo.

pora proderentur, ſtratis plancis ſtabulum equorum in loco martyrij fieri iuſſit: verùm iumenta (vt fama tenet) honorem martyribus exhibẽtia, eo in ſtabulo (mirum dictu) nec ſtercus, nec vrinam reddidêre. Intereà Princeps, profligato hoſte reuerſus, ſtudioſè ſanctos inquirere cœpit, quos Geila peregrinationis ergô aliò profectos mentita eſt, ſuiſq; lenocinijs credulũ Principem à diligentiori quærendi ſtudio auertit. Cumq; iam, quæ facta fuerant, alta obliuione ſepulta putarentur, eccè vnus eorum, qui necẽ viris ſanctis intulerat, ſubitò à dæmone correptus horribili voce clamauit; Chiliane, acriter me perſequeris. Igne enim conſumor: quod feci, cælare non poſſum. Video imminere mihi gladium, tuo ſanguine cruentatum. Talia vociferans, & proprijs ſe dentibus lanians, à præſenti ad pœnas migrauit æternas. Alter verò cædis ſanctorum conſcius, in rabiem verſus gladio ſe petijt, effuſiſq; viſceribus, per tormenta præſentis temporis ad æterna peruenit. Quiſnã, Geila, tibi cernenti talia, ſenſus tunc erat infœlix; cruciatibus aucta furebas. Non multò pòſt & ipſa bellua, à dæmonibus arrepta (dictu horrendum) nequicquàm à ſuis detenta, cum magno cruciatu & clamore horribili patratum ſcelꝰ pandẽs, ad cruciatus, diabolo in omni æternitate paratos migrauit.

Percuſſor martyrum ſeſe prodit, arreptus à dæmone.

Geilam occupat dæmon & ſecum rapit in tartara.

His ita geſtis, aiunt Gosbertum à ſeruis ſuis interemptum; filiumque eius principatu deiectum; cognatos affineſque eorum à contribulibus tanta perpeſſos, vt vix aliqua eis Reipublicæ dignitas ea in prouincia relicta ſit. Et quidẽ quæ horum malorum vera cauſa fuerit, no-

Gosbertus Dux à ſeruis proprijs interimitur.

Hæc Baron. in Notat. Martyr. Ro. ex Democharis lib. de Sacrificio Missæ

uit ille, quem nullum secretũ latet, Iesus Christus viuorum & mortuorum Iudex; Veneranda porrò SS. Martyrum corpora, per S. Burchardũ Episcopum eleuata sunt, & in basilica à se erecta recondita; Idemq; à Romano Pontifice impetrauit, vt ijsdem sanctis, honor martyribus debitus deferretur. In eius templi crypta, hi versus fuêre scripti, ijdemq; hactenùs ibidèm leguntur.

Hi sunt, Herbipolis, qui te docuêre magistri;
Qua verum coleres religione Deum.
Impia quos tandèm iußit Geilana necari;
Celauitq; sub hunc corpora cæsa locum.
Ne turpi sinè laude situ defossa iacerent,
Corpora Burchardus sub monumenta locat.

Vide Ioan. Molan. In Indiculo SS. Belgij.

VITA S. LANDRADAE VIRGINIS ex ea quam Theodoricus Abbas conscripsit. Floruit tempore Clodouei 2. Francorum Regis, cui & Sanguine iũcta fuit. Sedente Martino Papa, qui claruit (vt patet 8. Tom. Annal. C. Baronij) Anno Domini 649. &c.

8. Iulij. *Landradæ genus clarũ.*

VIRGO Landrada inclita Francorum stirpe, quam Maioris domûs appellant, progenita, suis ipsa meritis totam familiam egregiè nobilitauit ornauitq;. Vnica parentibus tanto illis charior fuit, quanto in illa abindè à pueritia, maiora prudentiæ & virtutis indicia lucebant. Postquàm exactis pueritię annis parétes eam nuptui tradere vellent, illa tanta apud eos grauitate perorauit, vt ipsos penè parentes de

de continentia & libello repudij admonuerit. Ab hinc ſpretis omnibus,& vnius cellulæ clauſa anguſtijs,paradiſi fruebatur latitudine; eodē ſolo orās & recubās, ſicco pane & aqua prouocans magis quàm reſtringens eſuriem.

Reſpuit nuptias.

Includitur & viuit ſanctiſsimè.

Martinus eo tempore Romæ, Remaclus Traiecti verbo & opere in ſacerdotali cura peruigilabant; Trudo in Hasbania prima pietatis tyrocinia exercebat.Horum accenſa virtutibus, per momenta aut patriam deſerere,aut eremum inuolare deſiderabat.Et ſanè Paulos & Antonios ſemper habēs præ oculis,ſola & incomitata penè inuaſerat ſolitudinē,ſi non aut ætas,aut quos paſcebat pauperum cura pedem eius tenuiſſent. Quorum enim cellas non intrauit, quorum pedes ipſa non lauit?Mira intentio, & difficilis in hoc tali ſexu fortitudo. Forma ſupra hominem auguſtiore,& reliquis omnibus quadā maieſtate decoris excellentibus ornatum ſuum ipſa reprehendere,& vili aliquo palliolo totum corpus ſuum obtegere;vt qui eā vidiſſet,non ipſam ſed vltimam crederet ancillarum.Ocium labore caſtigabat manuum;vigilijs dedita vltra humanum modum.

Liberalitas in pauperes.

Verūtamèn quamuis omnia iam pro Chriſto reliquerat,totum in fruſtrà reputans, ſi nō ſeipſam quoq; abneget & relinquat, rurſus noua de eremo conſilia agitare;ac tādem expanſis omnibus nauigij ſui velis,inuitis parētibus,reclamāte familia,ſaltū, quē ab inhabitantium belluarum feritate,Belluam vocant,inuadit, erectoq; propria manu breui tugurio,ingreditur,& pugnatura cum diabolo,neſcio quæ diuiniora &vltra hominem pugnæ genera aggreditur.Gloriabatur

Petit deſertum locum.

3. Reg. 17 Matth. 3.

batur contubernalem se factam Elię & Ioannis, quorum alterum corui, alterũ mel syluestre & locusta pauerunt. Vrsorum & aprorum, cęterorumq; id genus cohabitationes, tanta securitate ridebat, vt putares illũ illud Iob dicere; Frater fui draconum, & socius struthionum. Habebat tamen & curam pascendi gregis, non vt esu carnium, cuius ab adolescentia nũquàm vel tenuẽ gustum attigerat, delectaretur, sed peregrinis & hospitio receptis vt solatiaretur.

Iob. 30.

Perpetuò abstinet à carnibus.

Pastor porcorum visionẽ suam Virgini reuelat.

Puer officialis in pascendo pecore dum occupatur, irruentibus tenebris, ingruente nocte dũ per auia porcos prosequitur, sano quodam errore in densam veprium syluam impegit. Ibi dum peruigil non sine horrore medias noctis agit excubias, super hunc locum cælicum inprimis vidit lumen, posteà cum lumine cantum exaudit angelicum. Stupebat seipsum, & quid rei portenderet maiestas, tremulis motib⁹ expectabat. Ablata visione, die reddita, miraculum ad virginẽ reportat. Illa nihil mota, vtpotè quæ angelorũ soleret frequẽtibus vti colloquijs, accersit presbyterum, nomine Sigemarũ; cumq; illo locum adit. Ibi solo recubans, nescio quæ mystica diuinis auribus immurmurabat, cum eccè voces angelicæ solita dulcedine præsẽtiùs insonuêre. Ex hinc cùm nulla non die eundem locũ reuiseret, debitaq; illic orationũ munia persolueret, quadam nocte subitò patefactis cælis, comitante lumine, mirifici operis Crux delabitur & Landradæ, quæ iam mũdo crucifixa erat, velut pro munere super contiguum lapidem deponitur. Durant adhuc non languidæ fidei certa monumenta. Sicut enim mollis cera impressam sigilli imaginem

Crux ad eam cælitùs defertur.

ginem recipit,& repræsentat, ita duriſſimus lapis adhuc nobis eiuſdem Crucis totã impreſſionem integrè demonſtrat. Vox interim adminiſtratorij ſpiritûs audita eſt ; Accipe Landrada hoc ab immortali ſponſo charitatis pignus;ipſe tibi Crucis mittit ſponſalia, qui in Cruce moriens, reſtaurauit omnia.

Signa Crucis in lapide manent.

Virgo Dei tali gauiſa munere, ſexûs & ætatis oblita, proprijs manibus negocium, quod non poterat,aggreditur:Vepres & ſpinas extirpare; humum ſarrire;eccleſiã in honore Virginis matris moliri;Deniq; lapides effodere,& comportare;lineam ducere;fundamenta iacere;&in loco ſibi deſtinatæ Crucis, proprijs manibus altare,quod adhuc perdurat,collocare. Adfuit indefeſſæ laboratrici ſuæ manus omnipotẽtis, vſque ad conſummationẽ perfecti operis. Tũc verò Lambertum Epiſcopum, poſtea Chriſti martyrem,euocat,& nouæ Eccleſiæ conſecrationẽ cum reliquiarũ impoſitione ex voto impetrat. Exhinc iam creſcente religione, & diffuſo vnguentorum Chriſti odore, populus Dei ſpreta eremi auſteritate, vehit ad plãtaria cõuolabãt paradiſi.Virgines ad centeſimum,viduæ ad ſexageſimum quotidie colligebantur fructum.

Suis manibus templi ſtructuram molitur.

Multæ ad eã & Virgines, & Viduæ confluunt.

Hac tali virginum militia, breui locus adeò adoleuit,vt nõ ampliùs,à belluis Bellua,ſed Belyſia,id eſt, benè Elyſia, vocari cœperit. Siue enim nemoroſam iucunditatem,ſiue fluminum aut fontium irriguam ſpectes vbertatem, apum quoq; & mellis ceream ſuauitatẽ, addita incolarum Chriſtiana religione:parum eſt quod dubites de Elyſia beatitudine. Tanti igitur dux fœmina facti,in cuius ore pallor ex ieiunijs, eleemoſy-

Quæ priùs Bellua, nunc Belyſia dicitur.

mosyna in pauperes, constantia in aduersis, modestia in prosperis, iuge obsequiũ ergà omnes, & sermo sale cõditus, Christi ancillas ad omnẽ virtutis perfectionẽ mirè accendebãt, post longã carnis & spiritûs luctã, in lectum ægritudinis incidit; in quo ipsum, quodcũq; illud esset, fœnum & stipulam, & similia; quæ liberum exitũ impedire solent, iugi doloris igne decoquebat.

Migrat in cælum.

Tandèm cùm nihil de assiduo precandi studio remitteret, medullitùs depasta, carne & sãguine exhausta, è corporis vinculis ad cęlos migrauit. Vocauerat quidem illa Lambertum antistitem, vt vltimum illum vitæ actum suis sermonibus & diuinis sacramentis muniret, sed dum ille eundo ingruentibus tenebris lassos artus humi deponit, virgo iam vitæ munere sanctissimè perfuncta, venerabili quadam maiestate semiuigilanti apparuit, monuitque, vt in loco quem Crucis fulgore designatum videbat, ossa tumularet.

Landrada in Visione S. Lamberto apparet, & indicat ei sepulturæ suæ locum.

Lambertus iucunda illa virginis demonstratione gauisus, festinato & præter vires cursu Belysiam delatus, visionis exponit seriem; locum sepulturę designat; virginis eam voluntatem esse sanctè cõfirmat. At mox vniuersi necdùm perorantem clamore tumultuario impediunt, impugnantq;; & nequicquàm obtestante antistite, in Ecclesia corpus virginis sepeliunt. Nihilominus Lambertus pristinam solicitudinem conseruat, indictoque sibi ipsi ieiunio, preces multiplicat, ac triduo demùm exacto pro concione declamat, vt Dei voluntatem clariùs, inspecta virginis tumba, explorent. Acclamatur ab omnibus, pedibus eunt in sententiam; & aperta tum-

Sepelitur ad votum populi in Ecclesia.

tumba,nõ modo corpus, ſed neq; ipſe reperitur corporis loculus.Expallent tacito murmure cęteri;ſolus antiſtes in Dei benignitate exultans, filioſq; paternè demulcens,populum VVintershouum ſecum abducit,ibidemq; ſuæ viſionis & oſtenſæ Crucis relegens veſtigia: effoſſa humo, virginis glebam cum ipſo ſarcophago tranſuectam demonſtrat,eo ordine,ac decenti reuerentia locatam,vt angelorum haud dubiè miniſterio id factum eſſe cuncti acclamarẽt. Poſt huius angelicæ ſepulturæ iudicium,tanta ſe illic vbertate diffudit cæleſte beneficium, vt vix vſquam copioſiùs effluxerit diuini muneris ſtillicidiũ.

Corpus eius translatum per angelos.

Ad tumulum eius crebra miracula.

VITA ET MARTYRIVM S. CYRILLI Epiſcopi,ex ea quæ optima fide, teſte Baronio,apud Surium habetur quo tempore paſſus eſt, patet infrà.

In Notat. Mart. Rom.

S. Cyrillus,cuius fides apud Deum probatiſſima eſt, ab ipſis pueritiæ annis adeò pietatis delectabatur operibus,vt,vbicunq; pium aliquẽ fidelium cœtum conueniſſe nouerat, ad eum, relictis parentibus,continuò migraret.Cùm autem hoc modo & fidei & pietatis ſtudijs egregiè imbutus,ad ætatem legitimam peruenisſet, mox antiſtitis honore decoratus, in eo munere annos quinquaginta,ſumma cum opinione ſanctitatis perſeuerauit. Iamque deuexa ætate vir (annum enim quartum & octogeſimum agebat) à Lucio Duce comprehenſus, dijs ſacrificare iuſſus eſt. Sed vir beatiſſimus, qui multos ab errore reuocauerat, os Ducis diuinis ſcripturis, populo Chriſtiano ob idipſum mirificè exultante, ita compreſſit, vt homo impurus

9. Iulij.

Adhuc puer præclara de ſe dat exempla.

Fit Epiſcopus.

Comprehenditur à Duce Lucio & flãmis dãnatur.

impurus à verbis in furorem cõuersus, flammis eum viuum damnaret.

Tum verò sanctus gaudens psallensq; ad rogũ perductus, mox in medium coniectus est. Et quidem ignis flamma, horribili spectaculo ad syderа tendente, ligna omnia in cineres redigebat, & fideles, vt sancti ossa colligerent, expectabant; cùm eccè vir beatus expansis in cælum manibus illæsus conspicitur. Eo signo increduli stupore correpti ad Ducẽ abeunt, nunciantq; virum venerabilem ab igne nihil perpessum. Dux summoperè admirans, iussit sanctum adduci, quem vt sanum & incolumem vidit, collaudato Christianorum Deo, demum illum abire præcepit. Non cessabat autem Christi seruus alios ab errore, propositis amplissimis regni cælorum promissionibus, ad viam veritatis traducere, se verò assiduo lachrymarũ imbre deplorare, quòd à Domini passione alienus, flammarum impetũ euasisset. Interim strenuè in opus Euangelij incumbebat, & ingentem populi multitudinem doctrinę illius cupidissimum, sacris lustrabat aquis; ac nouo quotidiè fœtu Christi Ecclesiam multiplicabat. Qua re ad Ducem delata, eaque ad iram prouocatus, seipsum dementiæ arguebat, quòd suo eum gladio ab ignis incendio ereptum non confodisset. Alteram igitur in eum sententiam pronuncians: gladio illum feriri iussit. Nec subterfugit vir sanctus, sed vltrò caput tyranno offerens, palmam martyrij lætus adeptus est, sexto Idus Iulij, sub * Decio Imperatore, & Lucio Duce, regnante Domino nostro Iesu Christo, cui gloria in sæcula sempiterna. Amen.

Ignis nihil S. Virum lædit.

Lamentatur se à passione ereptum.

Multos baptizat.

Gladio percussus occũbit.

**Eius persecutio in Christianos sæuissima fuit Anno Domini 253. teste Baronio Tom. 2. Annal.*

MAR-

VITA S. DISIBODI EPISCOPI ET Confessoris: ex ea quæ est à S. Hildegarde Abbatissa Bingensi conscripta. Claruit paulò post obitum S. Benedicti Abbatis: qui contigit circà annum Domini (iuxtà C. Baron. Tom. 7. Annal.) 544.

Vide Ioan. Molan. Annot. in Mart. Vsuardi.

DIsibodus præclaris in Hibernia ortus natalibus, iam puer docilis, literis & liberalibus disciplinis imbuendus, pijs præceptoribus à parentibus commendatus, agente Dei gratia, quæ ab eisdem tradebantur, capaci ingenio accuratè memoriæ affigebat. Porrò indies proficiens, & tum ætate, tum sanctitate crescens, à studio literarum ad studium bonorum operum progrediebatur; precibus & eleemosynis vacans: ita vt quicquid de Deo auditione accipere aut discendo consequi posset, illud multa auiditate complecteretur. Deniq; per gradus virtutum, & ætatis incrementa singulis initiatus sacris ordinibus, cum trigesimũ ageret annum, presbyter ordinatus est.

8. Iulij. *Patria eius.*

Fit sacerdos.

Eã autèm dignitatẽ cum Dei timore acceptã, tantis virtutum ornamentis decorauit, vt omnibus Deum amantibus cumprimis gratus & charus esset: vndè eius regionis Antistite feliciter demortuo, ab eisdèm magna animorum cõsensione in Pontificem electus est. Cum autèm cogerent eum Episcopi onus in se recipere, ille pro singulari modestia indignum se clamare, & qua potuit vi manus ac pedes retrahere: at illis tandèm præualentibus, diuina dispositione etiã inuitus, maleuolisq; frustrà obstrepentibus in

Creatur Episcopus.

sede Pontificali collocatus est. Tum verò Dei iustitiã prædicare & docere, omnesq; quos potuit sedulò adhortari quatenùs se diuinis mãdatis morigeros præberent: sicq; quòd ab infantia sancti spiritûs gratia perfusus fuerit, iam eructã do patefecit. Sanctarũ virtutum optima quoq; exempla paterno affectu in se illis præbebat; & alij quidèm propter virtutes, quas in eo cernebãt, amabãt eũ, arrectisq; cordis auribus doctrinam eius excipiebant: Alij verò, qui diuini erãt timoris expertes, monita salutis contemnebant, multisq; iniurijs illum afficiebant. At ille paucos eosque fideles sibi adiungens, cor suum quotidie affligebat: & tribulationem suam ante Dominum pronunciabat.

Qualiter in Episcopatu vixerit.

Psal. 141.

Schismata & mores corrupti in Hibernia.

Eadem quoq; tempestate ingens schisma & magna ludibria in tota illa regione extitêre: alijs vetus & nouum testamentum oppugnantibus, Christumq; abnegantibus; alijs hæreses cõplectentibus; plærisque ad iudaismum se conferentibus; nonnullis in ethnicismum prolabentibus; quibusdã non vt homines decet, sed instar pecudũ, turpiter viuere appetẽtibus; alijs deniq; morum quandam disciplinam præ se ferentibus propter humanitatem, sed tamen nihil boni facere studentibus. His verò tam fœdis erroribus & babylonicæ cõfusioni beatus Disibodus se virili & infracto animo opponens, multa opprobria, multasq; iniurias patienter tulit: ipsam quoque vitam profundere magis optans, quàm tam absurdis & nefarijs rebus suffragari. Vndè post aliquot annos in tot malis æquo animo exactos, errorum architecti & patroni, populusque eis assentiens, post varias tensas insidias demùm

mùm coacto agmine, è ſede ſua multis affectum contumelijs exturbârunt. *Pellitur è ſede ſua.*

Et ille quidèm Deo malens in quiete ſeruire, quàm ſinè fructu diutius apud illos hęrere, paucis ſibi adiunctis religioſis viris, ſedem illam, quam annis decem ſtrenuè admodùm & piè gubernârat, patriã quoq; ipſam & res ſuas omnes Chriſti amore reliquit, dicens neque ſibi neque alijs prodeſſe, ſi illic velit morari, vbi vſque adeò incredulitas, perfidia, & pertinax increuerit iniquitas. Cum autèm ex Hybernia egreſſus eſſet, multis peragratis regionibus, & locis non paucis accuratè exploratis, vbi animæ ſuæ poſſet inuenire requiem, tandèm in Alemaniam peruenit; vbi in durum ſanè & ferum populum incidit: attamèn feſſus aliquamdiu pedem illic fixit, gentiq; illi haud contemnendo cum fructu verba ſalutis & ſanctitatis exempla propoſuit. Interim porrò gratiſſima beati Benedicti, non ita pridèm vita functi, & religionis monaſticæ ab illo inſtitutæ fama, ad eum perlata eſt: Vndè plurimum gauiſus optabat ſibi aliquot eiuſdem religionis viros adiungere ſocios. *In Alemaniã venit.*

Itaque concepta bona ſpe deſiderij ſui, quandoq; cæleſtis gratiæ ope complendi, vbi de hominibus ad Rhenũ degentibus percepit, duros quidèm & aſperos illos eſſe, ſed tamen Eccleſiaſticã religionem deuotione colere, properè ad Rhenũ tẽdit iter, atq; indè deflectens & per auia quæq; ingrediẽs, ad fluuiũ quem Glauu vocant, peruenit: quo tranſmiſſo, montem excelſum & ſyluigerum conſpicatus, in eum poſt decem peregrinationis ſuæ annos aſſcendit. Quem *Fluuius Glauu.*

circumquaque perlustrans, cunctaq; eius latera accuratè inspiciēs, amœnitas illius magis ac magis eum incitauit, vt illic cuperet sedem figere: asscensus siquidem arduus difficilem prębet aduentantibus accessum, & riuuli ex vtraque eius parte manantes corporibus magnam afferunt refocillationem. Fusa igitur ad Deum precatione, in montis descensu ad orientem propter aquę compendium sibi habitationem designauit, vitæq; institutum, quod diu concupierat strenuè inchoans, orando, vigilando, ieiunādo durè & asperè solitariam illic vitam duxit: quam socij eius impigrè imitantes, singuli sibi construxêre habitacula procul ab inuicem distantia. Sustentabantur autèm aliquandiù radicibus herbarum: cum alijs escis carerent.

Ducit asperā & solitariā vitam in mō te excelso.

Cœpêre porrò post aliqua temporis spatia in populi, venationis, piscationis, aliarumve rerū necessariarum causa locum illum frequentantis, notitiam venire. Iam enim rumor sparsus erat in vulgum, sanctum quendam hominem cū aliquot socijs à Deo missum, eò aduenisse. Quod cum plerisq; admirationi esset, ad eum accedebant, & de rebus vtilibus cum illo sermones conferebant. Vndè factum est vt quibus ille sermones & adhortationes indeficientis vitæ promebat, ij res corpori sustentādo necessarias ei & socijs eius sæpè suppeditarent. Ille verò cū socijs suis pauperes & egenos colligens, quicquid de victu quotidiano supereset, illis distribuebat. Semper enim memoria retinebat, Adamum è cibo perijsse: attendebatq; Antonium, Macarium, & eis similes patres, herbis & aspero victu fuisse contentos; vt eorum confirmatus exem-

Benignus est pauperibus.

exemplis, corpori suo molles & delicatos cibos non permitteret: ne ab antiquo serpente deciperetur. Quanto autem magis affligebat carnem suam tanto illum Deus copiosiori augebat gratia sua, & per miracula quoq; eum celebrem cunctisq; manifestum reddebat.

Permulti siquidèm ad eum adducti infirmi & debiles, per eius merita diuinitùs repentè curati sunt: sed & cæci, claudi, dæmoniaci & leprosi non pauci. Vndè fama sanctitatis eius per totam regionem volitante, Principes & nobiles, opulentiq; homines, cum reliquo eius regionis populo montem illum cum omnibus finibus eius vltrà decurrentes fluuios Naham & Glan in longum & latum, ei & posteris eius donârũt; vt pijs hominibus illic congregatis vitæ degendæ necessaria affatim suppeterent. Eo autèm munere accepto vir sanctus multùm extimuit, recordatus malorum quæ erat plurima perpessus in Episcopatu: flexisq; genibus Dominum orauit, vt oblatio illa ad fructum & profectũ animarum Spiritûs sancti operatione cederet; deindè omne animi sui studium & voluntatem ad vitã & doctrinam S. Benedicti cooperante Spiritu sancto appulit, & ad lõginqua loca, vbi ea institutio religiosè & sanctè colebatur nuntios misit, supplices preces offerens, vt quidam ad ipsũ venirent, vineam Domini Sabaoth iuxtà regulã B. Benedicti plantaturi.

Multa efficit miracula.

Mons et fines eius dantur illi.

Complurimis igitur eius Ordinis viris religiosis ad se allectis, eis Oratorium & congrua domicilia in montis supercilio, propter difficilem & arduum accessum contrà Orientem construenda curauit: nè aduentantis populi strepitu in-

Multos ad se adducit Benedictinos.

tú interturbarentur, & feruor atq; rigor instituti, quotidiana eò confluentium visitatione dissolueretur & eneruaretur. Ipse verò solitarius permansit in domicilio & oratorio illo, in montis descensu ad Orientem extructo, vt ad occurrentia omnia paratus esset, & superuenientibus pro cuiusq; ratione & conditione, opportuna posset respõsa dare. Et quidèm ea fratrum congregatio, tam pietate ergà Deum quàm habitatorum numero crescebat; cunctaq; agenda & habenda imperio S. Disibodi subiacebant: communisq; ab illis vita secundùm B. Benedicti institutionem exercebatur. Atq; hac ratione effectum est, vt per multas prouincias insignium virtutum eorum fama sparsa sit, complureſque ad eos venerint, consilia & auxilia animarum saluti opportuna ab eis expetentes: prædiaq; & facultates suas Deo & B. Disibodo hilari mente offerentes.

Viuunt iuxtà normam S. Benedicti.

Porrò vir sanctus diuina mysteria ab eo tempore, quo è sede sua eiectus est, vsq; ad vitæ finé, non vt Antistes, sed vt pauper presbyter celebrauit; nihil prorsus ea ex re mœroris accipiés, sed potius animo exultans, Christi passionem imitando. Cæterùm cum iam triginta annis ibidèm Deo fideliter seruiuisset ac fratribus suis verbis & exemplis egregiè præfuisset, plus labore quàm senio exhaustis corporis viribus, ægrotare cœpit. Conuocata igitur sancta congregatione, instantia mala & prospera, imminentemq; à corpore migrationem suã, spiritu prophetico prædixit, successorem q; designauit: omnia quæ eius loci erant illi committens. Locum quoque sepulturæ suæ illis ostendit, cum la-

Vera eius humilitas.

chry-

chrymis & gemitibus eos orans, ne in ſublimi aliquo loco, ſed in humili oratorij ipſius vmbraculò ipſum humarent. Et quidèm fratres magno dolore affecti, tantiq; Patris amiſſionem lugubri voce deplorantes polliciti ſunt ſe id curaturos. Atque ita poſt multos exantlatos labores, poſt multas toleratas cruces & afflictiones, anno ætatis ſuæ 81, diem obijt extremum: Chriſto redemptori, cui fideliter ſeruierat, ſpiritum reddens.

Migrat feliciter è vita.

Sacrum autèm eius corpus fuit ingenti omnium luctu, copioſiſsimaq; funus cohoneſtantium multitudine, in exiguo ſui oratorij, vt viuens petierat, vmbraculo tumulatum; ſuauiſſimo omnium naribus ceu balſami, myrrhæ & thuris odore perfuſis; quæ miræ ſuauitatis fragrantia ad triceſimum vſque diem apud eius ſepulchrum perdurauit: vbi & multa ſunt diuinitùs edita miracula. Septem dæmoniaci liberati; triginta claudi, multi cæci & ſurdi: complureſque alij, varijs preſſi morbis, ad contactum tumuli eius, præſtante Domino, curati ſunt. Indè verò multo pòſt tempore, magna cum veneratione aſſentiente & præſente Bonifacio Antiſtite Moguntinenſi, in Eccleſiam Monaſterij translatum & in ſarcophago honorificè repoſitum: fuit veterum miraculorum reiteratione, denuò diuinitùs glorificatum.

Inſignia miracula ad tumulum eius.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. & Notat. In Martyr. Ro.

MARTYRIVM S. ANATOLIAE VIRginis, ex eo quod R. P. Laur. Surius ex antiquis monumentis eruit. Passa est anno Domini 253. Decij Imper. 1. sede vacante.

9. Iulij.

S. Anatolia cùm se ieiunijs & precibus macераret, & die nocteq; diuinarum rerum commentatione exilij sui labores ita mitigaret, vt nihil ea iucundius, nihil hilarius viueret, contigit filium Diodori, qui erat consularis prouinciæ, Anianum nomine, à Diabolo vexatum clamare: Domina Anatolia, incendis me. Intereà Diodorus, homine cumprimis pagano, eum per lucos & templa mittente, venit ille ad lucum S. Anatoliæ vicinum, ruptisque catenis, quibus constrictus erat, antè orantis Anatoliæ pedes se abiecit, dicens: Tu es, quæ me flammis orationum tuarum exuris. Porrò S. Anatolia exufflans in eum, vno verbo dæmonem ab homine expulit, sanumq; ad parentes remisit. Qui, viso filio ab Anatolia præter spem ità subitò curato, tanta sunt repleti exultatione, vt assumpta ingenti pecuniæ vi ad virginem abirent, eamq; gratitudinis ergò, reuerenter offerrent. At virgo accepta volũtate, pecunias pauperibus Christianis distribui iussit; illos verò ad Christiana suscipienda sacra instanter hortata est.

Dæmonem expellit.

Morbidos multos sanat.

Indè virginis fama miro omniũ sermone celebrata, totam Piceni prouinciã peruagata est; adeò vt plurimi varijs morbis oppressi, dæmonijs vexati, & medicorum ope destituti ad eam sanitatis adipiscendæ causa cõfugerent, certãq; salutem domum reportarent. Ea res cùm grauiter

ter templorum Pontifices offenderet, suggerunt Decio, vt eam, pestem & exitium dijs patrijs molientem, interficiat. Fuit cõtinuò Faustiniano id negocij datum; qui eam ad* Thurienſem ciuitatem perduci, ibidemque in secretario ipsius diuersis plagarum generibus vexari, ac deindè in eculeo suspensam, lampadibus aduri iussit. Sed cùm ea cruciamenta virgo Christi despiceret, Iudicemq; ni resipisceret, perpetuis ignibus cruciandum diceret, Faustinianus, vocato ad se Marso, qui Audax dicebatur, propositis muneribus hortatus est, vt eã in cubiculo inclusã serpentũ morsibus dilaceraret. Marsus facilè assensus, vt artem suam venditaret, vnico serpente negociũ suscepit. Cùm ergò tota nocte angusto in cubiculo virgo cũ serpente cõclusa esset, hymnis, & psalmis, & orationibus, bestiam ita edomuit, vt nihil eo quidquam mansuetius appareret. Manè facto, Marsus aperto cubiculo cùm pedem inferre vellet, serpens suis eum amplexibus circundans, in magnum vitæ periculum prostrauit; deuorasset q; protinùs, nisi Anatolia comprehensum manu sua serpentem abire in locum suum præcepisset: quod ille mox cum summa mansuetudine fecit. Quo viso, Audax Marsus Christum verum Deum confessus est.

*Thoram.

Dirè cruciatur.

Serpens nihil ei nocet.

Faustinianus interim sua spe & expectatione fraudatus, vt cognouit Marsum insuper Christũ confiteri, nimio furore accensus carceri eũ mancipauit, ac tandèm studio Anatoliæ Christianis sacris initiatum capite damnauit. Porrò sancta virgo, extẽsis ad orationem manibus, gladio ita transuerberata est, vt à dextero latere in sinistrum

Magus credit.

Magus capite cæditur.

S. Anatolia confoditur.

strum vsq; confossa, glorioso martyrij triumpho ad Christum migraret.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baronij.

MARTYRIVM SS. FELICITATIS ET septem filiorum eius, ab Ecclesiæ Romanæ Notarijs (vt videtur) conscriptum. Passi sunt anno Christi 178. Soteris papæ primo. Ex eo quod extat apud D. P. L. Surium.

10. Iulij. *Marci Aurelij, An. Imperij eius 13.

CVM* Antonini Imperatoris tẽpore, ingẽs Pontificum exorta seditio Christianã religionem vna internecione penitùs delẽdam esse cõclamaret, Felicitas illustri admodũ genere matrona, inter alios omnes fidei cultores tãto pietatis virtutumq; omniũ splẽdore fulgebat, vt pontifices, illa vna superstite, res suas nefandumq; dæmoniorum cultũ diu saluũ consistere posse diffiderent. Erat enim castis adeò moribus ornata vidua, & orationis studio die noctuq; tam sedulò intẽta, vt cũcti vel solo eius intuitu, Christianæ religionis amore inflammarentur. Crescebant per illam quotidiè Christi præconia, & pietatis studiũ maxima capiebat incrementa; prorsus vt idolorum sacrifici inuidia tabescẽtes, Imperatori Antonio Reipublicæ excidiũ denũciarent, ni maturè Felicitatẽ cũ filijs, dijs sacrificare cogeret. Antoninus ea denũciatione cõmotus, Præfecto Vrbis Publio vitæ necisq; potestatẽ in viduã sanctissimam tradit, vt ea ratione offensa Deorum numina placaret.

Egregia castitas S. Felicitatis Viduæ.

Pietas & religio eius opera crescit.

Igitur Publius, ne suo deesse officio videretur, blãdo eam alloquio ad sacrificium prouocauit; indè pœnarum atrocitate cum minis proposita, fœmineum pectus terrore complere nitebatur.

Cui

Cui Felicitas: Nec, inquit, blandimentis tuis resolui, nec terroribus frangi potero. Quid? tu sanctum Spiritum, qui fidelium mentes inhabitat, nosq; contra aduersos tuetur casus, ab homine superandum existimas? nihil agis; de illius nāq; protectione secura, supplicia tua superabo, & si interfecta fuero glorioſiorem occisa triumphū reportabo. Publius eam fœminæ virtutem admiratus, illam cum filijs septem recludi iussit. Alia verò die in foro Martis pro tribunali sedens, productam sic blandè affatur; Felicitas, mi ſerere quæso filiorum tuorum egregia indole iuuenum, & noli floridam illam iuuētutem dementia tua in interitum tradere. Respondit matrona. Miſericordia tua impietas, & exhortatio crudelitas est. Et conuersa ad filios, O filij, inquit, ô chara matris pignora, mentem oculosq; ad cælum erigite, ibi vos expectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, & fideles vos in amore Christi exhibete, Audiens hæc Publius, iussit eam alapis cædi, dicens; Itanè me præsente, ista monita dare audes, vt, spretis dominorum nostrorū iussis, in perniciem spontanei ruant? Et statim amota matre, filium eius Ianuarium natu maximum blando ad se sermone vocauit, multaq; haud cōtemnenda obtulit, si idolis sacrificare vellet. Sed cùm ille munera reijceret contēneretq;, Publi⁹ fulmine verborū minas ingeminās, iuuenē terrere nitebatur. Tū ille: Quid, inquit, inani verborū strepitu aures meas obtūdis? Ego enim Christi virtute hęc facilè superabo. Iudex ea contumelia prouocatus, virgis atrociter cęsum in carcerem recipi iussit. Indè verò Felicem secundum adduci.

Vide animi fortitudinem in vidua.

Recluditur cum septem filijs.

Confortat filios suos.

Alapis cæditur.

Ianuarius filius eius natu maximus.

Is pa-

Felix Secundus filius.

Philippus tertius.

Silanus quartus.

Alexander quintus.

Vitalis sextus.

Psal 95.

Is pari constantia Iudicis blandicias minasq; excipiens: Tu ne, inquit, existimas vel me vel ali quem fratrum meorum à Domini nostri Iesu Christi amore auellendum? Hoc audiens Præfectus, isto amoto, iussit sisti tertium, nomine Philippum. Is simili audacia in Iudicem & inanium deorum simulacra inuectus, iterùm est receptus in carcerem. Mox adfuit quartus, Silanus; insigni animi & corporis robore iuuenis. Ad quem sic Iudex: Vt video, inquit, conuenit vobis cum pessima matre, vt spretis principum mandatis, vnum omnes eundēq; interitum subeatis. Cui Silanus; Imò si tua tormenta sanè puerilia timuerimus, in æternum interitum, suppliciaq; horrenda incidemus. Amoto Silano, iussit quintū prastò esse Alexādrum, vixdum ex ephebis egressū, cana tamen prudentia iuuenem, adeò vt liberè constanterq; mirante etiam Iudice, Christū confiteretur. Isto amoto, iussit applicari sextum, cui dixit; Fortè vel tu vitā amplexaberis, & nequaquam pari cū reliquis stultitia in pernicie rues. Respondit Vitalis, (hoc namque illi nomē erat) Nos quamdiu Christo per fidem coniuncti sumus, vitam habemus, neq; possum⁹ vllis mortis angustijs circumueniri. Qui verò impuris sacrificijs dęmonem habere propitium nititur, is sibi sempiternam mortē imprudenter machinatur. Præfectus eā pueri prudentiā, dicendiq; libertatē admiratus, Et quid est, inquit, dæmon? Cui Vitalis; Omnes dij gētium dæmonia sunt, & illi qui ijs diuinos honores tribuunt. Publius, hoc quoq; per contēptum amoto, iussit prodire septimum, animo ad supplicia pro Christi nomine ferenda promptissimum. Hic Martialis vocabatur.

tur, cui Iudex dixit: Crudelitatis fautores effecti, Augustorum instituta contemnitis, & in vestra pernicie permanetis? Martialis verò contrà exclamans: O, inquit, si nosses quæ pœnæ idolorum cultoribus constitutæ sunt, aliud saperes. Omnes enim qui Christum verum Deum non confitentur, sempiternis gehennæ flammis subijcientur. Tunc Publius omnibus iam auditis, & carcere conclusis, gesta omnia in scriptis redacta Antonino misit. *Septimus Martialis puer.*

Imperator verò Antoninus, diuersos ad Iudices eos misit; varijs excarnificandos supplicijs. Et primus quidem frater, plumbatis diu grauiterque cæsus, præclarè in Christi confessione spiritum tradidit. Secundus & tertius, fustibus mactati, egregiam animi constantiam, ad extremum vsque vitæ spiritum, magno fidelium gaudio declarârunt. Quartus præcipitio interemptus, ad cælos migrauit. Reliqui tres, capitali sententia damnati vnà cùm matre, intrepidè ceruices gladio subdiderunt; pia interim genetrice sua pignora ad tam præclarum certamen hortante & confirmante. Quæ demùm & ipsa, de filiorum iam salute secura, plena gaudio & exultatione in certamen prodijt; & glorioſum triumphum simili exitu fœliciter compleuit. *Adiuersis iudicibus interficiuntur.*

MAR-

Vide C. Baro. Annal. To. 2. & Notat. In Martyro: Roma.

MARTYRIVM SS. VIRGINVM RVFfinæ & Secundæ; ex eo quod V. P. Laur. Surius ex antiquis monumentis optima fide decerpsit. Passæ sunt anno Christi 260. Sixti papæ, primo. Valeriani & Gallieni Impp. 6.

10. Iulij. *Earum patria & parentes.*

RVFFINA & Secunda sorores, patre Asterio, matre verò Aurelia, ciuib⁹ Romanis genere & dignitate clarissimis ortæ: & Christiana religione imbutæ, ipso persecutionis feruore, Armentario & Verino æquè Christianis sūma parentū voluntate desponsatæ fuerūt. Sed ij desertores fidei repētè facti, nec tamē sua perditione cōtenti, etiā has Dei famulas detestabili persuasione ad sui imitationem inducere nitebantur. Illæ verò, vt insanas eorum declinarēt adhortationes, ad prædiolū suum quod in Tusciæ partibus videbantur habere, sese contulerunt. Id audientes Armentarius & Verinus, eam fugam, suam contumeliam interpretantes, illas apud Arcesilaum comitē accusârunt, quòd ipsis repudiatis cōtemptisq; templorum mysterijs, Christi cæli terræque Deum confiterentur. Ijs auditis, Arcesilaus cum equitum turma celeriter eas insecutus, via Flaminea quartodecimo milliario comprehendit, reuocatasq; ad Vrbem Iunio Donato præfecto discutiendas tradit.

Accusantur apud Arcesilaum à suis sponsis.

Ducuntur in singulas custodias.

Donatus indignabundus, ab inuicem separatas duci in custodiam mandat; dieq; tertio Ruffinā suo oblatā cōspectui blādis admodū verbis ad deorum sacrificia & maritales amplexus hortatur: vtque voluptatibus in vita concessis perfruatur, etiam atq; etiam rogat. Ad quæ Ruffina prēter alia: Nec captiuitatem horreo; nec idolis

Egregium Ruffinæ responsum.

sacri-

sacrifico: quin & Voluptates fœdas, & momento temporis, interituras detestor: eas verò, quæ cum æternitate coniunctę, nihil lubricum, nihil incertum suis amatoribus promittunt, amplector. Iunius Donatus, eo responso tam prudenti non intellecto. Omissis, inquit, vaniloquis verbis istis nube viro tuo. Tum Arcesilaus: Cùm sit, inquit, rea sacrilegij, in matrimonij sortem admitti non potest. Respondit Ruffina: Ita tu dicis matrimonij sortem me admitti non posse, quasi ego hominis vxor esse desiderem, quæ Christo Dei filio virginitatem meam deuoui. Quamobrem audi Arcesilae Comes; Quære alium, cui minæ tuæ timorem adferant; me quidèm nec à virginitatis palma reuocare poteris, nec ab amore & cultu Christi filij Dei separare.

Vouit Christo Virginitatem.

Tum Donatus, accita Secunda, Ruffinam sororem eius flagellis cædi iussit, ea spe, vt Secúda terrore prostrata ipsorum persuasionibus assentiret. Vt vidit autem Secũda Ruffinam sororem flagellari, magno clamore Iudicem insectata: Quid agis, inquit, scelestissime regni cælorum hostis? Cur sororem meam gloria afficis, me verò eius gloriæ non pateris esse participem? Præfectus; Vt video, ait, sororem tuam insania superas. Ad quæ Secunda; Nec soror mea insana est, nec ego insanio; sed ambæ Christianæ sumus, & iustum est, vt simul cædamur, quæ pariter Christum Dominum confitemur.

Flagellatur Secundæ mira fortitudo.

Nota Virginis constantiam.

Præfectus, earum constantia superatus, iussit illas obscuro concludi loco, & fœtore è stercorum fumo excitato grauius cruciari. Sed humus ille thymiamate fragrantior, summam earum nari-

Fœtor mutatur in odores aromaticos.

naribus delectationem inferebat. Porrò obscu-
ritas lucem meridianam splendore vincebat, &
omnia tetra in suauissima oblectamenta, mira-
Christi gratia, vertebantur. Indè igitur educti
& in balneis inclusæ in feruens dolium missæ
sunt; sed calor virtutis suæ mox oblitus, dulci
corporibus earum præstitit refrigerium; pro-
sùs vt Præfectus, stupore oppressus, eas saxo vna
ad ambarum colla ligato, in Tyberim præcipi-
tari mandarit. At illæ dimidia ferè hora aqua
superiores, tandem siccis vestibus in ripam flu-
minis delatæ sunt, ibidemq; Christi numen hym-
nis & canticis, spectante populo, celebrârunt.
Iudex rei illius certior factus, Arcesilao Comiti
dixit; Istæ, quas mihi obtulisti, profectò aut ma-
gica arte nos superant, aut vera sanctitate præ-
ditæ res has adeò stupendas gerunt. Itaq; tu eas
recipito, & pro arbitratu vel plectito, vel ab-
soluito.

In feruenti dolio non læduntur.

Saxo alligatæ non possũt, ubmergi.

Capite cæduntur.

Igitur Arcesilaus sanctissimas virgines in sy-
uam per viam Corneliam decimo ab Vrbe mil-
liario abductas, in fundo, qui Buxo vocatur, pa-
riter capite cædi, earumq; corpora lupis deuo-
randa tradi mandauit. Sed domini gratia
non defuit in Christum credentibus etiam de-
functis. Plautilla namque in cuius prædio cæsæ
sunt, per visum eas miro gemmarum ornatu ni-
tentes conspicere meruit, sibiq; dicentes audi-
uit; Plautilla reuoca animum tuum à flagitiosis
idolorum cultu, & impia incredulitate calcata,
crede in Christum, nostraq; corpora in prædio
tuo relicta sepelito. Plautilla ea visione admo-
nita, protinùs ad locum abijt, inuentaque san-
ctarum corpora ab omni fœtore & lesione alie-
na,

Plautilla visione admonita eas sepelit.

na, adorauit & credidit, atq; in monumentum nouum intulit; Iam verò, (in vrbem olim translata), in Basilica Lateranensi propè baptisterium debito honore seruantur. Locus autem vbi sunt passæ, auctus est sede Episcopali, quæ & titulo Syluæ Candidæ reperitur sæpius appellata.

Hæc Baron. In Not. mar. Rom.

VITA S. AMELBERGAE VIDVAE, matris S. Gudilæ Virginis: ex ea quæ extat apud V. P. L. Surium. Quo tempore floruerit, patet infrà.

Vide Ioan. Molan. in Indiculo SS. Belgij.

BEATA Amelberga illustrissimis orta natalibus, Xantes oppidum iure hęreditario obtinuit, donec monasticum institutum complexa est. Parentum verò orbata solatio, licet ætate tenera, familiam peruigili cura & multa comitate gubernauit. Decreuerat illa quidèm, continentiæ inprimis studiosa, cælibem agere vitam, quo multo suauius Christi spiritu frueretur, sed parentum voluntate impulsa, maximè Pipino S. Gertrudis parẽte, idipsum enixè cupiente atq; vrgente, Vvitgero homini præpotenti, generis nobilitate pari, nec dispari meritis nupsit.

10. Iulij. *Patria eius.*

Nubit Vvitgero. Claruit hic Pipinus vt patet Tom. 8. An. Baronij, An. Domini 631. &c.

Ex hoc tam sancto tamque fœlici coniugio primus prodijt Aldebertus Cameracensis Eccle siæ præsul sanctissimus; deindè sorores quatuor Reinildis, Pharaildis, Ermelendis & Gudila, eximia omnes sanctitate ac virginitatis præcipuè laude conspicuæ. Porrò Amelberga cum postremam vtero gestaret, & paucos ante puerperij dies, instar parturientium, in angustias veniret,

Idem vocatur etiam Emebertus.

Angelica cõsolatione recreata, audiuit se filiam summæ continentiæ & castitatis virginem pariturам, quæ omnibus vitæ suæ diebus gratissimum Deo exhiberet famulatum. Illo tam inspe ratoDei beneficio mirificè gauisa, totã se ad gra tes Deo debitas cũ marito reddendas cõposuit; prolesq; sanctissimis disciplinis simul cum ipso lacte ita imbuit, vt nihil ijs castius, nihil modestius, nihil deniq; sanctius videretur. Et quidèm multi regni proceres propter nobilitatem & opes, illarum nuptias studiosè ambiebant; sed illæ Christi amore vehementius inflammatæ, virginitatis propositi tenaces, mortalium hominũ coniugia repudiabant.

Filiæ eius Virgines permanent.

Inter ea parentes insigni filiarũ pudicitia & assiduo precandi studio, cui sedulò incumbebant, delectati, & ipsi mundo valefacere, seseque totos ad spiritalia Christi castra transferre decreuerunt. Nec mora. VVitgerus princeps sapientissimus (vt erat ab Angelo prædictum) monasticæ vitæ institutum complexus est; Amelberga verò sacrum velamen ab Autberto Cameracensi antistite accepit, seseque totam Domino consecrauit. Tum verò, quanquàm ab ineunte ætate in opera pietatis sedulò incubuisset, tantã corpusculum suum inedia macerauit, spiritumque assiduis precibus & meditationibus roborauit, vt non tam in terris, quàm in ipso cælo degere videretur. Cùm verò Dominus tantis laboribus finem imponere vellet, acerrima tandèm correptam febre, ex hoc mortalitatis ergastulo, ad sempiterna cælorum regna sanctam illam euocauit. Corpus fuit multis omnium lachry-

VVitgerus princeps fit monachus & Amelberga monialis.

Inedia & preces eius.

mis,

mis,ac præcipuè magna pauperum lamentatione, in Lobiensi sepultum monasterio, eximijs admodùm miraculis clarum;quod deindè multo pòst tempore, translatum est Binchium.

Lobiense monasterium.

VITA ET MARTYRIVM S. CANVTI, Danorum regis,ac protomartyris,ex ea quæ scripta est à Saxone Grammatico Historiæ Danicæ lib.11.Passus est (iuxta Vsuardi martyrol.) Anno Domini 1086.

Vide C. Bar. In Notat. Mariy. Rom. 7. Ianuarij.

CANVTVS Suenonis filius, propitiæ fortunæ beneficio, summis naturæ dotibus cumulatus, magno cum indolis experimento ætatem animo præcucurrit.Quippè contracta iuuentute,myoparonum piratica mõstra perdomuit, Sembicis atque Estonicis illustrem trophæis adolescentiam egit, nouisque virium gradibus,paterni roboris fundamenta transcendit.Quæ victoria futurum eius dominium ominata est.Pro amplificanda tuendaque patria iuges excubias gessit,rerumque,quarum ob infirmam ætatem vix spectator esse potuit, auctor haberi præsumpsit.Quin etiam iuuenile corpus continuo vsu ad bella impigrè conficienda, armaque viriliter sustinenda firmabat, famaque eius bellica vi in tãtum claritatis excessit, vt rediuiuum magni Canuti spiritum fortunamque, simul cum nominis videretur communione sortitus,adeò vt nullus eũ Paterni regni successione potiturum ambigeret. Neque enim virtute iam maturus, honori intempestiuus videbatur. Sed nec liberalitatis species eius adolescentiæ defuit;cuius fratrem Haraldum natu maiorem,

10.Iulij. *Martyrolo. Rom. habet 7.Ianuar.* *Dissipat piratas adhuc adolescens.*

Haraldus frater eius.

obtusi admodũ cordis, inter iuuentæ initia perpetuus inertiæ sopor oppressum tenebat.

Dani Haraldum ocio & inertiæ deditum præferũt Canuto.

Suenone autem defuncto, regiæ successioni delectum anceps populariũ sententia pertractabat. Maior namque Danorum pars, Haraldi ocij cupiditate complexa, Canutum respuebat, ignauumque sibi regem maluit imperare, quàm fortem. Præferebat audaciæ hebetudinẽ, & egregiæ indolis claritate cõtempta, negatum virtuti culmen vitio tribuere non erubescebat. Soli Scanienses, iusta animi inclinatione prouecti, Canuti probitate culta, Haraldi desidiam respuebant. Porrò Haraldus plerosque fraterni partis fautores, legum emendatione, liberioris que vitæ iucunditate promissa, per subornatos in gratiam suam solicitandos curauit. Ita à Canuto vulgi animos partim spes, partim metus auertit. Ipse deficientibus à se copijs, tribus duntaxat rostratis nauibus in angustissimas Scanici maris fauces elabitur, regno carere iussus, cuius ipse incolumitatem protexerat, termino auxerat.

Vbi fraterna legatione, regni communionem spondente, reuerti monitus, spretis mandatorum blanditijs, Suediam fugibundus intrauit perquàm stultum ratus, eius se promissis in fracta fortuna crẽdere, cuius eadem adhuc vigentes minas acceperit.

Haraldus obit, & Canutus fit rex Danorum.

Mox perindè atque iniuriarum oblitus, intactis patriæ rebus, bellum aduersum Orientales viuente patre cœptum, enixè prosequitur. Interim Haraldus biennium emensus, defungitur. Quo mortuo, Canutꝰ fraternis suffragijs in regni fastigium reuocatus, Orientale bellum, quo

in adoleſcentia orſus, in exilio auſpicatus fuerat, accepto ſolio, potiùs amplificandæ religionis, quàm explendæ cupiditatis gratia, totis viribus innouandum curabat; cum incrementis fortunæ etiam claritatis augmẽtum apprehendere cupiens. Nec antè manum ab incepto retraxit, quàm Curorum, Sembonumque ac Eſtonum regna funditùs delêſſet. Deindè ſublato hoſte, nuptias circumſpiciens, finitimaq; coniugia obſcura ac dignitate ſua minora reputans, Præfecti Flandriæ Roberti filiam Ethlam in matrimonium aduocauit; ex qua filius ei Carolus obuenit. Cumque magnatum inſolentia, ſolutos hebetatoſq; priſci iuris neruos adſpiceret, omnibus ingenij modis ad reparandam patrij moris diſciplinam conniſus, probatioris iuſtitiæ cultum ſeueriſſimis edidit inſtitutis, contuſumque & labentem æquitatis tenorem in priſtinum habitum reuocauit. Non ſanguini, non neceſſitudini, quo minùs iuſtè ſe gereret, indulgentiam habuit; nullius amicitiæ aut familiaritati impunitatem iniuriæ tribuit, ſed labefactatum iuris vinculum tenaciſſimo nexu aſtrinxit, ac paternæ ſeueritatis veſtigia ſolicitus vſurpauit; eoque ſtudio grauiſſimas Maiorum offenſas contraxit.

Ducit Roberti Flandriæ præfecti filiã Ethlam vxorem.

Iuſtitia & ſeueritas eius.

Sacris decus ſuum reddebat; ſacerdotia gerẽtes gratiæ nutrimentis proſequebatur; cumque ab inerti & rudi populo parùm iuſtam pontificibus venerationem haberi conſpiceret, ne tanti nominis portitores inter priuatos relinqueret, decreti circumſpectioris induſtria, primùm eis inter proceres locum perindè ac Ducibus aſſignauit, auctoritatem honore concilians.

Epiſcopis primum inter proceres locũ tribuit.

Fauor eius in Clerum.

Nec solùm Pontificibus dignitatis incrementa donauit, sed etiam priuatorum Clericorum ordinē benignissimis decretis adornare studebat. Nam quò cumulatiorem eis honorē redderet, literatorum controuersias, vulgaris fori cōditione exemptas, ad eiusdem professionis iudicii relegabat. Iisdem religionis reos, obiecta repellere nequeuntes, pecuniaria mulcta puniendos permisit. Quibus etiam in omnia, quę aduersum diuina committerentur, animaduersionis arbitrium tradidit, cunctasq; huiusce generis actiones, sacerdotali iudicio destinatas, à publico foro secreuit, ne honore impares conditio æquaret. Quamobrèm dignitati pōdus adiecit, decusque priuato fastigio excelsius, eorum respectui inesse voluit. Quo effectum est, vt Danorum nemini, nisi Regi aut Pontificibus, eiq;, qui potissimus regni successor aduertitur, domesticis quenquam liceat actionibus postulare. Idem populares, adhuc sacrorum rudes, decimarum religioni assuefacere conabatur. Sed propositi irrita suasio fuit; Quippè maturitatem rerum, nouelli cultûs rudimenta capere nequibant.

Sueno Episcopus Daniæ.

Ne autem Sueno Episcopus promissam templi refectionem negligentiùs exequi videretur, cœptam Roschildensis sacrarij fabricam ad finem vsque perduxit. Cuius excolendi gratia coronam, arte impensaque operosissimè elaboratam, in eius ornamentum appendit; existimans regias opes potius sacrorum splendori, quàm humanæ auaritię seruire oportere. Egynus quoque ijsdem fermè temporibus, opitulante rege, Laurentianæ ædis inchoatum à se opus explicuit.

Liberalitas eius in Ecclesias.

cuit. Quibus rex dedicari iussis, mirificam dotis nomine munificentiam erogauit. Prima namq; dedicationis die, Rex solenniter altaria veneratus, quartam regij numismatis, quartã suæ in ciues exactionis, quartã ęstiui censûs portionẽ, ei; qui pro tempore loci antistes extiterit, muneris loco, perpetuo iure possidendam concessit.

Cùm verò Danorum nomen, armis in desidiã cadentibus, à paterni auunculi tẽporibus obrutum animaduertit; nouarum rerum cupido subrepsit, Angliam infœlicitate amissam, hæreditatis nomine repetere. Recolebat enim bellicam Maiorum gloriam, cumq; opibus imperij fines nullo magis, quàm Anglicis creuisse titulis; maioremq; eis ex vnius insulæ, quàm totius Orientis spolijs incessisse splendorem. Vt igitur Maiorum fortitudini responderet, atq; auiti nominis gloriam æquaret, omnium, quæ paterna corrupisset inertia, refectionem, suæ cõmendabat industrię, parentemq; perosus, auum æmulat⁹ est.

Vult Angliã infeliciter amissam armis repetere.

Primùm igitur occultum Olauo fratri consilium prodit, eoq; id ipsum hortante, rem deindè popularibus aperit. Alacris omnium assensio fuit. Sed quem Rex sibi fraterna charitatis vicissitudine respondere crediderat, latenter æmulũ habebat. Olauus enim affectatione regni, pietatis erga germanũ oblitus, perfidissimi pectoris habitum, summa fidei simulatione tegebat. Et nè solus insidias volueret, lecta societate, clandestinæ coniurationis cætum instruxit. Canutus verò omnium animos gloriæ magis, quàm sceleri intentos existimans imperata classe, Limici maris oris aduehitur, à quo breuissimus in Oceanum transitus patet, quõdam nauigijs per-

Olaui fratris eius in Canutum perfidus animus.

uius, nunc verò interiecta arenarum mole præcluſus. Hîc Rex fraternum diù præſtolatus aduentum, nauigandi cunctatione exercitûs alacritate eſt excuſſus. Nam Olauus reddita tarditatis ratione, veniendi moram in dies extraxit, vt vel Regem ſinè eo proficiſcentem regno priuaret, vel tarditate ſuſpenſum exercitu deſtitueret. Nec eum callida conſilij ratio fefellit. Nam tota à Rege claſſis, faſtidita eius expectatione, defecit. Tandem de fratris perfidia certior factus, claſſe præſtolari iuſſa, Sleſuicum lectiſſima manu feſtinatò contendit, ibique fratrem inopinatum & attonitum intercepit. Deindè productum accuſatumque, nec obiecta validè propulſantem, catenis coercitum, nauigioque in Flandriam relegatum, carcerali cuſtodiæ mandandum curauit. Cuius captionem coniurati parùm fama aut nuncio experti, quò callidius exercitum ſoluerent, inertem regis moram abſentiamque cauſati, claſſem clandeſtino monitu circumuentam, domos abire iuſſerunt.

Olauus à Canuto vinctus in Flandriâ mittitur.

Itaque huius facti Rex poſtquàm cognitionem accepit, dolorem prius, deindè lætitiam egit. Siquidèm iniuriam in religionis habitû formauit, mulctæque nomine, primam exigendarum decimarum occaſionem corripuit; lætatus quòd ei vtiliſſimam propoſiti rationem opportunitas conciliaſſet, ſuo dedecore ſacrorum decus inſtruere cupiens. Sed pientiſſimi regis conatus exitum inuenire non potuit. Dani enim illam decimarum ſolutionem non religionis, ſed ignominiæ eſſe decernentes, annuam alienis frugem dependere conſtanter recuſârunt, potiuſ-

Rex Canutus Danos conatur inducere ad decimas ſoluendas.

tiuſque graui ere, ob admiſſum perfidiæ crimen ſemel mulctari, quàm ſemper libertate ſpoliari, ſatius eſſe dixerunt. Hanc deterioris conditionis partem Rex à populo vniuerſo approbari vt intellexit, ſimulata pecuniæ exactione, ſeptentrionales Iutiæ partes ingreſſus, Toſtonẽ cognomine Peculatorem, eiuſque collegam Hortam, colligendæ penſionis quæſtores inſtituit, mulctæ metu decimarum religionem differere cupiens. Qui cùm mandatum immitius, quàm iuſſi fuerant, exequerentur, multitudo, æmulorum regis hortatibus, concitata, quæſtores trucidauit. Nec eorum cædibus ſatiata, in regem quoque veſana prorupit. Qui impetum eius opportunè ſua ratus abſentia declinãdum, Sleſuicum conceſſit, ibique coniugem cum filio conſtitutam, ſi res ſiniſtrè ceſſiſſent, perfugere in patriam iuſſit, nullum inter perfidos præſidium habituram. Ipſe interim imminentibus Iutis, quo tutior ſeceſſu foret, Fioniam petit, ſalutem inſulæ præſidio quæſiturus. Sed illi eum ſuis finibus exegiſſe nequaquam contenti, Fionia quoq; propellendum decernunt. Iamque Rex accepto traiectionis nuncio, Sialandiam emigrare ſtatuerat, cum Blacco quidam, primam ipſius familiaritatem adeptus, ſimulatæ fidei cõſilio fugam dehortatur, ne fœmineo more latebras circunſpicere videatur; ſe interim plebis acta ſpeculaturum, blanditiaſque iræ eius oppoſiturum promittit. Sed Blacco, omiſſa legatione ſiniſtris plebem monitis palpitans, conciliandæ gratiæ loco, odiũ Regi impẽſi⁹ ſtruit, ac deindè reuerſus pacatiorẽ tamẽ populi animũ nunciat.

Nolunt Dani perſoluere decimas.

Quæſtores regis cædũtur.

Blacco perfidus in regem ſuum.

Canutus interim, quotidianis ſacrorum ſolen-

lennijs assuetus, ne quid religioni præponere
Albani ędem sacrā pro se deprecaturus accedi
vbi dū religioni vacādo officia sāctitatis exequ
tur, consternatæ multitudinis corona armis si
Præclara militum fides in regem. crariū clausit. Quotquot ergo ex militib' hosti
præcurrere poterant, periculi consortium affe
ctantes Regē petebāt, eius in seipsos discrime
transfundere cupiētes; cumq; salutē secessu co
sequi possent, periculum præsentia quæsierun
morteq; clari, quā fuga tuti fieri maluerunt. Be
nedictus quoq; fraternitatis nexū fide imitatu
in templo cum fratre commori destinauerat. B
ricus verò seorsum ab hoste conclusus, cùm so
lus multitudinem sustinere nequiret, per medi
os hostium globos, ferro secessum molitus, eru
pit. Tunc nemine religiosæ pacis domicilium
violenter irrumpere præsumente, primus Blac
co, cunctantibus cæteris, ferro valuas petiuit
ductuq; suo eandem cunctis licentiam tribuit
Ita se non sacrilegij modò, sed etiam publici p
ricidij ducem auctoremq; exhibuit. Quod vidē
plebs concitato seditionis motu templum ag
greditur: eoque irruptione facta, diuinos lare
ac sanctissima penetralia sacrilega tempestat
Pœna scelestissimi proditoris Blacci. fœdauit. Verùm Blacco, in ipso, quē irruperat
aditu trucidatus, datis patricidij piaculis, vio
lat sacrarij pœnas pependit; Benedictus etiam
liminibus irruptorem excipiens, dum foribu
acriùs propugnauit occiditur.

Rex interim inter cruentos imminentis vio
lentiæ strepitus, fiducia cōscientiæ eundem mē
tis habitum tenuit, neque religioni parcius
quàm si periculum abesset, vacauit. Sed ne extre
ma quidèm eius hora, sanctitatis studio vacui

fuit

fuit; Nam cùm parietem vndiq̃ue à popularibus perfringi (quippè ligneus erat) ideoq̃ue propinquam sibi necem instare animaduerteret, accersito sacerdoti factorum arcana confessus, per summam mœroris acerbitatem præteritæ vitæ culpas absoluit, præmiumq̃; sibi pœnitentiæ salubritate conciuit. Deindè propassis vtrinq̃ue brachijs ante aram, fati securus occubuit. Vbi dum victimæ more prostratus percussorem expectat, immissæ per fenestram lāceæ mortifero iactu cōfossus, pium mortis sacrificium edidit, profusoq̃ue militum sanguine, suum ad vltimum erogauit. Enimuerò crebris vndiq̃ue telis petitus, corpus immobile tenuit, nec antè loco, quo cubabat, excessit, quàm feretro mandaretur extinctus. Clandestina eius virtus, perlucidis postmodùm experimentis enituit. Sanè ad coarguendam paricidarum malitiam, merita eius DEVS miraculosis prodidit argumentis, ignotamq̃ue vulgo virtutem, mirifico rerum fulgore detexit.

Rex confitetur sacerdoti factorum arcana.

Pius rex ab impijs interficitur.

Multa eius post obitum miracula.

*VITA S. *HILDVLPHI, EPISCOPI Treuirensis & primi Abbatis Vogasiensis. Ex ea quæ extat apud V. P. Laurent. Surium Claruit Anno salutis 754. &c. temporibus Stephani 3. Papæ, sub Pipino francorum regem.*

*Hildolphi. *Vide Tom 9. Annal. C. Baron.*

HILDVLPHVS claro genere ortus, vt primū indefesso studio ac labore ad aliquam literarum cognitionem peruenit, vitamq̃ue multis pietatis exercitijs cōtra vitiorum impetum egregiè muniuit, apud Ratisponam vrbem sacris initiatus, indies maiora pro Chri-

11. Iulij.

Christi gloria multorumque salute capescen certamina, præclaris facinoribus adeo euasit ce lebris, vt; Milone Treuirense Archiepiscopo de functo, ab omnibus certatim ad id honoris fast gium expeteretur. Erat enim præter generis no bilitatē insigni animi & corporis robore; pron sus vt regios mores, regiamq; personam per om nia præsentaret. Vnde nominis illius celebrita te longè lateque vagante, tandèm etiam in aul regis Pipini patris Caroli magni percrebuit; cu ius ex sententia ea dignitate sinè vlla cōtrouer sia dignissimus est habitus. Verùm Dei famulus solitudinis & quietis studiosior, fuga eam de clinare conatus, à deuoto populo raptus in Ga liam Belgicam deductus est, ac Treuirorum an tistes posteà consecratus. Hoc igitur sublimatu honore, ita vitam instituit, vt cunctis & verbo & exemplo prælucens fructus minimè pœnité dos in populo faceret. Corpus suum ieiunijs, vi gilijs atq; castigationibus ita premebat, quas grauissimorum flagitiorum reus esset. Alijs ve rò tanta charitate ac mansuetudine quæuis mi sericordiæ exhibebat opera, vt nullis vel sump tibus vel laboribus parceret, quò aliorum sibi voluntates ad virtutum studia promereri pos set. Porrò inter cætera magnifica sua opera qua gessit, corpus S. Maximini Præsulis Treuir. à lo co quo eum S. Paulinus Aquitanus sepelierat in eum quo nunc veneratur, transtulit.

Nobilitate & animi corporisq; robore clarus est.

Fit Episcopus.

Sibi rigidus alijs clemēs.

Postquàm verò multiplices pro Christi gre ge labores sustinuisset, resignata dignitate, om nibusq; relictis, eremū ingressus est. Est saltus, quem Vogasi appellant, (vbi parua sanctorum virorum habitacula à sanctissimo Deodato E pis

Valedicit mundo, & eremum petit.

piſcopo prius extructa viſebantur) hunc vir diuinus pœnitentiæ locum à Iacobo Leucorum antiſtite efflagitauit, obtinuitque. Quem vt incolere cœpit, montium & fluuioli (cui Rapido nomẽ)amœnitate delectatus,duobus templi fabricis egregiè illuſtrauit;quorum alterum Virgini Matri, alterum Apoſtolorum Principi conſecrauit.Ibi verò,ab omni puluere terreno motus,tam excellenti vitæ integritate ac ſanctimonia Deo famulatus eſt, vt multi viri tam ſæculari potentia, quam nobilitate inſignes ad eum ſæpiùs confluerent;ex quibus nonnulli cæleſtis vitæ deſiderio accenſi,ei adhæſerunt. Itaque dũ numerus accurrentium ex diuerſis mundi partibus magis ac magis accreſceret, cœpit plura ibi domicilia extruere, vt omniũ ſaluti conſuleret. Quod ſanè in vtroque homine præſtitit egregiè.Totus namque igne diuini amoris & fraternæ ſalutis incenſus,cæcos illuminabat, claudos curabat, dæmones ex obſeſſis corporibus fugabat.Et cùm ſanctus, Deo ibidèm famulantium cœtus,nimia infirmorum ac debilium frequentia à ſtudio rerum cæleſtium auocaretur, impediturque,extrà monaſterij clauſtra,aliud templum D. I. Baptiſtæ ſacrum extruxit,domoſque peramplas adiecit, quibus languentium & infirmorum turba hoſpitio exciperetur. Cum itaque ex remotis etiam terris fama viri allecti frequentes eò venirent, contigit inter alios S. Erhardum Ratiſponenſ. antiſtitem eius tam sãguine quàm ſanctitate germanum aduentare; quem ille dum benigno ac fraterno affectu ſuſcipit,multoque apud ſe tempore detinet, accidit

Multi ſequuntur eius inſtitutum.

Eximia eius miracula.

Extruit Xenodochium.

S. Erhardus Epiſcopus Ratiſp. S. Hildulphi frater.

dit res quæ vtriuſq; ſanctitatem celeberrimam reddidit.

Erat Heſticonis cuiuſdam Ducis filia vtroque lumine ab ipſo ortu orba. Hanc parentes mœſti ad viros ſanctos detulerunt, vt ſi quo modo poſſent tantum miſeriæ & calamitatis pondus ſubleuarent. Patres cùm eam gentilem eſſe intelligerent, factam priùs catechuminam, Domino commendârunt. Intereà Hildulphus diuinam ſinè intermiſſione miſericordiam pro ea implorans, tandèm luſtralibus aquis, ſuſceptore Erhardo, eam tinxit, Odiliamq; nuncupauit, & vtriuſq; hominis tenebras, miro parentum gaudio & ſtupore, profligauit. Huius tam præclari miraculi nouitate ſtupefacti omnes, Hildulphũ maximè venerari cœperunt. Multi quoque in augmentationem tam ſanctæ religionis ibidem inſtitutæ ſua impendêre auxilia. Ex quibus Beggo quidam, fundum ſuum, qui in hunc vſque diẽ cella Beggonis appellatur, pro conſtruendo monaſterio viro Dei obtulit; & permagnam inſuper Vogaſi partem, quę Folcodi rupes nominantur, iure perpetuo tradidit poſſidendam. Sanct' igitur Hildulphus, nouo monaſterio in fundo Beggonis exſtructo, & honori Dominicæ Crucis dedicato, locisq; omnibus virtutibus admirãdis & miraculorum ſignis à ſe ornatis, plenus dierum & ſanctitatis, correptus febre, fœliciter obdormiuit in Domino, æterno pro meritis coronandus brauio, quinto Idus Iulias.

Cæca à natiuitate videt.

Feliciter obit S. Hildulph°

VITA

VITA S. IOANNIS GVALBERTI, Institutoris Ordinis Vallisumbrosæ. Ex ea quæ est apud D.P.L. Surium: ex Blasio Melanesio eiusdem Ordinis Generali conscripta. Obijt vir sanctus anno Domini 1073. sedente (teste Genebrardo in Chronico) Gregorio 7. Imperante verò Hērico 4.

IOHANNES Gualberti vir & animi & corporis dotibus ornatissimus, patria Florentia oriundus, parentes habuit prima nobilitate conspicuos. Pater eius Gualbertus, vir militaris & bellicæ laudis gloria illustris, quanquā & diuitijs & honoribus affluēret, vna tamèn cura, eaque perpetua ita obsessus tenebatur, vt animum honestis studijs oblectare non posset. Erat ei hostis capitalis, qui cognatum eius fraude doloque circumuētum peremerat. De eo vltionem vt expeteret, non ipse modò, sed & filius Iohannes intenta cura excubabant. Quodam verò die Iohanni cum armigero suo Florentiam tendenti, in ipso itinere capitalis ille hostis ab insperato fit obuiam, loco sanè periniquo, adeoq; angusto, vt neutri, à via deflectendi quicquam omninò reliquum esset. Tum verò hostis planè inermis, cùm haud dubiam sibi necem paratā cerneret, concepta subitò quadam fiducia, ab equo desiliens, humi se prosternit, iunctisq; cancellatim ad pectus manibus, pro Crucifixi amore veniam vitamq; sibi deprecatur. Compunctus Ioannes audito nomine Crucifixi, pacem offert; metum ponere iubet; culpam ex animo illi remittit, vt possim, inquit, & ego eundem Cruci-

12. Julij.
~~11. Julij.~~

Patria & Parentes eius.

Hostis capitalis patris illius.

Videpietatem sanè præclaram.

Crucifixum experiri propitium.

Porrò Ioānes, hoſte cum optima pace & gaudio à ſe dimiſſo, ad Eccleſiam quādam deflexit, cumq; flexis coram Crucifixi imagine genibus, Chriſti ſupplicia vulneraque contemplaretur, vidit, (dictu mirabile) Chriſti in Cruce pēdentis caput ad ſe inclinari, tanquam gratias ipſi agentis, quòd pro eius reuerentia hoſti capitali peperciſſet. In tanti miraculi teſtimonium, hodieque Crux illa in Eccleſia S. Miniatis, in monte propè Florentiam, cum eā, qua par eſt, veneratione & cura ſeruatur. Ioannes autem, ea Chriſti bonitate & vocatione melliflua attractus, protinùs relicto ſæculo nequam, paternis opibus & honoribus contemptis, ad S. Miniatis monaſterium profectus eſt, vbi, patre nequicquàm reluctante, & diras in Abbatem minas iactante, ipſe ſibi monaſticæ vitę inſignia aptauit, comam capitis proprijs manibus totondit, cucullum hilariter ſibi induit, & alacritate incredibili ad arma ſpiritalis militiæ ſeſe accingit. Etſi autē pater eius initiò acerbè eā mutationē ferret, habitumq; iniquis oculis aſpiceret, & inſignem ea re familiæ ſuæ ignominiam irrogatam clamaret, victus tamen filij conſtantia, ac tandem etiā eximia vitæ illius ſanctimonia delectatus, animum compoſuit, atque etiam magnam indè cōſolationem hauſit.

Nota Lector, & diſce ignoſcere.

Mirabilis feruor S. Ioannis.

Ita ergò Ioannes externis interniſq; cæleſtis militiæ armis inſtructus, antè omnia ocium vitiorum omnium ſentinam remis veliſque vitarè, dies noctesq; in preces & ſtudia diuina incūbere, tantiſq; virtutum omnium exemplis alijs prælucere, vt defuncto, non diu pòſt, Abbate, frā-

fratres eum illo honore vnanimi consensu dignissimum iudicarent. At verò periculosos honoris scopulos perhorrescēs, omnem mouebat lapidē, ne eò abriperetur; cùm interim alius quidam, stimulante ambitione per fas & nefas, numerata Florentino antistiti pecunia, illum honoris gradum consequitur. Id vbi vir Dei cōperit, cum alio quodam insigni pietate monacho, clàm Florentiam ad senem quendam eximia sanctitate virum & opinione prudentiæ celeberrimum (Teuzo is dicebatur) abijt, vt sanum ab eo consilium requireret. Putabat enim nefas esse, sub homine Simoniæ labe cōtaminato, spiritalis militię stipēdia facere. Porrò Teuzo vt Simoniæ vitium, quo multi Ecclesiæ rectores laborabant, acriùs profligaret, ac tādèm aliquandò internecione deleret, hortatus est Ioānem, vt vnà cum socio palàm in foro ciuitatis proclamaret, Episcopum & Abbatē Simoniæ vitio obnoxios teneri ac deindè loco cederent. Quod cōsilium tametsi à cummuni legum consuetudine abhorreret, simpliciter ille secutus est. Ea autem res cùm multis horrorē adferret, cùm ipsis magnū sanè periculum creauit; prorsùs vt è tumultu extracti, vix manus eorum, qui Episcopo fauebant, euaderent.

Recusat Abbatis functionem.

Teuzo inclusus.

Itaq; eodem illo Teuzone consultore relicta patria, alium habitationis locū perquirere cœperunt; sola Christi gratia subnixi, fore vt ad tutiorem aliquem salutis portum pertingerent. Erat illis panis vnicus; quem obuio cuidam pauperi stipem postulanti benignè tradiderunt, ne quid esset, quod eorum in Deum fiduciam infringeret vel certè minueret. Vt autem ad ere-

Discedit à patria S. Ioannes.

Camaldulenses religiosi.

mum Camaldulensem peruênere, sedulò ibidē degentium mores vitamque contemplantes, ad eandem vitæ societatem ab illis inuitati sunt. At Ioannes cœnobiticam solitaria tutiorem existimans, indè ea animi sentētia recessit, vt alibi nouam quandam militiam sub signis D. Benedicti institueret.

Venit ad Vallem Vmbrosam.

Delatus igitur ad Vallem Vmbrosā fuit à duobus loci illius incolis egregijs pietatis cultoribus peramanter exceptus; cumq; locus ei mirificè arrideret, constructo vili quodā ex lignis domicilio, sedē illic fixit. Intereà haud segniter religiosæ vitę studijs incumbente fama sanctitatis eius per loca viciniora sensim sese diffudit, & inter alios clericos laicosque Erizonem, Albertum, Teuzonem, Rodulphum, & Petrum, posteà Albinensem episcopum Cardinalem, allexit.

Hisce tam fœlicibus initijs breui locus ille in tātam celebritatem euasit, vt certatim plurimi ad tam egregiam optimeq; constitutam disciplinam confluerent. Itaque visum omnibus, vt ipsum Ioannem vniuersorum regimini summa cum potestate præficerent, cui reliqui sinè vlla recusatione obtemperarent. Igitur inuitū licèt & renitentem, primaria in sede, eius imperio parituri, collocant. Tandèm ille, ne diuinæ voluntati resistere videretur, eis cessit: susceptoque Abbatis ministerio, ex Regula D. Benedicti viuendi institutum amplexus est. Verùm cùm nimia austeritate ad ardua quęq; tēderet, neq; vulgarem virtutis tramitem ingrederetur, & infirmorū mores pari rigore astringere vellet, diuina dispensatione euenisse credunt, vt fracto stomacho, perpetuo lāguori ad supremum vsq; vi-

Fit primus Abbas Vallis Vmbrosæ S. Ioannes.

tæ diem

tæ diem obnoxius fieret, vt ex sua infirmitate alorũ quoq; vires metiri disceret. Cùm enim initio pauci admodùm nimium illum vitæ rigorẽ imitari possent, eo morbo correptus, ità institutum suum ergà omnes moderatus est, vt nemo illo humanior, nemo benignior videretur.

Infirmatur, vt suis confratribus infirmis compatiatur.

Fuit autem vir Dei præcipuus quidam paupertatis amator, eximiusq; rerum humanarum contemptor; prorsus vt neq; superba domicilia, neq; thesauros vltrò oblatos, solis tãtùm necessarijs contentus, admitteret. Et quò magis opes honoresq; respuebat, eò ijs ipsis dignior ab omnibus habebatur. Hinc viri nobiles principesq; varia illi loca offerebant, extruendis cœnobijs congrua; alij vt monasteria collapsa dissolutaq; sibi moderanda sumeret, rogabant; alij aurũ argentumque tribuebant, vt sibi suisque consuleret; quæ vir sanctus respuens, vt pauperibus largirentur hortabatur, vel ipse protinùs erogabat. Construxit autèm monasterium S. Saluij; monasterium in Mosceta; tertium in Razulo; quartum in monte Scalatio, Paginam quoque, nimia vetustate collapsam, reformandam suscepit, atq; aliud S. Reparatæ in AEmilia, siue Romandiola; quæ nõ tam structuris magnifica, quã virtutibus clara, & cęlestibus disciplinis illustrissima reddidit. Porrò cũ singula peruigili cura sepi' obiret, cerneretq; Muscetanũ, Præpositi illius industria, in quandam magnificẽtiam excreuisse, tectisq; superbum, pristinæ quodammodò paupertatis oblitum, Zelo inflammatus, conuersusq; ad riuulum quendam exiguum iuxtà manantem, ait: Deus omnipotens, qui minimis magna efficere soles, videam ministerio pu-

Egregius contemptor diuitiarum.

Deus non elegantes fabricas, sed pulchras animas expetit.

silli riuuli istius, celerem enormis structuræ huius vindictam. His dictis, mox tanquàm locum abominatus abijt; cum protinùs riuulus collecta aquarum vi increscere cœpit; ac tãdèm loco suo relicto præceps à mõte ruit, tractisq; secum arboribus atq; petrarum scopulis, structuras illas funditùs euertit.

En vt olim SS. Patres Symoniæ etiam suspicionem vitauerunt.

Alio quoq; tempore cum audîsset quendam cõuersionis gratia cœnobium petijsse, totumq; patrimonium, neglectis hæredibus, monasterio legâsse, ilicò accurrens codicillos sibi exhiberi postulauit. Exhibitos mox discerpsit, & fragmẽta humi abijciens, Deũ, & Apostolũ eius monasterij patronũ, paupertatis amore precatus est, vt illatam sanctissimo instituto iniuriam vlciscantur. Vix pedem sacris ædibus extulerat, cùm eccè repentina flamma monasterium corripit, plurimaque viro sancto nec respicere quidèm dignante, deuastat. Cùm autem tenaci adeò proposito paupertatis votum persequeretur, tum verò aliorum inopiam totis viribus subleuare studebat; prorsus vt & ingentem frumenti vim etiam fratribus necessariam, nõ rarò erogaret, resque monasterijs legatas venderet, earumque precia pauperibus distribueret. Nec defuit viro Dei gratia discretionis spirituum, neq; donum Prophetiæ, quo occulta hominum soli Deo cognita, diuina reuelatione edoctus enunciauit: quæ singulatim hic referre, longum nimis foret.

Ignis cælestis vlciscitur monasteriũ.

Episcopus Florentinus Simoniacus & hæreticus

Porrò quãto Zelo animarum flagrauerit, nulla vis orationis explicare poterit. Cùm adhuc Florentinus antistes, Petrus Ticinensis, Simoniæ labe aspersus graui insuper hæreseos suspicione labo-

laboraret. Ioannes vt Ecclesiam ea peste purgaret non dubitauit constanter publicèq; reum illum asserere, neque vllo modo ad sacrorum functionem idoneũ pronũciare. Hortabatur igitur subditos, vt ab illo se segregarent, ne sæua adeò contagio ad totius corporis exitum permanaret. Indè cùm vehemens in Clero & populo contentio oriretur, & alij antistitẽ innoxium, alij reum clamarent, atq; diu repugnantibus inter se sententijs certarent, antistes vt eam ignominiæ notam aboleret, statuit Ioannem ipsum vnà cùm religioso cœtu internecione delere. Misit igitur nocturno tempore ingentem equitum & peditum turmam ad S. Saluij monasterium, (vbi Ioannes tunc temporis degere putabatur, & pridie indè recesserat ad vmbrosam vallem) qui effractis foribus in ipsa penetralia irrũpunt, obuioſq; conuulnerant, & cæde atq; horrore omnia replentes, tandem omnes penè cum ipsa morte luctantes relinquunt. Altera die eo diuulgato maleficio, aduenit Ioannes, & suos beatos ac verè fœlices prædicans, quòd acceptis plagis ad necem vsque pro veritate decertassent, se vnum lamentabatur, quòd glorioſi illius certaminis particeps fieri non meruisset.

Crudelitas Episcopi Florentini.

Postea verò, recuperata præter spem valetudine, monachi Romam profecti, vt Florentinã Ecclesiam ab illa peste aliquandò eriperent, cõstanter denuò Petrum Simoniæ & hęresẽos accusârunt. Sed frustrà: Maximus namque Episcoporum cœtus, qui eò ad Synodum confluxerat, Florentini partes acriter defendebat, vixque monachorum accusationem ad aures mittere

Attende Zelum & fiduciam SS mo-

nachorum pro Ecclesia Christi.

dignabatur. Tum verò quidam zelo inflammati, vt pullulantem hæresim ac Simoniæ crimen extinguerent, Petrumque in scelere exultantem dignitate deijcerent, intrepidè sese ad ignis periculum obtulerunt. Verùm Alexander Pontifex maximus, nec accusatum deponere voluit, nec vt monachi in ignem ingrederentur, admittere: quin et Dux quidam Godefridus, Episcopo impensè fauens, eisdem mortis minas intẽtabat. Altercatio itaq; hæc nouos animorũ motus concitabat; alijs conditionis æquitatem approbantibus, alijs rem nefariam esse clamantibus. At fuit tandẽ cunctis applaudentibus locus & dies constituta, quo monachi ignis certamen subirent, docerentque antistitem Simoniæ & hæreseos labe fœdatum esse. Fit ingens populi concursus; Aduocatur Episcopus Petrus à suis, rei euẽtum spectaturus; at ille prorsus renuit: immò si qui eum charum haberẽt, eos accedere vetuit. Interea in Monasterio Septimi, loco præfixo, duæ lignorum strues excitantur, obtinentes in longum decem pedes, in latum quinque, in sublime quatuor & dimidium: inter vtrasq; autẽm intererat semita longitudine brachij ardẽtibus cõstrata, prunis, vt per illã vnus monachorũ nudis plãtis pertransiret. Fiũt litaniæ & sacrificiũ solẽne singulari cũ ceremonia ab Abbate illius instituti peragitur. Quo peracto, vnus ex Abbatibus clara voce populo petitionis & sponsionis conditionẽ exponit. Deindè Abbas Petr⁹, exuta casula, & Cruce arrepta, S. Ioanne interim corã astante, & precibus ac lachrymis ardenter intẽto, ingreditur per medios igniũ globos & flãma in sublime ascendẽte, ardẽtes calcat prunas nullo ad-

Abbas Petrus per medios ignes illæsus pertransit.

lo aduſtionis veſtigio vel corpori vel veſtimentis inhærente. Cumq; verſa iterũ facie, eadem via per flãmas regredi vellet, populus tãti miraculi nouitate ſtupefactus eũ retinere, manus pedeſq; exoſculari, diuinã virtutẽ in eo admirari, & antiſtitẽ Petrũ ſceleſtũ, hæreticũ & Florẽtina ſede indignum clamare: qui demùm Senatu populoq; Florentino omninò inſtante, à Romanæ Sedis præſule Alexãdro, iuſtitia id exigente, dignitate ſua eſt priuatus: & alter in ipſius locum ſubſtitutus.

Eo miraculo multũ Ioanni eiuſq; diſcipulis dignitatis deindè accreuit, eorumq; inſtitutum honoribus & ſanctitate auctũ, plurimis admirationi fuit; donec vir ſanctus ſenio cõfectus è vita perceptis primum cũ multa deuotione ſacramẽtis ad cæleſtẽ patriã fœliciter migrauit; cuius corpus in Eccleſia Monaſterij de Paſignano humatum, multis poſt obitum miraculis Deus illuſtrare dignatus eſt.

S. Ioannes fœliciter obit.

MARTYRIVM SS. NABORIS ET FELICIS ex antiquiſſimis monumentis, quæ teſte Baronio Syncera & integra ſunt. De ipſorum reliquijs in Gallias anno Domini 764. tranſlatis ſcribit Sigebertus, licèt pro parte, more ſuo, integras tranſlatas dicat. Paſſi ſunt Anno à partu virgineo 303. Marcelli Papæ 7.

In Notat. Mart. Rom.

Tom. 2. An.

*REGNANTE impio Maximiano, cùm eiuſdem edicto grauis in populum Chriſtianum perſecutio deſæuiret, erant Mediolani viri duo bellica laude ſpectatiſſimi, & honorib. apud ipſum Imperatorem cumprimis conſpicui. Vni Nabor, alteri Felix nomen erat; ambo

*An. eius Imperij 2. 12. Iulij.

Præclara laus SS. Naboris & Felicis.

ambo & animi & corporis robore præstantissimi;& quod caput est, apud Christianæ religionis fideique cultores,propter egregiam in Christum pietatem admodùm venerandi. Porrò Imperator de eorũ religione ac pietatis operibus certior factus,vtrumque,separatim tamen,comprehendi, & quæstione habita, carceri mancipari iussit.Ibi diebus admodùm duodecim sinè cibo potuq; exactis;rursùs tribunali eius oblati atq; Anolino consiliario supplicijs fatigandi,vt dijs sacrificarent traditi sunt. At martyres,spretis minis & suppliciorum instrumentis, quæ ad terrorem parata erant, vni vero ac soli Deo Christo se sacrificare confessi sunt. Tunc Imperator ira feruidus, fustibus eos à viris quinque mactari iussit,præcone interim clamante:Sacrificate dijs, quos Imperator & omnes honore prosequuntur,Nabor verò: Idolis, inquit, non sacrifico; omnis namque qui se impuris illis sacrificijs contaminauerit, tormentis subiacebit sempiternis.Hæc dicentem clamantemq; Anolinus in eculeo suspendi, & aduri, vnguibusq; ferreis carptim laniari iussit.Sed Naborem tota mente cælo intentum, nulla vis suppliciorum frangere poterat.

Mittuntur in carcerem.

Cæduntur fustibus.

S. Nabor in eculeo suspenditur.

Ea re stupefactus Anolinus,illo amoto, Felicem adduci iussit; quem attonito vultu intuitus:Ecquæ,inquit,Felix causa est, quod hic tuus frater adeò dura ceruice in tormentis perdurat? Cui Felix: Quia, inquit,hæc tormenta breuissimo temporis spatio definita; puerorum potius terriculamenta nobis videntur; qui futura illa, omnibus idolorum cultoribus in omni seculorum æternitate constituta, optimè perspecta habe-

Egregium Felicis responsum.

habemus. Anolinus eo responso admonitus, vlterius cum viris adeò fortibus non certandum esse, iussit eos in carcerem recipi.

Pertrahuntur Lugdunũ SS. mart.

Non multò pòst Imperator Lugdunum profecturus, martyres catenis vinctos ad terrorem Christianorum post se raptari, multisq; iniurijs & cõtumelijs onerari iussit. Lugdunum verò vt vétum est, post diem tertium erecto extra vrbis portas tribunali, martyres, impia hac voce affatus est; Dijs nostris inuictissimis sacrificia offerte, artemque istam magicam, qua Christo vestro adhæretis, protinùs relinquite, vt amplificati honoribus ac dignitatibus reliquam Christianorum multitudinem à miseranda illa mentis insania vestro exemplo liberetis. Ad quæ Martyres; Nos neque magicis artibus contaminati sumus, neq; vanos honores exquirimus, tuasque minas pro nihilo ducimus. Quarè quod reliquũ est, cruciatus vestros maturè expromite, nosque honoribus sempiternis in cælo repositis afficite. Imperator, his auditis, auerso præ indignatione vultu: Fustibus, inquit, illos cõtundite, & capitis supplicio plectite; Hac lata sententia, martyres ingenti delibuti gaudio, ceruices præbuerunt, vltimumque illud certamen cum magna virtutis significatione, ad reliquorũ animos roborandos peregerunt.

Egregia martyrum constantia.

Fustibus cæsi capite plectuntur.

Corpora eorum fuêre à Sauina, egregia pieta te matrona, cum aromatibus in prædiolo eius sepulta; quę postmodùm alia quędam, religione ac fide insignis, furtim sublata Mediolanum trãstulit. Post hæc Mediolanensibus Imperio rebellantibus, & ab Imperatore Frederico secundo

Sauina matrona corpora eorum sepelit.

bello * subactis, Agrippinæ Coloniæ archipræsul Reynoldus, eadem magno studio cõquisita cum trium Regum corporib. summo cum honore ac magno fidelium gaudio, ad prædictam vrbem transferri curauit, vbi vsq; hodie honorificè asseruantur.

* *Anno Christi (teste Genebrardo in Chronico)* 1158.

Corpora eorũ Coloniam translata. Vide Tom. 6. Annal. C. Baron.

VITA S. EVGENII, EPISCOPI CArthaginensis; ex ea quæ est per Victorem Vticensem de persecu. VVandal. Lib. 2. Migrauit è corpore Anno salutis 495. Gelasij Pontificis Romani 4. Anastasij Imperatoris 5.

13. Iulij.

CVM Hunericus maior filius Geiserici wandalorum Regis Catholicis infensissimi, Patri ex humanis sublato in regnum successisset, vt populorũ sibi animos barbarica quadam subtilitate conciliaret, cœpit primordio regni sui mitiùs ac moderatiùs, maxime circà religionem nostrã agere. Et primò quidèm, vt se religiosum ostenderet, pietatisq; opinionẽ apud vulgus captaret, Manichęos exagitãs, plurimos ex eis flãmis exuri, alios nauibus trãsmarinis distrahi mãdauit; Carthaginẽsi porrò Ecclesiæ, quæ annos quatuor plus minꝰ & viginti Antistite destituta iacuerat, plenariã licentiã, (iniquis tamen interpositis cõditionibus) sibi quem vellet Pontificem eligendi concessit: quæ tandẽ vnanimi consensu B. Eugenium virum eximia pietate admodùm conspicuum, ingenti omnium nostrorum applausu in Cathedram Pontificiam honorificè collocauit.

En vafriciẽ Hunerici successoris patris Geiserici wãdalorũ Regis.

Præclaræ S. Eugenij Virtutes, estq; mirè gratiosus apud omnes.

Porrò vir Dei ea dignitate sublimatus, bonorum operum virtute magnam sibi non modò veneratiõnẽ, sed & auctoritatẽ apud vniuersos cõciliabat. Quid enim? Etiam ij qui foris sunt, viso

vir-

virtutum ac præcipuæ charitatis eius splẽdore, taciti obstupescebant, tãtamq; in Sacerdote ergà omnes humanitatem ac beneuolentiã sinè fine suspiciebant. Nec mirũ sanè. Cùm enim totam ferè Ecclesiam Barbari occuparent, exiguæque admodùm facultates Episcopo vix sibi alẽdo suppeterent, & ambabus nihilominùs manibus eleemosynas erogaret, summaque vigilãtia ac studio pauperum inopumq; omnium patrocinium susciperet, homines & pecuniarum largitatem & charitatis ardorem admirãtes, sanctissimi viri virtutes omnibus prædicabãt, multisq; laudibus ad cælum vsq; extollebant.

Ariani illi inuident.

Verùm enimerò cùm tanta celebritate nomẽ eius longè lateque inclaresceret, ceperunt Arianorum Episcopi multis calumnijs, graui inuidia concitati, eum impetere nihilq; non moliri, vt tam præclara pietatis opera impedirent. Et primò quidèm fallacibus verbis persuadere conati sunt, vt à pabulo diuini verbi populis ministrando cessaret, & mares fœminasque habitu barbaro incedẽtes, Ecclesiæ liminibus prohiberet. At ille domum Dei omnibus communem esse respondit, neq; vllo modo externũ habitum quidquam vel religioni addere, vel demere; multosq; admodùm egregia pietate viros hoc habitu ornari, quòd Regiæ inseruirẽt, regiosq; ministros tali symbolo à reliquis distingui solitum esse. Hoc responso à viro Dei accepto, Ariani inuidia tabescentes, tandèm in apertum furorem proruperunt. Statuerunt igitur conniuẽte rege Ariano Hunerico in omnibus ecclesiæ porticibus tortores quosdã; qui viros fœminas-

Crudelitas Arianorum & Regis.

naſque habitu barbarico ornatos & in eccleſiam ingredi volentes malè mulctârunt, paliſque minoribus dentatis in capite iactis & nexu firmiſſimo in capillos implicatis raptârunt; tanta plerumque crudelitate; vt, auulſa a capite pellicula, fœdè lacerati tandèm abirent. Neque tamen ea ſæuitia Catholicorum infringere conſtantiam, vel pietatem minuere potuit.

Catholicorũ conſtantia.

Cumque ea dæmonis ſæuitia nihil proficerent, tandèm tyranni etiam in domeſticos, ſuæ factionis homines truculentiſſimi, decreto cautum eſt, nè quis in regia conſtitutus vel annona vel ſtipendijs ſolitis frueretur, niſi Arianæ perfidiæ nomen daret. Tum verò ingens fidelium numerus, ne fidei puritatem violaret, abiecta militia temporali & ſpretis Regiæ honoribus, ceſſit; quos tyrannus domibus deindè proiectos omniq; ſubſtantia exutos, in inſulas Siciliam & Sardiniam relegauit.

Regis ſæuitia in ſacras Virgines.

Poſt hæc, ne quid ſupremæ tyrannidi deeſſet, ſacras virgines cõgregari præcepit; quas ſupplicijs ſanè nefandis, dictuq; horrendis exagitauit. E crinibus namque vel manuum digitis ſuſpenſas, & immani pondere pedibus earum alligato torquebant, atque ignitas ferri laminas dorſo, ventri, mammillis & lateribus apponentes dicebant; Dicite, quomodò Epiſcopi, Clericique veſtri carnalibus vobiſcum voluptatibus perfruantur. Nitebatur enim impius ſemitam inuenire, per cuius aditum, publicam, ſicut fecit, faceret perſecutionem. Et quanquàm totis viribus Chriſti Eccleſiam oppugnaret, nulla tamen ſceleris contagione eam maculare poterat. Sæuie-

ba-

bat inaudita quadam crudelitate. Episcopos, presbyteros, diaconos & alia ecclesiæ membra ad quatuor millia D. CCCCLXVI. in eremi exilium destinauit; quorum in numero erat beatus Felix Abdiritanus antistes, qui annos 44. magna cum sanctitatis laude gregi suo præfuerat. Is paralysi morbo percussus, prorsùs vt neq; vox, neque sensus vllus relictus esset, ita vt ex transuerso super Burdonem vinctus, quasi quidam ligni truncus gestari debuerit, cæteris sua patientia toto itinere animum addebat. Congregabantur vniuersi in Siccensem & Larensem ciuitates, cùm Comites duo superuenientes, blandis sermonibus Christi confessores aggrediuntur: Quid, inquiunt, tanta animorum pertinacia vobis ipsi pestem hanc & exitiũ machinamini, qui in Regia omnibus delicijs affluere potestis? Ad quæ Catholici ingenti vociferatione responderunt; Christiani sumus, Catholici sumus, Trinitatem vnum Deum inuiolabilem cõfitemur. Hæc clamantes grauiori demùm includunt custodia, adeoque affligunt atque coarctant, vt nè ad naturale quidèm officium secedendi locum relinquerent. Ibi tunc fœtor & horror vniuersa pœnarum genera superabat; ad quos alij consolationis ergô cùm intrare vellent, Mauris ingenti precio delinitis, veluti in gurgite luti ad genua vsque mergebantur.

Item in ecclesiasticos.

S. Felix Abdiritanus antistes.

Præclara Catholicorum Vox.

Vide miseriam.

Tandèm post diuturnum hunc carceris squalorem, ad iter, quo destinati erant, perstrepentibus vndiq; Mauris, educti sunt. Ibi tunc incredibilis fidelium multitudo ex diuersis regionibus & ciuitatibus cũ cereis obuia ruens, martyres

Vide deuotionem Catholicæ plebis.

tyres cum lachrymis prosequebatur. Quidam suos infantulos martyrum vestigijs obijciebãt, ista voce clamantes; Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos paruulos fontibus aquæ perennis lustrabunt? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & recõciliationis indulgentia, obstrictos peccatorũ vinculis soluturi? ô vtinam vobiscũ & nos pergere liceat, eodemq; certamine martyrij corona potiri. In his vocibus & lachrymis, Mauri, ne vel tantilla sanctissimi martyres cõsolatione fruerentur, hastilium cuspidibus & lapidibus eos ad currendum impellebant. Qui verò nimia lassitudine oppressi ambulare non poterant, ligatis pedibus cadauerum instar, per dura & aspera loca raptabantur: quorum maxima multitudo, alliso cerebro, vel fractis lateribus, inter manus trahentium expirabat. Reliqui verò vt primùm ad solitudinis loca peruenére, hordeũ vt iuméta ad vescendum acceperunt; quo inter alia incommoda grauissima ità vitam tutati sunt, vt facilè declararẽt, se diuino solatio minimè destitutos esse.

Hordeum cibus exulum Catholicorũ.

Tùm verò tyrannus noua eaque acriora aduersus Dei Ecclesiam excogitans, cùm membra aliqua abscidisset, totum ipsum corpus laniando perdere moliebatur. Nam die Ascensionis Domini, Eugenio tale dirigit præceptum, quod etiam vniuersæ Africæ, veredis currentibus, destinauit; Rex Hunericus vniuersis Episcopis Homousianis. Non semel, sed sæpius, nostro constat edicto prohibitum, ne in sortibus VVandalorum Sacerdotes vestri conuentus celebrarent. Quo tamen spreto, plurimi reperti sunt

Epistola impij Hunerici ad Eugenium Episcopum.

Missas

Missas in sortibus VVandalorum egisse. Statuimus igitur, quô omnis occasio scandali tollatur, vt ad diem Kalendarum Februariarum, Carthaginem, cum fidei nostræ Episcopis omni veneratione dignissimis, de ratione religionis cõflicturi veniatis.

Hoc edictum cùm haud dubiam persecutionis procellam denunciaret, ingenti terrore multorum animos concussit; cùm neque tempus, neque ratio imminenti calamitati occurrendi suppeteret. Eugenius tamen, qua erat animi magnitudine, Regi in hunc modum per literas respondit; Cognouimus ad omnes coepiscopos meos præceptum Regium similiter emanasse, vt die constituta pro disputatione fidei veniatur. Quod nos venerabiliter accepisse suggessimus. Suggessit interim mea humilitas, debere etiam transmarinarum omnium partium, qui nobis sunt in vna communione consortes, agnoscere; maximè quod totius mundi causa, non specialis sit prouinciarum Africanarum. Quod petimus, vt benignitate, quantus est, & iustitia sapientiæ suæ dignetur annuere. Data ab Eugenio, &c. Tum ille parturiens iniquitatem, Subde, demandat, mihi, ô Eugeni, vniuersum orbem terrarum, vt sub potestate mea totus mũdus redigatur, & facio quod dicis.

Responsum S. Eugenij.

Res fidei ad vniuersam spectat Ecclesiam.

Responsum barbari Regis.

Inter hæc cum ignis persecutionis accẽderetur, & flamma infestantis vbiq; Regis arderet, ostẽdit De⁹ noster pręclarũ quoddã miraculũ per seruũ suũ Eugenium, q̃ prętерire nõ debeo. Erat in eadem ciuitate cæcus quidam ciuibus vniuersis notissimus, Felix nomine. Hic à Domino secundùm quietem semel, iterum, & tertiò monetur,

tur, vt Egenium Episcopum adeat, oculorum lumen per eum recepturus. Cæcus primò & secundò falsa imaginatione se deludi existimãs, recusabat surgere; tertiò verò verbis increpatus durioribus, è lecto exilijt, ac puero ductore ad Festi basilicam perrexit. Ibi per diaconum, Peregrinum nomine, antistiti indicat, se habere aliquod secreti genus intimandum. Audiens Episcopus, admittit hominem; qui protinùs hymnis per totam Ecclesiam resonantibus, ad pedes ipsius prostratus obtestatur se eum nõ dimissurũ, nisi oculorum lumen redderet; Eugenius admirans respondit; Recede à me frater, ego enim homo peccator sum, & delictis super omnes homines grauissimis oneratus: nec mihi quidem sufficio peccatorum veniam impetrare. Ille autèm mordicùs tenens genua eius, hæc verba idẽtidẽm repetebat; Redde mihi oculos meos. Tum Eugenius attendens inuerecundam hominis credulitatem, quia tempus vrgebat, pergit cum eo, comitante clericorum officio, ad fontem. Ibi fixis genibus cum ingẽti gemitu, pulsans singultibus cælum, crispantem benedixit alueum fontis, & completa demùm oratione, ità cæco respondit; Iam dixi tibi frater Felix peccator homo ego sum; sed qui te visitare dignatus est, præstet tibi secundùm fidem tuam, aperiatq; oculos tuos; simulq; signo Crucis consignante oculos eius statim cæcus visum, Domino reddente, recepit. Quem secum quousque vniuersi sacro fonte expiati essent, detinuit, ne tanto miraculo populus excitatus, virum contereret, qui lumen receperat. Fit postea manifestum Ecclesiæ vniuersę: statim nuncius pergit ad Regem tyran-

Hymni nocturni in Ecclesia.

Felicem cæcum illuminat S. Eugenius.

num

num. Rapitur Felix, inquiritur ab eo, quid factũ sit, qualiterque receperit lumen. Dicit ille ex ordine totum. Dicunt Ariani Episcopi, Eugeniũ maleficijs vsum fuisse. Et quia oppressi confusione, rei gestæ tenebras offerre non poterant, modis omnibus eum necare conati sunt, quomodò olim Iudæi suscitatum Lazarum occidere cupiebant.

Nota vocem hæreticis familiarem.

Ioan. 12.

Appropinquante interim die illo funesto Kalendarum Februariarum, conueniunt Episcopi, afflictione & mœrore cõfecti. Fit silentium diebus multis, quousque peritos quosque & doctissimos viros, calumnijs appositis necandos, exindè separarent. Tãdem venitur ad disputationis conflictum. Aduersarij argumentorum suorum bonitati diffisi, calumniãtur inter alia apud Regem, Catholicos strepitum fecisse, & importunis clamoribus cuncta interturbasse. Rex ea accusatione præclarum se penitùs eos delendi occasionem nactum existimans, quod animo sceleus conceperat, momento temporis in eos exprompsit. Cunctos enim Catholicæ fidei episcopos fustibus primùm cæsos, bonis omnibus euersos exilio damnauit; tali insuper pœna omnibus illis, qui hospitio eos excipérent, proposita, vt viui cum vniuersa domo sua flammis exurerentur. Hinc tam atrox in Christianos Catholicos tẽpestas est exorta, quã nulla vis orationis explicare potest.

Sic hæretici vincunt Catholicos.

Episcopi Catholici bonis omnibus exuti, mittuntur in exilium.

Neque tam Reges, VVandalique, quàm ipsi Arianorũ Episcopi, Presbyteri & Clerici sæuiebant; quippè gladijs & pugionibus accincti, passim discurrebant, & abditos quosque ad necem atque supplicia inquirebant. Inter alios Anto-

nius quidam Arianus antistes, cuiusdam ciuitatis eremo proximæ, Tripolitanæ Prouinciæ vicino, vt auctoritate ita etiam crudelitate cæteris superior, Eugenium ab ipso Hunerico in ipsis eremi partibus relegatum custodiendum susceperat; quem varijs insidiarum atq; pœnarum supplicijs extinguere cogitabat. Interea vir sanctissimus dum acerbissima persecutionis illius tempora defleret, sensit aliquandò infestum paralysis morbum. Quo nuncio, exultabundus Arianus pergit festinus ad venerabilis senis cubile, & acetum asperum nimisq, acerrimum recusantibus illius faucibus ingerit, vt reliquias virium opprimeret, ac virum sanctissimum vita spoliaret. Sed pietate Christi ad aliorum salutem eo ex periculo ereptus est, & clarissimum posteà de Arianorum impietate triumphum egit. Nam Hunericus septimo regni sui anno, ac mense decimo propter multiplicem impietatem iusto Dei iudicio in eiusmodi morbum incidit, vt putrefacto corpore vermibus scaturiret; à quibus paulatim absumptus, non tam corpus ipsum, quàm fœdas quasdam partes sepulturæ reliquit.

B. Eugenius ab atrocissimo Ariano Episcopo miserè affligitur.

Horrenda mors impij Hunerici.

VITA S. BONAVENTVRAE, CARdinalis & Episcopi Albanensis, Ordinis Minorum ex oratione quam Octauianus de Martinis Suessanus, I. V. Doctor, coram Summo Pontifice, Sixto Quarto habuit; cùm ab eo relatus est in sanctorum numerum.

Vide C. Bar. In Notat. Martyro: Roma.

14. Iulij. *S. Bonauenturæ Patria & Parentes.*

BONAVENTVRA natione Tusc⁹, patria Balneoreginus, Iohãne Fidanza & Ritella fidelibus ortus cõiugibus, ea à primis annis

nis edidit pietatis facinora, vt in ijs commemorandis, relicta Maiorum dignitate, meritò nostra debeat desudare oratio. Vt primùm transactis adolescentiæ annis turbulentum huius mũdi statum cognouit, & periculosam admodùm consequendæ salutis rationem prævidit, relicto seculo nequam, victimam se omnipotenti Deo perpetuam meritis beatissimi Francisci dedicauit. Cuius rei series, non aliundè quàm ab ipso misericordiarũ Patre initium sumpsit; qui quos sibi ab æterno prædestinauit electos, aptissimis medijs ad portum deducit, secumque bonorum omnium cõmunione sociat. Cùm enim in tenera ætate, extrema valetudine periclitari cœpisset, mater salutis eius anxia, vbi physicorum, quos adhibuit, diligẽtiam frustrà experta esset, solius Dei opem, quem sancta timebat, & cui castos pueri mores intelligebat acceptos, humiliter in salutẽ pueri inuocauit, ac S. Francisci suffragia reuerenter implorans, illum, si sanum recuperaret, ipsius religioni perpetuò deuouit. Exaudita sunt preces, & puer, nõ sine admiratione physicorum, integer euasit.

Laborat aduersa valetudine.

Matris eius votum.

Hinc iam adolescens, ac porrò ætate prouecta, cùm se religioni maturum cerneret, anno ætatis suæ secundo & vicesimo habitu sancti Francisci ad castra spiritualia se recepit, stipendiaque nequaquàm oscitanter, sed tanta diligentia atque ardore fecit, vt septimo, à religionis ingressu, anno, in Parisiensi vniuersitate librum Sententiarum publico auditorio prælegere meruerit: Vsus præceptore doctissimo Alexandro de Ales; cuius honorificũ sanè eruditio-

Amplectitur S. Francisci institutum.

Alexander Alesius eius præceptor.

nis testimonium consequutus est, adeò vt ætatis suæ secundo & tricesimo, post quàm magistralē cathedram annos admodum tres rexisset, inter primos Ordinis sui viros religione atque doctrina admirandos locum teneret. At verò, quod maiori in illo admiratione dignum erat, quò magis scientia & auctoritate emersérat, eò magis seipsum mentis humilitate deprimebat.

Magna eius humilitas.

Neque enim vt pleriq; literarum scientia inflati vilia ministeria fastidiebat, sed tāta alacritate, eaq; spōtanea, domestica munia obibat, vt alijs non modò ingētem admirationem, sed superioribus etiam, eum ab eiusmodi officijs impedire conantibus, indignationem, si dicere licet, commoueret. Nec segnius interim charitatis officia præstabat; cùm oculis in omnes fratres intentis, alios tristitia affectos dulcissimis verbis solabatur, alios professionis suæ pœnitentes monebat confirmabatque, tanta gratia atq; auctoritate, vt nullus ab eo discederet, quin libens cœptum professionis iter prosequeretur. Infirmorum præterea cura, supra quàm credibile sit delectabatur; & quo grauioribus aut contagiosis morbis afflictarentur, eò magis se totum illorum obsequio applicabat. Quibus officijs cùm maiorem diei partem absumeret, non eò minor erat in publicis lectionibus, & interpretationibus scripturarum; quæ tantis luminibus illustrabat, vt ipse auctor illorum non immeritò putaretur. In Capitulis verò & quæstionibus ad Ordinis totius salutem decidendis, tanta illius erat sapientia, vt cuncta ad illius iudicium tanquam ad Lydium lapidem explorarentur. Quibus gratijs donisque illustratus, cum iam tertiū

Item eius charitas.

Humanitas eius ergà morbidos.

deci-

decimum in religione exegiſſet annum, defuncto generali Magiſtro, ex tam multis viris doctrina atque ſanctitate conſpicuis, quibus Ordo ſacer in ſua nouitate florebat, vnus omniũ ſinè controuerſia extitit ſubrogatus. *Fit Miniſter generalis.*

Hic vir ſanctus accingẽs ſe grauioribus actionibus, cùm iam robur illud primi inſtituti nonnihil labaſceret, monendo, ſuiſq; humeris lapſa erigendo ad priſtinam virtutem reduxit, atque in Narbonenſi Capitulo, quod primum tenuit, beati Franciſci regulam expoſuit reformauitque, ordineque in Prouincias redegit. Vbi ſtrenuè etiam decertans, venenoſas obtrectatorum oppugnationes, quibus Mendicantium religionem delere nitebantur, ſola iuſtitia atque innocentia tutus, confutauit: & præclarum de aduerſariorum calumnijs triumphum egit. *Reformat Ordinem ſuum.*

Fuit verò vir ſanctiſſimus cultor glorioſæ virginis præcipuus. Ipſius namque hortatu & vigilantia ſtatutum eſt, vt ſigno Campanæ poſt Completorium audito, Virgo Mater à populo ſalutaretur: quòd creditum ſit, eadem hora ab Angelo ſalutatam. Congregato Capitulo generali Piſis, cùm venerabile beati Antonij Paduani corpus Paduam transferre decernerent, fuit eiuſdem ſanctiſſimi viri lingua ſecundo & triceſimo ab obitu illius anno, integra & rubicunda reperta; quam Bonauentura manibus apprehendens, largiſſimo lachrymarum imbre perfudit, & luculentis admodùm verbis ſe alioſque omnes docuit, quàm ingens pietatis theſaurus in optimo membri illius vſu reconditus lateret. Hinc cum ſanctiſſimi viri fama omnibus admirationi fie- *Præcipuus cultor eſt D. Virginis.* *Nota de S. Antonij Paduani lingua*

Recusat Eboracensem episcopatum.

ret, Clemens quartus Eboracensi eum Ecclesiæ præficere voluit, vt doctrinæ suæ fluenta largius effunderet. Sed vir diuinus propositi sui constans, illos honores precibus à se repulit, quo vberiores sibi diuitias ac dignitates in cælis cumularet.

Scripta Viri sancti, præclara.

Erat enim mundo ita mortuus, vt quamuis corpore in terris, mẽte tamẽ in cęlis versaretur. Hinc præclara illa omniq; eruditione ac pietate referta scripta eius, ad totius Ecclesiæ vtilitatem prodierunt. Postquam enim Parisijs primum librum Geneseos magna cum laude auditoribus legisset, nobile opus, quod à septẽ visionibus Bonauenturæ nomen obtinet, in lucẽ prodijt. Indè celeberrima illa in libros Sententiarum Commentaria edidit, & Euangelia multis sententijs compendiosè illustrauit. Rursus contemplatione S. Ludouici regis Franciæ, officium de Cruce insigniter pium atq; deuotum edidit; quod ab Ecclesia receptum, nullo immutato, in ea solemnitate vbiq; legitur. Cõposuit & solẽne officiũ in honorem B. Francisci, & vitæ ipsius historiam contexuit, & libellum de sex alijs Seraphin concinnauit. In monte Aluerno duo nobilissima opuscula pijssimis contemplationibus flagrantia, quorum alterum Itinerarium mentis in Deum, alterum, In seipsũ, appellata sunt, produxit. Composuit & libellum, cui nomen Mendicãtium Defensorium indidit; quo religionis suæ partes egregiè tuetur. Composuit & libellum de vita Christi, quem Arborem Crucis nominant. Insuper & Breuiloquia; & Sermones Dominicales; & veritatis sacræ scripturæ Compendium; & Nouitiorum Institutionem; & Stimulum

mulum amoris,& Pharetram de auctoribus Doctorum approbatorum principalibus,quem per Alphabetum prosecutus est;aliaque opuscula lectu sanè dignissima ad tricenarium numerum in lucem emisit.

Et quidèm cũ beati Francisci religio (quã annis octo & decem, maxima virtute gubernauit) ipsius sanctitate vitçq; exemplis egregiè iam stabilita esset, tùm fortè Romana Sedes plurimis implicita difficultatibus vehementiùs laborare cœpit.Gregorius hoc nomine decim⁹, Ecclesiæ gubernacula tenebat;qui audita viri sanctimonia & doctrinæ præstantia, quanquàm inuitum & reluctantem in Cardinalium collegiũ cooptauit,& Albanensem Episcopum cõstituit.Quo in munere ita versatus est,vt illius opera præcipua,in Lugdunensi Concilio Græcorum compositæ hæreses fuerint, ipsique, præsente tum Palæologo eorum imperatore, qui in hoc Lugdunum venerant,liberè ad Romanæ Sedis obedientiam redierint . In ea vocatione cùm pari sanctitate atq; operum fructu perseueraret, & inexhaustos pro Ecclesia Dei labores subiret, tandèm anno salutis millesimo ducentesimo septuagemo quinto, ætatis suæ quinquagesimo tertio,vitæ munere sanctissimè perfũctus,è corporis vinculis ad cælos euocatus est.Mors illius ingentem vniuersæ Ecclesiæ, ac præcipuè Súmo Pontifici luctum attulit. Corpus fuit multis omnium lachrymis in ecclesia Lugdunensi S. Francisco sacra sepultum.Porrò eximia miraculorũ claritate effulsit. Infantẽ mortuũ suscitauit;parturientẽ liberauit: aliosq; penè innumeros de varijs doloribꝰ, ægritudinibus, ac periculis mi-

Creatur Cardinalis & Episcopus Albanensis.

Obitus eius Domini An. 1275. ætatis verò suæ 53.

Miracula eius.

raculosè eruit. Dum S. Corpus eius 160. sui obitûs anno in nouam Basilicam transferretur, reliqua corporis parte alioquin exesa atq; corrosa, caput tamen solidum, capillamentum hærens, labia, dentes & lingua, in nullo à vitali statu aut colore demutata reperta sunt. Reliquorũ relatione supersedemus: cum illustrium virorum sanctitas non tam miraculorum virtute, quàm integritate vitæ atque charitate confirmetur.

Vide C. Baro, In Notat. Martyr. Ro.

*RES GESTAE HENRICI SECVNDI, Imperatoris Sanctißimi: cuius vitam Adelbodus Episcopus Vltraiectensis conscripsit; quæ tamen à Viris doctis sæpius requisita haberi non potest. Obijt autem hic Imperator anno Domini millesimo *vigesimoquarto: fuitq; appellatus secũdus, respectu Henrici alterius qui anno Domini 919. successit Conrhardo Imp. Sed ille pientissimus, præ humilitate, Imperatoris nomen recusauit. Ex quibus apparet, Henricum hunc, de quo agimus, primum eius nominis fuisse Imperatorem; quanquam pleriq́ue respectu illius hunc secundum appellent.*

**Teste Ioanne Molano in addit: ad V. suardi mart.*

14. Iulij. HENRICVS Bauariæ Dux, tam vitæ sanctimonia quã regia dignitate clarus, timorem Domini vna cum literarum studio à teneris vnguiculis eximiè percepit. Quo sanè præclarè munitus, multa & ingentia bella admirabili fœlicitate confecit. Eluxit enim in eo egregium virtutis militaris specimen; quod ita cum omni vitæ sanctitate atque innocentia iun-

iunxit, vt nescias an magis pietas, an potius militiæ decus in eo celebrandum sit; Vt primùm adulta ætate ad res fortiter gerendas euocatus fuit, antè omnia numen diuinum quouis in negocio propitium sibi reddere studebat. Hinc cũ aliquandò in Ratisponensi vrbe intenta supplicatione ad D. Emerani sepulcrum excubaret, cælitùs est admonitus, vt scripturam quandam præsagam, in muro secus D. VVolfangi tumulũ; legeret, & diligenter obseruaret. Constabat ea duabus duntaxat vocibus. Post sex; Henricus vt erat sagaci non modo ingenio, sed & insigni pietate præditus, se post sex dies è viuis discessurũ suspicatus, animæ suæ intereà diligenter prospexit. Sed cùm, præterlapso sex dierum curriculo, nihil quod putabat, eueniret, senarium illum numerum ad sex hebdomadas traduxit. Verùm cum & ipsis euolutis nihil incõmodi pateretur, ad sex menses transtulit. Ipsis verò pari animi corporisque integritate transactis, arbitratus est annorum senionem denotari. Cùm igitur sex anni defluxissent, & iam septimi illucesceret primus dies, ecce is qui longa expectatione ad mortem obuijs (quod aiunt) vlnis excipiendam paratus stabat, diuino nutu, præter expectationem, ad Imperij gloriam euehitur.

Egregia ipsius pietas.

Præsaga scriptura Henrico oblata.

Fit Imperator.

Imperio igitur potitus, ita gubernacula illius suscepit, vt semper de gloria militiæ Christianæ solicitus, cultum religionis summo studio & diligentia proueheret. Quæ res inprimis sempiternæ laudis ac gloriæ materiã illi administrauit; meritoque non modò nomen eius ab obliuione vindicauit, sed & apud omnes nationes cele-

Victoriæ eius contrà Saracenos.

celeberrimum reddidit. Et primò quidem Bohemos VVandalosque, virtute sua domitos, sibi subdidit; indè in Italiam progressus, Saracenos in effusam fugam compulit, tetraque illa scelleratorum hominum peste repurgauit. Et hæc quidèm aliaq; non tã armorum suorũ virtute, quam quàm minimè contemnẽda, quàm diuini numinis auxilio fortiter gessit. Cùm enim barbarorum gentium colluuies, regni ipsius fines impeteret, ferunt Henricum signa in hostem intrepidè inferentẽ in Mersburgensi agro quẽ miserrimè deuastatum cernebat, votum B. Laurentio nuncupasse, fore, vt perpetuis temporibus ipsius nomini eum dicaret, & in statum pristinę dignitatis reformatum diuino cultui consecraret, si suo apud Deum interuentu victoriam Romano Imperio obtineret. Barbarorũ igitur multitudine in prælium occurrente, prostratus in oratione, vidit angelum percutientem suo exercitui præire, & hostium cuneos in fugam propellere; quorum regiones sinè cruore Imperio Romano & Christianæ fidei subiecit: ac cõfestim se voto magnificè soluit. Apuliam deindè, diu Græcorum dominatum passam, manu bellica recuperauit; vbi ordinatis quæ ad regni pertinebant vtilitatem, cœpit tormento calculi conflictari; à quo tamen in monte Cassino, cũ ibidem religiosos viros egregia sanè pietate claros visitaret, ad S. Benedicti reliquias est liberatus. Neq; hoc tantùm, sed alia insuper plurima à Domino ardentissimis suis precibus, quibus supra modum erat deditus, cõsecutus est beneficia, quæ scriptis quondàm mandata interciderunt.

Votum nuncupat S. Laurentio.

Angelus hostes eius prosternit.

Visitat religiosos in mõte Cassino.

Nec mirum sanè, quippè qui per omnem vi-

tam,

tam, in medio honorum cursu, ac summa diuitiarum opumq; affluentia, nihil pietatis studio potius habuit; nihil charius, quàm vt Christo Redemptori suo intimè placeret. Quis enim virtutes omnes, quibus in vita ornatissimus extitit, oratione explicabit? Estnè aliquid admirabilius, quàm summum Imperatorem Hereberti Episcopi pedibus prostratũ cernere, ab eoq; delicti in quod maleuolorũ hominũ suasionibus impulsus fuerat, suppliciter veniã postulare? Iam verò quis non admiretur summã illam pudicitię virtutem, qua per totam vitã præditus fuit; prorsus vt omnis carnalis voluptatis expers, in sũma licentia, cum castissima coniuge virginitatem tutatus fuerit? Cùm enim sacratissimo matrimonij fœdere Vxorem sibi Cunegundem virginem sãctissimam copulasset, eã casto adeò amore prosecutus est, vt non coniugem, sed sororem cũcti crederent. Nunquàm enim illius concubitu frui voluit, sed vterq; virginitatem suam ardentissimo Christi amore, Deo cõsecrauit, & ad extremum vitæ spiritum conseruauit.

In vita S. Hereberti 16. Martij. to. 1.

Viuit cum coniuge continenter per omnem vitam.

Quod sanè cùm apud multos plus admirationis quàm fidei haberet, quidam calumniari non verebãtur Imperatores cupiditate parũ honesti amoris inflammatos castitatẽ simulare, eoq; prętextu impudicis aliorum amplexib. clanculum frui. Eam offensionem Cunegundis vt tolleret, populumq; sibi subditum à scandalo liberaret, non dubitauit nudis plantis ignitos vomeres illæsa calcare, & virginitatis hostem nouo miraculo confundere, ac sanctissimum coniugem ab omni suspicione sceleris liberare.

In vita S. Cunegundis tom. 1.

Cæterùm Imperator hic pientissimus, quàm egre-

egregia opera ediderit, quantaque diligẽtia iu-
ſtitiam coluerit, explicatu eſt difficillimũ. To-
enim tantiſque ſignis & operibus præclaris in-
tam pietatem & charitatem in miſeros indica-
uit, quantis Imperatorum nemo vnquam. Aede-
ſacras quamplurimas vel à fundamentis extru-
xit, vel collapſas refecit; & ſanctorum homi-
num domicilia, in quibus illi qui monachi di-
cuntur, die noctuque Deo famulantur, regia ſa-
nè magnificentia ornauit; nomenque ſuum vel
ijs ſolùm rebus immortalitati cõſecrauit. Bam-
bergenſem eccleſiam à fundamentis erexit, ei-
demque cœnobium ad partem Septentrionali
S. Michaeli ſacrum adiunxit. Tanta inſuper mul
tis alijs Eccleſijs contulit beneficia; vt nulla o-
rationis vi complecti poſſint. Fuit enim in reli-
gionis cultu ſanctiſſimus; in egentium inopia
ſubleuanda benignus, & in omnium denique ſa-
lute procuranda vigilantiſſimus. Nulla enim
regni negotia, quantumuis ardua, nulli bellica-
rum rerum tumultus, ab eo ſtudio, quo proxi-
morum ſempiternæ ſaluti aſſiduè incubabat, eũ
auocare poterant. Hinc non immeritò Apoſtoli
nomen apud multos obtinuit, quòd Stephanum
Hungariæ regem populumque vniuerſum ſuis
potiſſimùm monitis precibuſque ad Chriſti fi-
dem perduxerit, gentemque barbaram cæleſti
lumine illuſtrauerit. Atque vt firmiſſimo pieta-
tis nexu regem conſtringeret, ſororem illi ſuam
in vxorem collocauit, multaque ſanè alia fecit,
vt gentem Hungarorum ſinè vllo errore per ſe-
mitas iuſtitiæ ad patriam claritatis æternæ per-
duceret. Sedes quoq; Epiſcopales Hildesheim,
(vbi à puero educatus & literis imbutus dici-
tur)

S. Henricus dictus Apoſtolus Hungarorum.

tur) Magdeburgam, Argentinam, Misnam, Mersburgam, quæ barbarica immanitate adiacentium Sclauorum vastatæ fuerant, restaurauit.

Cùm autèm extremum sibi diem imminere cognosceret, accersitis castissimæ coniugis suæ parentibus,& nonnullis regni proceribus, Augustam dextera apprehensam ipsis hoc modo tradidit; Hanc mihi, inquiens,à vobis, imò à Christo Domino traditam, eidem & vobis virginem restituo immaculatam. Bellis igitur tam in Germania quàm Italia aduersùs rebelles iustè ac prosperè confectis, & Imperij statu optimè constituto, beato tandèm fine in Domino quieuit. Reliquit sanè is Princeps sanctissimus vniuersis magnum sui desiderium, cum multis lachrymis ac luctu diuturno coniunctum. Corpus eius fuit cum honore,tanto Imperatore eiusque sanctitate digno,in Bambergensi, quàm à se fundatam cathedrali titulo insignierat, sepultum;vbi etiam glorioſus Deus ipsius sanctitatē miraculis consignauit.

Obitus eius.

Claruit miraculis post obitum.

VITA BEATI IACOBI, NISIBITAE Episcopi;ex ea quæ est à Theodoreto, Cyri Episcopo conscripta. Claruit vir sanctus Anno Domini 338.&c. sub Iulio summo Pontifice,& Constantio Imperatore. Interfuitq; non tantùm Nicæno, sed & Antiocheno Concilio.

Vide Tom. 3. Annal. C. Baronij.

SHic Iacobus, Nisibe celeberrima ciuitate in confinio regni Romanorum & Persarum,olim quidē Romanis subiecta oriundus,

15. Iulij.

Nisibis ciuitas patria Iacobi.

Viuit solitariè.

undus, vitam amplexus est solitariam & quietã; & verè quidèm, æstate & autumno, vitam vel in siluis ; vel in montium altissimorum cacumine sub dio agebat; hyeme verò in antro quodam latitabat: quod ei paruum præbebat tegumentũ.

Victus & vestitus eius.

Alimentum ei syluestria præbebant poma herbæq; crudæ; vestimenta verò; ex asperrimis caprarum pilis, corpus non tam ab aeris iniuria vindicabant, quàm stimulis quibusdam ad propositum certamen alacrius currendum excitabant. Itaque de corporis cura parùm solicitus, cogitationem mentis in Deo sinè intermissione figebat; à quo magna non modò consolatione, sed lumine quodam etiam cælesti perfundebatur; quo & futura multò antè clarissimè præuidebat, & virtutes sanè admirandas patrabat.

Viget Prophetiæ Spiritu.

Venit in Persidem.

Vigebat illo tempore simulacrorum impietas, paucique admodùm vniuersorum opificem ea, qua par est, fide colebant. Tunc Iacobus, vt in tanta fidelium paucitate religionem propagãret, in Persidem venit. Accidit autèm in ipso itinere, cum fontem trãsmitteret, puellas quasdam succinctis vestibus, nudisq; pedibus in pãnorum emundatione occupari; quæ honestatis, grauitatis & reuerentiæ oblitę, exuto pudore & perfricta fronte virum sanctum impudentibus oculis adspiciebant: neq; capita operientes, neque vestes demittentes. Eõ scelere vir diuinus haud mediocriter offensus, fontem vnà cum puellis execratus oculos auertit, tacituque diuinum numen precatus est, vt intolerandam illam puellarum inuerecũdiam castigaret, & animas ab impurissimo illo inimici dominatu liberaret. Res mira, vix ab earum conspectu a-

uulsus

vulsus fuerat, cum fluentum confestim euanuit, & puellæ repentina canitie deformatæ sunt. Séserunt mox supplicium, concitoque gradu ad vrbem properantes, cunctos ad nouæ rei spectaculum excitârunt. Accurrunt omnes, & circumfusi Iacobum supplices rogant, vt illatum virginibus supplicium & notam dedecoris sempiternam tollat, fontemque fugacem ad pristinam scaturiginem reducat. Ille autem non diu cunctatus, & puellis iuuentutis florem ac pulchritudinem restituit, & fluētum reuocauit. Stupent omnes admirandam viri virtutem; relictoque errore, temperantiæ ac pudicitiæ documētum amplectuntur.

Lasciuas puellas diuinitùs punit.

Iterum eas à supplicio liberat.

Eodem ferè tempore Iudex Persarum, odio parum iusto prouocatus, iniquam sententiam tulerat, multorumque animos eo scelere irritauerat. Cumq; nemo sententiam impugnare, Iudicemq; iniustitiæ arguere præsumeret, Iacobus ingentem quendam lapidem, cui vltimo afficiendi supplicio insidere fortè solebant, execrationi deuouit, iussitque protinus vt is virtute sua iniquam Iudicis sententiam argueret. Et ecce lapis in partes innumerabiles repentinò contritus hinc illinc dissilijt, & cunctos ingēti horrore concussit, ipsumque Iudicem adeò exterruit, vt priore sentētia extemplò reuocata, alteram summa æquitate & iustitia subnixam protulerit.

Iniquum Iudicem miraculo ad iustitiam conuertit.

His alijsque admirandis virtutum signis clarus effectus Iacobus, ad munus pontificium euocatur, Nisibemque ciuitatem vel inuitus diuino iure regere cogitur. Paruit igitur; ita tamen vt neque à pristina illa vitæ austeritate vel latum

Fit Episcopus Nisibēsis S. Iacobus.

tum vnguem recederet,& tamen haud auctoritate vulgari ciuilem vitæ consuetudinem administraret. Nam quanquàm ille apud se austeram disciplinam exerceret, nequaquàm tamèn morosam philosophiam populo vehementer exosam præ se ferebat,sed comitate, modestia, suauitate morum, omnium sibi animos amore incredibili deuinciebat,& viduarum ac pupillorum patrocinium intenta inprimis cura assidue gerebat. Ab eis igitur & potentium hominum iniurias propulsabat, & acri sanè vindicta, si quo scelere obtricti essent,ipsos etiam paupere puniebat.Quidam enim,vt quæstum vberiorem paupertatis titulo facerent ad eum accedentes, quèndam è suis mortem callidè simulantem tam quam mortuum obtulerũt:vt & funeri necessaria præberet Iacobus,& preces pro defũcti anima Deo offerret.Ille autèm,fraudis ignarus,benignè assensit; funeriqúe largè omnia suppeditauit. Postquàm verò peracta fabula simulatorem illum surgere iuberent, iusto Deo iudicio miser ille vitali spiritu destitutus inuentus est. Tum horrore sanè perfusi virum diuinum insequuntur,scelereqúe detecto, supplices pro defuncto preces cùm multis offerunt lachrymis: vt vitã illi restituat, & cunctos à tanto reatu clementer liberet.Miratur vir sanctus Dei iudicium,quo in scelus animaduertit; pietate tamèn ductus,vitam precibus ablatam, per preces iacenti restituit.

Disce hinc quàm sit antiquum orare pro defunctis

Defunctum excitat.

Celebrato Niceæ aduersus Arium concilio, cum ex eo quoque Iacobus victor domum redijsset, non multò post defuncto Constantino Imperatore,* Sabbores Persarum Rex aduersùs

*Sapores.

Nisi-

Nisibim bellum mouit: & ciuitatem magnis equitum & peditum copijs arctissimè obsedit. Post longas verò oppugnationes irritè muris illatas, ingentem vim aquæ, cursu præterfluentis fluuij artificio singulari retento, in vnam muri partem immisit; cuius impetu mœnia strata, & via in vrbem patefacta est. Tum vir sanctus adhortationis ac precationis suę virtute intantùm militum, aliorumque incolarum ætate adhuc vigentium confirmauit animos; vt vna nocte quàm maxima poterant contentione rursùs ædificantes, disiectam muri partem in tantam altitudinem extruxerint, vt sufficeret ad arcendum cursum equorum & hominum ascensum absq; scalis. Iacobus porrò ciuium suorum precibus exoratus, in muris hosti se conspiciendum præbens, in castra eorum tela maledictionis (cyniphum quippè ac culicum examina) eiaculabatur, ea virtute, vt equi & elephanti (quorum ingens erat numerus) bestiarũ morsus in auribus, naribus, atq; proboscidis ferre non valentes, ruptis vinculis, huc illuc diffugerẽt, ordinemq; castrorum perturbarent, & omnia cædibus & eiulatu complerent. Inter ea vidit & ipse Rex in muro quendam regali plane vestitu amictũ, cuius purpura & diadema mirè resplendebant; prorsus vt Imperatorem operi pręesse crederet. Acerba igitur indignatione repletus, capitis eos sententia damnauit, qui bellum suasserant, & Imperatorem minimè adesse contenderant. At verò cùm illi constanter affirmarent, Constantium Imperatorem Antiochiæ esse, Sapores visionis significationẽ intelligẽs, Deũ pro Romanis bellum gerere asserebat. Itaque dimisso

Culicibus & cyniph. vincũtur hostes, precibus virẽ sancti in illos diuinitùs immissis.

Rex Persarũ turpiter cedit.

exercitu, in suam ipse regiam redijt: & Nisibis ciuitas à repentino interitu precibus Iacobi liberata, in Dei misericordia exultauit. Ipse verò paulò pòst, plenus operibus bonis & gloria, è corporis vinculis ad cælos emigrauit.

Felix viri S. obitus.

**Reineldis & Reinildis.*

VITA S. RAINELDIS VIRGINIS ET Martyris, sororis beatæ Gudilæ; quæ simul sacrum velamen acceperunt à S. Autberto episcopo Cameracensi: qui claruit anno Domini 654. &c. ut patet To. 8. Annal. C. Baronij. Ex ea quæ extat apud P. L. Surium.

Vide Notat. C. Baron. Marty. Rom. & Ioan. Mol. in Indic. SS. Belgij. 16. Iulij.

BEATISSIMA Raineldis in Castro siue Oppido Cõdatensi super Scaldam fluuiũ, nobilissimis parentibus, patre VVitgero, matre verò *Amelberga, orta, magna dignitate multisq; opibus conspicuis, & generis morumq; nobilitate illustribus, ea vitæ integritate à primis annis enituit, vt non immeritò in tanta opum affluentia tantas virginis virtutes cuncti admirarentur. Fuit illi frater *Emebertus Cameracensis Ecclesiæ antistes, vir omni virtute ornatissimus; & Gudila soror; quæ parem vitæ sanctimoniam à primis ætatis initijs sectata est: multorumq; procerum nuptijs simul spretis, corporis castitatem immortali sponso sacro velamine à S. Autberto donatæ, ad extremum vitæ spiritum illibatam seruauerunt: quin & ipsis parẽtibus cælestis regni amore etiam visum est mundo nũcium remittere. Et quidèm Witgerus sacræ religionis habitum induit: Amelberga vero coniunx eius, à S. Autberto Cameracensi Antistite sacrum velamen accepit, Christoque se totam

Patria & Parentes eius.

**Amalberga vidua quondàm, & vxore Theodorici Lotharingiæ Ducis, ex qua suscepit S. Pharaildem Virginem.*

**Adelbertus.*

totam dedicauit. Manserunt autem pleræq; facultates eorum Raineldi & sorori eius.

Porrò Raineldis præclara Christi virgo, incredibile memoratu est, quanta se inedia afflecerit, & quàm assiduis ieiunijs & orationibus corpusculum suum macerârit, quò Christi spiritu integrè frui posset. Pauperum verò & inopum tanta illi cura fuit, vt omnia eis pro Christi amore tenui admodùm victu sibi tantùm reseruato, distribueret. Tenerrimum corpusculum cilicio aspero domabat, & spiritum diuinis sinè intermissione colloquijs fouebat, tædiumque omne, cælestium rerum commentatione profligabat. Cumque in dies magis ac magis carne edomanda spiritum roboraret, nudis sem per pedibus virgo tam nobilis & tenera incedebat; prostrataque ad preces, non rarò noctem cum die in sancto illo opere iucunditate admirabili transmittebat. Cibus ei hordeaceus panis, potus aqua erat. Sed cùm ijs rebus perfectã virtutem minimè contineri haud ignoraret, statuit cùm sorore sua Gudila Lobiense adire cœnobium, vt in eo beatissimo Petro Apostolorum principi omnem terrenam suam substãtiam offerret, & se totam sub seuerioris disciplinæ ac obedientiæ instituto Christo consecraret. Ibi tùm, quanti sanctissimæ virginis exercitia Christus faceret, præclaro sanè miraculo omnibus innotuit. Nam cùm fores monasterij clausas inueniret, & introitum suppliciter admodùm postularet, audiretque locum illum viris tantùm consecratum, fœminei sexûs capacem non esse, illa (sorore Gudila quamquam recedente) importunis precibus institit, & tres

Preces & ieiunia eius.

Benignitas in pauperes.

Incedit nudis pedibus.

Cibus eius.

Fores monasterij Lobiensis diuinitùs ei reserâtur.

continuos dies ieiuna opem à Deo implorare non destitit. Et eccè nocte tertia, cunctis fratribus alto sopore depressis, ostia monasterij diuina virtute reserata virginem admiserunt, & signis vltrò sonantibus templi adita cum gratulatione acceperunt. Eo sonitu excitati fratres cõcurrunt vndique, visaque virgine coram Saluatoris imagine prostrata, obstupescunt, & intellecta introitûs serie, laudibus, vt par erat, diuinam in virgine virtutem prosequuntur. Raineldis verò, vt erat pia, humilis & religiosa valdè, cum positis humi genibus eorum preces postulasset, animi sui propositum illis explicauit, & Sanctas cum quinque villis, appendicibusq; earum, cælestis regni clauigero tradidit: vt ab eo ad cæli palatium mereretur introduci. Deinde vt inanis gloriæ & humanæ laudis fumos vitaret, & maioris certaminis cursum cõficeret, acceptà à monasterij Præfecto & fratribus benedictione, indè Hierosolymam, vnius tantùm serui & ancillæ comitatu contenta, profecta est: vbi biennio singula quæq; loca non sinè fructu perlustrauit.

Multa largitur Lobiensibus.

It Hierosolimam.

Tandèm septennio euoluto, preciosissimis sanctorum aucta reliquijs, Sanctas reuertitur, & à familia cunctisque loci eius indigenis summa cum exultatione excipitur. Deinceps verò ita vitam instituit, vt rebus omnibus terrenis proculcatis, solis cælestibus incredibili ardore insisteret; prorsus vt multis miraculis & virtutibus coruscaret. Cùm autèm propter hominum flagitia Dominus sæuitiæ Barbarorum, terram illam vastandam traderet, & alij omnes fugabi salutem quærentes irruentium gladios pertimes-

Claret miraculis.

Alij hos Humos, alij Norsmannos

timescerent, sola Christi virgo Raineldis nullis vel minis impelli, vel blandimentis amicorum eò adduci potuit, vt locum in quo diem claudere extremum constituerat, desereret. *fuisse volunt.*

Irruentibus igitur Barbaris, virgo Christi sancto spiritu plena, & in sponsi sui amore solidata, more suo ad preces confugit, & in æde Beati Quintini martyris intrepidè furorem hostium expectauit. Tandèm in ipsam ædem irrumpentes Barbari immanissimarum belluarũ instar, humanum sanguinem sitientes, arreptis sanctissimæ virginis capillis circumquaque eam trahebant, fustibus & flagellis cædebant; calcibus tundebant; multisque iniurijs, ludibrijs & plagis crudelissimis afficientes, postremò vt ceruicem extenderet, compulerunt. Tum illa flexo poplite, virili planè animo ceruicem carnifici feriendam præbuit; & corporeis soluta vinculis ad Christum euolauit. Cæsi sunt cum ea Grimoaldus subdiaconus & Gundulphus seruus. Corpus eius sacratissimum eximijs miraculis clarum, eleuatum est (teste Io. Molano In Indic. SS. Belgij) Anno 866. in thecam argenteam, præsentibus confinium Diœcesum tribus Episcopis, eodem in loco, Sancthis, Diœcesis Cameracensis apud Hallas, olim Brabantiæ, nunc Hannoniæ. *Multis à barbaris tormẽtis affecta, tandèm capite cæditur.*

Vide C. Baro. In Notat. Martyrol. Roma.

VITA S. ALEXII CONFESSORIS, Flij Euphemiani Senatoris, ex ea quæ est apud Metaphrast. Claruit, vt patet infrà, temporibus Archadij & Honorij Imperator. ac Innocentij Summi Pontificis, qui præfuêre Ecclesiæ & Imperio (teste C. Baronio Tom. 5. Annal.) anno Christi 402. & sequentibus.

17. Iulij.

QVAM aptè & pulchrè omnis creatura suo deseruiat Creatori, modò adsit pietas & timor Domini, explicatu est difficile. Nã

Lucæ 16.

& diuitiæ, quæ mammona iniquitatis appellatur, quòd scelerum omnium sentinã plerumque trahere solent, si pietate ac timore Domini fulciantur, certam suis possessoribus expeditamq; salutis viam ad regnum cælorum aperiũt; quod

Diuitiæ, si bene expendãtur, multum ad vitam æternam conferunt.

cùm in alijs veteris testamenti patribus, tùm in vno sanctissimi Alexij parente luce meridiana clariùs patet. Is enim Euphemianus nomine, cũ Romæ sub Imp. Archadio & Honorio, in summo vitę splendore & incredibili diuitiarum affluẽtia degeret, seruorumq; tria admodùm millia possideret, ijs omnibus non ad luxum & voluptatem, vt plerique mortalium solent, sed admirabili sanè pietatis ratione ad Conditoris sui gloriam vtebatur. Ternas namque mensas domi

Parentes Alexij valdè pij & potentes.

suæ instructas habebat; quibus quotidiè ingentẽ viduarum, pupillorum, & pauperum multitudinem excipiebat, suisq; ipse manibus, accumbentibus officiosè ministrabat: neque priùs cibi quidquam potûsue libabat, quàm cunctis hilariter refectis, admirabile hoc pietatis atq; humilitatis officium ritè exequutus fuisset. Si verò minùs diligẽter hanc benignitatis in pauperes disci-

Summa liberalitas Euphemiani in pauperes.

ciplinam exercuisset, mox in faciem prostratus, vim lachrymarum profundebat, seq; inertiæ & ingratitudinis vehementer accusabat, summaq; diligẽtia neglecti officij rationem inibat. Huic erat coniunx Aglais nomine, pari pietate ac misericordia fœmina; quæ licèt omnibus mundi huius bonis hoc modo affluueret, vno tamen sterilitatis opprobrio adeò cruciabatur, vt nũquã à precibus ac lachrymis cessaret, quô benignissimus Deus masculam illi prolem largiri dignaretur, qua affectam tandèm senectutem oblectare posset. Nec frustrà adhibitæ preces. Natus namque illis est filius, cui Alexio nomen imposuêre; puer & insitæ indolis bonitate, & corporis animique præstantia ad omnem virtutem promptissimus. Qui vt sexto ætatis anno literarum studijs adhibitus fuit, breui eò eruditionis peruenit, vt, Grammaticæ rudimentis fœliciter superatis, haud vulgari Ecclesiasticæ historiæ cognitione imbutus haberetur; ac tandèm in arte oratoria probè institutus, summam eruditionis laudem apud doctissimos consecutus est.

Aglais mater Alexij.

Alexius nascitur.

Alexius insigniter eruditus.

Cumque iam ætate adulta matrimonio idoneus putaretur, parentes summa diligentia virginem ei regio sanguine claram, & moribus vitæq; integritate ornatissimam, desponderunt, & nequaquàm inuitum ad nuptiarum celebritatem adduxerunt. Fuêre magno totius ciuitatis gaudio in S. Bonifacij iunctæ dexteræ, & dies in multam noctem hilaritati dicatus; atque postremò, vt moris est, ad thalamum honorificè à parentibus deducti. Tum verò Alexius, qui occulto numine ardua sãctitatis opera meditabatur,

Celebrat nuptias.

sponsam in sella sedentem blandè affatus est, hortatusque, vt casto amore sponsum suum ad supremum vsque vitæ spiritum prosequeretur, simulque annulum suum & caput baltei purpureo inuoluta velamine ei tradidit; Accipe, inquiens, hæc, & serua: Deus enim erit inter me & te, donec illi placebit. Moxque suum ingressus cubiculum, assumpta maxima pecuniarum vi & auri pondere, clàm ad portum abijt, conscensaque naui Laodiceam cursum instituit. Indè Edessam Mesopotaniæ vrbem contendens, imaginem Christi Iesu, quam ipse Dominus Abagaro tradidisse fertur lustrauit: & sese suaque omnia eidem Domino Iesu Christo ex animo consecrauit. Omnia namq; pauperibus distribuit, vestiumq; splendore, quo ad illã diem vsus fuerat, deposito, præ foribus templi stipem mendicabat: & oblata incredibili benignitate senibus nutriendis impendebat.

Alexius relicta sponsa virgine, abit Laodiceam.

Distribuit sua pauperibus, & ipse mendicat.

Interea luctus & continui ploratus domum impleuerunt. Mater nimio luctu deformata in cubiculum se solitariam abdebat; nurus eam sequebatur; ambo mœrore oppressæ nullam sec̃ solationem admissuras vouebant, nisi de Alexij statu certiores factæ essent. Pater dimissis in omnes orbis partes seruis filium requirebat; qui licèt ab ipsis famulis frequẽter visus & eleemosynis donatus, nequaquàm tamen agnitus fuit; prorsùs vt omnis parentis industria in inuestigando filio sinè vllo fructu desudare videretur. At Alexius cùm decem & septem annos in vestibulo ædis Dei Genitricis excubasset, & pauperum curam ipse pauper & inops sedulò egisset, cœpit paulatim sanctitatis illius opinio di-

Requiritur Alexius à parente sed minimè inuenitur.

uino

uino oraculo manifestatæ apud omnes crescere, nomenque illius à plerisque celebrari. Ea re vir sanctus periculum animæ imminere conspicatus, vt humanam gloriam euitaret, statuit Tarsum Ciliciæ ad S. Pauli templum nauigare, vt omnibus ignotus securius ibidem cœpta pietatis opera prosequeretur. Sed accidit, vt conscensa naui vi tempestatis Romam deferretur. Ibi tum vir sanctus noua Spiritûs sancti gratia repletus, & humilitatis amore vehementius inflammatus, rectà ad ædes paternas abijt, ac ipsi inprimis patri, ingẽti famulorum caterua stipato obuiàm factus, ignotus tamèn: Virorum, inquit, ornatissime ac Serue Dei altissimi, capiat te quæso aliqua mei pauperis admodùm & abiecti misericordia; Aliquem mihi domi tuæ concede habitationis locum, vt reliquijs mẽsæ tuæ fruar, quô aliquod apud te diuturnæ peregrinationis meæ solatium inueniam. Euphemianus, audita peregrinationis mentione, lætus eum excepit, ministrisq; curandum tradidit, & vnum ex omnibus ingentibus oneratum promissis, si sedulus peregrino ministraret, eidẽ ministerio præfecit. Voluit autem, vt nullis eum delicijs fraudarent, sed omnibus quibuscunq; possent modis, fouerent, curarent, honorarent.

Nauigaturus Tarsum diuinitùs Romã defertur.

Ignotus patri supplicat. Vt eum domi suæ recipiat.

At illi, spreto Domini sui mandato, indies vesperè eum contumelijs, verberibusq; afficerunt. Alij eum alapis cædebant; alij capillũ vellebant; alij sordes, (dictu fœdum) in sacrum eius caput effundebant. Ipse verò dæmonis illas machinas esse non ignorans, non modò patienti, sed læto insuper hilariq́ue animo cuncta perferebat.

Multa patitur à Seruis patris sui, dũ ignotus in domo paterna viuit.

Quodam autem die Imperatori, dum sacro sancto Sacrificio intereſſet diuina voce indicatur, quendam eximiæ ſanctitatis virum in ædibus Euphemiani deliteſcere, cuius precib. flexus Deus, Romæ propitius eſſet, vrbemq; donis ac muneribus exornaret. Imperator itaq;, tantum virum videndi cupidus, Euphemianũ aduocat, atq;, vt virum meritis ſanctitatis ornatiſſimum exhibeat, imperat. Dum verò hæc fiunt, Alexius futurorũ præſcius, totius vitæ decurſum literis diligentiſſimè conſignauit, & ſic demùm è corporis vinculis, omnibus inſcijs, in cælũ emigrauit. Intereà Euphemianus vt venientẽ Imperatorem honorificè domo ſua exciperet, cuncta adornari; ſcamna ſubſelliaq; apto ordine diſponi cæteraq;, vt tantum Imperatorem decebant, cóponi iuſſit. Ipſe interim, vt Alexium de Imperatoris aduentu præmoneret, & habitu decéti exornaret virum ſanctum adijt. Sed cùm ille plánè immobilis perſiſteret, neq; Euphemiano multa dicenti vllum reſponſum daret, tandem reiecto pallio, quo ſancti viri facies operta erat, vita functum inuenit, vultumq; mirabili ſplendore coruſcantem obſtupuit. Charta verò dextera adeò tenaciter inhęrebat, vt nulla eã vi euelleret poſſet. Tum gaudio pariter & timore repletus, feſtinus ad Imperatorem abijt, & cuncta ei ordine expoſuit. Acceſſit Imperator, depoſitoq; in lectum ſancti corpore, vnà cum Archiepiſcopo fixis humi genibus precatus eſt, vt chartam traderet; quæ confeſtim ceſſit, & ab Aëtio ſacroſanctæ Eccleſiæ Cancellario lecta eſt, & maiore ſilentio ab omnibus audita. Cùm verò ad eum locum ventum eſſet, vbi parentum & ſponſa

Poſt obitum agnoſcitur à ſuis.

fiebat

fiebat mentio, tunc Euphemianus tanquàm è profundo somno excitatus canos diuellere, cur sua ad venerabile corpus contendere, magno desiderio amplecti, oscula figere locum omnem miserabili valde eiulatu complere. Mater verò vix mentis suæ compos, scissis vestibus, passisq; crinibus, confertam turbam perrumpere, Deum hominesq; obtestari, vt filium sibi defunctum redderent. Sponsa verò lugubri induta veste similiter accurrens, super venerandum sponsi sui corpus procidit, & largissimo lachrymarum imbre rigauit.

Porrò Imperator, vt omnibus sanctissimi viri corpus spectandum proponeretur, lectum tolli & circumgestari præcepit. Sed tantus erat populi concursus, vt loco moueri non posset. Imperatum igitur, vt aurum argentumq; proijcerentur, quò populus ad colligendam pecuniam diuerteret; sed tanta omnibus inerat videndi cupido, vt pauci admodùm auelli possent. Coruscabat enim corpus admirandis virtutibus. Dæmones ad illius conspectum fugabantur, mũdabantur leprosi, & cuncti quibus suis affecti morbis præsens ibidèm remedium inueniebant. Tãdèm sacris reliquijs ad S. Petri templum delatis diebus continuis septem parentes & cognati iusta celebrârunt. Imperator autem, arca è marmore & smaragdo elegantissimè fabrefacta, venerabile corpus excepit, & eodem in templo deponi curauit 16. Calend. Aprilis, Apostolicã sedem administrante Innocentio Primo. Porrò ex arca ipsius oleum suauissimum emanauit: ex quo si quis accipiebat, quicquid postulabat, à Deo obtinebat.

Coruscat miraculis.

Vide Tom. 9. Annal. C. Baronij.

VITA S. FRIDERICI, EPISCOPI *Traiectensis & martyris: ex ea quæ prolixè extat apud V. P. Laurent. Surium. Martyrio occubuit anno Domini 838. Gregorij 4. Papæ 2. Ludouici Imp. 25.*

18. Iulij. *S. Fridericus Friso egregia indole puer.*

S. Fridericus, nobili admodùm Frisonum prosapia ortus, ea à primis annis vitæ innocentia & animi fuit candore, vt angelica quadam puritate coruscans, magnæ inprimis matri suæ voluptati esset. Erat enim puerulus & corporis pulchritudine & tantis animi dotibus præditus; vt contemptis rebus ludicris per assiduò diuinis rebus vacaret, & lecta vel audita in Ecclesia maxima alacritate parentibus referret. Ea re eius genitrix gauisa, inuito patre, cum primò patribus quibusdam, dein cælesti visione admonita S. Ricfrido Traiectensis Ecclesiæ antistiti commendauit; à quo & literis & sanctissimis imbutus disciplinis, eò pietatis tandem prouectus fuit, vt sede eadem, defuncto Ricfrido, omnium iudicio dignissimus haberetur. Fuit igitur, quanquàm inuitus & planè reluctans, ad illud honoris fastigium assumptus, & in cathedra episcopali ab ipso Ludouico rege, Caroli Magni filio honorificè collocatus. Porrò Rex quanquàm enixè Friderico faueret, eiusque sanctitatem digno honore prosequeretur, propter illicitum tamèn matrimonium, quo coniugem sibi consanguinitate propinquam copulauerat, blandioribus eum verbis demulcebat, modisque omnibus virum sanctum inducere conabatur, ne vinculum illud coniugale dis-

Fit Episcopus.

sol-

solueret, sed auctoritate sua ratum firmumque haberet. At Fridericus, quem neque personarũ dignitas, neque opes vel munera à recto iustitiæ tramite in aduersum vitiorum gurgitem abripere poterant, primùm ipsi regi summa modestia atque auctoritate, quanto se scelere obstrinxisset, aperuit, inde diuini iudicij terrorem impijs omnibus constitutum denunciauit, hortatusque est, vt breui potiùs voluptati renunciet, quàm eam propter in pestem atq; exitium sempiternum furibunda mente sese præcipitet. Multis quoque varijsque scripturæ locis in medium prolatis luculenter admodùm disseruit, quanta Dei protectione muniantur omnes illi, qui admissi sceleris recordatione melioris vitæ frugem admittunt: contrà verò quàm horrendè & in hac & futura puniantur vita, qui in suscepto semel scelere impiè persistunt. Et quidem Rex, profusis lachrymis facinus suum deplorans, melioris vitæ frugem visus promittere, Fridericum honorifico comitatu Traiectum dimisit, vt sedem illam summa cleri populiq; totius voluntate occuparet.

Friderici cõstantia in tuenda iustitia & pietate.

Fuit igitur magna omnium gratulatione exceptus; ipse verò morũ integritate ornatissim⁹, breui omnium animos sua comitate ità deuinciebat, vt quidquid pristini erroris reliquũ erat, haud inuiti abijcerent. Erat vir laudibus mãsuetudinis & humilitatis nulli secundus: in præstãdis eleemosynis admodùm profusus; in suscipiendis peregrinis assiduus; in captiuis & compeditis liberandis diligentissimus. Erat in eius diœcesi insula VValacrana nomine, nefandis admodùm sceleribus contaminata. Homines enim

Præclaræ eius virtutes.

VValacrana insula multis sceleribus ob noxia.

nim diuini & humani iuris planè ignari, neptes sibi suas passim matrimonio, aut etiam, quod dictu fœdius est, sorores, vel ipsas quoq; matres copulabant. Eam igitur ab eiusmodi facinoribus vt liberaret, maturè eò (hortatu Ludouici Imperatoris excitus) contẽdit; sed tãta erat quorundam in scelere pertinacia, vt infestis eum armis excipere pararent, necemque furibundi, si pia monita inferre pergeret, minitarentur. Ea tam atroci denunciatione nequaquàm exterritus antistes, primò Synodum indicere, omnibusque excommunicationis fulmen, qui interesse recusarent, intentare. Illi verò, spretis eiusmodi minis, magis magisq; furere, atq; ad necẽ illi inferendam sese expedire. Tum vir sanctus, cernens gentem flagitijs pollutam nullis monitis ab incæstis connubijs abduci posse, cum Clero & paucis admodùm sanioris mentis hominibus in Ecclesiam sese recipere, ibiq; nocte dieq; precibus & lachrymis & gemitib⁹ inenarrabilibus pugnare, donec barbaras mentes occulto numine ad scelerum suorum agnitionem adductas frangeret, & cælestis luminis splendore horrendas illorum tenebras illustraret. Insequenti namque die illo cum clericis de scripturis diuinis colloquia miscente, tantus, ex omnibus pagis factus est ad eum concursus, illorum, qui cum Deo in gratiam redire & incesta connubia rescindere cupiebant, vt vir sanctus præ gaudio lachrymas tenere nequiret. Precib⁹ itaque suis mentes multo tempore in peccato obduratas expugnauit, suaque deinceps vigilantia in omni pietatis officio egregiè conseruauit.

Sceleratas barbarorum mentes precibus cõuertit.

Impe-

Imperator autèm vt cognouit ſubditum ſibi populum ſanctiſſimas Chriſti leges ſuſcepiſſe, fœdiſque connubijs relictis, caſtitatis virtutem adamare, ne & ipſe tandèm ſuã deſerere & dignis pœnitentiæ operibus inueteratas animi ſordes expiare cogeretur, in Gallias profectus eſt; ſuæque Iudithæ in mandatis dedit, vt viam aliquam modumq; inueniret, quô Epiſcopum deliniret, ne contractũ matrimonij fœdus reſcinderet: ſed ſua illud auctoritate confirmaret. Si precibus non poſſet, minis eum expugnare contenderet. Illa, vt erat iuſſa, ſtrenuè ſatis ſanctiſſimi viri animũ eſt aggreſſa; ſed cùm nunc blanditijs & muneribus, nunc minis & terroribus eum oppugnans ſemper ſe repulſam pati cerneret, tandem bile percita, amoreque inſano obcæcata, etiam iniuſſa ſecuta eſt Imperatorem, multiſque nominibus charum Deo pontificem accuſauit, multaq; molita eſt, vt dignitate ſimul & vita eum ſpoliaret. Neq; tamen priori ſcelere inceſtoq; connubio cõtenta, eò impudicitiæ impudentiæque progreſſa eſt, vt Bernardum quendam, quem ex ſacro fonte Imperator ſuſceperat ad fœdam ſecum explendam libidinem prouocaret, illoque tandem ad ſuam intemperantiam turpiter abuteretur. Ea res cùm procerum omnium animos grauiter offenderet, tum Pipinũ, Imperatoris ex Irmingarde Imperatrice filium, tanto mœrore affecit, vt communicato cum Epiſcopis quibuſdam & permultis regni primoribus conſilio, ipſam Iuditham vi abſtulerit, atque in monaſterium detruſerit; quam tamèn Imperator paucis pòſt menſibus iterùm recepit, & antiſtites omnes qui conſilij illius auctores

Iuditha Ludouici regis coniunx viro Sancto inſidiatur.

Iudithavi in monaſterium detruditur, ob adulterij crimen.

res extiterant, partim exilio, partim carcere mulctauit.

Ea res cùm nequaquàm obscura esset, sed totum per orbem terrarum diuulgata hominũ sermone volitaret, Pontifex Gregorius, iusta indignatione repletus, ipsum adijt Imperatorem, eique verbis sanè asperis increpitum officij sui monuit, quantoq; scelere constrictus esset seuerè admodùm explicauit. Ludouicus vel ex animo vel simulatè humi se proiecit, peccatum agnouit, admissi sceleris veniam petijt, ac postremò ad quoscunque pœnitentiæ labores haud grauatè, vt apparebat, subeundos se paratum exhibuit. Multis deindè regijs muneribus Pontificem affectum summo cum honore à se dimisit. Sed non multò pòst inueterata libidinis suæ flamma incensus, ad vomitum redijt, nouorumque etiam scelerum contagione sese fœdauit. Tum verò cuncti tam Germaniæ quàm Galliæ Episcopi, memores præcepti Pontificis, ferrum simul & ignem ad Imperatoris vulnera, admouere, palàm obtestari, si pergat, ethnici & publicani instar à corpore Ecclesiæ perpetuis temporibus eum resecandum. Hæc cùm alij omnes, tum præcipuè Fridericus tanta seueritate proponebat, vt caninum illius odium sustineret, vitamque multis illius obnoxiam insidijs circumferret.

Porrò Imperator cùm iam inferni tenebris excœcatus nullam melioris de se frugis spem reliquisset, anno Restauratæ salutis 838. fuit à proprijs filijs, ne sempiternam ignominiæ notã ad posteros transmitteret, in locum quendam occultum abreptus, ipsaque Iuditha in Italiam ablé-

ablegata, vt tandèm aliquandò patrata scelera expiarent, nouisque virtutibus, vt sperabant, inustum familiæ dedecus delerẽt. Verum enimuerò non multò pòst Ludouicus Imperatoris Ludouici filius, ea patris fortuna commotus, collectis quotquot potuit Francis, Imperatorem, vixdum inchoata pœnitentia; è custodia eduxit, atque Aquisgrani honorificè in sedem reposuit; ad cuius consortium mox etiam Iuditha reducta sopitam nonnihil libidinis & scelerum omnium flammam acrius multò quàm antè excitauit. Sæuiebant tum in omnes antistites sanè vehementer, & alios quidèm vinculis nectebant, alios exilio mulctatos bonis omnibus euertebant, alios grauioribus pœnis damnatos diuexabant. Tunc Fridericus diuinæ iustitiæ zelo armatus, tanta literarum seueritate Imperatorem inuasit corripuitque, vt vitam morte ipsa tristiorem putaret, nisi quàm primùm acri vindicta animum suum Friderici literis exulceratum sanaret. Igitur habito de nece illi inferenda consilio, in Gallias profectus est, profana Imperatrice apud Rhenum relicta, vt eam cædem acceleraret, ipsumque deindè incunctanter sequeretur. Tum illa, dolo fraudeq; dæmonis probè instructa, multas beato viro insidias moliri, ac tandem morarum impatiens, vocatis ad se duobus sicarijs, amplissimam eis mercedem proposuit, si quoquo modo Episcopum Traiectensem è medio tollerent. Illi munerum promissorumq; largitate prouocati Traiectum se conferunt, & antistitem Reginæ nomine conuentum petunt. Quod vt Frederico ad offerendum sacrificium se præparanti nunciatum est, ille ingemiscens,

Ludouicus & Iuditha separãtur & concludũtur.

S. Fredericus acriter reprehendit Imperatorem.

oculis manibusque insita pietate sursùm erectis, Deo prolixè gratias egit, quòd tempus optatæ mortis adesset. Deindè ad astantes vultu conuersus angelico: Scio, inquit, quid illi velint; sed peracto demùm sacrificio iubebo eos adesse. His dictis, è cathedra pontificia ad Missarum solennia perrexit, lectoque Euangelio ad populum verba facturus, cunctis, obscurè tamen, ne nimio mœrore absorpti in lachrymas & singultus prorumperent, obitum suum prædixit. Expleto verò ministerio, S. Ioannis Euangelistæ ingressus oratorium, excl sis omnibus, Sacellano tantùm comite, multis lachrymis & suspirijs Sanctorum omnium imploravit patrocinia: ac postremò Reginæ nuncios introduci iussit. Tum Sacellano parum pèr abire iusso, trepidantes sicarios sic est affat. Equidèm aduentûs vestri causam multò ante præsciui, neque mortis imperium vnquam formidaui; quare quod iussi estis intrepidi pergite, meque creatori meo reddite. Hanc sanctissimi viri constantiam audientes, sicas ipsi sua in sacra ipsius viscera abdiderunt, dixeruntque ei irridiculè vicissim; Sic se nostra de te vlcisci voluit Regina.

Intrepidè mortem excipit à sicarijs Reginæ.

At martyr Dei compressis, vt poterat, vulneribus, ne intestina effluerent: Abscedite, inquit, properè, vobisque celeri fuga consulite: ne comprehensi atrociori supplicio pœnas luatis. Hæc ita peractis, post aliquantam morã accersito ad se Sacellano: Fili mi, inquit, conuoca populum Dei, vt reddant me vnde egressus sum; terrã terræ; orentque vt Domini sempiterna fruitione

hodie

hodie dignus inueniar, pro cuius legib⁹ & amore sanguis hic meus effusus est. Hæc audiens cernensque vulnerum vestigia Sacellanus, miserabili valdè eiulatu templum compleuit, plebéq; vniuersam aduocauit. Ibi tum quantæ lamentationes & planctus auditi fuerint, nemo poterit pro dignitate explicare. Ipse verò antistes vniuersos moribundis vocibus consolatus, propter Imperatoris cõiugisq; & procerum peccata, totum regnum Danorum incursione vastandum, & vrbem etiam Traiectẽsem atrocia passuram, prædixit, & sic demùm viuus tumulũ ingressus, inter psallentium & plorantium voces supinus cælum intuens beatum Deo spiritum reddidit; è cuius corpore tanta mox odoris suauitas totam peruasit ecclesiam, vt innumerabilem cælestiũ spirituum multitudinem ad cohonestãdas exequias animamque ad cælos deducendam, præsentem esse nemo ambigeret.

Viuus adhuc sepulcrum suum ingreditur.

Eodem anno propheticus beati viri sermo effectum sortitus est. Nortmanni enim maxima classe mare ingressi, Doreſtadum oppidũ, quod nunc VVyck appellant, olim quinquaginta & quinque ecclesijs celeberrimum, flammis exusserunt, & deindè omni regione populata & vexata captiuos plurimos cùm opima admodũ præda abduxerunt. Paucis verò annis interiectis, Traiectum vi ceperunt, cæsis omnibus loci eius incolis; quod deindè ad Baldrici antistitis vsque tempora planè desertum & euersum iacuit. Porrò sicarij nequaquàm sceleris patrati pœnã euaserunt. Licèt enim, accepta à Iuditha sceleris mercede, hominum manus euaderent, è regno tamen in regnum profugi tandèm subi-

Nortmanni irrumpunt in Gallias.

Traiecti vastatio.

Percussores sancti viri subitò morãtur.

tanea extincti morte in tartarum dimigrârunt Imperator autem homicida & periurus, dum filium Ludouicum trans Rhenum persequitur, subito correptus morbo, & in nauim delatus in insula iuxtà Ingelnheim vita functus est. Posteà Metim translatus, & in S. Arnulphi Basilica tumulatus, nomen suum, quod Pius assumpserat, rebus hisce impiè à se gestis obscurauit. At B. Fridericus martyr, multis post obitum virtutibus illustrior effectus, nomen suum miraculis clarum sempiternæ memoriæ consecrauit.

Obitus Ludouici Imperatoris.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Ro.

MARTYRIVM SS. IVSTAE ET RVFINAE à Ioanne Maldonato, breuiter quidèm accuratè conscriptum,

IVSTA & Ruffina, mercimonio fictilium vasculorum victum quæritantes, Hispali vitam pudicè ac sanctè agebant, pauperumq; mendicitatem sua illa tenuitate iuuantes, succisiua diuinis laudibus tempora impendebãt; cùm hostis ille humani generis truculentus ac ferus medius interuenit, honestumq; viuẽdi modum perturbauit ac sustulit. Quædam siquidèm matronæ Salambonem (sic Venerem Babylonij vocant) circumferẽtes, vas in eius sacrorum vsum à sanctis fœminis postulârunt. Illæ facere se nolle dixerunt, causantes, Deum Christianos, non lapides venerari. Pessimæ tum fœminæ, dimisso simulacro, vasa pleraque confregerunt. Quas Iusta & Ruffina, integerrimæ quidèm matresfamiliâs, factum pessimum improbantes, idolum con-

Nolunt vendere merces suas ad impios vsus.

confregerunt, fœdeque conspurcatum mediam in viam prouoluerunt. Quod adeò plebem concitauit, vt comprehensæ mox traherentur ad Præsidem Diogenianum. Qui Christianas esse cognoscens eculeo extendi, ferreisque vngulis laniari præcepit; pòst tetro carceri mancipatas, nouis exquisitisque modis cruciari. Productæ tandèm ad Præsidem, dijs supplicare litareque iubentur. Illæ Christo eum honorem deberi contendunt. Cumque per cautes & montium prærupta post Iudicem nudis pedibus ductæ non mouerentur, Iusta tandem in carcere vitam dedit. Corpus in puteum missum, à Sabino est Episcopo sublatum sepulturæq; traditũ. Ruffinæ, pleno Deum ore fatenti, gula est fracta, corpusque flammis traditum; sed à Sabino ossa collecta, cum Iustæ reliquijs Hispali sepulta sunt.

Confringunt idolum Veneris.

Horrendè cruciantur.

VITA S. ARSENII INTER EREMI cultores præcipui. Ex ea quæ extat apud Metaphrasten. Claruit anno Domini 383. Damasi Papæ 17. Theodosij Imperatoris V. & sequentibus. Obijt verò anno ætatis suæ vigesimoprimo inchoato suprà centesimum.

Vide Tom. 4 Annal. C. Baron.

ADMIRABILIS hic Arsenius, cuius nomen non modò in monte Scete, vbi illustria admodũ peregit certamina, sed per totum orbem terrarum est celeberrimum, vetere Roma oriundus, eos, quamdiu in hac vita versatus est virtutis effudit radios, qui non solùm aliorum splendore admirabili perstringebant oculos, sed & gratissimo quodã calore frigidio-

19. Iulij.

Patria eius.

res ad virtutem animos accendebant, vt vehemẽti sanè ardore ad similem virtutum gloriam incalescerent. Vt primum maturum ad literarũ cognitionẽ nactus est iudiciũ, generoso & strenuo sanè animo incredibiles susceptit labores, Græcamque omnem disciplinam tam promptè est assecutus, vt nihil in imis lateret penetralibus, quo non suum ipse pectus egregiè locupletaret; eoq; & animi magnitudine & ingenij celeritate breui peruenit, vt Græcorũ Philosophia longè superata, eaq; tanquam friuola & inania spreta, conatus omnes ad sacrarum literarum cognitionem hauriendam conferendos existimaret. Neque sanè abiectum vel ignauum ad puriſſimos illos sanctioris disciplinæ fontes auidè potandos attulit animum, sed adeò generosum adeoq; piũ & sanctũ, vt paulò post ampliſſimo Romanæ Ecclesiæ iudicio diaconatûs honore (qui id temporis haud vulgaris erat) dignissim' sit habitus. Ipse verò in eo munere sacro, tanto virtutum omnium splendore degebat, vt cuncti ad sacerdotij gradum promouendum eum clamarent.

Insignis eruditio Arsenij.

Fit Romæ Diaconus.

Interea Imperator Theodosius, qui Valenti impio pius, in Imperij dignitate succesſerat, magna tenebatur solicitudine, vt virum aliquẽ artium maximarum disciplinis instructiſſimũ & diuinis præditum moribus inueniret, qui filios eius & doctrina & moribus regia indole dignis imbueret, iuuenumq; animos ad omnem honestatem virtutemque exactiſſimè informaret. Hanc curam cùm assiduo sub pectore coqueret, tandem ad Gratianum Imp. literas dedit, quibus eum rogabat, vt egregium pietate virum qui filium

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lium doceret, quæreret, inuentumque Constantinopolim mitteret. Gratianus vt hac in re Theodosio gratificaretur, virumq; aliquem omnibus numeris absolutum obtineret, scripsit cõtinuò ad Damasum Romanæ Ecclesiæ Pontificem; qui sinè mora Arsenium diaconum egregia probitate spectatum, & literis insigniter eruditum euocauit: eique Imperatoris voluntatem exposuit, atque, vt se ad eam functionẽ ritè prudenterque obeundam accingeret, hortatus est. At Arsenius, qui, gustata iam spiritûs dulcedine, mundo eiusque splendori ac fastui ex animo nuncium remiserat, & vnà cum sorore sua diuinis assiduò rebus vacabat, eo nũcio turbatus, manib⁹, quod aiunt, pedibusque, eam curam, quam maximis cum honoribus coniũctam cernebat, à se repellere conatus est. Sed & Damasi Põtificis & Gratiani Imperatoris auctoritate atque monitis victus cessit quãquàm inuitus, virginemque sororem virginibus cõmendans, recta Constantinopolim iter instituit. Ibi verò summa ab Imperatore Theodosio beneuolentiæ significatione & maximis exceptus honoribus, tãtam ipsi primo conspectu & affatu attulit voluptatem, vt Imperator continere se non posset, quin voces lætitiæ suæ indices ederet, atque omnipotenti Deo immensas, pro tanto tamq; excellenti viro, è cuius vultu splendor quidam prudẽtiæ ac pietatis mirificè relucebat, gratias ageret.

Damasus Papa hortatur eum, vt filios Theodosij erudiendos suscipiat.

Abit Constantinopolim.

Cùm enim pius Princeps, filium Arcadiũ natu maiorem eo tempore Augustum pronunciasset, (agebat tunc annum ætatis suæ octauum) parùm sibi visus filio contulisse, si Romanum tradens Imperium, non æquè in eum transfunderet

Licet scriptores de duobus filijs mentionem faciant, tamen de Honorio constat nondum natum fuisse. quem anno sequenti Placilla Augusta peperit. Baronius Ann To. 4

pietatem, eum Arsenio moribus ac literis imbuendum tradidit. Porrò quo ordine quoq; modo filios illi suos commiserit, equidem existimo dignum esse quod à nobis paulò fusiùs explicetur. Et quidem adductis in conspectum Arsenij filijs, his ferè verbis prudentia & auctoritate & paterna solicitudine pleniſſimis orationē instituit; Quandoquidem benè esse, magis proprium magisq; paternum est, quàm solummodò esse, posthac tu ô Arseni, magnum prudentiæ decus, potius eris eorum pater, quàm ego. Ego nāque præter vile hoc corpus infinitis obiectum miserijs & ignorantiæ tenebris inuolutum contuli nihil: tu eruditionem, sapiētiam, pietatem, cæteraſq; virtutes, sinè quibus humanæ vitæ felicitas nulla constare potest, conferes: & informes rudesque mentes disciplinarum omnium pulchritudine exornabis. Ego illis diuitias & regnum incertis fortunæ flatibus subditum trado: tu diuitias stabiles nulliſq; prædonum insidijs obnoxias propones, & viam deniq; ad cæleste regnum certissimam demonstrabis. Quare eos tui ingenij & prudentiæ excellentiæ committo, Deum simul inspectorem testemq; adducens, vt tales mihi tua disciplina euadant, quales eos volo & opto. Da vt expressam virtutis tuæ in eis cernam imaginem, nulliſque offusi tenebris simili eruditionis ac pietatis splendore coruscent. Da, amiciſſime Arseni, vt gaudeam inculpata eorum educatione, & tu de collocatis optimè horis laboribusq; exultes. Cæterum hoc te minimè latere volo, me omnem tibi eorum ita facere potestatem, vt delicta seuerè punias, nullo que Imperatoriæ dignitatis habito

Oratio Theodosij Imp. ad Arsenium, præsentibus filijs, dum eos tradit Viro sancto eruditendos.

respe-

reſpectu, metum, vbi opus eſt, conſtanter incutias. Volo enim eos tibi tanquam filios & diſcipulos eſſe, moremq; tanquam patri germano & magiſtro gerere. Quòd ſi quid honeſtate tuaque inſtructione indignum (quod abſit) admiſerint, ipſi ſe inſimulabunt, vt à nobis, quæ minus illis grata futura ſunt, ſuſtineant: operumque ſuorũ fructus (vt inquit Eſaias) ipſi comedent. His dictis, eos Arſenio cum auctoritate tradidit; qui intenta deindè cura formandis eorum animis præclarè incubuit. *Eſaiæ 3.*

Porrò Arſenius quanquam ſingulari dexteritate iuueniles erudiret animos, monitaq; pietatis pleniſſima ſumma cum auctoritate eorum inferret auribus, vt tamen aliquid Imperatoriæ dignitati deferret, diſcipulis in ſellis reſidentibus ſtans plerumq; documenta promebat: amica quadam moderatione ſeueritatem temperãs. Verum cum Imperator fortè præter ſpem ſcholas ingreſſus, filios ſedentes, Arſenium verò ſtãtem vidiſſet, graui ſatis indignatione repletus Arſenium admonuit, quòd magiſterij gradum decora parùm ratione ornaſſet: quod filijs ſedẽtibus ſtans ipſe peroraret. Arſenius autem cùm, qua erat animi modeſtia, ſe excuſaret, diceretq; haud decere ſedentem ſe docere Imperatores, indignatione vehementiùs commotus, abſtulit eis Imperatoris inſignia, ſedereq; in throno Arſenium compulit, filios verò ſtare detectoq; capite auditores profiteri; illud inculcans, tunc proles ſuas verè fore dignas Imperio, ſi cum ſcientia æquè imbuti fuerint pietate. Præclara ſanè vox Imperatore digna, qui filios ſuos priuatam ducere vitam ſatius eſſe iudicabat, quàm Impe-

Stans docet filios Imperatoris Arſenius.

Id indignè fert Imp.

Hæc omnia Arcadio tantùm contigiſſe verius eſt; cum conſtet Honorium vel nondum natum fuiſſe, vel adeo tenerum, vt ad literarum diſciplinas minimè idoneus eſſet.

Vox digna Imperatore.

Imperij gubernacula stultè aut parum prudenter vel sanctè tractare.

Verumenimuerò cùm in has curas incidisset Arsenius, plurimumque ab omni fastu & strepitu abhorreret, vitamque monasticam vnicè admaret, cœpit pristinum vitæ institutum, quod iam antè parturierat, iterùm in animum demittere, variasque secum cogitationes agitare, qua via modoque à præsentibus se vinculis exuere posset. Cathedra & ipse thronus gloriæque splendor & dignitas grauiter eum conturbabant, neque quidquam aliud quàm secessum vitamque solitariam meditabatur. Cumque libertatis spes omninò nulla relicta videretur, quod proximum erat, precibus lachrymisque à Deo opem implorare constituit. Nec frustrà sanè nam ratione admirabili à Deo exauditus, excusso seruitutis iugo, paulò pòst ad eremum magnum libertatis portum commigrauit. Hic verò fuit modus.

Abhorret à fastu Arsenius & solitudinem meditatur.

Arcadius Imperatoris filius graue quoddam delictum admiserat, quod cùm nullo modo veniam mereretur, Arsenius flagris eum cecidit. Ille verò castigationis impatiens, vt vltionem de iniuria, quemadmodùm interpretabatur, expeteret, Neronis instar, magistro suo mortem inferre constituit. Ea re, cum quodam spathario sibi à ministerijs deputato, communicata, eum Arsenio insidias struere, quibusq; possit modis de medio tollere incitat. Verùm minister occultis conscientiæ stimulis agitatus, nefarium facinus in virum adeò sanctum tota mente exhorruit, simulque Imperatoris iram veritus, ipsi Arsenio rem totam aperuit, hortatusque eum

Castigat Archadium Arsenius, & illi necem ei parat.

Notæ factæ sūt ei insidiæ Archadij.

est,

est,vt fuga iuuenis insidias & furorem declinaret.Tum Arsenius multo ardentius die noctuq; precibus incumbere,numinis diuini opem implorare,lachrymis gemitibusq; fugitiuos honores,rumnis & periculis plenos deplorare, & certiorem salutis viam à Deo exposcere.Et eccè hæc assiduis lachrymis precanti, vox quædã supernè in aures dilapsa : Arseni, inquit, fuge tumultus,& salutẽ assequeris.His auditis, Arsenius nè mora abiecta splẽdida veste, vili se amictu induit,& recta, nullo comite, ad littus contendens Alexandriam, opportunè nauẽ nactus, delatus est.Et statim vt omnem spem reditûs Imperatori præscinderet,tonsa capitis coma,susceptoque habitu monastico , ad Scetem montem valdè excelsum & solitariæ vitæ aptissimũ abijt totoque & animo & corpore in numerum patrum,qui illic cælestis militiæ stipendia faciebant, concessit.

Arsenius cælitus audit vocem.

Clam fugit ex aula.

Fit monachus.

Vt verò Imperator illius fugam cognouit, mœrore tabescens ilicò magnam famulorum multitudinem ad eum requirendum dimisit;solitudines,insulas,speluncas,petrarum scissuras, aliaque loca subterranea indagari iussit,quo suum doctorem filiorumque magistrum recuperaret. Sed quem Deus in occulto tabernaculi sui absconderat, nulla industria humana inueniri poterat; latuitque per totam Theodosij vitam Arsenius;hominibus ita ignotus,vt interim angelis totiq; curiæ cælesti esset notissimus. Defuncto autem Patre , cùm Arcadius imperij gubernacula suscepisset,mox de Arsenij vita &habitationis loco certior factus, omnẽ mouit lapidem,vt tantũ virum scelere suo offensum reuocaret.

Latet per omnem vitam Theodosij.

caret. Literas igitur ad eum dedit officij & hu
militatis pleniſſimas: eiuſq; preces conſiliaq
ad Imperij ſtabilimentum admodùm ſubmiſ
implorabat. Neq; puduit conceptum quondà
ſcelus agnoſcere, multiſq; precibus veniam
lius poſcere. Poſtremò donum ſanè magnific
& liberale addidit, quo & animum illius plac
tũ redderet, & ad Imperij fœliciter adminiſtr
di ſocietatem euocaret. Nam totius Aegypti v
ctigalia obtulit, vt ea, ſi ad ſuos vſus admitte
recuſaret, pauperibus & ſacris in Scete mon
ſterijs diſtribueret. Hæc per literas agebat Imp
rator; orans atq; obteſtans, vt ſecum Imperij
nis honoribuſque frui dignaretur. At Arſeniu
qui iam in regni cæleſtis ſocietatem per conte
plationis ſtudium admiſſus erat, terrena cunc
ſe indigna putabat, eademq; ita ex animo rei
cerat, vt ne Imperatori quidem quamuis hoc ip
ſum enixè petenti, ſcripto reſponderit: ſed ore
tenùs hæc ferè verba deferri curauerit; Deus ſ
nobis omnibus propitius, & peccatorum noſtr
rum vincula ſoluat. Pecuniarum autem diſtri
butio nequaquam ad me pertinet, qui iam mun
do mortuus ſum Mortui autem talis nulla eſt a
ctio alia, quàm ſpiritu æterna cæleſtiaque con
templari. His in hunc modum paucis Imperato
ri ſignificatis, Arſenius inſtitutũ diſciplinæ cur
ſum alacriter proſecutus eſt, patreſque omnes
in ſtadio virtutis viriliter currentes multis pa
raſangis cum ſuperaret, tum eorum iugiter ani
mos luculentis ſanè orationibus contrà varios
tentatoris inſultus vegetabat: ac ſingularia ſem
per cum eodem certamina egregiè ſuſtinebat.
Cùm verò dæmones, aliquandò in cellam eius,
im-

Archadius Imp. offert ei totius AEgypti vectigalia, ſed renuit

Præclarum Arſenij reſponſum, ad literas Imperatoris.

Dæmones ei infeſti.

importuniùs irrumperẽt, varijſq; eum afflictionibus frangere conarentur, ille ſumma animi tranquillitate moleſtiarum patiens nihil agebat aliud, quàm hoc identidèm ſubmiſsè repetens. Deus ne derelinquas me. Da vt, qui omnis boni inops ſum, tandem aliquando melioris vitæ attingam principium. Hoc quaſi dæmonum contemptu infinitas eorum inſidias deuicit; & clariſſima ſemper de ijs victoria potitus in ſola Chriſti gratia exultauit. Erat verò eius tam inſignis humilitas, vt cum omnium diſciplinarũ cognitione eſſet cultiſſimus, agreſtiores tamen frequenter conſuleret, & ab ijs haud mediocrem vtilitatem ſe accepiſſe gauderet. Prudenter namq; ſentiebat, multorum idiotarum mentes diuino quandoque lumine illuſtratas nõ rarò ea percipere, ad quæ nulla humanæ mentis induſtria, nulla ars vel ſcientia pertingere poteſt: Cùm autem vir ſanctiſſimus tãta animi humilitate famæ celebritatem euitaret, tum adeò omnibus virtus illius innotuit, vt toto orbe celeberrimus in ore omnium verſaretur. Hinc præter alios, qui ex omnibus mũdi partibus ſtudio nominis illius ducti in Scetem confluebant, Theophilus Alexandrinus antiſtes vnà cum ciuitatis illius Præſide, ingenti labore ſuperatis itineris moleſtijs, ad eũ venit, vt diuini illi⁹ colloquij participes fierent. Cumq; ab eo pia quędã monita poſtularent, Arſenius parumper conticeſcens, tandẽ ait; Nunquid, ſi quid vobis dixero, ſeruaturos id mihi promittitis? Illis annuentibus, Benè, inquit, Quæſo vos, vbi Arſenium eſſe audiueritis, videte ne illuc vltrà gradum inferatis. Placuit eis ardens ſilentij viri ſancti deſide-

Egregia humilitas Arſenij.

Theophilus Alexandriæ Epiſcopus eum inuiſit.

Vide quàm cupiat neſciri.

siderium, multumq; gauisi tanti viri conspectu Alexandriam redierunt. Cæterùm Theophilus sanctorum amantissimus, paulò post, vt rursus illius conspectu colloquioque frueretur, per quendam ab eo scisscitatus est, num venienti aditus pateret; Cui vir sanctus: Aditus, inquit, tibi quidèm patebit, sed ne omnibus pateat, restat vt hinc longissimè recedam. Hoc accepto responso, Archipræsul diuinum eius silentium deinceps interrumpere non præsumpsit. Sed & cum aliquandò Matrona quædam Senatoria, opulenta ac religiosa valdè, pio eius videndi, ac diuina monita accipiẽdi incensa desiderio, (vbi id primũ, frustrà quidẽ, per intercessionẽ memoratæ Antistitis tẽtasset) tandẽ itineris labore, pudore cæterisq; despectis, Roma ad eũ venisset: indigne id ferens, vir sãctus, durè admodũ eã accepit ac seuerè increpauit. Quin & cũ ei⁹ apud cõmunẽ Dominũ iugiter meminisse pia fœmina supplex postularet; respõdit B. Arsenius: Deũ magis oro, vt tui memoria de meo corde deleatur. Quæ quidẽ nó erant verba odij, sed cautionis & perissimæ continẽtiæ. Erat enim vir diuinus silentij & solitudinis studiosissimus, adeoq; mente cum Deo vnit⁹, vt quãuis corpore in terris, cogitatione tamẽ in cælis habitaret. Quocircà & illi⁹ habitaculũ triginta milliarib⁹ ab alijs remotũ quãdã cælestis mãsionis speciẽ præbebat, soloq; suo cõspectu homines ad pietatis amorẽ excitabat.

Fugit colloquium Senatoriæ fœminæ.

Porrò quãta inedia corpus spiritui deseruire coegerit, quæ vis orationis explicare poterit? Otium verò remis, quod aiũt, velisq; semper euitauit; certus eã pestẽ facillimè solitarijs nec opinãtibus subrepere, mentemq; fucata pietatis spe-

Ocium tota virtute fugit.

ſpecie ornatã funditùs ſubuertere. Hinc vir ſanctus, exhauſta ieiunijs membra, vel in precibus acrerum diuinarũ ſtudijs perpetuò exercebat, vel manibus palmarũ ramos cõtexebat, vt ſpiritum ad orationis ſtudium vegetiorem adduceret. Cùm aliquandò frater quidã magno vidẽdi Arſenium deſiderio tactus, ab alio ad eũ deductus fuiſſet, & vteréq; ab Arſenio admiſſus eſſet, virſanctus, data ſalutatione, conticuit, neq; verbulum quidẽ vnũ ſedentibus auideq; ſermones eius expectantibus deprompſit. Quo ſilentio fatigati fratres, ambo receſſerunt & ad Moyſem quendam magnæ ſanctitatis opinione celebrẽ, qui vias latrocinijs infeſtas olim inſederat, abierũt; à quo nõ modò benignè hoſpitio excepti, ſed ſuauiſſimo colloquio abundè, & cibo etiam potuque refecti ſunt. Tandèm dimiſſi, frater ab hoſpite requiſiuit, quisnam ex duobus viris ſanctis ſibi videretur eſſe virtute ſuperior. Cui ille: Aeſtimo, qui nos hoſpitio accepit & recepit. Audiuit fortè hoc iudiciũ quidã ex præſtãtioribus ſenibus. Cũ verò animi dubi⁹ vtriuſq; facta pẽſaret & hui⁹ quidẽ ſilentiũ, illius verò hoſpitalitatis ſtudiũ diligẽter perpenderet, nec ſcire poſſet cuinã ſãctioris diſciplinæ palmã meritò tribueret, deprecatus eſt Dominũ quatenùs id ſibi ſignificaret. Vidit ergò ſecundũ quietẽ naues duas proſpero ventorũ flatu maria ſulcantes; quarũ vna Arſenius ferebatur, quẽ ſumma in tranquillitate Dei ſpiritus fouebat: Altera verò Moyſes, quem Angeli Dei melle fauoq; paſcebant. Cognouit ergo vtrumque maximi apud Deũ precij eſſe; maius tamen Arſenij ſilentiũ, quàm Moyſis hoſpitalitatẽ eſſe; quod cum Arſenio quidẽ diuinus

Fratri cupidè eum inuiſenti, nihil loquitur.

Secùs facit Abbas Moſes vteréque tamèn benè.

diuinus versabatur spiritus: cum Moyse autè
Angeli; qui tacitè bonum hospitalitatis signi
cabant. Hoc namq; diuino Arsenio propositu
erat, vt mentem suam cum Deo arctissimè co
Eu vt seipsũ adhortatur & excitat. sociaret, nihilq; admitteret quod vel tempor
momẽto ab illa fœlicitate eum auelleret. Hi
frequenter suis ipse auribus hæc inculcabat, s
cumq; repetebat; Arseni, cur egressus es? Quo
est, Quis fuit tuus scopus, vt à mundo te subd
ceres? Et illud frequentius; Sæpius me dixi
pœnituit, tacuisse nunquàm. Et quidèm int
ipsa silentia assiduo lachrymarum imbre gen
rigabat: prorsus vt subiecto panno fluenta exc
Perpetuò lachrymatur. pere cogeretur. Dies verò & noctes ita p
cibus iungebat, vt cùm occidente sole ill
studium inchoaret, oculis manibusque
cælum erectis stans permanebat, dom
splendor orientis alias quærere latebras su
deret.

Postquàm verò post longa arduaq; adeò ce
tamina tempus adfuit, quo in cælis à Deo co
nandus vocabatur, mortis doloribus circu
uentus, cœpit is, qui nulla peccati grauioris co
tagione pollutus, angelica Deo puritate per o
nem vitam militauerat, horrore affici, metu p
sari, profusis lachrymis exitum formidare; ade
vt stupefacti discipuli exclamarent, Et tu pate
Sub mortem en quomodo Vir Sanctus metuat; Peccator quid faciet? times mortem? Quibus ille; Reuerà, inquit, no
quàm hic metus quo me oppressum cernitis, o
mninò à me recessit, ex quo primum Christian
militiæ ex animo nomen dedi. Hæc dicens, be
tam animam in manus Creatoris suauissimè e
flauit: cùm annos inter monachos in omni sa
ctitate, exegisset quinquaginta quinque; nulli
co-

corporis parte mutilatus vel morbi senie, (quãquam vigesimum suprà centesimum excessisset) incommodo fractus; quã illi fortitudinem continentiæ labores, quos reliqui mortalium adeò perhorrescunt, contulêre. Fuit vir procera corporis statura; promissa ad ventrem vsque barba; senio paululùm incuruatus, caluis propter vim lachrymarum supercilijs, reliqua parte planè viuida & ad omnem virtutis exercitationem aptissima; Corpus eius fuit magno discipulorũ ploratu in ipsis, quibus fuerat indutus vestibus, (cilicio quippè & pelle ouilla) cum psalmos pro more ceciniſſent, in loco cui nomen Stromes, reconditum.

Decedit valdè grandæuus.

Statura eius qualis fuerit.

VITA ET MARTYRIVM SANCTISsimæ Virginis * Margaritæ, ex ea quæ est per Metaphrasten.

*al. Marinã. Vide Notati. C Baron. in Martyrol. Roman. 20. Iulij.

BEatã & præclarã virgo Margaritã, quam Græci Marinam vocant, cuius nomen meritò propter virtutis constantiam immortalitati consecratum est, Antiochia Pisidiæ parentibus, quod ad corporis quidem nobilitatem attinet, claris admodùm oriunda, patrem habuit *Aedesium, præcipuo sacerdotij idolorũ honore celeberrimum. Cùm autem parentibus suis vnica esset, & quidem eximia corporis pulchritudine filia, matre antè tempus è vita sublata, fuit quintodecimo ab vrbe milliari, nutrici honestis planè moribus fœminæ, alenda tradita. Quæ cùm eam honorificè haberet, moribusque ingenuã virgine dignis imbueret, breui & nutricis diligentia, & insita indolis bonitate eò peruenit, vt nulla re magis quã insigni morum

Patria & parentes S. Margaritæ.

Vixit annõ Domini 351. &c. sub Constantio Imp. vt patet Tomo 3 Annal. C Baro fuitque Iuliano maximè tẽporibus.

honestate vitæque integritate animus eius ob
lectaretur. Hinc cũ adulta paulatim ætate mul
ta quotidie & de vitiorum fœditate, & virtut
pulchritudine cognosceret, cœpit Christiano
rum disciplinam, quàm omnibus virtutum or
namentis mirificè decoratam audiuerat, vehe
menter adamare, seseque totam liberis action
bus eidẽ consecrare: prorsus vt neq; Crucis sig
naculum idolorum cultoribus exosum erubẽ
ceret, neque patris furorem pertimesceret.

Adamat Christianam disciplinam, & fit Christiana.

At AEdesius pater, qui incredibili idolorum
superstitione cõflictabatur, cùm nullis vel bli
ditijs vel minis Christi confessione eam abdi
cere posset, furore percitus, adolescentulam, f
liam vnicam Olybrio Orientis præsidi, homi
crudeli & humanum sanguinem auidè sitient
tradidit, vt suam in eam crudelitatem exerc
ret, atque vi mala coactam ad idolorum cu
tum impelleret. At Olybrius quanquàm natu
rali efferatus sæuitia, vix vlla morum verbor
que modestia ad lenitatem inflecti posset, p
mo tamen virginis conspectu ita emollitus e
vt nimio illius amore saucius, firmo matrimo
nij vinculo eam sibi copulare decerneret. A
Margarita blandis eius sermonib. tentata, tan
præclara responsa prudentiæ & virtutis plen
sima dedit, vt Olybrius facilè intelligeret, tan
tam virtutem nudis sermonibus nequaquá ex
pugnandam esse. Iussit igitur sequentibus s
satellitibus, vt eam honorificè Antiochiã dedu
cerẽt, suoque ibidẽ, certo die, tribunali sisterẽ

Traditur Olybrio Præfidi torquenda.

Vult eam habere coniugem.

Ducitur Antiochiam.

Nec mora. Virgo omnibus animi corporis q
dotibus ornatissima, tribunali oblata fuit. Præ
ses verò defixis in eam oculis, adeò formæ eius
venu

venustate mox toto corde resolutus est, vt ad blanditias conuersus, multa diceret promitteretque, quæ animi eius molliciem manifestè prodebant. Cæco enim amore captus, nihil moliebatur aliud quàm vt cupitis eius amplexibus frueretur: animumque libidine inflammatum voluptate expleret. Sed virgo Margarita, cui castitatis pulchritudine & amore Christi nihil charius, nihil erat suauius, surdis auribus promissa omnia transibat: totaque mente in cælis defixa de æternæ fœlicitatis gloria pertractabat. Cumque Præses vehementius instaret, & ab ea cogitatione importunis vocibus castam illius mentem auertere conaretur, illa vultu oculisque angelico quodam splẽdore coruscantibus ita Præsidem affata est; Quid? Ego, quæ ineffabili Christi gratia meritisque ad vnius veri æternique Dei cognitionem vocata sum, nefando idolorum cultu me contaminabo? Quid? ego Christi Iesu ancilla illum negabo, qui morbos & ægritudines sceleribus meis debitas excepit, doloresque qui mihi subeundi erant, sustinuit, & cruciatu suo me ab exitio, & cruciatu sempiterno liberauit? Omnia potiùs suppliciorũ genera alacri animo subibo, quàm tanto ingrati animi scelere me constringam.

Olybrius ei⁹ pulchritudine captus ei blanditur.

Præclarè respondet Præsidi.

Olybrius tali virginis responso stupefactus, ac tandem ira repletus, humi eam prostratam virgis atrocissimè cædi imperat. Illa verò oculis insita pietate ad cælum sublatis, Christi numen inter supplicia implorabat, nè cruciatuum atrocitate victa aliquid Christiana virtute indignum proferret. Deindè ad Præsidem conuersa, dicebat: quæcunque tibi diabolus suggerit,

Cæditur virgis.

quamprimùm in me exprome. Ego namq; Christi spiritu roborata, tua nihil tormenta timeo.

Fuscinis laniatur.

His dictis vehementer irritatus Præses, ferreā concluſam laminis clauiſque confixam, ferreā eam fuſcinis cædi iubet. Cumque diu laniata omni corporis decora exuta iam eſſet, Olybrius auerſo vultu, vtpotè qui tantam membrorū mutilationem ſine magno animi dolore aſpicere non poſſet, eam in cuſtodiam abduci iuſſit.

Mittitur in carcerem.

Ibi tum virgo ſanctiſsima ſummis doloribus afflicta, ardentiſsimas preces Chriſto offerre, eius miſericordiam implorare, plagas ſanandas exhibere, integras vires priſtinumq; corporis vigorem poſtulare: denique enixius obſecrare, vt humani generis hoſtem, diabolum proprijs oculis videre poſſet, qui eam oppugnabat; & caput eius contereret: cum eccè repentè valido excitato terræmotu, dæmon in ſpecie terribilis draconis, Sanctæ oculis adſtans primùm; deinde celeriter eam circumcurſans, manifeſtum execrando ſibilo intolerabili fœtore, vaſtoque oris hiatu, ei minabatur exitum. At illa, mente in Deum ſtabili, vota preceſque multiplicans, ſignoque Crucis ſe conſignans, profligato dracone repentè immmenſo lumine circumdata fuit, ſimulq; à plagis omnibus curata; tanto inſuper gaudio atq; conſolatione perfuſa, vt planè in cælis ſe conſtitutam exiſtimaret.

Diabolus ſpecie Draconis ei apparet.

Fugat Draconem & ſanatur.

In his porrò ſancta virgine & martyre per totam noctem illam exultante & Deum glorificante, Præſes manè aduocata pro tribunali concione, eam adduci iuſsit; quam cernens totā corpore nō modò ſanam, ſed noua inſuper pulchritudine decoram, vehementer, vt par erat,

obſtu-

obstupuit, atque vt dijs tantum beneficium acceptum referret admonuit. Vides, dicebat, ô Marina, quantam dij nostri tui curam gerant; vides quomodo te ab exitio conseruatam cupiũt: Nunc igitur, vt ingrati animi scelus euadas, æquum est, vt sicut tuus pater constituta sacerdos, perpetuo deorum sacerdotio fungaris. Cui Margarita: Absit, inquit, vt tanto me scelere, in summi Dei summam iniuriam, vnquàm astringam, & clarissimum hoc donum, quo à Christo Iesu Redemptore meo me affectam vides, ad muta simulacra impiè transferam.

Vruntur pectus & latera eius.

Tunc Præses in rabiem conuersus, lampadibus pectus lateraque eius aduri iussit; quod illa supplicium tam inuicto animo sustinuit, vt Præses admiratione defixus, ne propter virginis constantiam à circumfusa multitudine ludibrio haberetur, continuò aquis eam suffocari iuberet. Nec mora: Vas ingens aquis repletum adductum fuit, vt vinctam eam in illud deturbarent. At martyr, cùm nondum se sacris aquis lustratam recordaretur, Christum precata est, vt præsenti suo numine aquas illas sacraret, animique sordes cælesti lauacro expiaret. Aspice, dicebat, ô Domine ancillam tuam, & rumpe vincula mea, fiatque mihi hæc aqua in vitam æternam, & in supplementum baptismatis à me desiderati, ad depositionem veteris hominis, & indumentum noui illius, qui secundùm Deum in veritate & iustitia creatus est.

Rogat per aquam Baptismatis renasci.

Ephes. 4.

Mergitur in aquam.

Hæc orantem carnifices in aquas præcipitem dedêre. Et ecce repente horribili terræmotu, niuei candoris columba cælitus delapsa coronam

ronam ore tenens sanctissimæ martyris capu
leuiter attingere visa est. Hoc cùm alij stupor
defixi contemplarentur, sublato in cælum cla
more, Christum vnum & verum Deum con
fessi sunt; quos omnes numero, vt aiunt, vltr
15. millia, Olybrius immisso exercitu crudeli
ter trucidari, Margaritam verò extrà ciuitatem
capite plecti iussit. Cùm autem vnus ex mil
tibus stricto ense ceruicem eius ferire velle
illa ad militem conuersa; Sustine, inquit, p
rumper, ô fili astantem postremis verbis allo
quar plebem, precesque ad Deum fundam: t
sic demùm imperata perficias. Fuit postula
eius benignè satisfactum. Ipsa verò magn
omnium silentio audita, luculentis sanè verb
multa de rerum omnium Creatore atque Tri
nitatis mysterio ad populum disseruit, multo
rumque animos flamma quadam fidei incen
dit; ac postremò preces ad Christum tan
virtute instituit, vt numen ipsum cum angelo
rum multitudine præsens esse cuncti haud d
biè intelligerent. Tandem hortata memor
tum militem vt optata martyrij gloria
eam afficeret, capitis abscisione vi
ctoriam obtinuit, lætaque ad
cœlestia regna commi
grauit.

Multi interficiuntur Christiani.

Capite cæditur S. Virgo.

VII

VITA S. VVLMARI, ABBATIS ET Confessoris, apud Boloniam Franciæ quiescentis, admirandæ sanctitatis Viri, ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Claruit anno Domini 689. Sergij Papæ 2. Iustiniani iunior. Imp. 5.

Vide C. Bar. 8. Tom. Annal. & notas. Martyrol. Roman. 20. Iulij.

S Vulmarus in inferioribus Galliæ partibus, pago Bolonienſi in villa Siluiaco oriundus, Chriſtianis & inclytis admodũ parentibus patre Vulperto, matre verò Duda natus eſt. Erat illi frater vnicus VValmarus nomine. Accidit porrò, vt Vulmarus in primo iuuentutis flore coniugem Hiſtoraldam nomine duceret, arctiſsimisque amoris vinculis eam ſibi copularet. Sed cùm ea alteri cuidam iam antè deſponſata eſſet, fuit Vulmaro apud Francorum principem lis intenta, cuius imperio Hiſtoralda priori ſponſa VVilmaro nomine reſtituta eſt. Vulmarus verò coniugij iſtius vinculis ſolutus, tædio mũdani ludibrij affectus, monaſterium petijt, in pago Hannonienſi ad Sambram fluniũ ſitum, cui nomen Altimõtis, monaſticis diſciplinis celeberrimum; in quo impigrè ſanè ad omnes virtutis labores ſubeundos Abbati ſeſe tradidit. Suſceptus itaque primò ad pecorum curã, & ad ligna fratrum officinis deferenda deputatus fuit. Quod munus, quanquã vile & abiectum ſanè miniſterium, prompto animo executus fuit. Porrò cũ ſpiritus eum ad contemplationis ſtudiũ aſsiduò raperet, vrgeretq; vt pectus cognitione rerum maximarum impleret, vir ſanctus amore literarum inflãmatus, (erat enim illarum planè rudis, & ignarus) prima elementa in manus ſumpſit, & inter quotidiana

Patria & parentes S. Vulmari.

Vxorem ducit, ſed ſtatim eam dimittere cogitur.

Fit monachus.

ministeria animum erudijt, mentemque quotidiè magis magisque ad literarum amorem accendit.

Fit Clericus.

Postquàm verò sanctum eius studium Abbas innotuit, ab hoc ministerio absolutus, literarij studijs totus est traditus, ac paulò pòst in clerum adscriptus, atque omnium iudicio propter virtutis studium, eo honore dignissimus iudicatus. At ille nè in scopulos superbiæ impingeret, seipsum despicere, & viliora etiam ministeria die noctuque obire, modisque omnibus conari, ne suijpsius cognitione vel latum vnguem recederet. Sed quò magis ille honores subterfugiebat, suique deprimendi studium amabat, eò magis honoribus dignus habebatur; prorsus vt vel inuitum Abbas ad Sacerdotij munus suscipiendum impelleret, & nouis quotidiè honoribus decoraret. Sed vir Dei ruinam animæ vehementer pertimescens, totaque mente fucatos honores perhorrescens, relicto monasterio, eremum petijt, vastamque syluam, Mempisco pago vicina errabundus peragrauit. Ibi demum cauam conspicatus arborem, domicilium cõstituit, & dubus admodum tribus cibi omnis potusque expers præclarè delituit, animumque cælestibus epulis abundè expleuit.

Studet, cognitioni suiipsius.

Fit Sacerdos & petit eremum.

Iste locus nõ longè distat Cassero, Flãdriæ oppidulo.

Tunc pius & misericors Deus, qui suorum curam paterna pluisquàm prouidentia gerit, in locis illis excitauit virum quendam misericordiæ & pietatis operibus egregiè deditum, vt in vasta illa eremo Dei famulum requireret, suisque eum alimentis triduano ieiunio confectum reficeret. Ille hac visione secundùm quietem admonitus, quanquam loci ignarus vbi sanctum

Monetur vir quidam diuinitus, vt pascat Vulmarum in eremo latentem.

inue-

inuenire posset, cibos tamen parauit, & conscẽso equo ad eremum perrexit, rectaque diuino planè nutu equus ad arborem, in qua Vulmarus delitescebat, peruenit. Tunc vir ille, conspectu viri Dei mirificè exhilaratus, cibos deprompsit, & ad communem mensam benignè inuitauit. Nec renuit Vulmarus, sed de allata annona gratias agens, animum ad omnes labores pro Christi gloria constanter subeundos obfirmauit: statuitque inter ferarum lustra, reliquum vitæ cursum in omni sanctitate exigere. Sed vir ille assiduo Vulmari conspectu sanctaque conuersatione atq; precationũ eius suffragijs frueretur, multis verbis promissisque ad suum fundum eum pellexit, & locum nouo monasterio construendo aptum attribuit. Nec recusauit Vulmarus importunis optimi viri precibus victus, sed oblatum munus accepit, locumque nõ tam superba monasterij fabrica, quàm admirãdis discipulorum virtutibus celeberrimũ reddidit.

Cõstruit monasterium.

Cùm itaque multis virtutibus clarus omnibus innotesceret, & ex varijs ad eum locis multi certatim confluerent, ille rursus elationis animi periculum pertimescens, ad pagum Bolonienſem clàm se subtraxit, & in sylua, vno à paternis ædibus milliari dissita, quæ hæreditario iure ad eum spectabat, ecclesiam Virgini matri ac cælesti clauigero sacram construxit. Quò cùm illum inuisendi gratia complures vtriusque sexûs homines conuolarent, inter alios & VVulmarus frater eius germanus adfuit, ignotumque præ foribus cellæ, manum operibus intentum, inuenit, Quo salutato, quis esset, & vn-

Reuertitur Bolonidm.

Manifestat se fratri germano VValmaro.

dè veniret quidre moliretur, studiosè quæsiu
At eremita Christi non ferens diutius in tan
ignorantia fratrem versari, germanum eius
esse professus est. Ille verò ex fratris respon
hilarior effectus, Eamus, inquit, ad ædes pate
nas, & matrem nostram diuturno mœrore a
sentiæ tuæ tabescentem consolemur. C
Vulmarus; Non, inquit, frater mi decet,
locum hunc suscepti semel certaminis des

Recusat inuisere matrē.

ram, & vanis consolationibus animum m
um emolliam. Quin tu potius ito, & matri n
stræ felicem cursum meum nunciato, vt nõn
la in hac eremo alimenta mihi meisque su
peditet, vt pro eius incolumitate ac sempite
na salute assiduas vicissim preces Deo offer
valeam.

Hæc VValmarus matri suæ deferens, tan
eam gaudio cumulauit, vt cuncta ad monast
rij sustentationem libenter submitteret, fi
umque VValmarum cibarijs onustum freque
ter eò destinaret. Accidit autem die quodam,
Vulmaro fratre non inuento, magnos in a
eiulatus emitteret, Vulmarumque VValm
rus repetitis vocibus sæpius inclamaret. Tu
vir sanctus è latebris prosiliens, Frater m
inquit, tales deinceps noli edere clamore
Suspendit deindè ligneam in arbore tabell
cum malleo, vt eo signo fratrem deinceps
uocaret. Hæc verò in perpetuam rei meme
riam cum prædicto malleo in monasterio co
seruatur. Confluebant interim ad sanctum De

Multi eius institutum amplectuntur.

complures vtriusque sexûs homines, sub ei
sacro instituto militare cupientes, quos ille be
nignissimè suscipiẽs, & ambrosia cælestis disc

plin

plinæ depascens, nectare diuini amoris inebriabat: Semota tamen habitatione virorum à mansionibus mulierum; quibus sanctissimæ conuersationis Bertam Abbatissam neptem suam præfecit; ipse verò pastor monachorum ab vtriusque ouili, lupum vigili admodùm custodia arcebat.

De Ceadualla vide Bedam. lib. 4. c. 12. 15. & 16. lib. 5. cap. 7. Hist. gentis Angl.

Anno incarnationis Dominicæ 688. Ceadualla occidentalium Saxonum rex, in Britannia factus catechumenus, audita Vulmari sanctitate, & studio admirabili, quod in salute animarum die noctuque impendebat, magnis itineribus eò contendit, vt & illius documentis & precibus, ad iustitiæ semitam viriliter ambulandam fulciretur. Quem vir sanctus magna beneuolentiæ significatione excipiens, tam suauibus sermonum suorum refecit epulis, vt nō modò Romam profectus contractas animi sordes in fonte baptismatis ibidem deposuerit, sed tā præclarè ad finem vitæ in fide perstiterit, vt plenus operibus bonis sanctissima Vulmari documenta se percepisse vehementer gauderet.

Fur quidam proditur diuinitus.

Accidit quodam tempore, vt fur quidam equum viri Dei callidè abduceret; & preda lętus abiret. Sed cùm longum satis itineris spatium emensus, periculum omne se euasisse crederet, tota nocte errabundus manè antè monasterij fores se constitutum vidit. Cumque timore perculsus, ex equo desilire & fuga sibi consulere vellet, nullo modo descēdere valuit: nec ab alijs, qui eum comprehenderant, indè auelli. Ductus igitur vnà cùm equo ad Abbatem fuit; qui propius accedēs, tanti sceleris eum, vt par erat, coarguit, suisque eum manibus deposuit, ac li-

ac liberum abire permisit. Tunc longè late diffusa sanctitatis eius fama, permulti ad eũ nerunt, dona muneraque sanè amplissima o rentes; quæ ille in pauperes, quorum erat diosissimus, benignè distribuit. Porrò, quam Christi miles passus sit dæmonũ insidias, quà superauerit persecutiones, qua virtute per nem ætatem aduersus animarum hostes luc tus sit, nullis verbis explicari potest. Tande multo grauatus senio ità è vita excessit, vt c pus admirandis præditum miraculis, quæ ap illius tumulum coruscant, relinqueret.

Claret miraculis post obitum.

Vide 2. Tom. Annal: Cæs. Baron.

VITA S. PRAXEDIS VIRGINIS, ea quæ est per Adonem Archiepiscopum Treu sem. Obijt Anno Saluator. 164. Pij Papæ 7. M Aurelij Imp. 2.

21. Iulij. *Pater S. Praxedis, Pudẽs, à S. Paulo instructus.*

PRaxedis claris natalibus Romæ oriun patrem habuit Pudentem nomine; qua Paulus apostolus diuinæ legis cognitio egregiè instruxit, & in omni sanctitatis offic præclarè erudiuit. Ipse verò in Praxedem & P tentianam filias suas egregiũ illud pietatis ficium vicissim tam excellenter effudit, vt stissimis virginibus nihil in vita dulcius, nih charius esset, quàm spreta mundanæ gloriæ p tentia, die noctèque Christo seruire, precib & hymnis incumbere, pauperum inopiam sub leuare, ac nullum denique pietatis studium v quam negligere. Porrò defuncto parente sa ctissimo, ambæ sorores maximam facultatu partem in pauperes erogârunt, eorumque min sterio tam sedulò vacarunt, vt propriæ necess tatis quodammodo oblitæ, quidquid posse

Distribuunt facultates suas in pauperes, Potentiana & Praxedes sorores.

vo

vel pecuniarum vel opis, alacriter in eos conferrent.

Potẽtiana verò vitæ munere sanctissimè perfuncta, Praxedis domum paternam pauperum hospitio cõsecrauit. Nouato etiam fratre mortuo, cum Pio pontifice egit, vt in eius thermis ecclesia dedicaretur. In titulo verò, quem pater eorum Pudens, nomine beati Pastoris dedicauit, consilio & auctoritate beati Pij Pontificis regenerationis lauacrum instituit, in quo seruos & ancillas numero sex & nonaginta, integra libertate donatos, sacris aquis manibus ipsius Pontificis expiari curauit. Fuit enim sacra virgo adeò & Christi amore & animarum salute inflammata, vt nullum diem immunem præterire sineret, quem nouo pietatis opere nõ illustraret. Iam enim tumulandis martyribus; qui pro Christi nomine viriliter decertârant, iã subleuandis pauperum necessitatibus intendebat. Inter alios autem beatum Simetrium presbyterum, cum alijs viginti duobus martyrij gloria inprimis celebrem, suis ipsa manibus apud titulum supradictum reuerenter sepeliuit. Tandem inter ipsa pietatis & misericordiæ opera, virgo beatissima migrauit ad Dominum, iustitię corona in cælis redimita; sepultaque est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, iuxta sororem suam & patrem Pudentem posita.

Sacros fontes in Ecclesia erigere, Apostolici instituti est.

Commendatur Virgo ex martyrum sepultura.

Hoc ipso die, post longa temporum curricula, Maximiano Romanis imperãte, diuus Victor in vrbe Massilia sæuis cruciatibus est affectus. Per mediam siquidem vrbem funibus tractus, eculeoque suspensus, fustibus ac neruis cæditur. Postea Iouis ad aram delatus, cùm eam pede percu-

De S. Victore hæc scribit Ioannes Maldonatus. Vide quoque C. Baron. Notat. in martyr. Rom.

percuteret, enſi ſecandum pedem ſubmitte
iuſſus eſt . Molæ tandem ſuppoſitus aquari
quòd cælo fauente machinam diſſoluiſſet, gl
dio eſt confectus. Tres ſimul cum eo milites,
lexander, Longinus & Felicianus, qui eius c
ſtodiæ præpoſiti in Chriſtum ob miracula cr
diderant, decollati ſunt.

VITAE CVRSVS BEATAE MARIA Magdalenæ, ex aurea Roſa Sylueſtri Prieratis Viri doctiſsimi, profeſsione Dominicani: In e poſitione Euang elij feriæ quintæ, Intrà Octau Paſchæ. De quibuſdam verò quæſtionibus, libr lisq; Apocryphis, hanc Sanctiſsimam fæminā co cernētibus: & de eius translatione, videat lect C. Baronij Annalium Tomum 1. & Notat. e in Martyrolog. Roman. hoc die.

22. Iulij. *Reliquiæ S. Magdalenæ apud S. Maximinum in Gallijs.*

CVM anno Domini 1497. deuotionis gr
tia antrum pœnitentiæ laboribus Mag
dalenæ celeberrimum , ſacraſque ei
reliquias, apud S. Maximinum viſitaſſem, oſte
ſum eſt mihi pluries venerabile caput ei
grande valdè, & carnibus vndique nudatum
excepta ea parte frontis, quam Saluator omn
um ſacro ſanctis ſuis manibus tetigiſſe fertur.
Ibi enim pellis ad inſtar Aethiopiſſæ clarè ap
paret , & in pelle impreſſa quorum digito
rum extremitatum indicia ; quorum alterum
reliquo multò eſt euidentius atque profun
dius : & ſub pelle caro ad albedinem decli
nans clariſſimè elucet. Oſtenſi ſunt & in vitrea
ampulla capilli eius, qui ſanctiſſimos Chriſti
pedes terſôre; nec non & ampulla vitrea, ple
na ter-

Veſtigia digitorū Chriſti manent in capite Mariæ Magdalenæ.

na terra rubeo nigroque colore mixta, quam in paraſceue Magdalena ſub cruce collegerat; Quæ, vt conſtanti omnes ſermone aſſerebant, ſingulis annis in die paraſceue perlecta paſſione, clarè ebullit; quaſi ſanguinem redemptionis noſtræ precium, omnium oculis conſpiciendum præbens. Vidi & brachium eius magnum & cerei coloris. Oſſa verò reliqua argentea capſa concluſa videre non potui. Alabaſtrũ quoq; vnguẽti nardi ſpicati priſtici precioſi, mõſtratum eſt mihi Maſſiliæ in Eccleſia S. Victoris. Hæc Sylueſter; qui deindè poſt pauca refert, quòd cùm in loci eius archiuis, diligenter ea, quæ ad hiſtoriam huius beatæ peccatricis pertinent, inquiſiſſet, ſe in illis deprehendiſſe, quendam eximiæ ſanctitatis monachum Dominicanum, Eliam nomine, qui in ſpecu B. Magdalenæ orationi vacare ſolebat, cum ad eum locum iam iam moriturus ſe deferri curaſſet, hæc nouiſſima verba ſequentibus fratribus ac peregrinis dixiſſe; Fratres, dies venit & hora mihi diu expectatæ mortis; Igitur quæ ad beatæ Magdalenæ gloriam & veſtræ ſalutis augmentum enarro percipite.

Narratio fratris Eliæ fide digniſsimi, de B. Magdalena.

Cùm B. Magdalenæ ſeruiturus, deſertum iſtud & rupem horridam petiuiſſem, exacto hic menſe, ingenti ſolitudinis tædio affectus, diſceſſum tacitus cogitaui. Quadam igitur nocte vehementiori cogitationum æſtu abſorptus, aſtitit mihi B. Magdalena, & inter alia hæc mihi dixit; Tu hinc à meo ſeruitio diſcedere cogitaſti; ſed audi, quæ dicam, & demùm age, quæ libet. Vt noſti, inquit, è Hieruſalem Maſſiliam multi, Deo volente, & nauem ſubue-

Apparens Magdalena S. Eliæ, ordinem ei pandit translationis ſuæ.

subuehente, deuenimus. At vbi Massilia & pa
non parua regionis, Christianæ fidei sac
initiata fuit, tantum circa nos humanus fau
& inquietudo creuerunt, vt hominum cons
tia fugere cogitarem; Rapta verò diuinitus, s
huius antri sui ore deposita. Cumque hi
inde per locum mihi à Deo paratum lum
direxissem, draconem, quem mea soror Mart
occidit, repentè inter lucem & tenebras, lo
go viperarum agmine sanè horribili circu
septum, aspexi. Subitò me apparente in spelu
& draco & viperea multitudo excitatur in
oculis & sibilis suum furorē præ se ferētes.
que iam deglutiendam draco me in sua ora
xisset, quia lingua non poteram, sic sum p
fundo & securo corde locuta; Dulcius am
Iesu, tristemne ac solam in deserto post
numera tua dona, draconis me escam effec
Tunc subitò Angelus de ore draconis educt
me allocutus est, dicens; Beata, quæ fidem
nes; ac draconem calce percutiens, Egrede
inquit, hinc draco, & omnes viperæ tecu
Deindè verò ad me conuersus, Deus, inqu
quem tantum ô Magdalena concupiscis
semper habes, te vult hunc locum lachry
irrigare profusis, vt futuris seculis exemplu
pœnitentiæ perpetuò fias. Remansi, eò d
sparente, perterrita, & loco lustrato hom
nibus inuium ascensum descensumque, rup
vetante, cognoui. Tunc amoris dulcedine
lachrymas resoluta, me in terram prostrau
adorans ac dicens; Gratias tibi Christe ag
quòd me omni mea affectione replesti: sed o
ro, fontem in rupe hac exhibeas deprecan

Magdalena diuinitùs transfertur in locum deserti.

Magdalena exemplum Pœnitentiæ.

Pons ad preces eius scaturit è rupe.

Cru

Crepuit statim sub meis oculis immane hoc saxum, & quas cernis, Elia, aquæ è duro cilice scaturiêre. Cumque antè ipsum limpidissimum fontem genu flexo, Christo gratias agerem, eccè plusquàm mille spiritus vidi in speluncæ dextera stetisse, verba suauissimi amoris Hebraica lingua decantantes. Cùm igitur postremò subintulissent, non expedire animæ tam assiduam orationum frequentiam, dæmones esse intelligens, cùm Iesum territa acclamassem, repentè cum suis militijs Angelus Michael adfuit, dicens: Adsum Magdalena, ne timeas. Denique cum malignis spiritibus congressus, eos omnes in effusam fugam compulit, ita clamantes; Non eris tamen ideò beata tu, quæ orationibus vacas in antro. Crucem igitur in ore speluncæ Angelus erexit, dicens; Caue ne extimescas in posterum; custos tui est altissimus. Igitur ante crucem, eo disparente, cùm iacuissem, timore nimio exsiccatis visceribus orationi instare attenta non prævalens, collectas duas radices in ipso ore speluncæ & lotas comedens, aquam de fonte bibi; post quam humanum aliquid non gustaui. Crucem deindè complexa, ea die ac nocte sequenti orans, orto Sole, oculos ad Crucem ipsam leuaui, coloris, vt videbatur, crystallini, & radijs fulgentibus coruscam. Cumque in me amoris vehementissimi flammam persensissem, ecce tam læta & iubilans angelorum turba adfuit, vt æternam in hoc antro vitam credidisses. Repentè igitur ab his ad infernalia loca delata, pœnarum genera & punitorum turmas inspexi. Cumque

Crucem in spelunca constituit Angelus.

Rapitur Magdalena ad locum in-

ferni & purgatorij.

ad loca Purgatorij ventum esset, tanta dulce
ne me Spiritus deuoti circumsteterunt, vt mi
viderer esse in patria,& cum magna teneritu
ne dixerunt: Ora pro nobis Magdalena nos
Quibus ego;Vtinam,inquio, vestra volũtas
me impleatur.

Deindè verò ad Crucem iterum reposit
hi Angelus ait; Quanto tempore tuus ac
ster amor Iesus in terris te propter vixit,
to tu quoque in hac spelunca moraberis. S
igitur,eo disparente, ad Crucem orans, in
ea Christum salutem meam contemplans.
mni autem euoluto die, angelorum adfu
militiæ, & me tam sublimem in aêra sust
runt,vt cælestes audiuerim resonare melod
Quod ab indè citra septies semper intra d
& noctem fecerunt. Frigus ac gelu, igne
censa diuino,iam non curabam. Cumque
vestes paulatim vetustate deciderent, pa
tim quoque diuina pietate mei creuêre cap
in ipsa verò Cruce cuncta Christi myst
viua quasi imagine expressa incredibili sp
tûs dulcedine comtemplabar. Ibi Annæ &
acchim historias;Ibi Mariam Iesum meum
hi parientem; Ibi Crucifixi tetrum liuor
Ibi pium cruorem; ibi dura vulnera; ibi
cem ac mortẽ eius dabatur intueri, & eundẽ
gredientem ab inferis, & cæli sidera penetra
tem.Cumq; his cibata ferculis, nocte dieq;
rem,cùm lauandi vultûs gratia fontem petit
sem,obuium mihi humana forma Iesum me
verbis alloquentem vidi; Te propter Ma
loca ista constitui. Circumstabant cæle
militiæ regem suum, florum serta gestant
&c

Quotidiè crebrò in aëra sustollitur ab angelis.

Christus ei apparet.

& oliuarum palmarumque ramos tenentes in manibus. Et eccè reſplenduit ſubitò aſſumpta humanitas, & ſeipſum ad inſtar ſui, cùm eſſet in monte Thabor, Saluator tranſſigurauit, adeò vt me oculos inflectere tanta Maieſtas cõpulerit. Me quidem ad vultum dilectum oculos attollere dulcis amor inflammabat, ſed acies tanto ſplendore hebetata non valebat. Cumque mecum multa contuliſſet, illapſus eſt cælo; & quo ad vixi, centies ac decies me in ſpelunca pro ſua pietate viſitauit. Itaque Elia tibi conſulo teque rogo, vt in hac rupe Chriſti laudes exoluas, quo te ad vitæ portum tandem adducam. Sterilem locum ſola ac nuda ego audiui: tu verò fratrum habes ſolatia, & victui veſtituique abundanter opportuna. Igitur de perſeuerantia cogita. His dictis, ab oculis meis, inquit, Elias, Magdalena enanuit, & ego in hanc vſque horam omnes homines prædicta cælaui. His dictis, poſt horulam beatus ille pater expirauit, ſtatimque ipſæ campanulæ in ea rupe ſuſpenſæ, nullo hominum mouente iubilârunt. Omnia hæc ex dicto libello fideliter aſſumpſi.

Matthei 17.

Sæpiùs à Chriſto viſitatur.

Campanæ ad obitum Eliæ ſponte reſonant.

Mirabitur autem fortaſſis vir animalis, diuinam pietatem peccatricem animam tam præclaris donis extuliſſe; ſed ſi viderit, qui eiuſmodi eſt, prædicantem Chriſtum, & fortè laſciuientem in ſermone Mariam, ſubitò diuini ſermonis iaculo percuſſam, ſui pectoris arcana lachrymis & ſingultibus reſerare, ſi viderit repentè agitatam doloribus, & amore liquefactã, torques, armillas, dextralia Margaritaſque deponere, & effuſis comis, lugubres

Luc.7.& 8. assumere vestes, Si, inquam, viderit hanc Ie
su Christi tenuisse vestigia, & hæc lachryma
rum flumine lota exiccare capillis, & cordi
libus osculis ac miserandis vocibus miseri
cordiam suis sceleribus implorare, si à maculi
absolutam, in pace Christi pietate remissam,
prædicantem vbique Christum, & Mariam co
mitantem, haurientem quidem Christi doctri
nam, sed substantiam effundentem, Si hanc vi
derit pauperem ac itinere fatigatum Saluato
rem mundi excipere domo, fouere vnguenti
dapibus recreare, & discipulorum eius turbas
suis facultatibus sustentare, Si propinquis
Ioan.19. mò & discipulis fugientibus, carnifices inte
intrepidam Cruci adstitisse, cruëtam sanguine
Mar.15.& 16. lachrymis infusam, aêra eiulatibus adimple
tem, Si contemplari sepulchrum, & vnguen
parare, si mulierem fragilem sexu, noctis ti
nebras & arma custodum non extimuisse, (
vim amoris immensam) quin dilectum e
tinctum quæreret in sepulcro, si postrem
Ioan.20. hanc viderit vacuo sepulcro colligatam,
nulla iam præter lachrymas habere solati
videbit pariter diuinam pietatem, hanc ab e
tremo in extremum, non nisi per opportu
media deduxisse. Quæ enim crimina possent tu
gemitibus, tot lachrymis, tanto ardore no
esse abolita? Si animas scelestissimas bapti
malis vnda, sanguinis Christi operante virtu
te, pulcherrimas, & in oculis Dei Optim
maximè splendentes restituit, Quid in Maria
sanguis Christi è Cruce stillans effecit? Mirac
igitur magis oportet ignauiam hominum atqu
socordiam, qui in Maria Christi pietate perspe
cta,

cta, subitò quamuis scelesti & flagitiosi, non arcteruntur, vt vbi superabundauit delictum, superabundet & gratia? Rom. 5.

FRANCISCVS PETRARCHA, visa Mariæ spelunca & lapideo cubili, huius beatæ peccatricis considerans pœnitudinem, compunctus ait.

Dulcis amica Dei, lachrymis inflectere nostris,
Atq; humiles attende preces, nostraq; saluti
Consule: namq; potes. nec enim tibi tangere frustrà
Permissum, gemituq; pedes perfundere sacros, Luce. 7.
Et nitidis siccare comis, ferre oscula plantis,
Inq; caput Domini precios os spargere odores.
Nec tibi congressus primos à morte resurgens, Mat. 26. Mar. 16.
Et voces audire suas, & membra videre,
Immortale decus, lumenq; habitura per æuum,
Nequicquàm dedit æthereus rex Christi Olympi.
Viderat ille Cruci hærentem, nec dira pauentem, Ioan. 19.
Iudaicæ tormenta manûs, turbæq; furentis
Iurgia & insultus, æquantes verbera linguas.
Sed mœstam intrepidamq; simul, digitisq; cruentos
Tractantem clauos, replentem vulnera fletu,
Pectora tundentem, violentis candida pugnis,
Vellentem flauos manibus sinè more capillos.
Viderat hæc, inquàm, dum pectora fida suorum Matt. 26.
Diffugerent, pellente metu. Memor ergo remisit
Te primam antè alios: tibi se prius obtulit vni; Mar. 16.
Te quoq; digressus terris, & ad astra reuersus, Iaan. 20.
Bis tria lustra cibi nunquàm mortalis egentem

Rupe sub hæc aluit, tam longo tempore solis
Diuinis contentam epulis, & rore salubri.
Hæc domus, antra tibi stillantibus humida saxis,
Horrifico tenebrosa situ, tecta aurea regum,
Delitiasq; omnes ac dita vicerat arua.
Hic inclusa libens, longis vestita capillis,
Veste carens alia, ter denos passa Decembres
Diceris: hic non fracta gelu, nec victa pauore;
Namq; famem, frigus, durum quoq; saxa cubile,
Dulcia fecit amor. spesq; alto pectore fixa.
Hic hominum non visa oculis; stipata caterua
Angelicis, septemq; die subuecta per horas,
Cælestes audire choros, alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

Vide Notat. C. Baronij in Martyr. Rom.

MARTYRIVM S. ET GLORIOSI Martyris Platonis, ex eo quod exstat apud Metaphrasten. Videtur passus esse tempore persecutionis Diocletianæ, quo & Clemens Episcop. Ancyræ in Galatia coronatus est.

22. Iulij. *S. Plato prædicat Galatis.*

SANCTISSIMVS Christi martyr Plato, cũ apud Galatas diuini verbi semina spargeret, insensatosque Galatas fructu fidei planè admirabili ad veritatis cognitionem instanter adduceret, quidam crudelitate & sæuitia antè alios insignes captum in vincula coniecerunt, multisque oneratum iniurijs & supplicijs, antè vsitatum iudicij morem, tandem Agrippino Vicario maioribus frangendum cruciatibus obtulerũt. Agrippinus verò homo belluinis moribus, & aduersus Christi athletas

supra

supra modum efferatus, postquam intellexit animum eius Christi gratia ita roboratum, vt nullis supplicijs quantumuis atrocibus cedere vellet, tanquam grauioris delicti reum, crudis boum neruis extensum sæuè laniari iussit. Fuit tunc sanè horrendè à viris quatuor, indè à duodecim, in martyris corpus sæuitum; sed is, alacri & constanti animo in Christi confessione perseuerans, nullis cruciatibus vinci poterat. Vnde Agrippinus tantam in martyre virtutem admirans, simulque suijpsius dedecus pertimescens, à supplicijs ad carcerem eum abduci iussit.

Dirè cruciatur sub Agrippino Vicario.

Ducitur à supplicijs ad carcerē.

Martyr verò primi illius certaminis victoria illustris, defixos in se Christianorum animos, vultu oculisque ad parem gloriam vehementer prouocabat, omniumque oculos in se tam inuicta virtute conuerterat. Vt verò ad carceris locum ventum fuit, sublata manu silentium poposcit, verbisque ferè huiusmodi Christianorum cœtum compellauit; Viri fratres, num leui aliqua de causa hoc tantum certamen me suscepisse existimatis? Certè propter cæli terræque conditorem libens has plagas vulneraque sustineo, vt his breui perfunctus periculis, gloriæ illius sempiternæ in cælis fruar promissis. Quid? an nescitis quod passiones huius temporis non sunt condignę, ad futuram illam gloriam, quæ in nobis reuelanda est; Ne vos igitur conturbent supplicia, non carceres frangant, sed statæ animis; certi, quòd de omnibus his afflictionibus, quæ iustorum in hac vita propriæ sunt, liberabit nos Dominus. Hæc aliaque luculenter sanè perorantem

Oratio eius ad populum, dum ad carcerem ducitur.

Rom. 8.

Psalm. 33.

martyrem in carcerem truſerunt; quem ille lætus ſubijt, precibuſque continuis labores omnes mitigauit.

Septem autem poſt diebus, Agrippinus ſuum antè tribunal martyrem ſiſti iuſſit, ac diuerſa tormentorum genera, lebetem quippe æneũ, ſartagines ferreas, candentes crates, manus ferreas, catapultas, acutos obeliſcos, vncos, rotas, multaque alia aſpectu ſanè terribilia conſtitui exiſtimans infelix ſe per hæc eſſe martyrem territurum. Tum verò talem ad illum orationem inſtituit. Equidem, chariſſime Plato, quàm tui ſim nominis ſtudioſus, quamque te ab imminenti interitu, atrocibuſque ſupplicijs ereptum cupiam, teſtis mihi Apollo deorum optimus. Hæc quidem quæ vides ſupplicia, te noſter Imperator ſubire iubet, ſi eadem in mentis inſania perſeueras. At ego inſuper vt tibi tuoque generi & inſigni parentum tuorum nobilitati conſulam, & pulcherrimum illum iuuentutis tuæ florem ab hac peſte & exitio eripiam, fratris mei vnicam, quam habeo, filiam ſtabili matrimonij vinculo tibi copulabo. Beatus autem Chriſti martyr, leniter ſubridens; Quid, inquit, ô Agrippine, eſto, quòd mundanæ gloriæ fumo implicatus, vxoris in me nexus induere ſtatuerim, an tu exiſtimas quòd huiuſmodi ancillas qualis fratris tui filia eſt, vel meam in familiam admittere dignarer? Hoc autem vir ſanctus eò dicebat, vt illo contemptu tanquàm ictu vno amoris illecebras, Satanæ inſidias periculoſiſſimas, amputaret, eaque contumelia Vicarium ad certamen proſequendum acrius inflammaret.

Iudex terribus vult frangere Platonem.

Ibidem. Conuertitur ad blãditias.

Præclarè repellit à ſe dæmonis inſidias & nuptias reſpuit.

Tunc

Igne & virgis crudelissimè torquetur S. Plato.

Tunc Agrippinus, incredibili rabie exagitatus, martyrem in grabatum æneum conijci, virgis subtilissimis cædi, oleo, resina, bitumine, & prunis ardentibus vehementer cruciari iussit. Cumque inter atrocissima illa tormenta tyrannus martyri magna verborum petulantia insultaret, hortaretur que subindè vt Apollinem inuocaret, supplicemque se illi exhiberet, vt à sæuis illis tormentis eriperetur, Plato inclyto inuictæ virtutis robore corpus animumque attollens: Ego verò, inquit, dico tibi, ô tyranne, quòd

Magna fortitudo martyris.

neque vita, neque mors, neque gladius, neq; fames, neq; periculum, neque altitudo, neq; profundum, neque vlla alia res creata potest nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu

Rom. 8.

Domino nostro. Agrippinus his auditis furore percitus, multiplicari tormenta, omnesque machinas adhiberi iussit, vt martyris constantiam frangeret. Cumque horis admodum tribus omni suppliciorum genere atrociter sæuitum fuisset, discusso tandem fumo, qui aspectum ademerat, ecce martyr ex grabato descendens, nouo visus est coruscare splendore, & quasi è balneo egrediens suauissimos è corpore spirabat odores.

Nota rem admiratione dignam.

Agrippinus ea re stupefactus, iterum ad blanditias conuertitur; & nunc deorum hoc esse beneficium, nunc tortorum misericordiam, qui ægrè ferebant, tam insignem iuuentutem funesta adeò sorte extingui, multis persuadere conabatur. Tandem verò ait; Sed si nolis, ô Plato, animum inducere, vt dijs sacrifices, saltem Crucifixum illum abnega, & te liberum dimittam.

Inuicti martyris animus.

Cui martyr; ô cor peruersum. Qui mihi tot beneficia

neficia conciliauit, Saluatorem Christum t
propter negabo, meque socium tuæ impietati
constituam, vt eandem in pestem præceps ruam
Discede à me, qui operaris iniquitatem.

Sphæræ igneæ mammillæ eius applicantur.

Agrippinus ea fiducia & dicendi libertat
commotus, è throno suo consurgens, sphęras ig
neas martyris mammillis imponi iussit; quar
vehementia non modò latera, sed interior vis
cerum structura continuò nudata fuit: prorsu
vt cuncti eum examinatum crederent. Marty
autem paulò pòst oculos tanquam è somno a
cælos attollens exclamabat; Domine Deus m
discesseris à me: Ne fortè dicant gentes; Vbi e
Deus eorum? Hæc aliaque, multa pietate oran
tem Agrippinus iussit loris cædi, indè in ligno
suspensum vncis ferreis frustratim discerpi, la
niarique: prorsus vt ossa omnia carne nudata
triste atq; horribile astantibus spectaculũ pra
berent. Post hæc de ligno depositum sic tyran
affatur; Infœliciſsime mortalium, cùm iam a
ossa vsque excoriatus sis, de cætero quid expe
ctas? Cui martyr; Et tu, ô tyrane, à me quid aliud
expectas, quàm fidem Domini nostri Iesu Chri
sti? Tibi verò si quid restat aliud, quod mihi a
debetur, hoc protinus exequere. Tunc Agrippi
nus multo magis inuictum animi admirans ro
bur, rursus in lignum sublatũ vehementiùs tor
queri iussit. Cùm verò cerneret martyrem om
nibus tormentis superiorem, inuidia tabescens,
iterum depositum ad carcerem abripi, & pane
solo aquaque tenuiter sustentari iussit, nullum
interim, nunc per minas, nunc per blanditias
non mouens lapidem, vt saltem eum sibi supplicem efficeret.

Psalm. 78. Cæditur loris.

O egregium Christi athletam.

Rursus in carcerem abdicitur.

Octo

Octo & decem diebus in custodia cõstitutus, oblatum panem & aquam planè recusabat, certus quod is qui Danieli in medio leonum constituto nutrimentum suppeditauit, ipsum quoq; benignè nutriret. Cumque carnifices interitum illi à fame timerent, rogarentque vt cibum sumeret, nè ea res posteà apud Agrippinum illis fraudi esset, martyr respondit; Nihil vos ea solicitudo cõturbet. Vos enim nutrit panis, me verbum Dei permanens in æternũ. Vos satiant carnes, me puræ preces. Vos lætificat vinum, me autem Christus, vera vitis patris, qui sus[illegible] aspectum non cadit. Vos laudem ab hominibus expectatis, ego vocem Domini mei IESV Christi in extremo iudicij die: Venite benedicti patris mei, possidete regnum antè mundi constitutionem vobis paratum.

Daniel. 14.

Nihil comedit in carcere.

Ioan. 15.

Matth. 25.

Post dies autem aliquot Agrippinus eductum è custodia martyrem hisce blanditijs compellauit; Plato, quid est, quòd mihi optimè tibi consulenti parere recusas? Vel nunc igitur te dicto audientem præbe, ne vltimo mortis supplicio, tibi tuoq; generi notam dedecoris inferas sempiternam. Cui martyr: Mihi, inquit, viuere Christus est, & mori lucrum. Fac igitur citò, quod velis. Ego enim nefando simulacrorum cultu nunquàm me contaminabo. Tunc Agrippinus, abiecta omni prorsus victoriæ spe, capitis eum sententia damnauit; quam beatus Martyr post innumera certamina in loco, cui Campus nomen, alacri animo excepit: ac prætiosæ eius reliquiæ à Christianis ibidem depositæ.

Philip. 1.

Caput ei amputatur.

VITA

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron.

VITA S. VVANDREGISILI, ABBatis, *Ex ea quæ optima fide extat apud V. P. Laurent. Surium. Quo tempore obierit, patet infrà.*

22. Iulij.

Pater eius VValtchisus in regione Virdunensi.

PRAECLARVS atque glorioſus vir Dominus VVandregiſilus, cognomento Vvando, in Virdunenſi regione, nobilibus admodum parẽtibus ortus, patre nimirum VValchiſo, Pipini, excellentiſsimi Principis Francorum conſobrino, primùm ſub Dagoberto rege militaribus aulicisque nobiliter fuit educatus diſciplinis. Cumque cum ætate, indolis præſtantia omnibus admiranda paulatim accreſceret, multaque de ſe virtutis militaris indicia minimè vulgaria præberet, Dagobertus rex regiæ Comitem eum conſtituit, & multiplicibus auctum honoribus indies ad maiora prouexit. Cùm verò & ætas & dignitas nuptijs maturaſſet, parentes illi virginem quandam, licèt inuito, nobiliſsimis natalibus ortam deſponſarunt, ſolennique more nuptias celebrârunt. At Vvandregiſilus, virginei floris amantiſsimus, metu ſponſæ virginitatis integritatem ſuadere, caſtitatis munus prædicare, ſuauiſsimum Chriſti morem inculcare, modisque omnibus conari, vt thorum ad extremũ vitæ ſpiritum odore virgineę caſtitatis redolentem immaculatum conſeruent. Sponſa verò caſtiſsimis monitis exhilarata, ſupernoque lumine illuſtrata, Quæſo te, inquit, nobiliſsime virorum, vt quæ ore promiſis, actu explere non differas, meque famulam tuam æterni Regis caſtris committas. Tum ille mirificè de caſta illius voluntate gauiſus, abiecto ve-

Fit Comes Palatij.

Cum Sponſa nobiliſsima ſeruat corporis integritatem.

doveſtium ſplendore, ſacro habitu Chriſti ſeruitutem profeſſus eſt, ſponſamque virginem, velo piæ religionis opertam, ſacrarum virginũ monaſterio ilicò tradidit ſociandam; quæ vitæ curſum ſanctitatis opinione celebrem multis virtutibus atq; miraculis exornaſſe dicitur; ipſe verò, rebus ſuis in pauperes diſtributis, omnibus ſeculi curis atque impedimẽtis nudus, in loco, qui Mons Falconus dicitur, viriliter cum hoſte antiquo certamen inſtituit: eiuſque inſidias & oppugnationes egregiè ſuſtinuit.

In monte Falconis fit monachus.

Cùm autem inuidus pios eius conatus per ſe frangere non poſſet, protinus Regis procerumque animos concitauit, vt ab illo viuendi inſtituto eum reuocarent, atque priſtinæ dignitatis moleſtias ſubire compellerent. Itaque Rex eum accerſiri, & ſuſcepti inſtituti rationem reddere iubet. Nec recuſauit VVandregiſilus, Dei fretus auxilio: cuius opem iam antè in anguſtijs rebuſque aduerſis præclarè expertus fuerat. Cùm verò regias feſtinus properaret ad ædes, antè fores palatij ſubitò offendit pauperem quẽdam cum vehiculo, quod ei ſola erat domus, luto miſerè immerſum. Cumque alij miſerum præterirent, alij cachinnis, vt fieri ſolet, exciperent, ipſe de equo, cui inſidebat, cum grauitate deſcendens, pauperi manum porrexit, & plauſtrum non ſine ingenti moleſtia de luto leuauit. Id quidam ſtolidorum conſpicati, ſimulque amictum eius luto fœdatum cernentes, vanæ gloriæ & temeritatis eum inſimulare non ſunt veriti. At ille, optimo conſcientiæ ſuæ teſtimonio fretus, calumnias ſurda aure pertranſibat, opprobiaque æquo animo tolerabat; cùm ecce Angelus Domini

Officiosè ſuam operã nonat pauperi.

Angelico ministerio eius vestes mundantur.

mini vestem eius mundare est visus, multoq; quàm antè candidiorem reddere. Ea res cũ R. innotesceret, cerneretque Dei famulum mu simis præditum moribus, perditorum homi calumnijs nihil moueri; honorificè à se dim sum pietatis ac religionis operibus liberè va re permisit.

Construit monasteriũ.

Regia igitur auctoritate securus vir Dei, in lisgangiũ commigrauit territorium, vbi mo sterium in possessione propria construxit; qu deindè maximarum virtutum studijs celeber mum reddidit. Ibi namque vigilijs, ieiunijs, orationibus viriliter insistens, clarissimos hoste triumphos egit.

Mira eius inedia.

Inediæ adeò patiens er vt tota hebdomada, exceptis prima & quin sabbati in cibũ potumve admitteret nihil. Q dam verò nocte dũ obuolutus de more cili mẽbra quieti dedisset, angelico ductu Bobien in Italia monasteriũ lustrauit, diuinoq; hoc m nitus est oracvlo, vt ob explorandam arctio continẽtiæ semitam talia loca inuiseret. Trib igitur pueris itineris sui comitibus & asello sumptis, Alpium iuga transmisit, Bobiumq; i gressus, à discipulis B. Columbani peramanter est exceptus: vbi multa futurorũ pręsagia poste ris intimanda à Deo cognouit. Inde verò cęlest iterum monitus oraculo Romam petijt, vbi vo tis omnipotenti Deo ritè persolutis, denuò pe Alpes ad Gallica rura iter conuertit. Cùm aũt transcensis Alpibus, hospitij causa monaster quoddã Romanis nuncupatũ vltrà saltũ Iuren sem situm peteret, sanctissimis monachorũ isto rum disciplinis vehementer delectatus, eorum se militiæ adiũgit, annisq; admodum 10. spirita-

lia ibidem stipendia fecit, suauissimoque virtutum suarum odore multos è medijs mundi honoribus, ac certissimis animarum periculis, ad Christi seruitutē & viam salutis æternam adduxit: cælesti visione ibidem quandoq; cōsolatur.

Decem annis in monasterio quodam sanctissimè viuit.

Eodem tempore, anno tertio Clodouei Regis, filij Dagoberti, Audoënus sedem vrbis Rothomagensis adeptus, doctrinæ munere & vitæ sanctitate celebris habebatur. Cuius fama excitus VVandregisilus, simulque in visu admonitus vt occidentalia Galliæ reuiseret loca, Rothomagum peruenit; vbi ab antistite venerabili reuerēter exceptus, sacris est initiatus ordinibus; acceptoq; etiam paulò post sacræ benedictionis munere: eximia cum laude explebat ministeria sibi impositā. Quamobrē memoratus glorioſus præsul eum in vrbe secum perpetim retinendū censuit. At verò egregius Dei cultor, mundanorum honorum fastidio laborans, vt tutius cælestibus frueretur, secreta eremi ardenter expetere, & viam oēm tentare, vt excusso seruitutis iugo, vni Christo, ab hominum cōsuetudine auulsus, assiduò militaret. Talia voluenti animo, Erchinoaldus vir religionis studioſissimus, magnam soli partem, quam veteres, ob riuum in eo loco fluentem, Fontanellam vocabant, cōtulit, terminosq; monasterio cōstruendo aptissimos auxit. Tum vir sanctus, ciuitate relicta, eò concessit, cum nepote suo Godone: ac cœpit ædificare anno Dominicæ Incarnationis 645. Clodouei Regis II. sedente beatissimo Papa Martino. Tam verò solerti studio, tantaque industria perfectum est, vt penè illo in tempore alijs præclarioribus cœnobijs æquaretur.

Initiatur sacris ordinibus.

Et qui-

Construit Fontanellense monasterium, & congregat trecẽtos monachos.

Et quidem non multò post, spectata vitæ morumq; sanctimonia, trecentos haud infima conditione discipulos ibidem congregauit. Porro complures alias vir Domini ædificauit basilicas egregij operis: quas sanctorum reliquijs Romano Pontifice impetratis insigniter exornauit. Accidit autem die quodam, vt Betto quidam custos regij saltus, loco illo, in quo fratrum manibus victui necessaria comparabant, cederet ab ijsdẽ compelleretur: vnde liuoris peste correptus, simulque dæmone plenus, viro Dei lancea ad necem inferendam prompta occurrit, sed mox vltio diuina dexteram labefactans, ipsum insuper à dæmone arreptum humi strauit, quem vir sanctus, eius misertus, prolixis precibus tandem erexit, sanumque ad propria abire dimisit. Claruit & prophetiæ spiritu: ita vt quæ ventura essent, plurimis indicârit. Alijs præterea miraculis admodum clarus extitit; sed nullo maior illius laus, quàm quòd ingentem populi multitudinem nefaria idolorum superstitione conflictantem Christi cognitione illustrauerit, & diabolicæ seruitutis iugum ceruicibus illorum excusserit, assiduisque monitis in viam iustitiæ sine vllo errore perduxerit. Erant & omnes Caletorum populi adeò vita & moribus efferati, vt præter Christianum nomen haberent nihil, quod eorum religionem à gentilium distingueret. Eos vir diuinus à mentis cæcitate & insanientis animi temeritate, ad tantam vitæ modestiam & purum adeò religionis adduxit cultum, vt in ijs cælestis quædam respub. diuinis opibus florentissima cerneretur. Nec minor illi cura, vt afflictos & pauperes, & consilio & opibus

Betto dum vult virum Dei confodere, diuinitùs punitur.

Conuertit multos populos ad Christum.

opibus recrearet, & se suaque omnia cum inopia pressis benignè communicaret.

His virtutum insignibus egregiè clarus, sextum & nonagesimum impleuit annum, cùm patriæ cælestis desiderio accensus assiduis lachrymis vitæ suæ peregrinationem deplorabat. Tandem vltima imò salutifera correptus ægritudine, cùm iam glorioſum beatæ consummationis instaret tempus, cælesti munitus viatico, sempiternæque beatitudinis prægustata dulcedine, animâ cælo reddidit, anno ab incarnatione Domini 665. indictione octaua, Pontificatûs Vitaliani Papæ 11. ac Tertij Clotarij Regis anno similiter vndecimo: sedis verò suæ 26. inchoato. Corpus eius fuit in ecclesia beati Pauli Apostoli ab eo constructa honorificè conditum; vbi annis 40. admirandis virtutum signis clarum requieuit. Posteà verò à Domini quippe 719. Baino Taruanæ vrbis antistes, & Fontanellæ cœnobij Abbas, reseratomonumento, non modò corpus, sed & vestimenta quibus inuolutum erat, ita ab omni corruptione integra reperit, ac si eodem planè die tumulatum fuisset; quod multorum gaudio & lacrymis, in beati Petri Ecclesiam transtulit.

Obitus eius.

Post 40. annos corpus & vestimenta eius integra inuenta.

MARTYRIVM S. APOLLINARIS Rauennatum primi Episcopi, & à B. Petro Apostolorum Principe ordinati. Passus est Anno Christi 75. Lini Papæ 6. Vespasiani Imperato. 4.

Vide C. Baronij Annal. Tom. 1 & not. in martyr. Rom. 23. Iulij.

CVM Petrus Apostolorum princeps, Romę, diuini verbi prædicatione rem Christianam mirificè multiplicaret, Apollinarem q; discipulum Christianę disciplinę cog-

S Petrus Apollinarem Rauennatem mittit.

nitione ſanctiſſimè imbutum ſecum haberet, v
Rauennam vrbem eodem veritatis lumine illu
ſtraret, eum ſacerdotij munere inſignitum pe
ampla cum poteſtate eò deſtinauit. Apollinar
verò Chriſti præſidio cõfirmatus, & ſacroſanc
manuum impoſitione Apoſtoli roboratus, ea
expeditionem non minus confidenter quàm a
criter ſuſcepit, ſummaq; feſtinatione, vt popu
lum à miſeranda dęmonũ ſeruitute in Chriſti l
bertatẽ vindicaret, accelerauit. Cumq; nõ pr
cul ab vrbe hoſpitio à quodam milite Aſiatic
nomine Irenæo, exceptus, ibi primùm itine
ſui cauſam panderet, miles is, Habeo, inqui
ô hoſpes filium oculorum lumine orbatum,
um ſi tu Chriſti tui, quem prædicas, virtute,
ea calamitate liberare vales, ego protinùs De
tuo nomen meum dabo, eiuſq́ue potentia
reliquis ſimiliter intrepidè annunciabo. Apo
linaris nihil cunctatus, filium conſpectui ſu
oblatum accepit, ſanctiſſimiſq́ue expiatum pre
cibus Cruce conſignauit, dictoq́ue citius tetra
caliginem non tantùm ab oculis, ſed quod a
mirabilius eſt, à mente fugauit. Quo viſo mira
culo, omnis illorũ perfidia concidit, & ad Chri
ſti ſacra à miſerandis erroribus ingenti animo
rum gaudio translati ſunt.

Cæcus ab Apollinare cruce ſignatus videt.

Eodem tempore matrona quædam, Tecla no
mine, Tribuni militũ coniunx, grauiſſimo mor
bo, qui omnem medicorum induſtriam elude
bat, lecto affixa iacebat. Porrò Irenæus cùm ſub
hoc Tribuno ſtipendia faceret, admirandam A
pollinaris virtutem, qua filio cæco viſum cõtu
lerat, ei pandebat, hortabaturq́ue vt eodem pe
regrino ad certiſſimam coniugis ſuę ſalutem fa
milia

Tecla, Tribuni Rauennatenſis vxor.

miliariter vteretur. Tribunus ea spe accensus, Apollinarem ex ædibus Irenæi Rauennam aduocat, honorificè susceptum studiosè de nomine & officio percũctatur. Respondit Apostolus, se Christi IESV filij Dei viui seruum esse, cuius sinè nomine nihil posset. Tum Tribunus; Ecquæ, inquit, est IESV virtus? Tunc Apollinaris, aduocata militum concione, Christi nomen insigni precatione inuocauit, vt mentes illorum, densissimis ignorãtiæ tenebris inuolutas, lumine suæ claritatis illustraret; & apprehensa coniugis Tribuni dextra: Surge, inquit, in nomine Domini & Dei nostri Iesu Christi, illiusque potentiâ liberè confitere. Mox illa incolumis consistens, perfusis præ gaudio & admiratione lachrymis: Non est, inquit, alius Deus præter Iesum, quẽ tu prædicas. Viso tã illustri miraculo, Tribunus & milites stupore oppressi, tandẽ magna voce Christum vnũ cæli terræq; Deum conclamârunt, ac statim sacro fonte expiati, eum gaudio Christi legem amplexati sunt.

Vxorẽ Tribuni clinicã sanat Apollinaris.

Multi credunt.

His tam fœlicibus Euangelij sui initijs vehementer gauisus Apostolus, cæterorum quoq; animis ignem inijcere aggressus est. Itaque cum multi quotidie ad eum ventitarent Christianæ doctrinæ, cupidi, eos ipse pręclare erudiebat, & sacro fonte lustratos, ad reliquorum similiter animos expiandos instruebat. Duos ordinauit presbyteros, Adhæretum & Calocerũ: Marcianum verò nobilissimum virum, & Leucadium Philosophũ Diaconos fecit, & sex clericos constituens, cum illis diu noctuque in ædibus Tribuni Christianæ rei operam nauabat, Missas faciebat, psalm. & hymnis Dei laudes celebrabat,

Vide, quamodò in primitiua Eccle sia etiã Miſſæ ſunt celebratæ, & Pſalmi decantanti.

& multos quotidiè ſacris aquis tingebat. Ian
que fama eius omnium ſermone celebrata
Saturninum Ducem delata fuit; qui protinùs
rum ſanctum ad ſe vocatum Rauennatis Ca
tolij Pontificibus obtulit, vt diligentius doct
næ illius inſtitutum cognoſcerent. At verò cu
Apoſtolus ſe Chriſti, cæli terræque conditor
ſeruum eſſe diceret, Saturninus, Quid, inquit,
ignoras ſacrum nomen Iouis, cuius hac in vr
magnificum eſt fanum, mirificeque exornatu
Cumque ſe & Iouem & fanum ignorare reſp
deret ſanctus, ilicò Pontifices Apollinarem
Capitolium deduxêre, ſperantes fore vt Chri
ſeruus ſimulacro ſupplex fieret. Sed vir ſanct
viſo Iouis ſimulacro: Quàm, inquit, ſatius
ret, vt hæc aurea ornamenta in pauperum v
erogarentur, quàm quòd dæmonum cultui
cata hic appenduntur.

Tum verò Pontifices facta in eum impreſſ
ne cum populo, immani eum cæde mactârun
eiectumq; extrà vrbem ad mare ſemiuiuum
liquerunt; quem diſcipuli mox inde ſublat

Crudeliter cæditur.

in cuiuſdam viduæ inſigni pietate domo abſc
derũt, ac ibidem ſedulòIoue dum procurarun
Poſt menſes verò ſex Bonifacius ciuis Cluſe
ſis, cuius ea in vrbe erat egregia nobilitas, ſub
trò loquendi facultate priuatus, & vxori & ci
bus vniuerſis luctum attulit. Cumque nulla me
dicorum induſtria malo remedium inueni
poſſet, vxor illius, audita viri Dei fama, ilicò a
ædes viduæ conuolat, orat Apollinarem obn
xè, ne grauetur, maritum magno malo conf
ctantem inuiſere. Nec recuſauit vir ſanctus, ſe
vt primùm ædibus appropinquauit, puella

fami-

familia eius sæuo dæmone obsessa horrendas in Apollinarem minas iacere cœpit; ni protinùs recederet, se daturum operam, vt pedibus manibusque ligatis malè mulctatus vrbe pelleretur. Apostolus verò verbo silentium imponens, & dæmonem expulit, & Bonifacio linguæ beneficium restituit, simulq; eodem die ampliùs quingentos homines ad Christi ouile adduxit.

Eijcit dæmonem, & muto reddit facultatem loquendi.

Ea res cùm gentilium quorundam animos vehemẽtiùs exacerbaret, tùm ira inflammati in Apostolum impetum dederũt, fustibusq; atroci ter cæsum nudis plantis candẽtes prunas calcare compulerũt; quas cùm planè illæsus, inuocato Christi Iesu nomine, inãbulasset, barbari furore efferati, vrbe eum exturbârũt, & seuera admodùm denunciatione introitũ interdixerunt. Igitur extrà muros constitutus, in tugurio quodam, Euangeliũ propagare non destitit, sed summos infimosq; ad se ventitantes Christo genuit, & cælesti pane, peracto Missæ sacrificio, aduersus hostium furorem communiuit.

Calcat nudis plantis prunas ardẽtes.

Eijcitur vrbe.

Interiecto dein multorum annorũ spatio, Rauennatis Ecclesiæ gubernacula Calocero tradidit, vt populum, Aemilianum miseranda dæmonis seruitute oppressum, in Christi libertatẽ assereret, & Christianæ fidei terminos dilataret. Quo prosperè satis perfunctus officio, Rauennam redijt, & Rufi patritij filiam vita functam magno multarum animarum lucro sanam & incolumen parenti restituit. Erat enim Rufus à nominis Christiani professione alienus: sed cum præter omnem spem & expectationem vnicam filiam è mortis faucibus ad vitam reuocatam cerneret, tanta est & admiratione

Docet in Aemilia.

Mortuam ad vitam reuocat.

& gaudio affectus, vt se cum trecentis viginti quatuor promiscui sexûs confestim ad Christiana sacra transferret, virginemque filiam perpetuæ castitatis voto Christo libenter consecraret. Hæc cùm celebri sermone ad aures Cæsaris perlata essent, misso successore, Rufum dignitate exuit, & vicario Messalino in mãdatis dedit vt Apollinarẽ vi mala coactum, Ioui cæterisq; dijs supplicem redderet. Nihil à Messalino intentatum relictum est. Nam vt instituta cum Christi Apostolo disputatione insuperabilem eius animum cognouit, protinus vestibus nudatum fustibus mactari iussit; indè in eculeo suspensum, varijs cruciatuum generibus torquet. Porrò Messalinus, visa martyris inuicta fortitudine, admiratione defixus, clamauit; Quid quæso præmij pro his tã atrocibus expectas supplicijs? Cui martyr: Qui perseuerauerit in finẽ, hic saluus erit. Et si quis in Christo mortuus fuerit viuet. Hæc est remuneratio Christianorũ. Hac martyris responso Christiani omnes incredibili gaudio perfusi exultabãt; quidã verò è tortoribus, qui cæteris lætitiæ palmã præripere conabatur, à malo dæmone correptus subitò expirauit. Messalinus interim in nouis semper inferendis supplicijs laborans: Effundite, inquit, in plagas bullientem aquam, vinctumq; graui põdere ferri sub præconis voce ad nauim abducite, vt Illyrico dãnatus exilio, lõgioribus fractus pœnis ad mentem redeat. Apollinaris autẽ conuersus ad Iudicem, Cur, inquit, ô impijssime, cur non quam non credis in filium Dei, vt possis vitare æternos gehennę cruciatus? Tum indignatus Messalinus, os eius lapidibus contundi iussit. Quæ imma-

Fustibus cæditur, & in eculeo torquetur. Matth. 10. & 24.

Os eius lapidibus contunditur.

immanitate commoti Christiani, impetu in gẽtiles facto, ducentos trucidârunt. Nec Messalinus pœnæ expers fuisset, nisi fuga intẽtos capiti suo mucrones declinasset. Porrò beatũ Apollinarem horrido conclusum carcere inedia cõficiiussit. Sed fuit vir diuinus angeli ministerio refecti, & viribus ad maiora perferẽda egregiè auctus. Interiecto deindè quatriduo, vt audiuit Messalinus, Christi seruum, quẽ extinctũ credebat, nouo insuper corporis animiq; donatũ robore, clàm iniectis ei catenis in exilium deportari iussit. Adiunxerunt se comites tres è Clero, præcipua religione viri, qui fidelem illi in quouis negotio operam præstiterunt.

Horrido carceri traditur.

Mittitur in exilium.

Vt verò solutis anchoris in altum prouecti sunt, subitò coorta tempestas nauem allisit, omnibusq; miserando spectaculo fluctibus haustis, solus Christi seruus cum Clericis & duobus militibus ad littns eiectus est. Et quidem milites, relicta cõfestim idolorum superstitione sacro fonte lustrati sunt; Apollinaris verò in Moesiam profectus, Euangelium, nullo tamen operæ pretio, prædicauit. Erat viri cuiusdã primarij frater lepra horrendè deformatus, cui vir sanctus in Christi nomine sanitatem cõtulit, & ad Christi fidem haud inuitũ adduxit. Inde Danubij littora terẽs, vberiores prædicationis suæ fructus collegit. Sed vt primùm barbaris innotuit, hostem eum idolorũ esse, de nece illi inferenda consilia inierunt. Quo cognito, in Thraciam profectus est; vbi in quadam ciuitate idolũ vnum omnium celeberrimum negabat se deinceps responsa dare posse, nisi discipulus Petri apostoli Iesu Christi, profligatus esset. Facta ergò

Naufragio cum suis Clericis & duobus militibus ad littus eiicitur.

Sanat leprosum.

inquisitione, repertum tandem Christi seruum plagis multis concisum in Italiam remiserunt.

Redit Rauennam.

Triennium iam vir diuinus incertis vagans sedibus, per varia loca læta Euangelij semina sparserat, cũ Rauennã reuersus, summa cũ exultatione excipitur, & festiuo cum hymno ad intermissa Christianę Reipub. gubernacula admouetur. Cumq; die quodam in Cyrenæi Senatoris possessione rem diuinam faceret, cœtumq; fidelium cælesti pabulo reficeret, repentè barbari lymphati amenteq; irruunt, vinctumque Apollinarem, multis interim plagis impositis, ad forum pertrahunt. Ibi dein communi omniũ sententia decernitur, vt ad Apollinis simulacrum duceretur, indignus videlicet Iouis conspectu. Adductus igitur Christi seruus in fanum, ingenti interim tam Christianorum quàm gentilium multitudine exitum rei præstolante, primò in ipsius simulacro malè precatus, pias ad Christum preces fudit, moxque dissoluto idolo, fanum ipsum euersum est.

Templum Appollinis euertit precibus.

Gentiles eo facto commoti, vinculis constrictum Thauro Iudici eum necandũ tradiderunt. Is congregatis vrbis totius nobilibus, ita cõpellauit eum: Oramus te, nè quid celes eorum, quæ maxmè ex te scire desideramus. Cum videamus maxima te populi cinctũ multitudine, quę mordicùs tibi adhæret, venit nobis in mentẽ admirari, quavirtute res adeò stupẽdas efficias. Dicito, est ne aliqua in te diuinitatis virtus? Cui Apollinaris: Nulla, inquit, est in me diuinitas, sed est hæc virtus Domini nostri Iesu Christi, qui credẽtibus in se admirandã hanc miraculorum virtutẽ contulit. Thaurus, cui erat filius ab ipsi natiui-

natiuitate cæcus; Si, inquit, filium meum à miserandis valdè tenebris liberaueris, profectò & ego Christo tuo nomen dabo. Sin minus, noueris te flammis mendacio tuo debitis exurendũ. Nec mora: Venienti in medium cæco, Apollinaris lumen tribuit, & Thaurum procereſque, rei nouitate ſtupefactos, Chriſtianis ſacris ſupplices initiauit. Thaurus autem Iudex annis admodum quatuor, in quodam ſuo prędio eũ conſeruauit, & rem Chriſtianam occultè multiplicantem benignè habuit, & à barbarorũ furore inſidijſque tutum conſeruauit.

Cæco reddit lumẽ, & Iudicem, procereſque conuertit.

At verò templorum Pontifices inuidia tabeſcentes, quòd optatis diu ſupplicijs eum afficere non poſſent, varijs apud Veſpaſianum Imperatorem calumnijs certârunt, vt hominem maleficum & turbulentis erroribus (quemadmodũ aſſerebant) populum ſubuertentem vita priuaret, ne illius peſtis ad Reipublicæ totius contagionem & interitum permaneret. Igitur Veſpaſianus, ſceleratorum hominum calumnijs impulſus, eum exilij reum eſſe denunciauit; Nam ſi dijs, inquiebat, irrogauit iniuriam, ipſi potentes vindictam expetant. Ea ſententia Rauennam allata, Demoſthenes vir illuſtris & patricius, ſed ethniciſmi erroribus vehementer implicatus, compræhenſum Apollinarem Centurioni cuſtodiendum tradidit, vt interim, quibus potiſſimum ſupplicijs eum perderet, excogitaret. Porrò Centurio ille, cùm occultè Chriſtianis rebus ſtuderet, Chriſti ſeruum noctu clam dimiſit. Sed vbi res dæmonum cultoribus innotuit, eum inſecuti, non longè à porta fuſtibus tamdiu mactârunt, donec planè extinctũ crederent.

Accuſatur apud Veſpaſianum Apollinaris.

Veſpaſiani reſponſum.

Sed antè lucem à discipulis collectus, eorumq; singulari diligentia recreatus, in vicum leprosorum perductus est; vbi post dies septem è corporis ergastulo lætus ad cęlestis patriæ regnum fęliciter commigrauit, postquàm Ecclesiam illam annis octo & viginti, mense vno & diebus quatuor, inter varia certamina inexhaustis laboribus administrasset.

Felicissimè earum.

VITA S. LIBORII ECCLESIAE Cenomanicæ Præsulis Quinti; ex ea quæ est optima fide apud V.P. Laur. Surium: quo tempore obierit patet infrà.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrolog. Roman. 23. Iulij.

S. Liborius ex Gallis originem ducens, & parentum haud ignobili ortus prosapia, clarissimam patriam suorum claritudine meritorum amplius illustrauit. Siquidem ab ætate primæua, maturum in bonis actibus cor gerebat; neque illecebris voluptatum carnalium, vt ætati lubricæ moris est, animo cedens, neque vitio leuitatis indulgens: Porrò flagrantissimo discendi accensus studio, cunctarum ferè sibi vtilium scientiam scripturarum satagebat intentus auditor acquirere: quas postmodum, in quibus opus esset, valeret facundus præceptor ingerere. Deniq́ue simul cum processu temporis, probitatis ac prudentiæ proficiens incrementis, ita in breui maturitatem virilis ornabat ætatis, vt acceptus apud omnes, & tam honore, quàm amore dignus haberetur.

Patria eius.

Qualis in ætate primæua extiterit secundari.

Qualis in Ecclesiastico.

Postquàm autem tam vitam quam habitum secularem cælestium præmiorum intuitu dereliquit,

liquit,& verè à Domino in suam electus sortem,Clero associatus,ac officijs est functus ecclesiasticis,amplius totum se diuino cultui visus est mancipare: vnde Patauio viro sanctissimo Cenomanorum Antistite, omnium ingenti mœrore è viuis sublato,totius populi vnanimi assensu,regulariter Pontifex ordinatus, ad Ecclesiæ Christi regimen, iuxtà morem Canonicum assumptus est. Et quidem haud illum tantæ dignitatis honores, solitæ religionis mutare potuêre mores, nec ecclesiasticorũ occupationes negotiorum quicquam ex quotidiana diuinæ laudis & placationis seruitute prætermittere coegêre: quinimò tantò eam instantiùs adaugere curauit,quanto iam non suæ solius, sed multarum animarum salutis causa rectè se viuere debere sciebat.

Creatur Cenomanorum Antistes.

Qualis in Episcopatu.

Igitur pius egregius Dominici pastor, commissis sibi ouibus adhibita cura duplici, exhortationibus scilicet & exemplis,iter ad æternæ vitæ pabula quærenda,& spiritualium morborum dira contagia vitanda,demonstrans,eximium ex eis lucrum acquisiuit: multos enim ab iniquitate conuertit, & rectitudini vitæ fideique restituit. Habuit hoc vir sanctus præ cæteris tum temporis Pontificibus, religionis & Dei amoris indicium speciale; quòd omnia,quę ad eius laudem iugiter celebrandam, & ecclesiastici cultus officium pertinent, totis nisibus amplificare,prouehere,atque ornare contendit: & exceptis his, quæ sibi suisque ad quotidiani victus & vestitus necessaria, quibus solis contentus erat, vix sufficere poterant, nec non & his,quæ ad egentium & inopum susten-

Diuini cultus studiosissimus.

ſtentationem larga manu ſolebat expendere reliquos omnes redditus Epiſcopalium poſſeſſionum, omnes quarumlibet rerum cenſus, qui ſibi ex omni ſua diœceſi debebantur, vel ſi quis ex fidelium donationibus conferebatur, ad exhibendum eccleſijs congruentem ornatum, & noua quæque oratoria in locis, quæ ad hoc opportuna videbantur, conſtruenda deputauit. Quorum conſtructionem, primùm diuinæ ſeruitutis multiplicandæ intuitu aggrediebatur, dehinc etiam plebium commoditati pariter & ſaluti proſpicere piè meditabatur; vt ad eccleſias cum ſuis ſacerdotibus propè poſitas facile confluere, orationum ſtudijs aſſueſcere, regenerationis gratiam conſequi; documenta ſacræ legis audire, cæleſtium ſacramentorum celebrationibus intereſſe, atque omnia Chriſtianæ legis & religionis iura diſcere & exercere valerent. Hac igitur pia intentione decem & ſeptem ſacris ædibus nouiter conſtructis & dedicatis, ſuam parochiam ita omnem illuſtrauit, vt in qualibet eius parte populo degenti aliquam orationis domum vicinam eſſe conſtaret: obſeruandum verò omninò cenſuit, ne qui ibidem legitimis horis die noctuque ſacrorum intermiſsio fieret officiorum; quibus ſanctæ & indiuiduæ Trinitati debitæ gratiarum actiones & laudes referrentur.

Septendecim ædificat baſilicas.

Ordinationes eius.

Legitur feciſſe Ordinationes nonaginta & ſex: Ordinaſſe verò presbyteros ducentos decem & ſeptem: Diaconos centum ſeptuaginta ſex: Subdiaconos nonaginta tres: reliquorum quoque graduum miniſtros, quantum ſacris officijs congruum & ſufficiens eſſe videbat. Habuit

buit prætereà bonum testimonium etiã ab his, qui foris sunt: sic siquidem religionis constantiam antè Deum seruabat, vt tamen proximorum oculos non offenderet: sic humano foris studebat placere iudicio, vt diuinis obtutibus non displiceret in occulto. Ita per omnia verus Dei cultor illi merito Pontifici comparatur, quem sine querela Domino seruijsse euangelica laudat historia: nisi quòd hic tanto præstantioris fuerit sacerdotij præsul, quanto figuram veritas, quanto legem veterẽ noua Christi gratia transcendit. *Luca 1.*

Cùm autem diuinæ maiestati complacuit, post tam diuturna tot annorum certamina, victorem hostis antiqui militem suum æterno præmio glorificare, anno quinquagesimo Episcopatus sui corporis eum molestia ita fatigari permisit, vt adesse sibi diem exitus sui non dubitaret: quo tempore S. Martinus Episcopus Turonensem regebat Ecclesiam. Cui inter illa, quibus assiduè frui solebat, Angelicæ collocationis mysteria, etiam hoc ex diuina reuelatione præceptum est, vt sanctum hunc in infirmitate positum visitaret: cui obtemperans atq; vrbem Cenomanicam ingressus inuenit beatũ præsulem iam in extremis positum, & cælesti tantum gaudio, quo iturus erat intentum. Hîc verò quis dignè posset referre, quanta ab eodẽ lætitia susceptus sit? quam diuina, quam spiritualia, quam cælestia fuerint eorum colloquia? *Diuturnitas eius Episcopatus.* *Claruit is sanctißimus Pontifex anno 386. &c. Iuxta Tom. 4. Annal. Baronij.* *Eius vitam habet lector 11. Nouemb.* *Visitatur à S. Martino S. Liborius.*

Igitur sacer Antistes, presente sibi tanto consolatore, suarumque exequiarum prouisore, solutus mortalitatis vinculis lætus ad regna cælorum *Moritur feliciter beatißimus Præsul.*

lorum conſcendit. Cuius venerabile corpus S. Martinus cum honore congruo ad Eccleſiam extra vrbem duodecim Apoſtolis ſacram duxit & in ea ſepeliri iuſsit. Sequenti verò die populum omnem, qui ad tanti viri exequias copioſus nimis & innumerabilis conuenerat, & internum amorem erga paſtorem ſuum largiſſimis lachrymarum fontibus teſtabatur in Ecclesiam conuocans, ſanctæ admonitionibus doctrinæ conſolabatur, eisque Victurium ordinauit Epiſcopum. Porrò anno ſalutis 836. Indictione 14. Ludouici Imperat. 23. ſacræ eius reliquiæ Paderbornam fuêre translatæ: eximijs itinere glorificatæ miraculis; curationib. quippè cæcorum, claudorum, mutorum, ſurdorum, dæmoniacorum, & aliorum debilium atq; languentium: quæ etiamnum apud venerandũ eius tumulum ſæpius oſtenduntur.

Victurius eius ſucceſſor.

Præclaris coruſcat miraculis.

VITA S. BIRGITTAE, ALIAS BRIgittæ, viduæ. Ex ea quæ ſincerè conſcripta habetur apud V. P. Lauren. Surium, teſte Baronio. Obijt autem anno Domini 1373. Relata in numerum Sanctorum, à Bonifacio nono, Summo Pontifice.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Romanum.

23. Iulij.

Illuſtris eius Proſapia in Suedia.

S Birgitta, illuſtri admodum proſapia in regno Suediæ oriunda, non modò parentes; ſed & auos, proauos, abauoſq; ea habuit pietate & religione cõſpicuos, vt exemplo Abrahæ aliorumq; priſcorũ patrũ, quamuis diuitijs abundarẽt, vitæ tamẽ cõuerſatione veros ſe in hac terra peregrinos declararẽt. Patri Birgerus nomen fuit; matri verò Sigridis; cui⁹ pater regio

regio sanguine procreatus, maximam auri argentique vim in ecclesiarum constructione liberaliter expendit, amplissimosq; redditus magnificentia sua dignos dotis nomine ijsdem assignauit. Porrò Birgitta in lucem hanc non sine magnis futuræ sanctitatis iudicijs edita, anno ætatis suæ plus minus septimo, matre iam vitæ munere sanctissimè perfuncta, materteræ, insigni prudentia & religione matronæ, disciplinis imbuenda est tradita. Vbi præclaris quibusdam sanctitatis præludijs vitam ita instituit, vt & multis Christi cõsolationibus & inimici etiam terrorib. indies ad maiora vocaretur. Facta verò nubilis, pater eam cuidam adolescẽti, cũ generis claritate tum prudentiæ opinione illustri, despondit: vt familiæ vniuersæ maiorem dignitatis splendorem adferret. Erat is sponsus Nericię princeps. Vlpho de Vlphaso nomine, qui virginem spectabili morum elegãtia præditam castis adeò amoribus prosequebatur, vt nefas esse duceret carnalibus eius amplexibus frui. Anno itaq; integro se continuit, virginemq; pudicitiæ deditam hortabatur, vt ardentibus secũ precib. incumberet, quò prolem omnipotentis Dei seruitio perpetuò consecrandam generarent. Indè amori mutuo ita incubuerunt, vt semper tamen sacro Quadragesimali tempore, diebusq; solennibus, & sexta qualibet feria à carnali copula abstinerent, carnemque disciplinis asperioribus ad virtutem omnem exercerent. Porrò mater Birgitta, vt primùm prolibus à Deo ditata fuit, tanquàm aquila prouocans ad volãdum pullos suos, & super eos volitans, eas ad omnem sanctitatem solicitè educabat: adhibens illis

Traditur materteræ, defuncta mẽtre, nutrienda.

Nubit Vlphoni, & toto anno viuunt continenter.

Deut. 32.

illis præceptores, qui eos in fide & moribus i
ſtituerent.

Loca autem & perſonas omnes ſuſpectas
biq́ue declinabat: ſemper honeſtas ancillas
comites morum grauitate conſpicuos apud
retinens. Et vt erat otio acerrima inimica, iug
ter bonis ſanctisq́ue exercitijs vacabat: nunc
dentiſsimè cæleſtia meditans; nunc operi m
nuum incumbens; nunc Sanctorum vitas & S
cra Biblia legens; nunc Eccleſiarum limina
rens, diuinis officijs libenter intererat: ieiun
quoque, vigilijs & orationibus feruenter inte
ta, carnem ſpiritui ſubditam reddebat. Qua
verò infirmis, morbidis & pauperibus benig
perpetim fuerit, vix condignè explicari poſſ
Habebat ſiquidem magnas ædes eiſdem depu
tas: quibus & ipſa cum multa humilitate ſe
numerò inſeruiebat, lauans & oſculans pe
eorum.

Pia eius quotidiana exercitia.

Maritus autem eius, cùm eſſet vir ſtrenuus
potens, & ex præcipuis Regis Cõſiliarijs, per
ſpecta tanta eius virtute & gratia, in tantum
lius ſacris & ſalutaribus delectabatur ſermo
bus & conſilijs, vt reuerſus ex ſpontanea qu
dam cum vxore ſuſcepta peregrinatione, ſum
ma eiuſdem pientiſsimæ coniugis ſuæ volunta
te, perpetuæ continentiæ votum arriperet, ſeq
tandẽ in monaſterio Aluaſtra ordinis Ciſtertie
ſis Deo dicaret, vbi vitæ curſũ fęliciter peregit
Quo defuncto, ſancta & pudica matrona, facul
tatib⁹, ſuis inter proles ſeptẽ diſtributis, ſedul
animũ ad monaſticæ vitæ ſtatum adiecit. Cum
q́ue animi dubia fluctuaret, cui potiſsimũ vita
generi ſe dicare vellet, fertur cæleſti admoniti
ora

Vlpho maritus eius fit Monachus.

oraculo fuisse, vt cuncta vitæ suæ cõsilia ad Magistrum Matthiam sacrarum literarum Doctorẽ eximium, & in discretione spirituum in primis præstantem, referret; seque suaque omnia ex illius consilio moderaretur.

Doctor Matthias spiritalis pater S. Birgittæ.

Tunc Birgitta nihil cunctata, simul cum vita & habitum mutauit, & nouum Canonem ordinemque sacris Vvatstenæ cœnobij virginibus conscripsit, tam sanctum, pium, & cælestibus adeò decretis instructum, vt sinè controuersia cuncti ex ore ipsius Christi eum prodijsse fatererentur. Interim verò nobilium fastus subitariã eius vitæ mutationem & habitûs vilitatem indignè ferebat, calumniabaturque ex sana parũ mentis iudicio prouenire. Sed illa calumniarũ patiens præclarè secum statuebat, nullis hominum persecutionibus à suscepto instituto vel latum vnguem recedere; illud subindè ad mentem reuocans: quòd sicut laudantium præconia malam conscientiam non sanant, ita nec bonam lædere vituperantium conuicia.

Nouus Ordo S. Birgittæ.

Constantia eius.

Triginta ab obitu mariti annis, spreto lineãrum vestiũ vsu, excepto capitis velamine, aspero cilicio carnem macerabat; humus verò, tapeto simplici instrata, delicata teneræ matronæ membra longo fessa peruigilio ad somnum excipiebat. Sextis quibuslibet ferijs ignitas ardentis guttas in nudam deponebat carnem, & herba quadam amarissima palatum excruciabat, vt memoria suppliciorum Christi menti impressa tenaciùs inhæreret. Nodosis insuper & asperis sanè ligaminibus die noctuque corpus terebat, & confessione animi labes vel leuissimas sexta qualibet feria expiabat: totaque mente cõmen-

Vestitus & Lectus eius.

En vt memoriam agat passionis Christi.

tationi passionis Christi, cuius consideratione potissimùm afficiebatur, nauabat operam. Pau-

Paupertás eius.

pertatis & obedientiæ verò studium adeò sem-per adamauit, vt res & facultates suas omnes a-teri dispensandas commiserit, & quoties in-vel in suos vel aliorum vsus aliquid conuer-cuperet, summa cum humilitate in Christi no-mine id sibi dari petebat.

Venit Romam.

Biennio in domibus Aluastræ monasterii vicinis ex obedientia morata fuerat, cum iussa Christi mãdato peregrinationis suscipe-labores, Romam venit, vbi Sanctorum limi-singulari deuotionis studio visitauit. Inde Hie-rosolymã profecta, loca omnia Christi suppli-cijs insignita lustrauit. Ibi verò plurima de sta-tu regnorum cognouit, & diuinis intrinsecis

It Hierosolymam.

visitationibus mirificè illustrata fuit. Perfo-tis autem ex animi sententia votis precibu-que, Romam rediit, vbi multò deindè clari-sanctitatis illius splendor indies eluxit. E-quidem tanta fuit illius animæ mentisque pu-ritas, tantus nitor, vt non modò horrendam peccati faciem ipsa in se horreret, sed necin-

Valdè eiſdem peccato mortifero obnoxij.

quorum hominum præsentiam vllo modo fer-posset. Si quis enim vel mortiferi alicuius pec-cãti labe contaminatus illi astaret, vel frau-dulenter loqueretur, adeò tetrum ex eo fœto-rem hauriebat, vt vix posset subsistere, & mox obstruere cogeretur.

Antè autem quàm Hierosolyma rediret, fe-bri & stomachi infirmitate correpta, eam terri-marique inter labores & dolores anno integro patientissimè tulit. Romæ verò vis morbi in-dies magis magisque excrescens, eam paulatim

confe-

confecit,ac poſtremò cum Miſſa celebrata, ſacroſ.percepiſſet ſacramenta, ſolutis corporis vinculis eam ad Chriſtum (cuius conſpectu cùm alias frequenter, tùm præcipuè in mortis agone exhilarata fuit)tranſmiſit . Corpus eius fuit debito cum honore ad monaſterium S. Laurentij deportatum , ibidemque ſepultum, vbi poſtquam anno integro multis admodum miraculis clarum quieuiſſet, indè ſublatum ad cœnobium VVaſtthenæ ſtudio & opera filiæ eius Catharinæ non ſinè magna miraculorum virtute translatum fuit.

Obitus eius.

Multa ad eius ſepulchrum miracula.

MARTYRIVM S. CHRISTINAE Virginis, ex martyrolog. Adonis, Treuirenſis Archiepiſcopi.

Vide C. Baronij Notat. in Martyr. Roma.

CHRISTINA virgo,claris natalibus orta Tyri apud Italiã lacui Vulſino finitimã,præclarũ pro Chriſti nomine certamẽ inijt.Pater eius Vrbanus præfectus nefanda dæmonũ ſuperſtitione cõtaminatꝰ varia multiplici auro ornata colebat ſimulacra, quæ pia filia Chriſtina in fruſtra comminuẽs pauperibus diſtribuit,deoſque aureos,patris nihil furorem verita,ſanctè ad vſus egenorum tranſtulit. Quo cognito,parẽs Vrbanus alapis eam cædi, verberibus laniari,& ferro denique cateniſq; onuſtã in carcerẽ conijci iuſſit.Poſt hæc iterum ad tormenta educta fuit;cumque crudeliſſima laniata ſanctiſſimæ illius carnes in terram defluerent, illa animo planè virili ſuas ipſa carnes patri in faciem proiecit. Indè alligata rotæ,igni ſuppoſito oleoque deſuper infuſo diutiſſimè tota

24. Iulij.

Chriſtina iubente patre dirè cæditur.

Virilis animi Virgo.

Torretur ignibus.

fuit; sed flamma vi magna erumpens, ingentem turbam (mille gentiles fuisse scribunt) interfecit. Ipsa verò è loco supplicij ad carcerem redacta angelico ministerio integræ sanitati reddita est. Deindè cum magno saxi pondere in lacum Vulsinum præcipitata, angelico præsidio liberata est.

Inter ea certamina patri in dignitate successit Dion; qui multis iterum supplicijs certamen renouauit, virginemq́ue vehemēter afflixit, modisq́ue omnibus ad cultum Apollinis, quod illa simulacrum colebat, eam traducere conatus est. Christina verò precibus suis idolum subito in fauillam redegit. Quo miraculo tria hominum millia, impia superstitione relicta, ad sanctissima Christi sacra transierunt.

Multi conuertuntur.

Nouissimè autem Iulianus prædicti successor, post varia certamina, post fornacem candentem, vbi diebus quinque illæsa permansit, post serpentes à venefico immissos, sed Christi fide superatos, post abscissionem linguæ, sagittis eam configi præcepit; sicq́ue martyrij cursum magno fidelium gaudio consummauit.

Sagittis confixa obijt. Videat studiosus lector Doct. ß. Baronij notas in Martyrologium hoc die, vbi multa scitu digna & necessaria de eius profectione in Hispanias inueniet. Itē Tom. 1. Annal. 25. Iulij.

MARTYRIVM S. IACOBI MAIORIS

fratris beati Ioannis Euangelistæ, ex eo quod est à Ioachimo Perionio Benedictino eleganti stylo cōscriptum. Passus est anno Christi 44. Claudij Imp. 2. sub Herode Agrippa.

IACOBVS Zebedæi filius, Ioannis autem Apostoli & Euangelistæ frater, à Christo hoc ordine, vt Matthæus scribit, discipulus delectus est. Cùm Petrus & Andreas eius frater in naui

naui essent, retiaque in aquam capiendis piscibus demitterent, Christus, illis in disciplinam vocatis, lõgius progressus, Iacobum, de quo dicimus, & Ioannem in naui animaduertit, vnà cũ Zebedæo patre retia reficientes; quos cùm moneret vt se sequerentur, illi sinè mora, relicto patre, abiectisque retibus, eum secuti sunt; quod de disciplinæ ratione intelligendum est. Neque enim Christus quenquam ex discipulis apostolum separatim, delegit, sed cùm magnum iam discipulorum numerum partim nouis inauditisque operibus, partim vitæ, quam integerrimam agebat, opinione sibi adiunxisset, ex tanto numero duodecim modò selegit, quos Apostolorum appellauit nomine, quod in monte factũ esse Lucas commemorat. Iacobus autem hic, cuius vitam scribimus, quantum apud Christum gratia & amicitia valeret, hinc intelligi potest, quòd eum ille quamdiu vixit in ijs habuit semper, quos cæteris quasi arbitris ad res præcipuæ charitatis iudices adhibuit. Nam & in monte, in quo tum eius facies summo splendore illustrata est, tum vestes simili candore nituerant, vnà cum alijs duobus Petro & Ioanne, tantæ gloriæ suæ testem futurum duxit, & pridiè, quàm salutis hominum causa interficeretur, cum duobus ijsdem adiunctis secreuit à ceteris. Eum quidem ab Herode *securi percussum esse Lucas in Actis Apostolorum commemorat: sed quoniam ad alia properans rei ordinem prætermisi, non erit alienum pauca, de eius & doctrina & morte dicere.

Matth. 4.

Lucæ 6.

Matth. 17.

Matth. 26.

**gladio*

Act. 12.

Ei Samaria & Iudæa prouinciæ obtigerunt; quas cùm docendæ veritatis causa peragraret,

Hermogenes magus, Philetum discipulum ad Apostolū mittit, vt eum refellat.

atque in publicis conuentibus palam ac liberè Christum Dei filium esse profiteretur, Hermogenes quidam magus, discipulum quendam ex suis Philetum nomine, ad illum misisse dicitur, eo consilio vt eum refelleret. Quò cùm ille adhibitis aliquot Pharisæis venisset, conaretúrque docere, Iesum Christum, cuius se Apostolum commemoraret, nõ esse, vt ipse prædicabat, Dei filiũ, Iacobus ei facilè restitit, eumq; ita scripturis refellit, vt ad Hermogenem rediens hæc magna claraque voce victus à veritate dixerit Iacobum, inquit, Hermogenes eum, qui se Iesu Christi & seruum & Apostolum esse confirmat, scito abs te vinci superarique non posse. Nam & cacodæmones, eius appellato nomine, ex hominum corporibus eiici ac expelli, & cæcis pristinum oculorum aspectum restitui, & eos qui elephantia infecti erant purgari, vidimus. Quinetiam mortuum ab inferis eum excitasse, nõnulli, qui maxima mecum necessitudine coniuncti sunt, asseuerant. Quid multa? Scripta diuina omnia memoria tenet, quibus docet non alium esse Dei filium, nisi Iesum, quem Iudæi in cruce egerint. Itaque si consilium, quod tibi do magistro discipulus, sequare, veniensque ad eum veniam petas, melius certè tibi rationibusque cõsules. Si enim hoc neglexeris, artem istam tuam scito nihil tibi deinceps prodesse posse. Nam quod ad me attinet, hoc tibi velim persuadeas,

Philetus Apostoli verbis persuasus redit.

me ad illum reuerti decreuisse, petereq; ab illo maiorem in modum, vt me in disciplinam recipiat. Hæc cum Hermogenes accepisset, ira percitus, Philetum ita arte sua fixit, vt penitùs se loco mouere non posset; tumque per ridi-

culum,

tulum, Iam, inquit, videbimus an Iacobus tuus veniens te possit soluere. Philetus, qui his verbis Apostolum malè acceptum irrisumque cerneret, misit ad illum continuò puerum suũ, qui ei hæc omnia exponeret. Apostolus factus certior, ei sudarium suum ad Philetum perferendum dedit, vt eo accepto hæc diceret; Dominus IESVS CHRISTVS erigit elisos, peditosque soluit. Puer ilicò præceptis Apostoli paret, magnisque itineribus ad herum contendit. Philetus, sudario accepto, cùm verba illa pronunciasset, statim dæmonum fraudes, quibus vinctus tenebatur, solutæ sunt. Quod cùm non sinè summa admiratione animaduerteret, contempta irrisaque arte Hermogenis, ad Iacobum confugit. Hermogenes hinc furijs quibusdam agitatus ad insaniam adigitur, nec quid faciat habet, ab arte tamen sua præsidium petit. Appellat cacodæmones, eisque imperat, vt se ad Iacobum Philetumq; conferant, eosque ad se, vt de illis ipse supplicium sumeret, pertrahant, sic enim fore, vt Phileti supplicio cæteri discipuli à simili audacia deterreantur. Parent illi quidem, sed vt primùm ad eum locum, in quo Iacobus orabat, peruenerunt, protinus vociferari ac rogare cœpère, vt misericordia ipse commoueretur; se enim iam antè incendij tẽpus ardere. Ille, quàm ob rem venerint rogat, causam quam paulò antè exposui, ab eis discit, eosque IESV nomine Dei Angelus soluat, clara voce, vt omnes intelligerent, Deum precatur, eisque imperat, vt ad se Hermogenem saluum & incolumen perducant. Abeunt illi, Hermogenemque vinctis à tergo manibus ad Iaco-

Apostolus sudario suo Philetũ magicis artibus vinctum soluit.

Psal. 145.

Hermogenes ad Iacobum vinctus ducitur.

bum ducunt, ita tamẽ, vt hoc illi in itinere obij cerent quod ipsos eò misisset, vbi incendio conflagrassent . Per ductum Iacobus stultissimum eum hominum appellat, quod cùm humani generis hoste rem haberet, nec consideraret, se ab illo cõtendisse, vt angelos suos ad ipsius perniciem exitiumque mitteret, quos ipse, ne in illum impetum facerent, vetaret. Clamare etiam tum cacodæmones, rogareque Iacobum, vt Hermogenem sibi dederet; de quo ita consulerent, vt & illius iniurias, & sua incendia vlciscerentur. Iacobus eos rogat, cur Philetum, qui aderat, non arriperent; cumque illi negarent vel formicam, quæ in ipsius cubiculo esset se posse contingere, ipse Philetum docuit disciplinæ religionisque nostræ esse benè mereri de ijs qui malè de nobis meriti sint . Itaque eum iubet Hermogenem soluere, qui ipsum vinxisset, & qui vinctum à dæmone ad ipsum pertrahere conatus esset ; liberum solutumque eum dimittere . Solutus Hermogenes primùm abiectus stare cœpit ; deindè cùm ei Iacobus potestatem abeundi quò vellet feciſſet, quòd negaret disciplinæ nostræ esse , quemquam ad eam inuitum traducere , se ille dæmonum furorem nosse dicit , ob eamque causam minimè dubitare , quin arreptum se illi diuersis supplicijs necarent . Apostolus eius vicem dolens, illi scipionem, quo ipse in itinere vti solitus esset , tradidit , eumque bono esse animo, illo comite iussit. Magna vis illo in bacillo inesse visa est. Vt enim domum Hermogenes venit, illudque & suis & discipulorum suorum ceruicibus apposuit, repentè totus mutatus

Scipione S. Iacobi Hermogenes dæmonum potestatem frangit.

tarus conquisitos, qui de arte magica conscripti erant, libros innumerabiles ad Iacobum pertulit, eosque æquo animo exuri passus est. Hinc se ad Apostoli pedes abiecit, petens ab eo maiorem in modum, vt pœnitentem reciperet, quem inuidentem & obtrectantem adhuc tulisset. Iacobus qui ignoraret, quo id animo consilioque faceret, respondet; Si verè & ex animo ipsum acta ad illud tempus vitæ pœniteret, veram eum misericordiam veniamque à Deo esse consecuturum. At quę ille. Eam, inquit, veram pœnitentiam Deo offero, vt & omnes codices meos, qui malis artibus referti erant, vt scis, abiecerim, & omnibus inimici artibus nuncium remiserim. Quod cùm Apostolus ex eo accepisset, imperauit illi, vt id iam verum esse doceret ac profiteretur, quod falsum esse asseuerasset, simulacrum quod veneraretur, & à quo oracula se accipere putaret, in partes diuideret ac comminueret; pecunias quas malis artibus quęsiuisset, in res bonas profunderet; vt quemadmodũ Diaboli filius, eam imitando, fuisset, Dei iam filius efficeretur, qui quotidie in ingratos beneficia conferret, & in obtrectatores clementem se præberet. Si enim tu, inquit, cùm in Deum tam multa impiè feceris, ipse contrà, multis te bonis affecit, quanto in te futurus est benignior, si & magus esse desiêris, & benefactis ei gratus studueris esse?

Hermogenes ad Christum conuertitur.

Hæc atque alia cùm Iacobus dixisset, ita Hermogenes eius præceptis paruit, vt perfecta absolutaq; virtus, quæ deinceps in eo fuit, ad mira inusitataque opera peruenirent. At Iudæi cùm non Hermogenem modò, quem inuictum putârant,

rant, verumetiam discipulos & amicos omnes in Christi fidem Iacobi oratione traduci, rectéque animaduerterent, Lysię ac Theocrito centurionibus, qui tum illis locis prefuisse dicũtur, pecunia largitionibusque persuaserunt, vt eum in custodiam traderent. Orta autẽ seditione, fit, in populo, eum educi è custodia, audireque quemadmodũ lex iubebat, placuit. Eductũ Pharisæi rogant, cur tesum hominẽ, quem inter latrones in Crucem sublatum esse costaret, publicè laudibus ornaret. Ipse cum eos Abrahæ filio appellâsset, altè petito exordio, hoc Abrahæ Deo promissum esse dixit, fore, vt nationes ex illius seminis, ideſt, posterorũ hęreditatem adirent, semenque illius non Ismahele, qui vnà cum Agara matre eiectus fuisset, sed in Isaco intelligi; cùm hæc Deus ipse declarauerit his verbis: In Isaac vocabitur tibi semen. Abrahamum verò amicum Dei appellatum esse, ante quàm præceptum de circuncidẽdo præputio à Deo accepisset, ante quàm Sabbathum coleret, ante quàm legem vllam diuinitùs latam cognosceret; eumque amicitia cũ Deo cõiunctum fuisse, nõ quòd præputij sui carnem ipse circũcidisset, sed quod Deo credidisset, cùm prædixisset ad omnes gentes eius seminis venturam esse hæreditatẽ. Quòd si Abraham, inquit, gratiam à Deo inijt, cum ei fidẽ hoc pollicenti ac prędicenti habuit, certè perspicuum est, eum, qui illi non credat, inimicitias cum eo exercere. Cumq; Iudæi quærerent, quisnam esset tam amens, qui Deo non crederet: eum respondit, qui non crederet seminis Abrahæ hæreditatem, ad omnes gentes minimè peruenturam esse; qui Moysi, Esaiæ, Hieremiæ, Danie-

Iudei Iacobo insidiantur, & in custodiam mittunt.

Gen. 21. & 22.

Danieli, D
Christi adu
in cælum c
dixissent, fi
Iacobus ex
eorum qui
multaque p
cta sunt & t
Quibus cor
gant, quin
petui gnis
pœnas dat
Gentibus, i
que acquie
bant, horta
grauia tam
literarent
nitentiam
benignitat
nobis euen
de quibus
& deglutir
gationem
multa in e
clamare c
itaque ora
ret. Ille
netque vt
pientur.
Erat tu
qui cùm t
religione
ferret, pe
odiumqu

Danieli, Dauidi cæterisque Prophetis, qui de Christi aduentu, morte, resurrectione, ascensu in cælum certissima clarissimaque testimonia dixissent, fidem non haberet. Atque hæc omnia Iacobus ex Prophetis memoriter cum maxima eorum qui aderant admiratione pronuntiauit; multaque præterea expositi, quæ à Christo facta sunt & tolerata, vt Prophetæ prædixerant. Quibus commemoratis omnibus, fieri posse negauit, quin Iudęi, qui hæc minùs crederent, perpetuis supplicio afficiędi essent, ac debitas pœnas daturi; cùm præsertim ij, qui essent ex Gentibus, in Prophetarum scripturis sententijsque acquiescerent. Itaque omnes qui circumstabant, hortatus est atque monuit, vt hæc ipsa tam grauia tamque indigna scelera lachrymis obliterarent atque delerent; vt nostrã, inquit, pœnitentiam Deus pro eximia sua misericordia & benignitate gratam acceptamque habeat, ne ea nobis eueniant, quæ contemptoribus euenerũt; de quibus Dauid ita scriberet: Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron. Quæ cùm dixisset, aliaq; permulta in eandem sententiam, omnes ad vnum clamare cœperunt, se peccasse, iniustè se egisse; itaque orare, vt ipse quid agerent præscriberet. Ille eos bono esse animo iubet, admonetque vt tantùm credant, vitalique aqua expientur.

Psalm. 105. *Multi Iudæi credunt, Apostoli verbis persuasi.*

Erat tum Hierosolymis Abiatharus Põtifex, qui cùm tam magnam multitudinem ad Christi religionem fidemq; traduci molestè acerbeque ferret, pecunia Apostolorum in tantam inuidiã odiumque apud Pharisæos adduxit, vt Iosias scri-

Abiatharus Pontifex.

Iosias Scriba fune vincit Apostolum.

scribarum vnus eum iniecto in collum fune ad Herodem statim perduxerit. perductum Herodes securi * feriri iussit, quemadmodum ex libro Lucæ, qui acta Apostolorũ inscriptus est intelligi potest. quo in libro ille missos esse milites scribit ab Herode qui Iacobum comprehenderent; quod factum esse tum cùm primum Iudæi ob Hermogenem infesto in eum animo esse cęperunt, intelligere debemus. Sed ad propositum reuertamur. Cùm Iacobus Herodis iussu ad locum, in quo eum feriri oporteret, duceretur, paralyticum in via vidisse dicitur oriri tem vt se curaret. Quod cùm ipse Christi nomine fecisset, Iosias Scriba ille, quem funem eius ceruicibus iniecisse paulò antè dixi, eo extracto, se ad illius pedes misit, magnis obtestans precibus, vt & sibi ignosceret, & se lauacro expiaret. Iacobus, qui hæc illum diuinò afflatum ductum dicere intelligeret, protinus interrogauit, Iesumnè Christum, quem Iudæi in Crucem egissẽt, verum Dei filiũ esse crederet? quod cùm ille se credere profiteretur, Abiatharus Pontifex eum statim comprehendi iussit, eodemque mortis genere quo Apostolum mulctatum iri dixit, nisi quamprimum & à Iacobo se disiungeret ac secerneret, & nomini Christi maledíceret. Sed cum, vt nostri loquuntur, maledictum illius nomen, Christi autem benedictum magna voce diceret, Abiatharus os eius pugnis cædi, eumque cum Iacobo securi feriri iussit.

Clemẽs Alexandrinus, teste Eusebio in historia Ecclesiastica.

Iosias viso miraculo credit, & ab Apostolo veniam petit.

Iosiæ os pugnis cæditur.

Cùm autem ventum esset ad locum supplicij, lictorem Iacobus rogasse dicitur, vt ante, quam feriret, aquam iuberet afferri. Allata aqua, quę

fiuit

fuit à Iosia Apostolus, num in Christum Dei filium crederet; qui cum se credere diceret, expiatus est ab Apostolo aqua salutari; osculoque dato, frons illius consignata est. Quibus rite perfectis, vterque eadem hora eodemque loco morte mulctatus migrauit ad Christum 8. Kalend. Aprilis.

Baptizatur ab Apostolo.

Vterque capite plectitur.

VITA ET MARTYRIVM S. CHRIstophori; cuius Acta à multis deprauata inuenmntur ; quod quidem non aliundè originem sumpsisse certum est, quàm quòd Symbolicas figuras, imperiti ad veritatem successu temporis transtulerint. Itaque cuncta illa de S. Christophoro pingi consueta, Symboli potius, quàm historiæ alicuius existimandum est esse expressam imaginem. Nam Symbolicas eiusmodi picturas à Christianis olim pingi consueuisse, docet Eusebius in vita Constantini Imper. lib. 3. cap. 3. vbi agit de pictura Constantini, deq; Dracone ab eo medio ventre transfixo & in mare proiecto. Passus est (teste C. Baronio Tom. 2. Annal.) anno Christi saluatoris 254. Sede Apostol. vacante, Decij Imperat. 2.

Vide C. Bar. Notat. in Martyrol. Roman.

CHRISTOPHORVS Cananæa regione oriũdus, insigni martyrio illustris, vt primũ è densis ignorantiæ & peccatorũ tenebris in admirabile Christi Iesu lumẽ vocatus fuit, mox eiusdem Christi amore acriter inflãmatus in Lyciam profectus est: vt diuitias bonitatis diuinæ omnibus prædicaret, plurimosque à miseranda dæmonũ seruitute ad suauissimam Christi

25. Iulij. *Christophorus Cananæus.*

Quod pertinet ad staturam gigantæam, nihil cum doctissimo Baronio affirmare vel negare audeo.

Christi libertatem adduceret. Erat vir elegan
statura, menteque elegantior; vultu, moribu
ad grauitatem ita compositis, vt quocunq; gr
dum inferret, omnium in se oculos cõuertere
Porrò vt animas Christi sanguine redempta
dęmonum tyrannide eriperet, diuinum nume
omni tempore ac loco intenta supplicatio
precabatur, precesque non sine lachrymis fu
debat, vt prosperum iter cum lucro animaru
vberrimo largire dignaretur. Virgam gestabi
manu; quam cùm verba ad populum facturus
terram defixisset, illa repentè non sine ingen
miraculo viruit, multorumq; animos admir
tione defixos ad Christi fidẽ attraxit. Nec eo so
lùm miraculo, sed alijs pluribus diuinum Chri
sti numen comprobauit, perfidiamque gent
lium & simulacrorum vanitatem egregiè co
uicit.

Multos conuertit.

Passus est sub Decio, non Dagno, quemadmodum mendosè in Surio & alijs legitur.

Cùm verò fama eius virtutibus celeberrim
ad Decium, qui in Lycia rerum potiebatur, pe
ueniisset, is ingẽti eam ob rem affectus molestia
Christophorum ad se vinctum adduci præcepit
adductumque cùm minis tum blanditijs ab ea
quam prædicabat fide, abducere conatus est.
Christophorus præclarè constanterque pro
dei veritate decertans, & Christum & nomen
suum cõfitebatur, dicens se antea quidẽ Adoci
mum, id est, reprobum, dictum fuisse: nunc verò
Christiana religione initiatum, Christophorũ
appellari; vnde æquum esse, vt quod nomine re
ferebat, re ipsa declararet. Prophanus verò ho
mo Decius, scelerum suorum tenebris occæca
tus, martyrem ilicò in carcerem abripi manda
uit, donec apud se tractaret, quo potissimum

Christophorus quare dictus sit.

Mittitur in carcerem.

sup-

supplicij genere inuictum athletam è medio tolleret.

Et primò quidem consultissimum visum, vt virum egregio corporis robore & formæ pulchritudine præditum carnis illecebris irretiret, animiq; virtutẽ infringeret, quò facilius hoc modo eneruatum ad idololatriæ scelus impelleret. Itaq; duas fœminas meretricia arte egregiè instructas ad carcerem mittit, vt illæ castum sanctissimi martyris animum ad rem nefariam solicitarent, darentque operam, vt Christianæ religionis oblitus thura dijs offerret. Sed simulatque in carcerem venêre impudicæ fœminæ, adeò sunt diuinitus exterritæ, vt protinus cælestis numinis vindictam pertimescerent, nisi ab eo facinore desisterent, animosque ad eandem pietatis rationem, cui Christophorum deditum cernebant, componerent. Itaq; agnito scelere, supplices Christophoro fiunt, obtestanturque per Christi numen, vt precibus suis cælestes iras auertat, ac Christianam disciplinam syncerè edoceat. Quibus Christi martyr: Si, inquit, repudiato impuro Ioue & Apolline, Christi sacra suscipere vultis, facilè à benignissimo Saluatore præteritorum scelerum veniam obtinebitis. Illis prompto animo assentientibus, & eixius precantibus, vt propitium sibi Christi numen reddat, Decius vtramque Nicetam & Aquilinam (sic enim vocabantur) accersiri iubet, sciendi auidus quid effeciissent. Illæ adsunt intrepidæ, ac voce libera imperium & execrandum deorum cultum esse, Christi verò religionem sacrosanctam profitentur. Admiratur vehementer Decius, mandatque vt sinè mora ad fa-

In carcerem mittuntur ad eum duæ meretrices.

Conuertuntur Meretrices.

ad fanum abducãtur, vt illam dijs iniuriam n
uo expient ſacrificio. Admiſſæ in templum, p
mò probra in dæmonum ſtatuas iaciunt ride
que, deindè iniectis in caput Iouis zonis ſuis
ane ſimulacrum in terram detrahunt, pedib
que benè largiter conculcant. Eo ſpectacu
magiſtratus commotus, vtramque, poſt va
ſupplicia conſtantiæ earum illata, capitis da
nauit.

Meretrices cõuerſæ ſubeunt martyrium.

His ita geſtis, fortiſſimus Chriſti miles Ch
ſtophorus iubetur ſiſti Decio: qui cùm inui
animi virtute in Chriſti confeſſione perſtar
multiuarijs eſt pœnis crudeliſſimè excarnifi
tus. Interim ſua ipſe conſtantia viros plerosq
nobiles ad Chriſti fidem alliciebat, eodemq
tempore martyrio coronatos ad regna cælo
præmittebat. Porrò tyrannus cernens om
impietatis ſuæ machinas irrideri, furore &
bie accenſus, Chriſtophorum virgis atrocit
cæſum ignita galea ad cruciatum ſimulque l
dibrium indui iuſſit; deindè in ſcamnum fe
reum, quod corporis eius ſtaturam æquabat, l
ligari, totoque corpore oleo feruenti perfu
ſubiectis prunis ardentibus exuri; Horrenda
nè crudelitas, quam tamen Chriſti martyr di
nitùs cõfirmatus non modò conſtanter ſuper
uit, ſed & tyrannum ludificans, dixit; In nomi
ne Chriſti IESV tormento tua non ſentio. Tan
dem modo admirabili ab hiſce tormentis libe
ratus, Chriſtum populo prædicauit, & multo
ad læta Chriſti paſcua traduxit. Quæ res cùm
Decium vehementiùs irritaret, iuſsit ſanctum
virum ad palum alligatũ militum ſagittis con
figi; ſed inanes ſagittarum ictus quem Chriſtus

S. Chriſtophori multiplices pœnæ.

tue-

tuebatur, lædere nõ poterant. Inter ea verò circumfusa multitudo fidei lumine illustrata, ad hominum quadraginta octo millia Christo nomina dedit. Postremò Martyr sanctissimus, hisce trophæis glorioſus, capitis abscissione palmam promeruit, cùm prius dominum intenta supplicatione rogasset, vt locus ille, vbi humatum existeret corpus eius, ab omni tempestate ignis & grandinis, famis denique & pestis pernicis temporibus immunis permaneret. Cæterùm inter coruscantia post obitum eius miracula, vnus carnificũ, cuius oculus ex resultu sagittæ collisus erat, cruore beati martyris, terræ mixto, lumen recepit, simulque eadem virtute mentis eius tenebræ fugatæ sunt.

48000 hominum conuertit.

Capite cæditur.

Miraculum.

MARTYRIVM S. HYACINTHI, EX eo quod habetur apud V.P. Laur. Surium, ex antiquis monumentis. Passus est anno Incarnat. verbi 100. Clementis Papæ 8. Traiani Imperat. 1.

Vide C. Bar. Annal. Tom. 2.

LVXVRIVS quidam homo improbus & acri in Christianum nomen odio inflammatus, compræhensum Hyacinthũ Leontio viro consulari tradidit; à quo de nomine & conditione, seruusne an ingenuus esset, interrogatus, respondit: se Hyacinthum dici, seruũ verò esse Domini Iesu Christi. Cui Leontius: Edicto, inquit, Imperatorum nostrorũ cautum est, vt omnes qui ~~pijs~~ sacrificare recusant, diuersis excruciati supplicijs, debitum ijs honorem tribuere cogantur. Respondit Hyacinthus; Pœnæ vestræ diuersæ esse possunt, æternæ esse non

26. Iulij. Leontius.

Dys

possunt. Itaque cùm non tam diuersa ego supplicia timeam quàm æterna: nec te audio iubentem, nec tuum principem comminantem. Hodie enim ira vestra & exardescit, & euanescit & cùm eritis vita defuncti, deinceps nihil eritis. Tum Luxurius exclamans, dixit ad Leontium: Audis Hyacinthum cũ principum iniuria verba iactantem, & adhuc cessas eum pœnis subdere; Leontius consularis respondit; Ec quam nam in eum ferenda sententia est? Luxurius ait: Vt comburatur igni, corpusque flammis exustum in torrentem præcipitetur. Beatus Hyacinthus dixit; Me quidem igne concremâsti, at aqua, quæ me regenerauit, quasi filium suum ex se renatum suscipiet, ipsaque mox martyrem me efficiet, quæ prius fecit Christianum. Te autem Luxuri, hodie comedet coluber, vt cognoscat omnis regio, quòd DEVS vindex sit sanguinis serui sui, quem tu iussisti ignibus concremari, & pro tua libidine in aquas iactari.

Luxurius Leontium incitat, vt Hyacinthũ plectat.

Missus in ignem martyr nihil læditur.

Missus ergò in ignem Hyacinthus, illo quidem die, nec ab igne, nec ab aqua quidquam mali passus est: sed confestim & ignis extinctus est & aqua ad littus incolumen eum eiecit. Luxurius verò grauiter ab ictu serpentis saucius & inflatus iacebat miser. Cùm enim equo vectus ad villam prandendi causa properaret solus, eccè quandam arborem præteruectus sensit inter collum & caputium colubrem illapsum, qui morsibus suis ventre dilacerato iam ipsa vitalia depascebat: Iacens verò ita tumefactus, priusquàm sceleratam efflaret animam, vidit suis ipse oculis iuxta aquas deambulantem martyrem Chri-

Luxurium lacerat coluber.

Christi, & iucunda voce psallentem: Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. *Psalm. 65.*

Nunciantur hæc consulari Leontio, qui misso confestim lictore cum militum manu, capite eum plecti iussit. Compræhensus igitur à militibus, non longè ab vrbe martyrij palmam gladio promeruit. Porrò matrona quædã religione & pietate insignis, Iulia nomine, veniens ad vrbem Romã, corpus beati martyris reuerenter collegit, & in prædio suo quod erat in eodem loco honorificè inprimis sepeliuit. Nec eo pietatis studio contenta, cubiculum sibi, sanctissimi martyris sepulcro finitimum construxit; vbi præclara in omnes Christianos memoriam eius recolentes redundant beneficia. *Capite cæditur S. Hyacinthus.*

DE SANCTA ANNA, VIRGINIS Dei Genetricis matre, historia perbreuis; ex Epiphanio, Gregorio Nisseno, Hippolyto martyre, & Damasceno, aliisque Scriptoribus Ecclesiæ: qui omnes tam veteres quam recentiores orthodoxi Patres, Vniuiram fuisse professi sunt.

Vide C. Bar. Apparatum ad Annal. Ecclesiasticos Tom. 1.

BEATISSIMA Anna, Virginis Dei genitricis mater, genere sacerdotali, tribu Aaronica, radice prophetica & regia, Dauid & Salomonis, & eorum qui deinceps fuêre, orta, Saziri filia, in Bethleem, Iudeæ oppido nata fuisse fertur; cui duæ fuêre sorores, Maria & Sobe; quarum prima nupsit in Bethleem, & peperit Salomen obstetricem; nupsit & *26. Iulij.*

Duæ sorores S. Annæ.

Nubet Ioachim S. Annæ.

secunda in Bethleem, & genuit Elizabet. Porrò Anna omnium postrema sacratissimo matrimonij vinculo Ioachim in Galilæa sociam fuit, viro regio stemmate prognato, & multis eximiæ sanctitatis insignibus à Deo decorato. Inter alia autem egregia pietatis opera, quæ

Tripartita bonorum eorum diuisio.

pientissimi coniuges sedulò exercebant, nó postremum fuit præclarum admodum, & pietatis in Deum & charitatis in pauperes studium, Tripartita namq; bonorum suorum ratione constituta, vnam pauperibus, alteram templo eiusque ministris, dicauerant, tertia se suamque familiam alebant. Cumque in maritali charitate, pace, gaudio, & iustitia, annum vigesimum agerent, rebusque omnibus satis prosperè ad votũ fluentibus vterentur, vnus tantum sterilitatis dolor agebat plurimum, quòd nulla prole suscepta pariter consenescerent, & turpem illam inimiæ notam, quæ apud Iudæos sterilitatis haberi infima erat, perpetuò circumferre cogerentur. Matribus namque honos quidam à lege habebatur, cuius steriles participes esse non poterant.

Ioachimus igitur cum in festo encæniorum Hierosolymam adorãdi gratia veniisset, velleque supplex ad altare Dei munus offerre, repulsus est ab Isacare sacerdote, cũ ignominia, quasi indignus esset ob longam sterilitatem, qui more patruum & fœcundorum hominum ad eum locum accederet. Qua repulsa mœstissimus Ioachim, nec ferens præ pudore suorum ciuium conspectum, ad caulas secessit, & cum pastoribus commorans, assiduis à Deo precibus contendebat, vt eam à se ignominiam depelle-

ret.

ret. Itaque ecce Angelus Ioachimo se ostendit, & bono ipsum animo esse iubens, preces eius à Deo auditas esse renunciauit, filiamque procreandam quæ Saræ & Rachaélis prolem mysterij magnitudine superaret. Tali ergo spe erectus lætusque Ioachim domum repetens, vxori obuiauit; quæ, cum ei quoque apparuisset Angelus eademque nunciasset, plena spe & gaudio ad marito congratulandum properabat. Salutant igitur inter se cum maxima lætitia, & visa Deique promissa conferens domum reuertuntur.

Angelus Domini Ioachimo apparet.

Concepit Anna diuino munere, non tamen humanam præter naturam, sed ex complexu viri; sextoq; idus Septembris Mariam peperit; cuius ortu fœliciſſimo sterilitatis macula deleta, parentesque compotes facti sunt longisimi desiderij.

Epiphan. hæresi 9. aduersus Collyridianos, quæ Mariam humanæ prorsus naturæ experiẽ, ac diuinæ tantùm participem fuisse dicebant.

Itaque gratia, (nam & id sonat Annæ vocabulum), Dominam parit; id enim Mariæ nomine significatur. Et hæc quidem pauca admodum de augustisima illa matrona omni laude maiore libamus; quæ 7. Kalend. August. ex hac vita mortali, ad beatum immortalitatis statum commigrauit: cuius corpus in Bethleem in patria sepultura conditum fuit.

HISTORIA SEPTEM GERMANORUM, quos Dormientes vocãt; Maximiani, Malchi, Martiniani, Dionysij, Iohannis, Serapionis & Constantini; Ex ea quæ apud Metaphrasten. Passi sunt anno Christi 254. Sede vacante, Decij Imperat. 2.

Vide C. Baro. Tom. 2. Annal. & notas. Martyrolog. Roman. 27. Iulij.

QVo tempore Decius Romanorum Imperat. Ephesi, insana idolorum cultura ebrius, vi-

ctimarum nidore loca omnia replebat, tal
tantumque Christianis certamen propositum
fuit, vt cælum ipsum terraque ad supplicia, qua
ijs inferebantur, obstupescere viderentur. Vi
enim erat angulus, qui non aliquo sanctorum
martyrum membro furca suspenso alijs horro
rem incuteret, tristemque mortem timidis de
nunciaret. In mœnibus capita palis affixa vise
bantur, in plateis membrorum reliquiæ canib
proiectæ pijs omnibus luctum gemitusque affe
rebant; Atque interim vbiq; minæ terroris ple
næ iactabantur; prorsus vt ne hiscere quidem fi
deles auderent; imò multi turpi formidine vi
cti, abiurata per summum scelus Christi fide, ad
idola confugerent: & nefandis sacrificijs, v
supplicia euaderent, se contaminarent. At ve
rò qui Christi gratia confirmati fidem ex an
mo sequebãtur, audito quorundam lapsu, ad
grauiter indolebant, vt tyranni minas nihil ve
riti libenter in quoduis discrimen sese capu
que suum inferrent, quo vel miserorum illo
rum animas è diaboli faucibus eriperent, vel
certè inclyto inuictæ virtutis robore triu
phum de sempiterno humani generis hoste ag
rent. Alij assiduis lachrymis, ieiunijs, prec
bus diuinum precabantur numen, vt è tot tã
tisque malis Ecclesiam suam eriperet, boni
que omnibus florentem & pacatam redderet.
Inter quos Maximianus, Iamblicus, Martinus,
Iohannes, Dionysius, Exacustadius, & Anto
ninus, illustrium virorum & optimatum vr
bis filij, clandestinis in Christianorum Eccle
sia conuenticulis preces instituebant, gemiti
busque inenarrabilibus iram diuini numinis

auer-

Persecutio Dei in Christianos atrocissima.

Multi deficiunt à fide.

Aliorũ præclara virtus & constantia.

Horum nomina Latini non recensent, sed sunt ij.

auertere conabantur. Hoc tam præclarum pietatis opus cum nequaquam diu obscurum esse posset, tum ad ipsum Imperatorem delatum est; qui furore percitus, confestim militari cingulo eos priuari iussit, cæterisque nobilium ornamentis, quibus decorati erant, spoliari: proculque à suo conspectu remoueri; vt interim maturo consilio, quo potissimùm supplicij genere in eos animaduerteret, cum suis deliberaret.

Militares zonæ auferuntur martyribus.

Intereà Christi milites toto illo tempore à tyranni furore vacuo, sedulò præclaris iustitiæ operibus incumbere, pauperibus multam pecuniam distribuere, precibus mutuisque cohortationibus ad certamen pro Christi gloria viriliter subeundum sese communire, ac tādem consilio habito ex vrbe ad speluncam quandam secedere, vt ibidem ab hominum congressu remoti, liberius rerum diuinarum commentationi incumbere possent. Itaq; assumptis rebus quibusdam, & pecunijs vitæ degēdæ necessarijs, ad speluncam montis Ochlon secesserunt; vbi dies non paucos diuino cultui assiduam magna cum tranquillitate nauârunt operam, Iamblico interim natu minimo, sed obeundis ministerijs aptissimo, Oeconomiæ officio commisso; qui cautè mutato habitu in vrbē cōmeabat, & non modò cibos vitæ sustentandæ necessarios emebat, sed & cuncta Imperatoris consilia mira calliditate explorabat. Die verò quodam cùm noua in Christianos edicta sanè atrocia percepissent, festinusque ad speluncam reuersus, socijs eadem exposuissent, hortatus est omnes vt cibos sumerēt, quo virilius in certamen cum

Vide vt se communiant aduersus persecutionē.

Addunt se in spelūcam martyres.

Iamblicus natu minor eorum Oeconomus.

Obdormiunt in Spelunca.

tyranno descenderent. At verò illi, auditis Decij minis, cùm inter se mœrore grauati consilia agitarent, somno iustorum correpti, suas Deo animas tradiderunt.

Martyrum parentes capiuntur & cogũtur prodere filios.

Postridie manè Imperator inter optimates iussit iterum septem istos adolescentes requiri. Quibus non inuentis, ira & furore percitus, parentes eorum accersiri, & fugitiuorum pœnam sustinere iussit. At illi, nefanda idolorum superstitione polluti, multis lachrymis iniustam mortis sententiam deprecari, perque propitios deorum numina obtestari, iniquum esse, vt ipsi rebellium filiorum, qui ingenti auri & argenti pondere per fraudem ablato, ad speluncam cõfugissent, suppliciũ subirent. Imperator audiens eos in spelunca delitescere, diuino magis numine quàm vindictæ cupiditate impulsus, tali eos sententia damnauit, vt obstructo ingentibus saxis speluncæ aditu, tristissimo illo mortis genere plecterentur. Existimabat enim eos miseram hanc & caducam adhuc degere vitam, qui diuinam gloriam cum beatis spiritibus in cælo concelebrabant.

Imperator iubet obstrui os Speluncæ.

Theodorus & Barbus martyrium illorum conscripserunt in tabulis plumbeis.

Interea Theodorus & Barbus, qui Imperatoris à cubiculis fuerant, & Christianis sacris imbuti delitescebant, amore martyrum istorum, quos singulariter diligebant, incitati, æreis in loculis cursum eorum literarum monumentis consignârunt, sigilloque munitis & inter lapides cautè repositis reliquerunt, vt præclara eorum facta posteris aliquando innotescerent: & prolata in apertum corpora, honore sanctorum perpetuis temporibus decorarentur. Temporis autem interuallo, cùm defuncto

Decio

Decio tota illa ætas paulatim interijſſet, & varij Imperatores ſuo quiſque tempore ſucceſſiſſent, tandem Theodoſius, pietate & religione antè omnes illuſtris, Imperij gubernacula tractare cœpit; cuius ſub Imperio cùm nefanda hæreſis, quæ mortuorum reſurrectionem impiè negabat, nata eſſet, indieſque vires ſumeret, peſtiferoſque multorum errores in Chriſti Eccleſiam inueheret, prorſus vt ipſi antiſtites diuerſis inter ſe opinionibus de corporis reſurrectione & animæ æternitate conflictarentur, clementiſſimus Deus, qui ab ipſis mundi primordijs vniuerſa pariter & ſingula gubernat, & per occultas cauſas noſtrorum omnium ſalutem operatur, eo tempore quo maximè fides per Chriſti doctrinam in mundum inuecta periclitari videbatur, hominem quendam Adolium excitauit, qui montis & ſpeluncæ eius dominus erat, vbi ſancti martyres quieſcebant, vt ouile quoddam ſuis pecudibus conſtrueret. Eius igitur ſeruj, vnà cum his qui operi faciendo vacabant, lapides pro ædificio ex eius ſpeluncæ oſtio reuoluebant. Tunc Domini noſtri Ieſu Chriſti iuſſu ſanctis illis viris, qui in ſpelunca dormierant, vita reſtituta eſt: & vox illa quæ Lazarum è monumento excitauit, eadem & ſanctis martyribus vitæ ſpiritum reſtituit. Surrexerunt igitur, & Chriſti numen conſueto more laudibus celebrârunt, ſeſeq; mutuò ad certamen ſubeundum prouocabant; Nam neque vllum extabat veſtigium, ex quo ſe mortuos fuiſſe iudicare poſſent, neque aliter corpora ſe habebant, quàm ſi pridiè veſperi ſomnum cepiſſent, poſtridieque manè experrecti fuiſſent. Itaque prima cura de

Errores ſub Theodoſio Imperatore, de mortuorũ reſurrectione.

Adolius aperit Speluncam.

Iohan. 11. Reuiuiſcunt dormientes.

idolorum cultura animas eorum solicitaba-
atque de Decio Imperatore sermonem institue-
re compellebat . Nec mora ; Ad Iamblicum
procuratorem conuertunt oculos, quæruntqu
ab eo, quænam pridiè vesperi de ipsis in ciuita
audiuisset . Respondet ille ea ipsa , quæ heri ve
speri se retulisse dicebat; nimirum cum reliqui
ciuibus eos ab Imperatore Decio vel ad deo
rum sacrificia, vel ad varia cruciatuum genera
requiri.

Credebant se vna ætatum nocte dormisse.

Tũc Maximianus, Christi amore sanè inflãm
tus: Agite, inquit, fratres parati simus pro Chri
sti nomine certamẽ subire, & virili constantiæ
animo tyrãni furorẽ sustinere. Tu verò Iambli
ce ciuitatẽ ingredere, & cibos nobis futuro cer
tamini necessarios coëme: nam quos hesterno
die ad nos attulisti panes, ad vnum omnes con
sumpti sunt. Tunc Iamblicus, missis in locum
nummis, prima luce foras prodijt; cumque pos
tos antè spelũcam cerneret lapides, dubius ani
mi trepidare cœpit, an pedem in vrbem ferre
vellet, nihil enim de lapidibus illis iam antè co
gnouerat . Prærerierant autem anni trecen
ti admodùm & septuaginta duo, ex quo dormi
erant, ad eum vsque diem, quo resurrexerunt.
Cùm verò in vrbem ingenti formidine pressus
ingrederetur, vidit venerãdæ Crucis imaginem
antè vrbis portas erectam ; Vndè rei nouitate
perculsus, secũ hoc modo agere cœpit; Etquid
est hoc? Heri vesperi Crucis huius signum in la
tibulis seruabatur, & nunc apertè in ipsius vr
bis foribus erectum videmus. Verene hæc vi
deo, an spectri alicuius illusione decipior; Cùm
hæc diceret, animoque magis confirmato in vr
bem

Maximiani ad reliquos oratio.

Emittitur Iamblicus ad emendos panes.

Diuturnus somnus.

Vide antiquiss. S. Crucis vsum.

Putat se alicuius spectri illusione deceptum Iamblicus.

bem gradum inferret, audiuit multos per IESV Christi nomen iurare. Qua re magis perculsus, ambigere cœpit, an Ephesi esset, quandoquidem vrbis ædificia planè mutata cerneret. Sed constanter omnes, quos interrogabat, affirmabant vrbem illam Ephesum appellari; quibus tamen Iamblicus fidem nõ adhibebat, sed locorum oblitus tota mente se aberrare credebat. Itaque anxius animi, statuit vrbe egredi, & rem omnem cum socijs conferre; sed cùm reputaret animo, relictos in spelũca omnibus rebus destitutos fame laborare, panes emere voluit, vt afflictis & mœrore depressis aliqua saltem consolatione subueniret.

Moneta antiqua prodit Iamblicum.

Sed cùm antiquæ monetæ nummos è loculis promeret, vt precium persolueret, pistor admiratione magnæ illius monetæ defixus, eã alteri exhibuit; qui similiter stupefactus, tertio spectãdam præbuit; sicque per manus multorum non sinè admiratione tacitoq; murmure nummus ille vagatus est: planè vt cuncti Iamblicum inuẽtione thesauri alicuius locupletatum, atque ex eo nummum protulisse opinarentur. Iamblicus interim & timore & admiratione perculsus, putabat eos inter se cõsilio agitare, vt Decio traderetur, vltimoq; supplicio miser plecteretur. Cum verò multi paulatim ad eum confluerent, & nouam hominis formam nunquam illis visam intentis oculis cõtemplarentur, Iamblicus, vt suspicionem inuenti thesauri depelleret, circumspicere cœpit, vt aliquem è turba notũ inueniret; sed licet claro & illustri apud Ephesum genere natus esset, neminem tamen inuenire poterat, quem generis & probitatis suæ testem

ſtem adduceret. Intereà cùm fama, celebri rumore, de peregrino adoleſcente per totam vrbem increbreſceret, tùm ad ipſius Epiſcopi aures peruenit, qui tum fortè, diuina procul dubio prouidentia; cum vrbis Proconſule ſermones varijs de rebus conferebat. Ii itaq; iuſſere adoleſcentem cum inuento theſauro cuſtodiri, & benignè haberi.

Iamblicus trahitur ad Epiſcopũ & Procõſulem.

Cùm igitur Iamblicus ad quendam Eccleſiæ locum duceretur, putabat ſe omninò ad ipſum Imp. Decium trahi, vt ſuo ſupplicio tyranni furorem ſatiaret. Itaque huc illuc circumſpiciens omnem adhibebat operam, vt aliquem conſanguineorum vel notorum ſaltem inueniret, cuius auctoritate inuenti theſauri calumniam effugeret. Sed nihil hæc Iamblici diligentia & circumſpectus valebant aliud, quàm quòd turba eum inſanum, alij inſaniam callidè ſimulantem; vt periculum euaderet, aſſererent. Iam verò proconſul & Stephanus antiſtes, ſumpta in manus moneta, vrgere cæperunt, vt theſaurum proderet. Quibus adoleſcens, ſe neque theſaurum inueniſſe, neque omninò ſcire reſpondit: ſed pecuniam illam è parentis ſui arcula depromptam eſſe. Tum Proconſul, vt parentum ſuorum nomina promeret, edixit. Protulit ille & parentum, & fratrum, & conſanguineorum genus, familiamque per ordinem expoſuit; ſed erat planè nemo, qui ſtirpem noſceret, vel vnquàm tenuem illius mentionem fieri audiuerat. Tũ proconſul, cùm adoleſcentem perplexo cerneret animo, ingentique admiratione defixum, nullum pro aſtruenda veritate teſtimonium habere, atrocibus verbis increpitum in vincula cõijci &

Durè accipitur à Procõſule.

flagel-

flagellis verberari iussit, donec sinè fuco cõfiteretur, vbinam thesaurum illum reliquisset.

His auditis, Iamblicus facie confestim in terram prostrata supplicium deprecari, & intrepidè de Imperio Decij eiusque habitationis loco percunctari. Dicite, inquit, mihi, Decius Imp. qui hac in vrbe heri erat, viuitne an non; Cui antistes; Non est, fili, hac in regione qui Decius Imperat. appelletur. Tunc Iamblicus: Venite quæso, inquit, mecum ad speluncam montis Ochlon, & re ipsa ex socijs ibidem relictis intelligite, me vera dicere, neque mendaciorum fuco vobis imponere velle. Certus namque sum, Decium Imp. vrbem Ephesum (quæ an hæc eadẽ sit planè ignoro) heri vesperi ingressum esse, & me sociosque propter Christi confessionem ad necem quæsiuisse, vt nostro supplicio reliquorũ Christianorum animos à religione deterreret, atque ad nefanda deorum sacrificia pertraheret. Hæc Iamblicus cùm diceret, Stephanus antistes eam in cogitationem veniens, Deum magnum aliquid per iuuenem reuelare velle: Eamus, inquit, & videamus. Statimque Episcopus & Proconsul cum optimatibus, ductore Iamblico, ad speluncam abierunt, in ipsoque ingressu arculam quandam æream duos inter lapides artificis manu repositam inuenerũt, qua coram Præside & opimatibus aperta, duæ plumbeæ tabulæ repertę sunt; in scriptis autem exaratum erat, Maximianum Eparchi filium, Iamblicum & reliquos adolescentes à Decio tyranno fugisse, ipsiusque tyranni iussu aditum speluncæ obstructum fuisse. Erat & eorum certamen in earundem tabellarum latitudine conscriptum. Quo lecto,

Arcula ærea continens martyrũ 7. dormientiũ.

lecto, admiratione affecti sunt, & Deum ipsum, qui tanto miraculo adolescentes illos prosecutus fuerat, summis vocibus collaudârunt.

Ingressi verò in spelunca, sanctos diuina quadam specie fulgentes inuenerũt; quorum ad pedes se abijciẽtes, demissè petierunt, vt quæ quãtaq; sub Decio passi fuissent, docerẽt. Episcopus verò & Poconsul statim datis ad Imperatorem literis, ad tanti miraculi spectaculum eum inuitârunt: vt coràm aspiceret, cognosceretque corporum resurrectionem non solum fide, sed & clarissimo suis temporibus miraculo testari esse. Ea re gauisus Imp. ex vrbe Constantinopoli

Theodosius venit Ephesum ad 7. dormientes.

Ephesum honorifico comitatu aduolauit, & sanctos, profuso præ nimio gaudio lachrymarum imbre, salutauit; amplexatus est, & Dei gloriam toto animo exultans dignis laudibus concelebrauit.

Rursus obdormiunt in Domino.

Porrò sancti post pauca verba, quibus futuri resurrectionis gloriam adstruebant, postq; preces admiranda pietate Deo oblatas, suas iterum animas Creatori tradiderunt. Quorum corpora Imp. septem aureis arcis honorificè cõponi, & ex decreto sanctorum nocte secundùm quietem sibi exhibito eodem in monte recondi iussit.

VITA ET MARTYRIVM S. ET INSIGNIS Martyris Pantaleonis medici & sociorum, ex ea quæ est apud Metaphrasten.*

**al. Pantaleon. Vide C. Baronij Tom. 2 & 3. Annal. & Not. mart. Rom. 27. Iulij.*

CVM tetra idolorum caligo sub Galerio Maximiano *a* Imperatore, Christianam religionem inuolueret, inter alios, qui Nicomediæ religionis pietatisque splendorem egre-

egregiè tuebantur, admirabilis inprimis & magnus fuit Pantaleon. Is filius Eustorgij in ea ciuitate oriundus, parentes habebat cùm opibus tùm impietate claros, vnica excepta matre Eubula, quæ Christianis imbuta sacris, religioni impensè studebat : ac mariti execrata superstitionem, filium Pantaleonem sanctissimis disciplinis diligenter instruebat. Sed immatura, prò dolor, sublata morte, tenerum impio parẽti educandum reliquit; qui iuuenem, postquam humaniores literas Græcasq; disciplinas mira ingenij facilitate superasset, Euphrosyno medico ea arte imbuendum tradidit: apud quem breuiuon modò exactam medicandi scientiam, sed tantam etiam apud omnes atque apud Imp. Maximianũ eruditionis existimationem consecutus fuit, vt Imp. egregijs illius moribus & flore virtutis delectatus, eum in regiam assumere, primosque ei inter suos, honores decernere statuerit.

a. *cuius Imperij in Oriẽte anno. 2. qui fuit Christi 293. cæpta est persecutio Nicomediẽsis.*

Parentes & Patria S. Pantaleonis.

Mater eius Christiana.

Adhibetur studio medicinæ.

Eodem illo tempore Hermolaus Christianæ fidei cultor eximius, cùm quadã in domo delitesceret, & Pantaleonẽ ad regiam istàc frequenter commeantem cerneret, captus spectata morum probitate & præclaro specimine adolescentis, clã eùm accersijt, & inter verba vltrò citroque instituta luculẽter multa de Christianæ religionis præstantia disseruit: atque animum eius occultis virtutum facibus tam vehementer accendit, vt protinùs memor pristinæ educationis, qua pia genitrix eum ad omnem virtutem & Christianam præcipuè disciplinam informauerat, toto animo fidem amplexatus sit: & reliquum deindè tempus diuinarum rerum commenta-

Maximianus Imp: eũ assumit in regia.

Hermolaus ei Christum prædicat.

Credit in Christum.

mentationi sedulò tribuerit. Cumque summ
quadam animi voluptate dies noctesq; de Chri
sti in humanum genus bonitate cogitaret, ijs
fluentis mentem inebriaret, accidit aliquand
cùm ab ædibus præceptoris sui domum iter h
beret, vt puerum venenato viperæ morsu exti
ctum, ipsamque viperam non procul indò se vo
lutantem cerneret. Tunc Pantaleon: Profectò
inquit, si Hermolai doctrina vera est, neces
est, vt verbo puerum hunc ad vitam reuocem,
pestiferam bestiam internecione deleam. H
dictis, diuinum Christi numen pro salute pu
ri implorauit, dictoque citius defunctum in v
tam restituit, & viperã eadẽ virtute interem

Excitat mortuum.

Quo facto & fides stabilita fuit, & animus
ius tanto delibutus gaudio, vt continere se no
posset, quin concito gradu ad præceptorem re
diret, factumque exponeret, & cæleste lauar
supplex expeteret. Nec recusauit Hermolau
quinimò salutaribus expiatum aquis septem co
tinuos dies cælestibus monitis epulisque refe
cit, tanto fructu ac animi illius gaudio, vt Chri
sti amore ebrius, patrem inprimis ac reliquos o
mnes eiusdem gratiæ vehementer cuperet fa
re participes. Cumque idola conterere velle
& sæpè pio sanè zelo admotis manibus simula
cra deijcere pararet, rursus prudenter se conti
nuit, ne parentem, cui honos debebatur, aliqua
interposita offensione ad iram prouocaret, debi
tumque honorem præripere videretur. Statuit
igitur lenitate ac mãsuetudine efficere, vt Chri
sto crederet, atque ita simul cum honore ab im
pio dæmoniorum cultu ad pientissima Christi
sacra traduceret.

Baptizatus ab Hermolao.

Vult frangere patris sui idola.

Hæc

Hæc cum animo volueret Pantaleon, & diuinum numen profusis lachrymis in auxilium vocaret, eccè adest præ foribus cæcus, qui Pãtaleonis in arte medica industriam requirebat. Quo audito, vir sanctus accurrens, præsente patre, cęcum quid velit interrogat. Cui cæcus: Hæc, inquit, miserãda mea cæcitas omnium in hac vrbe medicorum industriã hactenùs eludit, neq; vllum potui, exhaustis iam penè facultatibus, inuenire remediũ. Tu verò, qui artis medicæ præstantia plurimum valere diceris, quæso te manũ huic meæ adhibe calamitati, & quidquid facultatũ reliquũ est, prompto atque alacri animo tibi exoluam. Cui Pantaleon: Donum, inquit, luci conferet tibi per nos pater luminum. Tu verò, quæ mihi es pollicitus, vade & da pauperib. Hæc cùm audisset pater, qui filium inani quadã ostentatione ea verba proferre existimabat, eum à cœpto abducere conatus est. Quid, enim, dicebat, fili mi, tu plus poteris quã cæteri medici, quibus & ętate & prudentia lõgè es inferior? Cui, rursus Pantaleon: Nemo, inquit, ô pater, hunc medicandi tenet modũ, quem ego à magistro meo edoctus sum. Pater cùm existimaret illum Euphrosinum dicere: Et is, inquit, ô fili suã in hoc cæco operam nequicquam posuit. Tum Pãtaleon: expecta, inquit, pater, & res ipsa indicabit. Hæc cùm dixisset, inuocato Christi Iesu nomine, manûs suæ contactu caliginẽ ab oculis cæci pepulit, patrisq; tenebras luce veritatis ac fidei splendore illustrauit.

Offertur ei cæcus.

Cæco restituit lumẽ, & pater eius credit in Christum.

Haud ita magnum temporis intercessit interuallum, quo Eustorgius multis pietatis clarus operibus è vita excessit, filioq; amplissimas facul-

tates reliquit. Quocirca Pantaleon opportu
amplificādæ religionis tēpus nactus,primò q
dem ſeruos omnes libertate donauit,opeſq; h
reditarias pauperibus diſtribuit; prorſus vt n
modò corporis,animi, ſed & egeſtatis medic
eſſet. Hoc cùm apud medicos alios magnam
in inuidiam vocaret,tùm vt nomen eius omn
ſermone celeberrimum obliuione contereré
apud Imperatorem Maximianum eum detul
runt,quòd in deorum iniuriam medicandi v
tutē & Aeſculapij curationes Chriſto aſſcrib
ret,eiuſq; precipuè cultores,neglectis ſpreti
interim deorum amicis,curaret. Hoc vt teſta
facerent, efficerentque vt Imp. Pantaleonē v
exilio mulctaret, cæcum à viro ſancto reſtit
tum adduxerunt,eumque,prēſente Imperato
cuius demū virtute lumen oculorum conſeq
tus fuiſſet,interrogârunt. Ille autem. Profec
inquit,vno Chriſti nomine fidēter inuocato
cem hanc mihi reſtituit. Tibi autē quid videt
inquit,Imp. cuinam potiſſimûm hoc oculor
tuorum beneficium acceptum referendum e
ſtimas,Chriſtone,an dijs, quorum numina co
mus? Qui verò curatus fuerat,ait; Hoc vel ca
vt dicitur,euidens eſt. Nam hi quos vides,
multumque implorata Aeſculapij virtute, ho
mihi prēſtiterunt,quòd facultates meas egreg
attonderint,exiguam verò lucem, quæ mihi re
liqua erat,planè corruperint. At Pantaleon nul
la interpoſita mora,inuocato Chriſto charam
licò lucem donauit.

Facultates ſuas largitur pauperibus Pantaleon.

Medici ex inuidia deferunt eum apud Imp.

Adſcribit curationem Chriſto qui cæcus fuerat.

Ad hæc Maximianus cum non haberet quo
diceret,præcipiti furore incitatus, cæcum diu
nā Chriſti virtutē intrepidè cōfitentem capit

ſuppli

supplicio plecti iussit; cuius corpus Pantaleon, magna vi auri redemptum, paternum in monumentum honorificè intulit. Deindè Imp. accersito ad se Pantaleone, animum in omnes partes versabat, vt tam præclarũ pietatis decus ad inanium deorum cultum reuocaret: suaq; impietatis numina magnifico sacrificio à cõtemptu vindicaret. Præsente igitur viro sancto, huiusmodi ad illũ orationẽ instituit. Quàm benignis te sẽper, ô Pantaleon, aspexerim oculis, equidẽ te latere haud existimo. Primò enim te meã in familiã honorificè asciui; iuuenẽ adhuc Euphrosyno magistro prestantissimo, cum maximarum artiũ disciplinis, tum medicinæ cognitione imprimis diligenter instruendũ tradidi. Honoribus deindè ac dignitatibus auxi; ac denique nullum tui ornandi locum prætermisi. Tu autem. (Hæc duo postrema verba cum indignatione quadam proferebat, Sed mox ad blanditias reuersus, sermonem pertexuit) Verùm omninò falsa ad me de te, ô Pantaleõ, allata existimo. Quomodò enim mihi persuadere possum te, qui deorũ nostrorũ beneficio præstantissimam medicandi artem consecutus es, ad hominem quendam in Crucem actum nullaque virtute præditum cuncta illa transferre, quæ tantam omnibus admirationem adferunt, neq; possunt humana industria confici?

Cæci à Pantaleone curati caput amputatur.

Imperatoris ad Pantaleonem oratio.

Ad hæc Pantaleõ: Præclarè, inquit, ô Imperator tu dicis, nulla virtute humana peragi posse, quæ iam per me patratę sunt virtutes. Itaq; iustũ esse existimo, vt deo illi magnifica ab omnibus offerantur sacrificia, qui talia tamque admirãda mortalibus per me cõferre dignatur benefic...

Respondet tyranno S. Pantaleon.

Censeo igitur, vt aliquis insanabili correptus morbo in mediũ adducatur, & sacerdotes quique religiosissimi aduocentur, vt deorũ vestrorum numine suppliciter inuocato, sanitatem illi conferant. Si fecerint, nihil recuso thura libare. Sin verò à dijs derelicti nullam misero incalamitate extrema opẽ exhibere possunt, & ego tum demũm vnius Dei virtute, quẽ mihi perpetuis temporibus colendũ statui, miserum repentè morbo liberauero, peto abs te, ô Imperator, eum Deum diuinis, vt par est, prosequamur honoribus; reliquos verò in puluerẽ redactos, sempiterna obliuione conteramus. Placuit Imperatori cõditio æquitatis & iustitiæ plenissima. Adducto igitur viro paralytico, cõuocati sunt principui deorum sacerdotes, vt Pãtaleonem Christi Iesu virtutem magnis præconijs extollẽtem, & laudibus celebrantẽ, cõfunderẽt, ac præsenti miraculo summã deorũ virtutẽ declararẽt. Nec mora. Preces votaq; importunè oblata, & deorum inanium numina multis magnisque clamoribus diu fatigata sunt: sed cuncta, subridente interim Pantaleone, in vanum adhibita. Tandem & ipse Deum suum inuocare iussus, oculis infita pietate ad cælum sublatis, paralytici manum arripuit, dixitque; In nomine Christi Iesu, qui elisos erigit, esto incolumis, membrisque tuis ad illius gloriam deinceps vtere sanus. Dixit, & protinus, is, qui omnium membrorum destitutus officio, lecto affixus iacebat, exilijt, atque sempiternum Christi numen magna voce prædicauit.

Sanat paralyticum.

Eam rem cùm non sinè maximo inuidiæ sensu idolorum sacerdotes aspicere possent, ad Imperato-

peratorem accedentes, ei persuaserunt, vt Pantaleonem vita exueret, dignumque de illata dijs iniuria supplicium sumeret. Quibus Imp. facilem aurem præbens, virũ sanctum ilicò accersiri iubet; quẽ hisce primũ blanditijs aggressus, in impietatis barathrũ pertrahere conatus est. Nosti, inquit, ô Pantaleon, quàm horrenda omnibus deorum contemptoribus subeũda sunt supplicia. Vidisti iampridem atrocissimos Anthimi cruciatus. At ego, qui præ cæteris iuuẽtutis tuæ curam paternè gero, nolo te tam facilè interire; quinpotius, si deos honorare proponis, honoribus auctum nomẽ tuũ immortale reddere decreui. Sin autem in mentis tuæ stultitia, quod absit, perseueras, profectò vel inuitus te supplicijs tradere cogor. Ad hæc Pantaleon: Ne existimes, inquit, ô Imp. me vel minis vel blanditijs à spe immortalis gloriæ, quam fidenter à Christo Iesu æterno Deo expecto, abstrahẽdum. Neque enim tormenta extimesco, quinpotius magno me damno affectum putabo, si non plurima & grauissima quæq; attuleris. Porrò ad Anthimum quod attinet, nõ illum ego miserum vt tu, sed mortalium omnium fœlicissimum iudico, qui venerãdam suam canitiem roseo cruore postremò exornari, & martyrij palma glorioſus ad cælos migrare meruit. Quod si ille deuexa planè ætate vir, tã glorioſum de hoste triumphũ egit, ego, qui inuenili ætate ad grauia quęq; multò robustior esse debeo, certamen detrectabo? Nunquã, mihi crede, me patriamq; meam, & piam genitricem, quę vnà cũ lacte pietatẽ mihi semper instillauit, tanto dedecore afficiam. Hæc dixit Pantaleõ, pauciſq; admodum

Iterum Blanditur tyranno martyri.

Anthimi martyr.

Præclarè denuò respondet martyr Imperatori.

ostendit, qualem virum offendisset is qui de sceptris & throno se iactabat. Quã ob rem Imp. quod reliquum erat, omnes adhiberi machinas iussit, vt suppliciorum atrocitate victus, inuictus Christi athleta hanc animi magnitudinem remitteret.

Multis afficitur supplicijs.

Nec mora. Lictores manibus animisq; expediti, appensum in ligno martyrem ferreis vnguis certatim dilaniant; inde ignitas lãpades lateribus admouent; vrgent, clamãt, vt dijs sacrificet supplicemq; se Imperatori exhibeat. At martyr neque plagis neque vstionibus quidquam motus, intẽtus supplicatione oculos in cælo defixos tenebat; cùm eccò liberator Christus in habitu

Christus ei apparet.

Hermolai apparens, martyrem verbis dulcissimis cõsolatur recreatq; lictores verò & à castigando absterret, & lampades extinguit, dicitq;. Tum Imp. dubius animi quid ageret, propiùs ad martyrẽ accedit, aitq; ; Quænã hæc est ars præstigiarum, qua & lampades extinguis, & satellites momento quasi elumbos reddis ? Cui Pantaleon: Nullæ, inquit, præstigiæ sunt, sed adest mihi Christus ipse, qui suis & animum addere, & hostium potentiam infringere consuevit; Tum Maximianus ; Si ergo maiora tibi tormenta infligam, quid facies; Quid aliud, inquit, martyr, quàm ipse quoque maiores consequar remunerationes;

Hoc audiens, improba & scelerata mens maiora experiri voluit. Itaq; lebetem ferreum ferventi plumbo redundantẽ constitui, ac in eum

In plumbum liquidum mittitur.

martyrem conijci iussit. Sed illa quoque machina, orante martyre, per Christi præsentiam non tormẽtum sed potiùs refrigerium attulit; prorsus

sus vt plumbum subitò in naturalem frigiditatem conuersum, omnibus admirationem adferret, plurimosque ad Christi potentiam confitendã prouocaret. Solus Imp. cum suis in impietate & furore persistẽs, alio protinùs supplicio martyrem deleri volebat. Iubet igitur, ingenti saxo collo eius appensu, in mare præcipitem dari, ne reliqui Christiani reliquijs ad consolationem fruerentur. Sed missum in mare Christus mox excepit, sicciſque plantis, vt quondam magnum illum Petrum, manu deduxit; lapide interim, instar folij arboris, leuiter super fluctus maris natante. Pantaleon verò, ductore Christo, inambulans ad littus peruenit, & alios quidem multos stupendo miraculo ad Christi virtutem prędicandam excitauit: Imperator autem, malitiæ tenebris profundè nimis immersus, ad noua inferenda supplicia & furore & vindictæ cupiditate acriter inflammatus, ingẽtem ferarum vim in certum cogi locum iussit: vt cùm ijs martyr congressus reliquis Christi cultoribus suo supplicio terrorem incuteret: & repentino interitu, vt ipse sperabat, Imperatori laudes cumularet. Et quidem vniuersa ciuitas ad spectaculum confluxit, vt iuuenem corpore & animo præstãtem, & multis triumphis celebrem, cũ feris cõgredientem cerneret. Ibi tum videre licebat rẽ maximè nouam & longè iucundissimam, homines quidem mutatos in ferarum sæuitiam, feras verò, tanquàm ratione præditas summa humanitate & obsequio vti. Nam Tyranno & satellitibus feras magnis clamoribus ad sæuitiam & crudelitatem exiciantibus, ipsæ, magna cum reuerentia ad martyrem accedentes, suauiterque blan-

Multi credunt.

Missum in mare eripit Christus. Matth. 14.

Ferę producuntur ad deuorandum martyrem.

blandientes, inter se contendebant, quænam prima accederet, & medicante lingua pedes tangeret. Nec priùs singulæ earum recesserè, quàm benedictione per manum martyris percepta, quo gaudio affectæ essent, cum & saltu spectantibus declararent. Eo tam nouo spectaculo, qui aderant, admirati, vno clamore omnes Deum Christianorum verè magnum esse testati sunt, dignumque esse vt Pantaleon iustus dimittatur. Quid igitur; Ferus planè, crudelis Imperator, totus vindictæ cupiditate æstuans, feras illas ad vnam omnes trucidauit: vt vel eo supplicio animum dolore saucium leniret.

Feræ martyri blandiuntur.

Tyrannus sæuit in bestias.

Porrò martyre interim in carcerem recepto, noua variaque agitata consilia, vt & Pantaleon malè periret, & plurimi per eum ad Christum perducti ad deorum sacrificia reuocarentur. Idem placuit, vt martyr sublimi rotæ alligatus, per decliue demissus, membratim cõtereretur, eoque tam tetro supplicio reliquos à confessione fidei deterreret. Sed terribilis illa machina precibus martyris dissoluta, magnum infidelium numerum cõtriuit: Pantaleonem verò vinculis solutum illæsum planè constituit. Nemo non tumore perculsus rem admirabatur, multoq; magis, minitante nequicquam Imperatore, magnũ Deum Christianorum clamabat.

Rota Martyri parata multos conterit.

Credunt multi.

Stabat attonita mente Maximianus, animumque in omnes partes versabat, vt vel ignominiæ notam subterfugeret, si non posset victoria pro voto potiri. Stupens igitur & animo hærens, interrogat martyrem, quis illum Christi fidē docuisset. Cui Pantaleon: Hermolaus, inquit. Cùm enim

enim præclaram planeq; diuinam doctoris sui mẽtem probè perspectam haberet, nefas esse existimabat oblata martyrij corona eum priuare: qui nequaq; angulo & obliuione dignus, ad idẽ certamen magno ardore aspirabat. Iussus igitur Pantaleon eum adducere, nihil renuit, sed tribus stipatus militibus, recta ad domum Hermolai abijt, eumque ad eandem martyrij gloriam inuitauit. Et quidem Hermolaus, qui ea nocte per quietem à Domino præmonitus fuerat, venientem ad se Christi martyrem lętabundus excepit: ac cum eo, rebus omnibus præ nimio gaudio neglectis, ad Imperatorem contendit. Imperator, visa senis alacritate & vultu ad omnẽ hilaritatem composito: Tune, inquit, es Hermolaus Christianus? Cui Hermolaus: Christianus, inquit, sum. Rogatus verò, annè alios eius religionis discipulos haberet; Sunt, inquit, Hermippus & Hermocrates domi meę: vteque spectata religione & pietate, qui hasce epulas martyrij auidè expectãt. Eos igitur Imperator confestim quoque adduci præcepit, adductosque inani verborum fulmine aggressus: vos estis, inquit, qui Pantaleonem à cultu deorum abduxistis? Illi verò: Eos, inquiunt, qui digni sunt, Christus nouit ad veritatis agnitionem vocare. Dia autem multumque adhuc fulminante Imperatore, ad preces & Christi laudes conuersi, manus oculosque ad cælum subleuabant, cum repentè locus motu agitatus est. Tum emotæ planè mentis Imp. En, inquit, dij iusta indignatione prouocati terram mouent. Cui martyres prudenter admodum & fortiter; Quid si & ipsos deos vnà ruere contigerit? Nondum finita

Hermolaus adducitur ad Imp.

Item Hermippus & Hermocrates.

oratio,& eccè nuncius calamitatis accurrens: Dij,inquit,ô Imp.ceciderunt. Tum verò Tyrannus in rabiem conuersus, post varia supplicii tres illos sanctos capitis damnat: Pantaleonem verò rursus ad carcerem abductum, ac deinde flagellis atrocissimè cæsum, idem capitis supplicium subire iussit.

Hermolaus, Hermippus & Hermocrates capite cæduntur, & Pantaleon eadem sententia damnatur.

Ductus itaque inuictus athleta ad vltimi certaminis locum, oleastro alligatus fuit, nudataque ceruice lictor stricto ense accurrit. Ibi tum miraculum sanè prioribus nihil inferius contigit: quod maximam gentilium turbam ipsosque carnifices ad clarissimam Christi cognitionem, omniaque sanctitatis officia repentè perduxit. Cùm enim summa vi ensem in nudam ceruicem vibraret lictor, acies instar ceræ conuersa fuit, martyremq; omnis sectionis expertem penitus reliquit. Ea de causa tremore correpti carnifices, supplices se ad pedes martyris demiserũt, ac copioso lachrymarum imbre plantas humidque rigantes, nihil non faciebant, vt cõcessa audaciæ venia, Christi simul misericordiam illis impetraret. Nihil recusauit sanctus martyr, sed insita pietate oculis ad cælum sublatis, pro eorum salute preces fugit. Cumque prolixus, multo cum gemitu, supplicaret, huiusmodi vox cælitùs dilapsa omnium auribus insonuit; Non amplius Pantaleon, sed Panteleemon vocaberis, vt rebus nomen pulchrè conueniat. Plurimi enim per te misericordiam consequentur.

Insigne miraculum.

Diuinitus ei nomen mutatur.

Hac voce audita, martyr incredili delibutus gaudio, carnifices aduocauit; hortatusque vt Imperatoris sententiam affectui mandarent, cer-

ceruicem extendit. Cumque illi recusarent,& scelus nefasque esse dicerent,sanctum ferire,illene optata martyrij gloria fraudaretur, tandē euicit,vt quidam,non tamen sinè maxima reuerentia & timore, sanctissimum caput ceruicibus amputaret: è quibus lac protinus pro sanguine fluxit,& oleaster gratissimo fructu similiter onustus, nouum & valdè admirandū spectaculum prębuit. Quod quidé cùm ad Tyranni notitiam esset perlatum, arborem excindi,& corpus martyris igni tradi iussit. Atque milites quidé, qui tanta miraculorum gloria ad Christi fidem conuersi fuerūt,relicto Imperatore, Deū eiusque martyrem perpetim glorificârunt: sacrasque reliquias,quorundam fidelium ope, in suburbano cuiusdam scholastici (cui nomen erat Adamantio)sacrosanctè deposuerunt. Huius templum Constantinopoli vetustate collapsum,in ampliorem formam Iustinianus Imperator restituit, Aliudque in honorem eiusdem maryris excitauit in Palęstina,vt scribit Procopius lib.1.& 5. de ædificatione Iustinia.Imper. Porrò translatum esse Caput eius ex Africa in Gallias anno Domini 802. testatur Sigebertus in Chronico.

Præclara miracula.

VITA ET MARTYRIVM SS. NAZARij & Celsi pueri, ex historia S. Antonini Archiepiscopi Florentini; qui eos passos scribit circa annum Domini 57. qui fuit Neronis annus primus. Hic autem est dies natalis eorum. Pridie verò Idus Iunij, celebratur dies inuentarum reliquiarum per S. Ambrosium.

Vide quoque C. Baronij Notat. in Martyrol. Roman.

S. Na-

28. Iulij.

Patria & parentes S. Nazarij.

S. Nazarius nobilissima Romanorum familia, patre Africano viro illustrissimo, sed Iudaicis cæremonijs flagitiosè imbuto, matre verò Perpetua, Christianis sacris a Apostolorũ principe Petro initiata, ortus fuit. Hic anno ætatis suæ nono, cùm cerneret parentes diuersis admodum inter se, in religionis negotio, opinionibus conflictantes, animo vehementer angi cœpit, cuius potissimum sententiæ in re adeò seria & æternæ salutis negotio seq deberet. Placuit tandem matris imitari pietatem eiusque religionis institutum amplecti, quæ maioribus virtutum ornamentis & gratissimi charitatis operibus, præ Iudæorum cæremonijs Christianam religionem florentem cerneret. Igitur nequicquàm reluctante patre, pia pietatissimæ matris monita sequutus, Linũ adijt, qui

Baptizatur à S. Lino.

posteà summi Pontificis honorem obtinuit, eiusque disciplinis aliquamdiu imbutus, cælesti lauacro expiatus est. Quod intelligens pater, animo sanè commotus, filium à Christianis sacris auertere conatus est, ac præter alia, varia tormentorum genera ei explicauit, quę Christi cultoribus, ni resilirent, subeunda erant. Sed puer, Christi spiritu mirificè confirmatus, nullis patris hortamentis à fide Christo semel data auerti potuit, quinimò coætaneis suis perceptã Christi gratiam & religionis Christianæ præstantiam referre, aliosque ad eandem allicere gaudebat. Hinc parentes veriti ne id illis periculum & pio filio necem crearet, eum rogarunt, vt vrbe excederet, & in locis tutioribus vitam degeret. Multis igitur oneratum divitijs, rebusque alijs ad vitam splendidè degendam

dam opportunis instructam, dimiserunt.

Et quidem pius iuuenis protinus aurum & argentum benignè erogare pauperibus, & totus pietatis officijs incumbere; nihilq; in vita molirialiud, quàm vt vberiorem quotidie Christi gratiã promereretur. Decimò verò egressionis ab vrbe anno, Placentiam & indè Mediolanum aduenies, SS. Geruasium & Protasium vinctos Christi in carcere inuisit, eosque verbis suauissimis ad constantiam hortatus est. Cumque frequentius sanctissimos Christi martyres visitaret, nullumque Christiani hominis officium erga illos omitteret, Præfectus comprehensum eum fustib⁹ atrociter mactari præcepit, mactatumque in confessione constantem vrbe expulit. Neque tamen elinguis aut timore peculsus egressus est, sed maiore etiam quàm antè fiducia verba salutis omnium auribus animisque ingessit: locaque varia haud sinè fructu peragrauit.

Largitur sua pauperibus.

Venit Mediolanũ ad Geruasium & Protasium.

Cæsus ab vrbe pellitur.

Intereà mater eius vita sanctissimè functa peregrinanti filio in somnis apparuit, monuitque vt Gallias Euangelij fato fœcundandas accederet. Paruit ille protinùs, Meliamque profectus, diuini verbi semina sparsit, fructusque minimè pœnitendos breui collegit. Tum verò inter alios matrona quędam, & genere, & dignitate illustris, suum ei filium Celsum nomine, elegantiforma, sed ætate tenerum obtulit puerum, vt aquis lũstralibus expiatum secum duceret, & moribus sanctissimisque disciplinis sedulò imbueret. Quòd Præfecto Galliarum vt innotuit, ipsum cum puero Celso manibus post terga reuinctum, & catenarum pondere colla onustum, carce-

Venit in Gallias.

Celsus puer ei offertur instituendus.

carceri mancipauit: vt die sequenti tormentis afficeret. Sed vxor eius, illustris cuiusdam fœminæ (quam Dinomedam appellatam fuisse dicunt) monitis persuasa, maritum impulit vt sanctos nulli crimini obnixios missos faceret: ne innocētium sanguinis vindictam à dijs immortalibus expeteret. Præfectus vxoris suæ verbis impulsus Nazarium quidem dimisit, sed seuere admodum denunciatione suplicij interdixit, ne ijs in locis Christi religionem hominum auribus inculcaret.

Sic habet Metaphrast. Antoninus verò Treueris scribit.

Igitur Nazarius à Præfecto missus factus, ilicò vnà cum puero Celso Temerum ciuitatem Meliæ vicinam abijt, vbi rem Christianam mirè locupletauit. Hęc aliaque admirandæ virtutis insignia cùm celebri sermone vulgarentur, Nero vinctos eos sibi sisti imperauit. Fuêre confestim Nazario vincula iniecta, & puero Celso præceptoris sui cruciatus deploranti alapæ inflictę. Nero autem oblatos sibi martyres carcere concluſit, vt maturè secum deliberaret, quo tormentorum genere eos excarnificaret. Fertur verò, cùm tyrānus venationi insisteret, quòd aduerso quodā casu pedem grauiter sauciauerit, acceptoque vulnere exclamauerit: Dij nobis infesti sunt, quòd eorum inimicos Nazarium & Celsum debitis supplicijs afficere differimus. Nazarium igitur calcibus tunsum, & Celsum puerum flagellis cæsum, suo conspectui iterum offerri præcepit. Adductos monuit, vt sinè mora honores dijs debitos tribuerent, eorumque numina grauiter offensa sacrificijs placarent; nisi facerent, supplicia subirent, quæ vel solo aspectu ingentem eis formidinem mortisq; metum

Sistitur Nazarius Nero-ni vnà cum Celso puero.

incu-

incuterent. Tunc Nazarius vultu & verbis magnam animi lætitiam ostendens, in fana deorũ se admitti postulauit. Fuit non modò benignè sed & honorificè deductus, ea spe, quòd Nero sanctũ dijs thura oblaturum speraret. Sed cùm Nazarius in adyta admissus Christum insita pietate precaretur, ilicò & idola confracta, & omnipotentis Christi numen signis admirandis ostensum est. Vndè cum multi, relicta idolorum vanitate, ad Christiana sacra transirent, tyrannus furore incandescens, martyres in mare præcipites dari mandauit. Sed in mare proiecti, illicò diuina virtute in fluctibus illæsi steterunt, siccisque plantis mare inambulantes ad aridam peruenerunt.

Confringit idola precibus suis.

E mari educitur cum Celso.

Deindè Tenusam profecti, Christum vbique prædicarunt, tanto operæ precio, vt plerique nomina sua Christo darent, & crudelis tyrãni minas Christi amore constanter despicerent. Indè denuò Mediolanum cum Celso abiens, vt sanctissimorũ Christi martyrũ Geruasij & Protasij conspectu colloquioque frueretur, mox Anolinus præfectus, Celso ab eius cõsuetudine & cõuictu auulso, & honestę cuidam matronę tradito, Nazarium exilio damnauit. Qui Romam repetens, Patrem ab omni errore liberatum, & veteribus delictis sacro fonte ritè purgatum inuenit. Quare mirificè exhilaratus, pulsus à templorum pontificibus iterum Mediolanum petijt, vt ibidem paratam martyrij gloriam cum Celso, & sanctissimis athletis Geruasio & Protasio, perciperet. Vrbem itaque ingressus, ab Anolino præfecto tentus, vnà cum Celso, Geruasio & Protasio, capitis sententiã lætus excepit: datis-

Antoninus habet Ianuam.

Multos conuertunt.

Nazarium exilio damnatur.

Redit Mediolanum.

datisque ceruicibus quatuor illi glorioſum tri-
umphum magna pariter conſtantia & gaudi-
peregerunt. Corpora eorum fuêre à fideli quo-
dam & inſigni pietate viro, in eius domo ſepul-
ta; quæ multò poſt tempore S. Ambroſius, diui-
na reuelatione admonitus, ad Apoſtolorum ec-
cleſiam tranſtulit, eorumque reliquias admi-
randa miraculorum virtute coruſcãtes magni-
vt par erat, honoribus affecit.

Cæduntur gladio 4. martyres.

CERTAMEN S. MARTYRIS CALLI-nici, ex eo, quod extat apud Metaphraſten: quæ acta eadem ſe habere teſtatur ab ijs qui inter-fuêre.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Romanum. 29. Iulij.

Patria eius.

DIVINVS Callinicus omnium rerum fertili Ciliciæ regione oriundus, à teneris vnguiculis ſanctiſsimis Chriſtiani diſciplinę rudimẽtis imbutus, ad eam vitæ perfectionem excreuit, vt adulta ætate vir, propriæ ſalute nequaquam contentus, longas easq; difficiles ſuſceperit peregrinationes, quo Chriſtum vbique prædicaret, plurimosque ab idolorum inſania, qua homines tunc temporis miſerrimè conflictabantur, abduceret, & Chriſti ſacramentis initiatos ad regna cęlorum ſecum pertraheret. Neque ſine fructu ſata Euangelij ſparſit, ſed vberem vbique meſſem collegit, terramque vitiorum ſentis ac vepribus oppreſſam egregiè perpurgauit.

Zelus animarum.

Venit Ancyram.

Cùm verò multos vicos & ciuitates obiens Ancyram Galatiæ cinitatem magnam & populo frequentiſsimam deueniſſet, populumq; diuiniſſimo diuini verbi eloquio mira facilitate ad fidei

fidei agnitionem adduceret, quidam diaboli inuidia concitati, eum apud Præsidem loci accusarunt; qui vt impietate ita & ira ac crudelitate plenus, post minas nequicquam intētatas, martyrem neruis crudelissimis toto corpore cædi iussit. Quæ supplicia cum martyr placido non modò, constantiqúe ferret animo, sed minora etiam esse diceret, quàm quæ excipere paratus esset, Sacerdos (hoc namque Præsidi nomen erat) se ludibrio haberi cernens, martyrem in ligno sublatum ferreis vngulis laniari præcepit.

Neruis cæditur.

Laniatur vngulis ferreis.

Eo verò supplicio pari fortitudine superato, cùm stolidus de victoria desperasset, nouum quoddā furiosæ mentis protulit tormentū. Crepidas acutissimis cōfixas clauis, martyris pedes induit, eumq; hòc modo Gangram vsque currere voluit; lictores verò equis insidentes ponè sequebantur, vt cessantem, si opus esset, propellerent, & diris supplicijs excarnificarent. Sed eccèrem sanè stupendam. Callinicus enim & aculeatis crepidis & ferri pondere grauatus, vt primùm, inuocato Christi nomine, viam iniit, tanta celeritate iter confecit, vt lictores, quanquā equis mira pernicitate præditis vecti, nequaquā præeuntem assequi valerent. Imò cùm admotis calcaribus vehementius contenderent, iamque sexaginta stadijs peractis ad locum cui Matrica nomen perueniissent, nimia lassitudine oppressi, & extrema siti confecti, conciderunt. Cumque locus planè aridus aquam negaret, omni spe vitæ abiecta, ad sancti pedes prouoluti, crudelitatis suæ veniā postulârunt. Cernebant enim Callinicum neque itineris molestia fatigatum, ne-

Vide miraculum.

que atroci supplicio fractũ, Christo grates persoluentem, & in Dei sui bonitate ac misericordia mirificè exultantem.

Tunc martyr sanctissimus misericordia motus, supplices Deo preces obtulit, vt suis persecutoribus cum morte colluctantibus aquã præberet, & è mortis faucibus eriperet, ac pristinis viribꝰ restitueret. Et ecce miram orationis vim Sancto totis viribus pro inimicorum salute supplicante, repentè vis aquæ è quadam petra effluxit, torrida lictorum ora refrigerauit, & copiosa deindè scaturigine fons lympidissimus perpetuam diuinæ bonitatis memoriam permansit.

Persecutoribus suis de vita periclitantibus aquam impetrat.

Porrò resumptis viribus iter peregerunt, martyremque haud inuitum, sed sponte sequẽtem Gangram deduxerunt. Ibi ijdem ipsi carnificum metu eorum, qui dominatum obtinebant, vitã (molli enim & effæminato animo præsentibus tantùm bonis inhiabãt) ex Pręsidis decreto martyrem in fornacem coniecerunt; cuius ardore fragilis caro soluta, sanctissimam eius animam Christi numen sine intermissione laudantem, in cælos transmisit.

In fornacem missus tradit Spiritum.

VITA S. LVPI TRECENSIS EPIscopi: ex ea quæ apud V. P. Laur. Surium grauiter conscripta habetur. Claruit anno Dominicæ natalis 429. Cælestini Papæ 6. &c.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 5.

29. Iulij. *Patria & parentes S. Lupi.*

BEATISSIMVS antistes Lupus Leucorum oppido, nobili inprimis familia, patre Hilpirochio, oriundus fuit. Quo ex hac luce subtracto, Alistichio patruo suo, multa generis nobilitate æquè conspicuo, traditus fuit; cuius opera

opera scholis admotus, magnos breui in arte dicendi processus fecit, adeò vt apprimè eruditũ florentis eloquij fama per omnes illas regiones eum celebrem redderet. Deinde verò cùm & ætate & moribus valdè maturus, à sacro matrimonij vinculo non abhorreret, fuit ei Pimeniola Hilarij antistitis Arelatẽsis soror, insignis pudicitiæ virgo, sanctissimè copulata; qua cũ postquam annos admodum septem casto coniugij amore vixisset, cœpit vterque occultis virtutum facibus agitari, & sanctioris vitæ disciplinam vehementer expetere. Itaque superne spiritus vigore incitatus Lupus, ad animi cultum transferens vestium splendorem, relicta paterna domo, cunctisque mundanæ cupiditatis vinculis dissipatis, Euangelicæ perfectionis feruens desiderio, eximiæ claritudinis & virtutis virũ beatum Honoratum alacri animo statuit inuisere. Is erat Abbas primæ habitationis Lirinẽsis monasterij.

Eruditio eius.

Ducit vxorem.

Vbi ad eum peruenit, eius institutioni ceruicem vltrò subdens, Dominicæ seruitutis suaue iugum mansuetissimis accepit humeris, omnigenis vigelijs & ieiunijs carnem deprimens, spiritumque ad cælestia assiduò contemplanda mirabiliter erigens. Cumque annum vnum magno animi fructu illic exegisset, maiore fidei calore ad vrbem Matisconensem regressus est, vt ea, quæ ipsi remanserant, pauperibus elargiretur. Et eccè de improuiso ad vrbis Trecensis episcopatum rapitur. Fuêre autem hæc eius promotionis primordia, vt ciuibus suis viam salutis sacris semper concionibus explicaret, & imperitos populi sensus diuina lectione

Fit religiosus.

Largitur sua pauperibus.

Fit episcop.

instrueret. Porrò clerũ quoq; suum, gratia præeunte, habenis iustitiæ strenuè moderabatur.

Oppugnat hæresim Pelagianam.

Exacto vetò biennij spatio, cùm esset pollens ingenio, clarus eloquio, sanctitate præcipuus, cum S. Germano, totius perfectionis & gratiæ spiritalis pleno, contra hæresim Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est. Qui vno spiritu iuncti, & pari voluntate cõcordes, terribiles oceani fluctus, temporibus hybernis, inexplorato mari se committentes orationum gubernaculis mitigârunt. Inter ipsas autem vndarum miras cùm ad tutam

Claret miraculis.

stationem appulissent, crebris virtutum signis aduentus sui nuncios præmittebant. Ad vrbis enim cuiusdam mœnia vt propinquârunt, omnes se illis obuiam effudêre, quibus ipsi admirandis signis admirationi fuerunt. Erant verò sine intermissione intenti ad capiendos homines: eorũ causa ægris curationes adhibebant; spiritus immundos palàm ex obsessis eijciebant; Deniq; omnes ad sanæ fidei confessionem ab errore reuocarunt; cùm iam totam ferè Britanniam Pelagiana pestis occupasset.

Hunni Galliæ infesti.

Non longa post tempora Hunni erumpentes & per omnem Galliam diffusi, partim simultæ pacis arte tentabant vrbes, partim vi expugnabant. Vbi ad Trecensem infesto agmine venêre ciuitatem, patentibus campis sitam, & nec armis munitam, nec muris, solicitus pius, antistes, ad vsitata se recipiens præsidia, solis ad

Defendit ciuitatem precibus.

Deum fusis precibus, supernæ opis auxilio eam defendit. At immanis ille & ferus Attilla, fidem sancti viri altiori sensu suspiciens, pro suo exercitusque sui salute & incolumitate secum eum

vult

vult proficiſci ad Rhenum vſque, pollicens vbi eo ventum ſit, ſe ipſum dimiſſurum. Mox copia offertur ab eo loco reuertendi, non negatur reditus, iter quoque indicatur; orat tyrannus obnixè ſanctum virũ, vt velit pro ipſo Dominum deprecari, interprete vſus Hunigaſio. Reuerſus autem vir Dei, vt vidit ſe deſperatione ſuorum turbatum, ad montis perfugium Latiſconem cæteris ſolertior feſtinauit, vt eò trãsferret plebem, quam orationum ſuarum ſuffragijs diſcrimini ſubiacentem inter excidia publica & hoſtilia arma defenderat. Illud perfugium diſtat ab vrbe milliaribus quinque & quadraginta. Manens verò illic biennij ſpatio, offenſus raritate ſuorum eò venientium, Matiſconem ſibi cenſuit expetendam. Illuc eunti quædam mulier iuxta * Aliſiam, corpore proſtrata in aggere publico, ſe paralyticam magna voce ſignificauit. Orauit pro ea vir ſanctus, & mox ſanitati ſe reſtitutam ſenſit.

Sanat paralyticam.

** Baſilicam.*

Cùm iam autem in Matiſconenſi prædio degeret, oblata eſt ei puella, ex dæmonis infeſtatione linguæ officio deſtituta. Cõfeſtim ſignum Crucis illi imprimens, & media nocte pro more ſurgens, pſalmodia abſoluta, inuocato nomine ſacroſanctæ Trinitatis, loquendi facultatem ei impetrauit. Etſi verò ex plurimis geſtis eius pauca iam perſtrinximus, at operæ precium tamen videtur, vitæ eius hiſtoriam breuiter pertexere. Annis plus minus viginti, lectuli quietem neſciens, in tabula cubauit. Veſtis eius perpetuò cilicium fuit. Præter illud, vnius tunicæ vſu ſemper contentus, in orationibus alternis noctibus peruigil perdurabat. Biduanis ieiunijs

Item Mutam.

Lectus, Veſtitus, & cibus eius.

defatigato corpuſculo, libidinis incentiua proſternens: fletibus ora, ſemper in futura intentus, indefeſſe rigabat. Iugi etiam diſtrictione & ſeueritate ſabbatũ omne, nõ niſi panis hordeacei eſu trãſmittebat. Nec ſacræ immemor legis, cẽſus ſuos pauperibus captiuisq; redimendis humaniſsimè impendebat, ſciens eleemoſynis cælorũ nos poſſe regna mercari. Per multos, quos nouerat deſperatione teneri, celeri viſitatione refouebat; Atque in ijs clariſsimum virum Claudium, filium ſpectabilis Germaniani, quem iam deficiente membrorum vigore, obtinebat vicinæ mortis pallor, hiatusq; frigidi indicabãt robur extinctum. Eum ferè exanimem intra corpuſculi hoſpitium oratione retinebat, iamque morientem reuocabat ad vitam, in viſcera refuſo, qui iam abſceſſerat, calore vitali, languentibusque venis ſuos motus recuperãtibus, & ſpem viuendi ipſo etiam vultu promittente.

Liberalitas eius in pauperes.

Nec minoris miraculi res eſt, vno eodemque tempore & alibi oſtendiſſe virtutem. Nam clariſſima materfamilias, germana ſoror ſancti & venerabilis presbyteri Ruſtici, quam lethalis iampridem vexabat defectio membrorum, ita vt decem menſibus, neque pes, neque manus ſuum faceret officium, ab illo viſitari peroptans, vt eum venientem intuita eſt, precibus adiungens lachrymas, palmas vtrasque extendit, dicens: Si vis, potes me ſanare. At ille bis terq; in preces incumbens, lachrymarum imbre perfuſus, compellauit ægrotam. Ea verò mox ſublata voce clamauit, nihil ſe dolere, iam abſceſſiſſe languorem omnem.

Iam illud ſingularis gratiæ beneficium, quod ei inter

ei inter mundi proceres diuinitùs collatũ fuit, non patitur solicitudo silentio præterire. Omnes quidem gentiũ Reges ei deferebant, sed specialius Rex Gebauultus eximio eum & honore & obedientia semper prosecutus fuit. Namque Brionenses, quos olim captiuos abduxerat Alemannorum immanitas, sola vi literarum à viro sancto scriptarum impulsus, libertati restituit, hostilique seruitute absolutos, & longæ dominationis acerbitate pressos, ad S. Lupi postulatum remisit.

Multos autem habuit vir beatissimus, præclara virtute discipulos, insigni miraculorum gloria illustres. In S. Polychronio, Virdunensis Ecclesiæ Episcopo, gratia curationum præfulsit, ita vt religatis post tergum manibus, dæmonibus imperaret, priusque sensum perciperent obsessi, quàm corporum suorum collisionem. S. Seuerum, Treuerensi Ecclesiæ ordinatum antistitem, primæ Germaniæ gentibus prædicantem, non ambigimus inter Apostolos suum habere consortium. S. quoque Albinum, Catalaunensem præsulem, diuturna sanctitatis prærogatiua eminentem, nõ debemus taciti omittere, quàm ille crebrò permultis locis dæmones ab hominibus profligarit. Nec immeritò dum tantorum virorum celebramus præconia, eximij magistri laudes depromere videri debemus. Successit autem ei dignus illo honore Camelianus, cùm S. Lupus duobus & quinquaginta annis sacerdotio, maxima omnium sanctitatis opinione functus fuerat.

Præclari & sanctissimi illius discipuli, nempè, S. Polychronius, Virdunensis.

S. Seuerus Treuirensis.

S. Albinus, Catalaunensis Antistites.

Postquam sedisset 52. annus, moritur vir sanctus.

* al. VVilhelmi.

VITA S. GVLIELMI,* EPISCOPI

Briocensis in minori Britannia. Ex ea quæ est per Godefridum Caluum Bituricensem Archiepiscopum: Excessit vir sanctus ex humanis, anno Domini 1241. Relatus in SS. numerum ab Innocentio Papa 4.

Vide C. Bar. Notat. in Martyrolog. Roman.

29. Iulij. S Gulielmus à primæuo iuuentutis suæ flore, castitatis operibus vehementer deditus, totis viribus omni voluptate calcata, impollutum Deo spiritum seruare conabatur.

Iob. 7. Cumque non ignoraret vitam hominis militiam super terram esse, multò semper antè contra infesta dæmonis arma sese muniebat, intentaque semper cura & precib. excubabat, ne qua dæmonum insidiæ improuiso illi obuenirent. Veruntamen humani generis inimicus, quo vigilantiùs eum saluti suæ incumbere cernebat, eo multò magis modis omnibus eum euertere conabatur. Et quidem non semel per mulierum astutias Dei seruum corrumpere tentauit. Cùm enim adhuc iuuenis, & corporis elegantia & verborum facundia & conuersationis gratia omnium oculis mirificè placeret, tú mulier quædam fornicationis spiritu stimulata, quò cupitis eius amplexibus frui posset, captato noctis silentio, perrexit ad beati viri cubile, procaciterque se ad latus eius proijciens, libidinis igne eum inflammare tentauit. At ille ad insolitum mulieris tactum excitatus, nõ solùm scelus exhorruit, verumetiam quasi tactus ab angue de lecto statim exilijt, atq; ad orationis præsidia sese recepit.

Impudica mulier insidiatur eius castitati.

Alio

Alio verò tempore, cùm iam pontificali officio fungeretur, quædam nobilis admodum fœmina tam viri quàm amicorum auxilio viduata, cùm forensibus in curia Episcopi litibus intricata molestiarum suarum nullum inueniret exitum, inops consilij quid ageret, tandem ex muliebri nequitia statuit polluto amore Iudicis gratiam obtinere, aduersariosque per fas perque nefas hoc modo superare. Quadam igitur die, fuco muliebri egregiè compta, deductũ in partem Episcopum cœpit blandis parum honesti amoris sermonibus pertentare, ac paulatim igneos impudicitię suæ radios in ipsum Dei virum vibrare. Sed vir Dei sancto præmunitus spiritu, vt primum ignea impudicæ fœminæ tela sensit, statim cum admiratione vestimenta excutiens: Mulier, inquit, quid? an ignoras me Dei seruum & sacerdotem esse? Vide misera quo te scelere obstringis? At illa increpationis viri Dei stimulis sauciata, & confusione ingenti perfusa, protinùs cùm festinatione se subduxit: & dubio procul castissimum pectus tacita prædicauit.

Item alia nobilis Vidua.

Præter hæc autem castitatis insignia, præcipua etiam pauperum illi cura fuit: quos adeò sedulò nutriuit & ab ægestatis malo defendit, vt cunctis sæpè facultatibus eorum in vsus erogatis, ab alijs insuper mutuò peteret, quòd pauperibus distribueret. Instruebat ille quidem interdum magnifica conuiuia, sed hospitibus pro dignitate acceptis, ac indè dimissis, mox cuncta pauperibus largè admodum pręberi mandabat. Ipse verò pura aqua vel vino interdũ mixta, & tenui sanè cibatu vitam sustentabat, animũ magis

Benignitas eius in pauperes.

Inedia eius.

gis assidua cælestium rerum commentatione & intenta supplicatione pascens, ne vanis vnquam illecebris ad perituras corporis voluptates abriperetur. Hinc præter consuetum horarum officium, diebus singulis Dauidicum ex integro Domino persoluebat psalterium, ex quo suauissimas sanè animæ delicias hauriebat.

Charitas eius erga proximos.

Porrò quãto charitatis ardore proximũ quẽque dilexerit, nulla vis orationis pro dignitate explicare potest. Sæpè pro ouium suarum corporali salute, irruentium in ciuitatem hostium gladijs ceruices suas obiecit: vt damna & iniurias à suis depelleret. Sæpè dies noctesq; in fletibus & lachrymis peruigil exegit, vt iram diuini numinis hominum sceleribus offensi mitigaret. Cùm verò grauis persecutio per tyrannorũ malitiam in Britannica Ecclesia excita præualeret, ipse zelo iustitię viriliter inflammatus, feruenti tyrannicæ resistere satagebat: morte pro suorum libertate, oppetere paratissimus. Quam ob causam minis & iniurijs multis ab ipsis tyrannis eorumq; complicibus exagitatus, cum nullo modo iniquorũ principũ in præiudiciũ libertatis Ecclesiasticę vellet acquiescere volũtati, exilio damnatus est. Celsit itaque patrio solo, &

Mittitur in exilium pro iustitia.

ad Pictauiensem antistitẽ profectus, summa ab eo beneuolentiæ significatione exceptus fuit, & in vicariam operam ab eo assumptus. Ibi cum annos aliquot magna cum opinione sanctitatis omnia pontificis officia administrasset, tandem cessante persecutione, ad suam iterum diœcesim honorificè reuocatus est; vbi vltimum vitæ actum multis alijs pietatis & sanctitatis operibus clarum fœliciter consummauit.

Obitus eius.

Corpus

Corpus eius in Ecclesia cathedrali summo cũ honore tumulatum fuit. Cum verò Philippus incessor eius duobus post obitum illius annis, ecclesiæ fabricam viro sancto inchoatam nouis, magisq; magnificis structuris extollere decerneret, eaq; de causa Gulielmi corpus transferri deberet, fuit, mirabile dictu, nõ modò ab omni corruptione alienum planeq; integrum repertum, sed & quasi preciosissimis fuisset aromatibus conditũ, suauissimo odore mirificè refertũ. Ibi tum cunctis, qui aderant, Deum in sancto eius laudantibus, clarissima protinùs miracula coruscârunt; prorsus vt in ipsa non tantùm Britannia, sed per adiacentes & remotas quoque prouincias plurimi accepta sanitatis beneficia in proprijs corporibus circumferrent, aliosque itidem ad eadem percipienda mitterent.

Post biennĩ corpus eius integrum repertum.

Miracula ad tumulũ eius.

Martyrium Simplicij. Faustini & Beatricis habet Lector 11. Maij in actis S. Anthimi.

MARTYRIVM SS. VIRGINVM Maximæ, Donatillæ, & Secundæ, ex Adone Archiepiscopo Treuirens. Coronatæ sunt Anno Christi 262. Dionysij Papæ 2. Valer. & Gallien. Impp. 8.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baronij.

30. Iulij.

APVD Aphricam ciuitate Tuburbo Lucernarię, Maxima, Donatilla, & Secũda, eximia pulchritudine virgines, sub Anolino præside in persecutione Gallieni pręclarũ fidei suæ certamẽ inierũt. Cùm enim Maxima & Donatilla sorores, à Iudice cõprehẽsę, ad Tuburbitanã ciuitatẽ perductæ fuissent, mãdato tyranni pane & aqua prorsus destitutas, aceto & felle carni-

Maxima & Donatilla sorores.

carnifices eas potârunt. Cumque ea iniquita
aliquamdiu constanter tolerata nihil mouere
tur, Anolinus ira & furore inflammatus, iuſ
eas, ad contumeliam, per vrbis compita dec
ci, omniumque ludibrijs fatigari.

Secũda virgo duodenis.

Hæc cum Secunda virgo, annorum non a
plius duodecim è superiori domûs suæ loco c
templaretur, Spiritu Dei ilicò accensa, ad sim
lem martyrij gloriam vehementer exarsit. Itu
neque suppliciorum atrocitate deterrita, nec
generis sui dignitate & opum amplitudine
escata, neque nuptiarum magnificentia vel sp
si blanditijs detenta, neque postremò patris
cognatorum lachrymis mota, virili animo de
cendit, sociamque se præclari certaminis pr
buit. Cùm enim beatæ martyres Maxima & Do
natilla procederent, illa festina accurrens cla
mauit; Nolite me dimittere, ô sociæ virgines,
sed vestris precibus ad eandem gloriam me
sumite. Hæc voce maxima, cunctis sanè stupe
centibus, exclamans, vnà cum illis Tuburbi
nam est ingressa ciuitatem.

Admiranda virtus in tã tilla ætate.

Horrenda supplicia Maximæ & Donatillæ.

Altera die Anolinus adductas pro tribuna
sorores Maximam & Donatillam ad torme
elidi præcepit. Fuit tunc horrendè in tenerru
duarum istarum virginum corpuscula sæuitum
Primò namque virgis crudelissimè cæsas, vi
calce plagas earum perfricari iussit. Deindè
eculeo extensas torqueri, statuamque ad liba
dum offerri. Hæc cùm animo inuicto stupen
populo, pertulissent, Iudex furore ebrius,
craticula eas torrere, prunasque ardentes fi
intermissione adhiberi, ac postremò in the
tro ad delubrum deponi præcepit, vt omniu
calc

calcibus peterentur.

Hæc cùm fierent, & virgines in tanta ſupplicio-rum atrocitate de hoſte triumphum agerẽt, fuit & Secunda virgo eximia formæ pulchritudine ad Anolinum adducta; Quam conſpicatus proconſul: & tu, inquit, Chriſtiana es; Cui Secũda; Chriſtiana. Tunc homo ferus planeque barbarus, neque virginis ætatem, neque corporis pulchritudinem, neque morum elegantiam miſeratus, vnà cum Maxima & Donatilla ferro crudeliter vinctam ad beſtias damnauit. Populus frequens ad ſpectaculum venerat, cum cernere licebat virgines & generis & virtutũ ſplẽdore ornatiſſimas, ſuauiter ſe mutuò amplexari, Chriſto, nunc ſtantes, nunc fixis in terram genibus, vota preceſque perſoluere; feras auidiſſimè expectare, & vltimum vale alteram alteri cum oſculo pacis dicere. Porrò vrſus tandem ferociſſimus in arenam cum ingenti omnium clamore dimiſſus, cùm putaretur momento virgines dilaceraturus, is agnina protinùs manſuetudine aſſumpta, ad earum ſe pedes dimiſit, linxitque veſtigia potiùs quàm momordit. Tunc lætitiæ voces ab omnibus in cælũ ſublatæ ſunt. Anolinus verò cernens ſe furente, beſtias mites, capitis ſententiam in virgines dictauit, quam magna cum gratiarum actione porrectis ceruicibus exceperunt. 3. kal. Auguſti.

Præclarum certamen & iucundum ſpectaculum SS. Virginũ.

Vrſus eas honorat, lingitque veſtigia.

Decollantur SS. Virgines.

Requiratur horum Martyrũ Abdon & Sennes Certamen 10. Auguſti, & hic ſub dato 30. Iulij collocetur.

Vide C. Baronij Notat. in Martyr. Rom.

MARTYRIVM S. FABII, MARTYRIS Cæſareenſis, ex Adone Treuirorum Archiep.

S. Fa-

31. Iulij. *Mittitur in carcerem.*

S Fabius cum Cæsareæ præsidialia ferre
xilla recusaret, primùm diebus aliq
in carcerem detrusus, varijs molestijs
fectus est. Deindè ante tribunal productus,
semel atque iterum interrogatus, in Chr
confessione, nihil supplicia veritus, consti
perstitit. Vnde Iudex furore percitus,
pitali eum sententia damnauit. Post hæc cor
triduò sepulturæ beneficio destitutum custo
ri iubetur; tandem & corpus & caput seor
reticulis insuta, in maris profunda demersa
Sed Domini virtute resciſſo reticulo, mem
capiti reuocantur, & scapulis ceruix, cum in
cijs passionis, adiungitur. Atque ita suæ integ
tati redditum corpus, vnda blandiore ad Cat
nitanum littus euectum, & condigno cultu
delibus in basilica tumulatum est.

Plectitur capite.

Præclarum miraculum.

VITA S. GERMANI, EPISCOPI AN-
tisidiorensis: ex ea quæ prolixè est per Consta-
tium presbyterum, scriptorem illorum tempor
haud ignobilem. Adscribitur hic septimus eius
dis episcopus, seditq; annos 30. & dies 25. fu
ctus est fato, Anno Redemptoris 435. Sixti Pa
4. Valentiniani Imp. 11.

Vide Tom. 5. Annal C. Baronij & Not. Martyr. Roman.

31. Iulij.

S Germanus Antisidiorēsis oppidi indig
na, splēdidis cū primis natus parentibu
ab ipsis infantiæ rudimentis studijs, libe
ralibus adhibitus, magna ingenij vbertate br
ui summum eruditionis gradum conscend
prorsus vt & naturæ industriæ multiplicib
adornatus gratijs magno suis honori esset. A
que vt omnibus literarum numeris absolut

Egregia eius eruditio.

nihil in eo desiderari posset, post Gallicana auditoria Romã præfectus, præclara iuris scientia pectus egregiè impleuit. Inde ad tribunali præfecturæ admotus, causarum patrocinio tam celebre sibi nomẽ reddidit, laudesque adeò multiplicauit, vt sublimen inprimis & genere, & diuitijs, & quod caput est, moribus ornatissimam sortiretur vxorem. Quem deindè togę præconijpræeminentem, protinùs Respub. ad maiora honorum insignia, ducatûs culmen & regimen prouinciarum euexit.

Romæ nauat operam legibus.

Fit aduocatus.

Ducit Vxorem.

Dux constituitur.

Eo honore & potentia sublimatus, neglecto Christianæ religionis cultu, tyrunculorum indulgere industrijs, venatui inuigilare, ferarum copiam insidijs & viribus captam in ciuitatem magna cum gloria inferre quotidiè. Erat in ciuitate arbor pyrus, cuius ramos ferarum capitibus in gloriam exornabat. Ea res cùm Christianæ pietati plurimum obesse videretur, S. Amator loci illius antistes arborem, vt offendiculum tolleret, radicitùs extirpauit, flammisque deputauit, atque ossa, ne qua illius memoria extaret, longè ab vrbe proijci mandauit. Quod Germanus iniquo adeò tulit animo, vt Christianæ religionis oblitus, mortem viro beatissimo minitaretur. Eius verò furorem ad tempus S. Amator declinans, Heduam profectus est; vbi, Domino reuelante, eundem ipsum Germanum in sacro munere sibi successorem futurum cognouit. Reuersus itaque Antisiodorum antistes, conuocata cõcione, cùm in Ecclesia ad sacerdotale officium ritè obeundum sese accingeret, cerneretque inter alios Præfectum vrbis Germanum, corpore animoque ad omnem

In vita S. Amatoris hæc eadem habet Lector. 1. Maij.

Minatur mortem S. Amatori.

omnem modestiam ac pietatem compositis, sa-
cra limina intrantem, iussit illo ingresso, mo-
Ecclesiæ fores claustris arctari. Tum verò glo-
morata secum Clericorum atque nobilium tur-
ba, Germanum apprehendit, & inuocato nomi-
ne Domini cæsariem capiti eius detrahens, ha-
bitu religionis, reiectis ornamentis sæculari-
bus, cum honore induit, dicens; Satagere te o-
portet, frater charissime, vt commissum tibi ho-
norem immaculatum conserues: quia me dece-
dente, omnipotens tibi pastorale officium con-
misit.

S. Amator Germanum Clericum facit.

Moritur S. Amator, & Germanus ei succedit in Episcopatu.

Post hæc beatissimus Amator obitûs sui inc-
tamentis vrgeri incipit, breuique defungitur, &
Germanus summorum infimorumque voluntate inuitus atque coactus ad sacerdotale officii
adigitur. Deseritur itaque mundi militia, & cœ-
lestis assumitur. Sæculi pompa calcatur, vxorem
sororem ex coniuge mutatur, substantia in pau-
peres dispensatur, paupertas ambitur. Iam verò
qua animi magnitudine & ardore spiritale bel-
lum sibi suoque corpori indixerit, difficile est
enarrare. A primo namque suscepti muneris
die, ad vsque terminum vitæ, non vinum, non si-
cetum, non oleum, non legumen, nunquam sa-
lem ad vsum condiendi saporis accepit. Infe-
fectionibus primùm cinerem prælibauit, dein-
pè panem hordeaceum sumpsit, quæ tamen ipse
excussit & moluit. Et hic cibatus adeò tenuis &
palato ingratus nunquam antè vesperam sume-
batur; interdum etiam hebdomada media, nec
rarò etiam septimo die latranti stomacho da-
batur. Indumentum tam hyeme quàm æstate v-
num erat idemque; quod tã diu vsui erat, donec

Nota miram vitæ austeritatem.

nimia

nimia vetuſtate conſumptum planè decideret, cilicio interim aſperrimo die noctuq; carnem atterente. Lectus ex dolatis aſſeribus conſtratus, ac cinere conſperſus, nullo etiam ceruicali ſubiecto, profundum carpere ſomnum vetebat, quid dico ſomnum, cùm totas noctes nihil niſi gemitus duceret, ſtratumque aſperum aſſiduis penè fletibus rigaret.

Benignitas eius eximia in pauperes.

Et quidem (ô pietatem) cùm tanta ſeueritate in ſuum ipſe corpus ſæuiret, alios ſtupenda planè benignitate fouebat, ſummus cultor hoſpitalitatis; qui pauperibus & peregrinis aduẽtantibus conuiuium ieiunus paſtor exhibebat, propriis manibus pedes lauabat, oſculabatur, & profuſo lachrymarum imbre interdũ rigabat. Inter hęc autem aliaque quotidiana miniſteria, quæ in magna populorum frequentia obire neceſſe erat, vt cõtractum ex hominum familiaritate puluerem cæleſti rore iterum abſtergeret, monaſterium conſtruxit: in quo frequenter degebat, animumque mira cæleſtium rerum dulcedine paſcebat.

Conſtruit monaſteriũ.

Porrò eodem tempore res accidit, quæ Germani ſanctitatẽ maximè celebrem reddidit: digna profectò quæ à nobis explicetur. Erat vir cãdido ingenio, Ianuarius nomine. Qui cùm princeps præſidiali militaret officio, exactos à protincialibus ſolidos ad Iudicem deferebat. Is cũ cauſa viſendi eũ ex itinere diuertiſſet, ſaculũ, quem pecunia onuſtũ ferebat, incautus amiſit: nulloq; de circunſtantibus intuẽte caſu is reperit, qui vexari inimica infeſtatione conſueuerat. Tandem viator in ſe reuerſus vbi damnum agnouit, ſubito dolore perculſus, totam ciuita-

tem lachrymis & clamoribus impleuit,& ab ip
so beatissimo sacerdote,haud aliter ac si ipsi tra
didisset,amissam pecuniam requisiuit.Is pro su
benignitate pacato illum animo esse iussit, spe
des fore vt amissam reciperet. Ille interim sol
citus triduò sursum deorsum cucurrit, si for
furem depræhenderet.Cumque triduo sine vll
fructu exacto,ad episcopum rediret,genua ei
lachrymabundus amplectens contestatus est,
vitam cum morte permutaturum , si non ill
damnum resarciret. Tunc antistes extrema I
nuarij miseria flexus,vnum ex his,qui dæmon
obsessi vexabantur,adduci præcepit,eumq; mo
nuit,vt ablatam furto pecuniam prodat, eam
suo domino restituat.At ille constanter inficia
it,negatq; se pecuniam habere.Tunc Germanu
pia commotione inficiãtem in populum produ
ci mandat:ibidemq; seruari, donec peractoris
Missarum officio,hominem vel absoluat,vel cõ
demnet.Nec mora. Prostratus toto corpore i
oratione , magna vi precum diuinum nume
implorat , vt & obsessum ab infesto dæmone li
beret,& Ianuario magnis in angustijs cõstitut
pecuniã ostendat.Et eccè statim infœlix,inimi
ci & captiuus pariter & minister in sublime la
Miraculum. spenditur,& quasi flammis circundatus, ingen
ti clamore nomen Sacerdotis inuocat; crimen
quod commiserat, confitetur : & supplex ve
niam postulat . Plebs stupendo hoc spectacu
lo, vt par erat, commota , ecclesiam clamor
implet,accurrit,hominemq; in aëra suspensum
mente oculisque attonitis contemplatur. Tan
dem vir sanctissimus ex oratione consurgens,
euocat æstuantem , omnia discutit,vniuersi

cogno-

cognoscit: eodemque miraculo, & decepto pecuniam, & obsesso sospitatem restituit.

Plurimis eiusmodi similibus vir sanctus claruit miraculis, quæ tamen secreta obumbratione semper supprimere studuit.

S. Germanus & Lupus in Angliam mittuntur ad tollendam hæresim.

Eadem tempestate cum Pelagiana hæresis, in Anglia, læta Orthodoxę fidei fata popularetur, conuocata Synodo, Germanus & Lupus Apostolici sacerdotes ad funestã pestẽ delendã missi sunt. Quibus Metodorum Parisiaci territorij vicum ingressis, inter confertam plebem læta acclamatione illis obuiam ruentem, fortè & Genouefa teneræ ætatis virgo cum parentibus occurrit; quam diuinus antistes, cæteris omissis, amplexatus, prophetico spiritu maximis sanctitatis ornamentis à Deo decorandam prædixit; & rebus ad spirituale bellum necessarijs atque optimis documentis instruxit, quemadmodum in eiusdem virginis vita elucet. Cùm verò Parisijs digressi, Christo duce, Oceanum conscendissent, & de sinu Gallico leui ventorum flatu in altum deducti fuissent, subitò horrida tempestas à dæmonibus excitata, cæli fragore, tetraque ac minaci nubium vi, apertam in naus ruinam conspirare visa est. Cedebant ministeria victa nautaram, ferebaturq; nauigium nõ viribus sed oratione. Et ipse Pontifex, fractus corporis lassitudine, sopore resolutus iacebat. Iamq; nauigiũ superfusis fluctibus mergebatur, cùm beatus Lupus omnesque turbati excitant seniorem, elementis furentibus opponendum. Qui periculi immanitate constantior, Christum inuocat, Oceanum increpat, & procellis fremientibus causam religionis opponit. Statim-

Prophetia eius de S. Genoueta: cuius vitam habet Lector 3. Ianuarij.

Sedat tempestatem.

que assumpto oleo, in nomine SS. Trinitatis leu
aspergine fluctus sæuientes oppressit, suisque
orationibus breui optati littoris quiete potitur
Ibi tum conueniens ex diuersis partibus multi-
tudo excepit sacerdotes, quos venturos etiam
vaticinatio aduersa prædixerat. Nunciabant
enim siniſtri spiritus, quod timebant. Qui impe-
rio sacerdotum dum ab obsessis corporibus de-
truduntur, & tempestatis ordinem, & pericula
quæ intulerant, fatebantur, victosque se eorum
meritis & imperio non negabant.

Pelluntur dæmones ab obsessis.

Intereà Britannorum insulam, quæ inter om-
nes vel prima est, vel maxima, ingressi, nefandæ
heresim extirpare aggressi sunt. Cumq; institu-
cum aduersarijs disputatione, Pelagiani diui-
tijs, & vestium splendore, atque multorum ad-
sentatione, vt fieri solet, circũdati, primi sermo-
n ẽfacerẽt, cõtentionisq; aleam sola verborum
nuditate sustinerent, demùm Antistites venera-
di torrentes eloquij sui cum Apostolicis & e-
uangelicis tonitrus cõtrà humanam præsump-
onem profuderunt; vanitatem conuicere; per-
fidiam confutârũt; tanta efficacia, vt ad singula
verborũ obiectiones reos se dum respõderent
queũt aduersarij fatereẽtur: Cũ ecce diuina in hoc
biè dispositione, subitò vir tribunitiæ potestatis
cũ coniuge procedit in medium, decẽ annorũ fi-
liã luminibus orbatã offerens; quã sacri antisti-
tes aduersarijs offerri præceperunt. Sed illi con-
scientia puniente deterriti, recusârunt, eamque
ad viros sanctos reiecerũt. Tum vir sanctissimus
plenus Spiritu sancto, inuocata SS. trinitate, pre-
tinùs adhærentem lateri suo capsulam, cum san-
ctorum reliquijs collo auulsam, puellæ applicat

En vim reliquiarum.

oculis

oculis;quos ſtatim,tenebris euacuatos, lumine veritatis impleuit. Exultant parentes, miraculo populus contremeſcit,&execrabili hęreſi abiurata, ſacerdotũ doctrinam ardẽti deſiderio amplectuntur. Porrò S. Germanus progreſſus ad templum S.Martyris Albani, plurimorum Sanctorum,ex diuerſis locis,collectas reliquias ſub altari piè condidit,& de ipſo loco, vbi B. Martyris effuſus fuerat ſanguis,maſſam pulueris ſecum portaturus abſtulit.In reditu verò, dæmonis inſidijs pede læditur; & iacens in lectulo,dũ circum circa locũ excitatum deſæuit incendiũ, eius incolume apparuit tugurium. Et quidẽ referri nequeũt quot quantaſq; virtutes Deus operaretur in famulo ſuo infirmo. Cumq; nihil remedij ſibi adhiberi pateretur, candidatum ſibi noctu adeſſe videt, qui manu extenſa iacentem videretur attollere, eumque conſiſtere firmum veſtigijs imperare: qui ſtatim recepta ſanitate, die reddito, itineris laborẽ ſuſcepit intrepidus.

En quanti facit puluerẽ martyris.

Miracula.

Interea Saxones, Pictique, bellum aduerſus Britones ſuſceperunt;quos eadem neceſſitas in caſtra contraxerat. Cumque trepidi partes ſuas penè impares iudicarent,ſanctorum antiſtitum auxilium petierunt. Accurrũt illi,& diuini verbi prædicatione maximã exercitũs multitudinẽ ad ſanctiſſima Chriſti ſacra ſuſcipienda aptant: eamque die Dominicæ reſurrectioni ſacra expiant.Hoſtes interim audita caſtrorum forma, quaſi ad exploratam victoriam alacritate incredibili feſtinant:vt Britones religioni intentos vno impetu ſubuertant. Quorum aduentum S.Germanus vt cognouit, expiatos hortatur, vt contempto armorum præſidio, Chriſtianæ fidei

Multos conuertunt ad Chriſtũ ſancti Germanus & Lupus.

firmiter innitantur,& se Ducẽ intrepidè in hostem tendentem sequantur. Iamq; aderat feror hostium multitudo;quam ex editis locis cõsp catus Germanus,vniuersos admonet,vt voci su vno clamore respondeant.Parent omnes, & m hil de imperio Germani & sacerdotũ detracta

S. Germanus miraculo hostes fugat.

Tum verò securis hostibus, qui se insperatos desse cõfidebant,Alleluia,tertiò repetitum,sa cerdotes exclamant,Sequitur vna vox omniu & eleuatum clamorem repercusso aëre mont inclusa multiplicãt.Hostile agmen terrore p stratũ fugam capessit,arma proijcit, certatim vt vel nuda corpora discrimini subducat, labo rat.Vltionem suam innocẽs intuetur exercitu & prædã cælestis victoriæ miles religiosus ad piscitur. Triumphant pontifices, hostibus fu sanguine fusis; compositaque opulentissima in sula securitate multiplici,suas repetũt sedes,pa triamq; reuisunt: quam turbulentis quorundam ingenijs moribusq; turbatam mox Germanus i integrum restituit;multisq; miraculis claruit.

S. Germanus secundo in Angliam vocatur.

Intereà ex Britannijs nunciatur, extinctã no per Pelagianam hæresim iteratò paucorũ scelb re dilatari.Euocatur omnium precibus S. Ge manus,vt malo iterũ exurgenti occurrat, popu lumq; nutantẽ prędicatione confirmet.Non re cusat vir sanctus,gentis illius salutem pacemq sitiens,quin,assumpto Seuero Treuirorum anti stite,rursum mare Christo auctore conscendit Nec latuit malignos spiritus, sancti aduentu prorsus vt per totam insulã peruolitantes Ge manum inuitis vaticinationibus venire nunci rent.Inter hæc Elaphius quidam haud ignobil filium suum contracto poplite miserũ expedit

& ma-

& magna populi sequente caterua, venienti. Sacerdoti sanandum offert; quē Germanus, vt Pelagij reliquias facilius profligaret, solo manûs suæ contactu sanitati restituit: ac pullulantem denuò hæresim cùm miraculorum virtute, tum vidiuini verbi præclarè extinxit. Inde domum transmarina expeditione remeans, tantis in via virtutibus signisque admirandis coruscauit, vt, si cuncta referre velimus, vix fidem facere possimus, præsertim ijs qui Dei in seruos suos bonitatem minus perspectam habent. *Alia eius miracula.*

Tandem vir sanctissimus ętate cōfecta, de itinere suo ad cælestem patriā à Domino præmonitus, septimo infirmitatis suę die è corporis ergastulo ad cælos migrauit. Reliquit tantum omnibus sui desiderium, vt vestes eius, quāquam viles sanè, certatim diriperent, easq; reliquias amplissimæ hæreditatis loco inter se primarij viri studiosè diuiderent. Rexit autem sanctissimus Germanus Antisidiorensem cathedram annos XXX. dies XXV. Obijt verò plenus bonorū operum apud Rauennam Italiæ ciuitatem pridiè Kalen. Augusti. Cuius sacratissimum corpus honorifico agmine suam est delatū ad vrbem: vbi innumerabilibus coruscans miraculis, Christi Domini in sanctis sui bonitatem mirificè testatur. *Obitus eius felicissimus.* *Claret miraculis post obitum.*

Et quidem:

Fulgida fulgentem
Florida florentem
Celica cælestem
Splendida splendentē
} *Germanum* {
sidera captant.
millia plaudunt.
carmina cantant.
gaudia pangunt.

AVGV-

AVGVSTVS.

DE FESTO VINCVLORVM SEV Catenarum B. Petri Apostoli; Ex ijs quæ habentur apud Doctiss. C. Baron. Tom. 1. & 5. Annal. & Notat. in Martyrol. Romano.

1. August. *De Peregrinatione Eudociæ Augustæ, &c.*

Vide Tom. 5. C. Baro. Annal. anno Domini 438. & sequent. Eudocia Constantinopoli in honorem Catenarum Basilicã construit.

EVDOCIA Augusta, Theodosij Imperatoris coniunx, cum Hierosolymam voti soluendi causa veniisset, præter alia quib⁹ ibidem à Iuuenale Hierosolymorũ Episcopo, affecta est muneribus, insigne donũ accepit catenarum illarũ, quas Angelus Domini de manib⁹ Petri, in carcere ab Herode vincti, dissecerat. Quas piè admodum venerata, illarum alteram Constantinopoli honorificè asseruari voluit, eiusquem honorem basilicam erexit, & auro gemmisque ornatam, SS. Patrum encomijs celebrari mandauit. Alteram verò Romam ad Eudoxiam filiã, Valentiniani Imperatoris coniugem transmisit, quæ quidèm, matri religione non impar, in eius memoriam, & Petri Apostoli, qui ea vinctus fuit, erexit Deo Basilicam in Exquilino monte; augustam sanè, Augustæque nomine dignam. Titulus enim Eudoxiæ nuncupata est; Dicta etiam S. Petri ad vincula. Vbi non illa tantum, Hierosolymis à matre Eudocia missa catena recondita est, sed & diuino miraculo huic illa coniuncta dicitur, qua sub Nerone Imperatore, Romæ, vinctus Petrus in carcere Mamertino diu detentus est: à Romanis Põtificibus sedulò admodum custodita. Habent etenim tabulæ ecclesiasticæ,

Eudoxia filia Eudociæ, Romæ erigit Titulum in honorẽ Vinculorum B. Petri.

ambas

ambas has catenas simul collatas, eiusdē generis & artis inuentas, sibi inuicem diuinitùs mirabiliter copulatas, iunctasque simul ac vnitas, ex duabus vnam effectam esse. Quarum memoriæ, Kalendæ Augusti fuêre à Romano Pontifice consecratæ, in earumque nomen, Deo, dicta Basilica dedicata. Quam autem solitæ fuerint catenæ istæ coruscare miraculis, quamque vsitatum fuerit. Romanis Pontificibus pro nobili munere aliquid ex limatura earundem catenarum ad insigniores personas mittere, S. Gregorius Papa in suis ad diuersos datis epistolis locuples testis est. Quid ni verò veneraturi essent homines Catenarū Petri memoriam, quibus Deus eandem atque ipsi Petro contulit in ecdendis miraculis adeò admirandam atque visibilem virtutem? a Meritò itaq; per omnes Christi ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? vt vmbra, inquam, transeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam species vacuæ imaginis, habere potuit in se vim salutis, quanto magis de corpore meruerunt attrahere salubritatis, ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis? Si ad præsidia supplicantium tampotens fuit antè martyrium, quanto magis efficax post triumphum? Felices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi Apostolum contingentes, martyrem reddiderint. Felices catenæ, quæ nudatis penè ossibus inhærentes, vivas reliquias de sanguinis sudore, iam attrita carne, rapuerunt, tactusque membroum cruciatûs sui sanctificat instrumē-

Duæ Petri catenæ mirabiliter vnitæ.

Inter alias l. 1. epist 6 Indictio: 14. & Epist. 23. lib. 6 Indictio 15. ad Childebert. franco. Reg.

Vinculorum Petri præconium.

a. *Augustinus de Sanctis serm. 29.*

tum. In quo dum afflictio crescit ad pœnã, causa pœnæ proficit ad gloriam. Felicia vincula, quæ reum suum vsq; ad Christi crucem non tam condemnatum, quam consecratum miserunt.

Porrò de his catenis quibus B.Petrus vinctus est Hierosolymis, tandem Romam translatis, hæc cecinit Arator Diaconus;

In Act. lib. 1.

——manet omne per ævum
Pignoris huius apex, & sideris obtinet instar,
Corpora quod Petrus sacrauit, & Angelus ore.
His solidata fides, istis tibi Roma catenis
Perpetuata salus: harum circumdata nexu
Libera semper eris; Quid enim non vincula præstant,
Quæ tetigit qui cuncta potest absoluere? &c.

Vide Tom. 7 Annal. C. Baronij.

Petijt & ab Hormisda Papa Iustinianus V.C. posteà verò Imperator, vt earundem catenarum limituram ad se mitteret, vt sciamus non à temporibus Gregorij Papæ primum ortum habuisse eiusmodi consuetudinem de mittendis hisce sacris muneribus.

MARTYRIVM SS. MVLIERVM Sophiæ, & eius Filiarum, Fidei, Spei, & Charitatis: ex eo quod est apud Metaphrasten. Passæ sunt anno Domini 122. Alexandri Papæ 2. Hadriani Imperat. 3.

Vide C. Bar. Annal. Tomo 2.

1. Augusti.

CVM Romæ Hadrianus Imperator crudelitatis suæ in Christianos laxaret habenas, fuit insignis quædã matrona, prudẽtia & religione sanè admirãda, ab Italia oriunda, genere inprimis claro, marito tamen orbata nomine Sophia: cui prima cura erat, vt filias in-

Patria Sophiæ.

signi

signi pudicitia virgines, Christianæ disciplinæ ornamentis excellentissimè decoraret: roboraretq; Spiritus sancti gratia; vt, si opus esset, corpora sua pro Christi amore & fidei constantia supplicijs exponere non dubitarent. Erant eis nomina rebus mirè conuenientia: Fides, Spes, Charitas; mutua ita charitate & animorum coniunctione deuinctæ, & prudentiæ ac religionis opinione apud omnes adeò celebres, vt salutis humanæ hostis (qui per suos satellites Ecclesiã oppugnabat) Antiochum Vrbis Præfectum inuidiæ stimulis concitaret, vt tam præclaram virtutem & magnum Ecclesiæ illius columen funesta peste deleret. Igitur Præfectus ad Imperatorem & nomina eorum & religionis professionem ilicò defert, contestans earum pietate multos à Deorum cultu ad Christi sacra conuerti, & magnos deos paulatim apud omnes in contemptum abire.

Eximia laus & virtutis opinio, de tribus Virginibus.

Accusantur apud Imp.

Imperator, audita accusatione, confestim eas sisti tribunali mandat, quæ mutuis cohortationibus roboratæ, intrepidè Iudicis vultum subierunt, eumque & animi & corporis eximia, qua præstabant, pulchritudine, magnam sanè in admirationem adduxerunt. Itaque omisso seueriori iudicio, matrem antè omnia blandis aggressus verbis, patriam, genus, nomen, & religionem ab ea quæsiuit. Cui Sophia: Primùm quidem, inquit, nomen mihi vnum omnium præstãtissimum est à Christo: Sophiæ autẽ à parẽtibus mihi impositum est. Genus duco ex ijs qui primos in Italia magistratus gesserunt, quæ & mihi patria dicitur. Ego autem inanem horum omnium gloriam existimo; vtpotè quæ Chri-

Sistuntur coram tribunali.

Præclarum Sophiæ responsum.

Christo Iesu ab ortu consecrata, ab eodem et hoc exilio ad patriam cælestem me vocandam confido.

Traduntur Palladiæ custodiendæ.

Hanc libertatem dicendi admiratus tyrannus, ne sui cum nominis dedecore vlterius certaminis periculum faceret, eam cum virginibus filiabus, Palladiæ senatorij ordinis fœminæ custodiendas tradidit: vt tertio post die ad quæstiones eas produceret. Intereà pia illa genetrix, de filiarum salute mirè sollicita, huiusmodi ad eas orationem habuisse fertur; Ego quidem, dilectæ filiæ, mater vestra secundùm carnem, omni, vt nostis, doctrina sacrisque literis indefesso labore vos erudij, dediq; operam, vt Christo IESV impollutas castasque virgines conseruarem. Ecce nunc tempus vos ad certamen vocat; quæso vt meorum verborum fructus, qualis sit, in vobis appareat: & diu meditatam virtutem constanter proferatis, ne erroris imbecillitas veritatem superet: neve suppliciorum terror teneros vestros animos deijciat. Suspecta quidem mihi est iuuenilis ætas: sed si Christo vos totas permiseritis, eiusque gratiam cõstanti fide tyranni minis atque supplicijs obieceritis, nulla vos pericula terrebũt, nulla supplicia superabunt. Date ergo meæ senectuti, date, ô charissimæ filiæ, vt vestris certaminibus iuueniliter exultem, & de peracto certamine sempiternũ Christi numẽ in cælesti gloria vobiscũ celebrem. Suspicite quæso cælum, oculosq; ad immortalia illa præmia erigite, & breuem fluxamque huius vitæ gloriam cõtemnite, diuitias calcate, supplicia despicite, vt immortali gloria perfruamini, diuitias stabiles consequamini, &

Adhortatio matris ad filias.

vitam

vitam denique omnium bonorum, quæ humana mens capere non potest, aggregatione mirificè affluentem, summa cum voluptate in cælis possideatis. Prudentis enim animi est, paruis permutare maxima, fluxis & perituris æterna, & pauco denique sanguine immortale regnũ mercari.

Filiarum ad matrem responsum.

Ad hæc filiæ lachrymis perfusæ responderũt; Tu quidẽ, ô veneranda mater, nullum aut tempus aut locum neglexisti, quo sanctis nos imbueres disciplinis. Nunc autem maternis nos precibus prosequere, vt constantibus animis futurum certamen sustinere valeamus. Dominus autem, qui paterna prouidentia suorum curam gerit, ex promisso os nobis & sapientiam dabit, cui aduersarij resistere non valebunt. Intereà triduo hoc elapso, sanctissimæ virgines ad tribunal euocantur. Adest Iudex dæmonis insidijs egregiè instructis, vt teneram ætatem, & blãditijs maximè obnoxiam, verbis blandissimis emolliat. Quid, dicebat, ô virgines decoræ, deorum, vt ego profectò existimo, sanguine progenitæ, decreuistis? Nunquid mihi optimè vobis consulenti, diuitias amplissimas & gloriam offerenti, parêre malitis, quàm vetulæ illi, quæ se vestram matrem mentitur, cùm iniquis suis persuasionibus in exilium & pestem vos impellere nititur? quæ & dirè vapulabit, si vos non obtemperaueritis? Accedite ergo, & nostra beneuolẽtia letæ fruimini, stultamq; illã de vestro Christo opinionem deponite: vt mecum omnibus in vita delicijs affluatis. Nam si obedire contemnitis, inuitus ego, mihi credite, ad supplicia corporibus vestris tenerrimis inferenda accedere com-

Matth. 10.

Vocantur ad tribunal.

Blanditur Iudex virginibus.

Egregia virginũ constãtia, & respõsum sapientia plenum.

compellor. Cui Virgines: Nos, inquiunt, neque tuas in hac vita delicias expetimus, neque tormenta formidamus. Quid enim Christianis potest esse iucundius, quàm pati pro Christo? qui & hanc nobis vitam contulit, & precioſi sanguinis sui effusione æternam promeruit? Hoc tam constanti responso accepto, Iudex, omniq; planè abiecta spe tantam virtutem blanditijs

Fides virgo annorum 12. virgis cæditur, & atrociter cruciatur.

superandi, primùm quidem Fidem, annos non amplius natam duodecim, cõtinuò vestibus nudatam, manibus ponè vinctis, virgis crudeliſsimè cædi mandauit. Quæ cum magna constantia & vultu ipso, triumphum de tyrannide illa ageret, ad atrociora torméta protracta est. Crudele profectò facinus. Iudex furore percitus, mammillas eius excindi iubet. Sed eccè rem nouam & prodigioſam. Pro sanguine, lactis riuuli defluxerunt, virginemq; niueo candore, stupente Iudice, exornârunt. Neque tamen præcipitis animi fractus furor. Sed igne copioso accenso virginem exuri: & ibi quoque illæsam permanentẽ, in sartagine pice & bitumine bullientem præcipitari iubet. Sed Christi bonitas tyranni vincebat malitiam; prorsus vt virgo sanctiſsima in medijs flammis atro fumo inuolutis consisteret integra, vultuq; minimè turbato supernum continuò inuocaret auxilium. Ecquid tunc animi Iudici, quid sceleratis ministris fuisse putandum est? Quo gaudio, qua exultatione aliæ virgines & mater ipsa filiam tam admirando triumpho glorioſam aspexisse existimandum? Iudex in rabiem & furorem versus,

Fides matrẽ & sorores corroborat.

gladio eam transuerberari mandauit. Fides ea sententia incredibiliter gauisa, supremis his

voci-

vocibus matrem & sorores affata est ; Vides ô dulcissima mater , qua me benignitate Christus IESVS prosecutus sit; reliquum est, vt vltimum hoc certamen tuis etiam precibus munire pergas. Vos autem, ô sorores charissimę, nihil formidate pro nomine Christi glorioſam adeò mortem oppetere. Vna mater nos genuit, eadem tres aluit, sit etiam vnus tribus finis, sint sororibus sororiæ etiã & germanæ voluntates. Sit prima domesticum exemplar ijs quæ eam consequentur. His verbis confirmatæ sorores, vltimum ei vale fusis præ gaudio lachrymis dixerunt.

Nota matris verba ad filiam martyrio coronandam.

At generosa mater martyrem filiam hisce verbis sua profectò virtute dignis est prosecuta: Ego quidem, ô filia, inquit, te genui, & te propter acerbissimos partus dolores tuli, teque ad hanc vsque ætatem studiosè nutriui; sed nunc præclaram abs te laborum meorum mercedem percipio . Nam etsi nullus parem possit parentibus gratiam referre, tu tamen multiplicato fœnore omnia mihi reddis , cùm tu me talis filiæ matrem esse ostendis, quæ tam magnificè pro Christo decertas. Ad quem vade filia ; vade inquam, tuo sanguine, pro eo effecta purpurea, quo tuo sponso conspicieris, quouis colore & flore colorata speciosius. Hæc cùm illa à matre & sororibus audiuisset, porrecta continuò ceruice, certamen absoluit, ac solutis corporeis vinculis ad Christum migrauit.

Fides gladio cæsa ad Christũ migrat.

Impius autem Iudex non ferens ignominiam, vt ex alijs amissæ victoriæ damnum repararet, continuò secundã decem annorum, accersiri iubet; quam blanditijs aggressus ad Dianæ sacrificium

Certamen Spei Virginis.

ficium inuitabat. At illa: Quomodo, inquit, credidisti me esse sororem præcedentis, cuius iam fecisti periculum, ita tuo sit animo persuasum fore vt constantia eius etiam soror conspiciat. Hæc audiens Iudex, iubet eam veste nudatam sicut primam, crudis boum neruis flagellari, flagellatam in ardentem conijci fornacem: atque postremò illæsam inde exeuntem, in ligno suspensam ferreis laniari vngulis; At Spes virgo sanctissima inter supplicia voce planè virili tyranno insultauit, dicens; Tu quidem sanguinarie supplicijs robur meum eneruare contendis. At ego Christi gratia & virtute confisa, dete, tuaque tyrannide cum sorore mea triumphum agam. His ad furorem incitatus Iudex, lebetem pice & resina plenum, & igne vehementer accensum, præparari iussit: vt sanctam virginem, ad terrorem matris & filię iunioris, in eum precipitem daret. Sed lebes diuina virtute instar vitri confractus, diffuso repentè feruenti liquore, non paucos virgini ea supplicia machinantes ad internecionem deleuit. Vnde Iudex furore tabescens, capitis sententia virginem damnauit. Tum illa, quasi peracto certamine exultans matris se precibus commendans, iuniorem sororem ad eandem martyrij gloriam constanter subeundam excitauit. Vt verò ad certaminis locum, in quo sororis reliquiæ etiamnum iacebãt, ventum est; Spes iacentis sororis corpusculum amplexata, primò lachrymas fudit, quòd charissimam sororem truncam in suo sanguine volutatã cerneret. Deindè cum recordaretur præclaram martyrem pro Christo decertasse, omissis lachrymis, gaudio exultare, & sanctas reli-

Vide cõstans animi robur.

Horrendum supplicium.

quias

quias genibus venerabunda nixis ardentiſsmè exoſculari. Poſtremò alacriter exiliens, teneram carnificis gladio ceruicem ſubiecit, eandéque martyrij palmam læta percæpit.

Certamen Charitatis.

Porrò Iudex iniquus, dubius animi, qua arte, quibuſve inſidijs poſtremam nouem annorum ſuperaret, cùm blanditijs nequidquam adhibitis ſemel iterumque à virginis conſtantia repulſam pateretur; præcipiti furore impulſus, teneram loris in eculeo extenſam torqueri iuſſit: tanta immanitate, vt diuulſa corporis compage, virgo tenerrima ſpiritum tradere putaretur. Sed Chriſti virtute ac gratia inuicta permanens, tyranni ſpreuit ſupplicia, eumque redarguit, quòd Dianæ honores diuinos, relicto vero Deo, deferret. Hinc Iudex vehementius excandeſcēs, virginem ex eculeo in fornacem flammis accenſam inijci mandauit; ſed flammæ ilicò diffuſæ circunſtantes appræhendebant; quin & ipſum quoque Iudicem: qui quidem quanquam graui aduſtionis cruciaretur dolore, non tamen virginem impijs clamoribus ad alia tormenta expetere deſtitit: cuius corpuſculum, licèt variis antè ſupplicijs confractum, terebris transfigi imperauit. Poſtremò, virgine eadem animi conſtantia & hoc ſuppliciū perferente, capitis eam damnauit; quam illa ſententiam lætabunda excipiens, ad vltimi certaminis locum perrexit: matre eam cum gaudio proſequente, ijſdemque ferè vocibus, quibus duas priores, ad glorioſam martyrij palmam exhortante. Tandem vbi ad deſtinatum locum ventum eſt, pia illa genetrix vix mentis ſuæ præ gaudio compos exclamare cœpit; O me felicem, ô verè beatam quæ tri-

Horrendè torquetur.

En vocis lætitiæ matris Sophiæ.

bus filiabus SS. Trinitatem honorare meruisti quantis me Domine beneficijs affeciſti, quantis ornamentis decoraſti, qui dulciſſimas filias gloriosiſsima martyrij corona redimitas ad tuum hodie regnum tranſtuliſti. Vt video angelos lætantes, tuamque, ô filia, conſummationem præſtolantes. Perge ô decus, ô gloria mea, perge ad cæleſtem ſponſi tui thalamum, quo ſorores tuæ iam perfruuntur. Talibus filiam matre verbis proſequente, & Chriſti interdum numen laudibus celebrãte, Charitas omnium poſtrema tamen perfecit; quarum corpora mater ſplendidè atque magnificè compoſuit, & in monumentum quo par erat honore intulit.

Mater honorificè ſepelit filias.

Obitus Sophiæ.

Poſt tertium verò à peracto certamine diem Sophia ad locum accedens reliquiarum, fuſe ritè precibus, & ipſa beatum Deo ſpiritum tradidit: quæ fidelium opera filiabus coniuncta fuit. Ad gloriam Patris, Filij, & Spiritus ſancti, quem decet omnis honor & adoratio, per omnia ſecula: Amen.

VITA B. FRIARDI RECLVSI, ex ea quæ eſt per S. Gregorium Turonenſem Epiſcop. lib. de vita Patrum, cap. 10. Circa quod tempus claruerit patet infrà.

8. Auguſt. FVIT apud Inſulam Vindunitam, vrbi Nanneticæ, vir egregiæ ſanctitatis, Friardus nomine, qui ab infantia Deo mirè deuotus, manuum labore vinctum ſibi quæritabat ita tamen inter opera ruſtica verſabatur, vt nunquam ab oratione ceſſaret. Ea res cùm vicinis aut extraneis ridicula videretur, ipſe nihilo

nihilominus in pio exercitio perſiſtebat, & frontem, oculos, atque pectus, frequenter ſanctiſſimo Crucis ſigno conſignabat. Accidit verò die quodam, vt reliquis in ſegete culmos incidentibus, examen veſparum è latebris erumperet, meſſoresque aculeis ſuis acerrimè laceraret, & in effuſam fugam compelleret. Cumque fugiendo ad Friardum operi ſimiliter intentum veniſſent, irridendo virum beatum dixêre; Quare iſte benedictus, iſte religioſus, qui iugiter orare non deſinit, & Crucem auribus & oculis imprimit, contra hoc examen pugnaturus non abit? Tunc Friardus, quaſi magna Dominicæ Crucis virtuti, iſta verborum petulantia, iniuria irrogaretur; ilicò in genua prouolutus orationem fundit, facto de more Crucis ſigno ad examen abit, exclamatque: Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Ad hanc eius orationem confeſtim veſpæ iterum ſeſe in latebras abdidêre, liberamque metendi facultatem præbuêre. Denique poſt hæc cum in arborem quandam præcelſam ex neceſſitate conſcendiſſet, ſubitò, colliſo ſub pedibus ramo, deorſum ruit; ſed inuocato Chriſti nomine, quod ſemper in ore habere conſueuerat, omni læſionis periculo, non ſine miraculo immunis permanſit.

Signum Crucis ſibi frequenter imprimit.

Abigit oratione & Crucis virtute examen veſparum meſſoribus inferſtum.

His alijsque virtutibus cõfirmatus, tacitus cũ animo ſuo hoc modo philoſophari cœpit. Si Chriſti nominis inuocatio, eiusque poſtulatum auxilium, tantæ potentiæ eſt atque virtutis, vt aſpera quæque mundi deuincat, periculoſa obruat, tentationum atra depellat, & omnia quæ

Vide quàm prudenter homo ruſticus ſecum philoſopheſtur.

sum̃ seculi huius oblectamẽta pro nihilo repu-
tet atque fastidiat, quid mihi & mundo, nisi v
relictis omnibus eius me totum obsequijs tra-
dam, cuius nominis inuocatione à multis sum
Petit eremum. liberatus periculis? Itaque patria parentibus
relictis, eremum petijt, Abbate Sabaudo, Clota-
rij Regis quondam ministro, & Secũdello Di
cono comitibus. Sed Abbas, mox tentationu
procellis turpiter superatus, ad monasterium
bijt; vbi non multo pòst, occulto Dei iudic
gladio transfixus interijt.

Beatus verò Friardus in Christi seruitio co
trà dæmonum insultus immobilis persistens
multis cœpit clarere virtutibus, ac miracul
coruscare; adeò vt plurimi, fama virtutum ex-
citi, ad eum confluerent: suisque necessitatibu
à viro sancto remedia postularent. Accidit au-
Baculum suũ humi defigit, & rigãdo fructiferum reddit. tem quadam vice, vt baculum suum, quo gressus
firmabat, humi defigeret, infusaque sæpius aqua
rigaret; qui breui post frondes & poma protu-
lit: atq; duos deinde post annos in magnã arbo-
ris proceritatem distentus excreuit. Cumq
plebs miraculi magnitudine permota turma
tim ad arboris illius spectaculum conuenire
ille, ne vanæ gloriæ insidijs in superbiæ crimen
incideret, arrepta secure arborem succidit.
Rursusque aliam floribus onustam, sed turbine
subuersam, aptata cuspide in terram defixit
Aliud insigne miraculum. & fusis ad Dominum precibus, flores, qui a
ruerant, restituit: eodemque anno fructus re-
cepit.

His pietatis insignibus, alijsque miraculi
clarus, de transitu suo à Domino certior factus
**Claruit Felix, Namnetensis Eccle-* Felicem *Episcopum accersijt; quo necessitate
qua-

quadam detento, cur minus ilicò aduenire posset, obtinuit vir sanctus à Domino exitus sui dilationem, donec demùm voti compos fieret. Post multum siquidem temporis aduenientè Episcopo, denuò à febre corripitur, ingressumq; ad se amplexans salutauit, ac inter suauissima verba vltro citroque habita beatum Deo spiritum tradidit; moxque cellula gratissimo repleta odore, tota contremuit; Angelica proculdubio præsentia ac virtute honorata; quæ gloriosam Eremitæ animam ad cælos transferendam susciebat.

siæ Episcopus circa annum Domini 574 vt patet Tomo 7. Annal. C. Baron. Felicissimè migrat.

VITA S. EVSEBII, EPISCOPI VERcellensis, ex ea quæ extat in Historijs Vincentij Burgundi Præsulis Beluacẽsis; quibusdã emendatus. Obijt anno ab Incar. Domini 371. Damasi Papæ 5. Valentiniani & Valentis Impp. 8.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 3. & 4.

EVSEBIVS olim temporibus Diocletiani & Maximiani adhuc catechumenus, vnà cum Matre Restituta nomine, fœmina nobile, vidua Christiana, è Sardinia Insula Romam veniens, Eusebio Pontifici maximo nutriendus traditus est: quem cum idem Pontifex egregiè fide Christiana imbuisset, baptizauit, suoque nomine nuncupauit. Antequam verò puerũ lustraret, cælesti est admonitus oraculo, quanta is virtute ac sanctitate in Ecclesia fulgeret. Ferunt etiam in ipso baptismate, angelico ministerio de fonte eum subleuatum fuisse; fortè quod excellenti pueri castitate, qua in omni vita admirabilis fuit, purissimi illi spiritus delectarentur. Non enim post acceptã baptismi gratiam virgineum tantùm seruauit pudorem, sed adeò

1. August. *Eusebius baptizatur Romæ ab Eusebio Papa, & indè nomen habet.*

Insignis eius pudicitia.

adeò insigni pudicitia fuit, vt nullã omninò fœminã, ne quidẽ matrẽ, osculo exceperit vnquã. Cùm aliquãdo nobilis quædã matrona, ei⁹ pulchritudine capta, nocte clàm cubiculũ eius petere vellet, tota nocte errabunda, angelis eã ab aditu cubiculi repellentibus, mane crimen, quod animo conceperat, cõfiteri coacta fuit: atque ad genua sancti viri prouoluta veniam petijt.

Consecratur Sacerdos anno ætatis suæ 50.

Intereà Eusebius cunctis fidei virtutibus mirificè adornatus, anno ætatis suæ quinquagesimo fuit à Marco Papa presbyterij honore decoratus; quem ille honorem tanta sanctitate administrauit, vt inter Missarum solemnia in manibus eius sacra mysteria visibili specie apparerent. Post hoc Iulianus Papa, cernens Christi Ecclesiam Arianorum perfidia vehemẽtius impugnari, eum vrbis Vercellis, quæ tunc inter alias Italiæ ciuitates principatum obtinebat, antistitem consecrauit. Quo ciuitatem cum potestate ingresso, Ariani iam ante de illius aduentu certiores facti, cunctarum ecclesiarum fores ita arctè obstruxerant, vt nulli planè in eas introitus quoquo modo pateret. Quorum comperta malitia, vir sanctus ante ostiũ maioris Ecclesiæ, quæ Virgini Matri sacra est, fixis humi genibus preces fudit: & protinùs, eo surgente, fores diuinitùs reseratæ sunt.

Fit Episcopus.

Cùm autem vir diuinus omnes Occidentis prouincias, & Athanasius Orientis ab Arianorum peste indefesso studio purgarent, Constantius Imperator totis viribus contra nitebatur, vt duo illa præclara Ecclesiæ lumina extingueret, vel certè longissimè à regni sui finibus propelleret. Neque fuit difficile, Arianis enixè in

idipsum

idipsum operam conferentibus, sanctum proscribere. Cum siquidem postmodum Synodus ex instantia Liberij Papæ Mediolani esset congregata, Constantius Imperator Orthodoxis insidias tendens, Arianis fidem literis cõsignare præcepit, quatenus eandem Orthodoxi vel inuiti ratam habere cogerentur: & Athanasium damnarent. Ibi tum Catholicorum quidam Arianorum insidiis in fraudem impulsi, S. viri licet absentis dãnationi (dũmodò in reliquo Catholicę fidei in omnib. cõsultũ foret) subscripsêre: inter quos & Dionysius Mediol. Antistes.

Constantius Imp. Arianus insidiatur Catholicis.

Id porrò accidit antequam Eusebius vnà cũ Apostolicæ sedis legatis ad Concilium se conferret; quod cùm ipse intellexisset, ægro admodum animo tulit: sed cum facti iam pœnitentem eum inuenisset, artem quoque excogitauit, qua eius subscriptio deleri posset. Erat Eusebius Dionysio longè ætate maior; adeò vt ipse Dionysius filius videri posset: pater namq; Eusebius, præ ætate, & sedis, cui præerat, temporis diuturnitate, ab eodem nominari consueuerat. Requisitus igitur cum eò peruenisset Eusebius, vt exemplo Dionysij ipse damnationem Athanasij suo quoque chirographo communiret: visus est illis annuere, ea tamen lege, si (vt decebat) sua subscriptio ante Dionysij, in charta perspicuè omnibus poneretur: indignum planè affirmans, si iunior Episcopus seniori, atque parenti filius in charta, præter Ecclesię morem, ab omnibus legeretur prælatus.

Dionysij Episcopi Mediola. lapsus.

Liberatur Dionysius per Eusebiũ à sua subscriptione.

Illi autem quibus nihil magis inoptatis erat, quam vt fama celebrẽ, toti occidentali orbi cõspicuũ Eusebiũ in Athanasiũ ad subscribendum pelli-

pellicerent, eueſtigio ex tabella ſententiæ Dionyſij nomen expungũt,atq; obliterant penitus vt ne elementum quidem ſupereſſet,quo vel existimari potuiſſet nomen Dionyſij ibi vnquam fuiſſe notatum.Hoc facto, mox Euſebius, omni fictionis larua depoſita, ſubſcribere in hominẽ innocentem & inauditum (diuina id prohibente lege,& aduerſantibus Eccleſiaſticis atque etiam ſeculi legibus)nullo pacto ſe poſſe teſtatus eſt:ficque in hunc modum ab eo deluſa eſt Ariana impietas.

Euſebium atrociter torquetur ab Arianis.

Vnde graui indignatione ſuccenſus Imperator, Euſebium Arianorum voluntati permiſit qui protinus eum ab alijs Epiſcopis: anulſum flagris conciderunt , raptatumque per gradus pallatij à ſummo vſque ad imum, rurſumque ab imò vſq;ad ſurſum crudeliter diuexârunt.Cumque quaſſato capite magnam ſanguinis vim profudiſſet,neque tamen de fidei ſuæ conſtantia recederet, vinctis poſt tergum manibus, & funem eius collo iniecto,denuò raptarunt : ac demum multis alijs oneratum iniurijs Sercopolim vrbẽ Palæſtinæ,in tribu Manaſſe (quæ deindè Scythopolis appellata eſt , quod Scythæ eam condiderunt)ablegarunt.

Mittitur in exilium.

Fuit porrò præſidio eidẽ Euſebio & alijs ibidem exulantibꝰ Ioſephus Comes;qui ex nobili Iudæo factus ſub Conſtantino Magno Chriſtianus, Comitatus dignitate ab eodẽ ornatus fuerat;quẽ Ariani ſæpè fruſtrà tentarunt,vt ad ſuas partes allicerẽt:cũ ille pietatis obſeruatiſſimus cuſtos,tantum abfuit , vt illorũ precibus flecteretur,vel minis: quin potius Chriſtiana libertate parui faciens Imperatoris edictũ,Dei tantùm

mandati

mandati memor, exules Confessores Episcopos apud se susciens, eosdem summo charitatis studio confoueret. Ipse igitur S. Eusebium hospitatus est: apud quem agentem cum alij plures Orthodoxi eum inuiserent, S. Epiphanius ex Cypro Insula ad illum venit quoque consolabundus.

Benignitas Ioseph Comitis in Catholicos extorres.

Verum enimuerò quòd Ariani pollerent Imperatoris auctoritate, haud passi sunt enm apud tantũ hospité commorari. Patrophilus siquidẽ veturnosus hęreticus, Arij quondã socius, homo planè sæuissimus, omniumq; teterrimus, sub cuius erat parætia, à Iosepho diuulsum dirę custodię mãcipauit: indignè enim ferebãt, cũ ipse, tũ Constantius & cæteri Ariani, vt quem è sua Ecclesia exilio abstraxissent, in Arianorum paræcia tanto dignaretur honore; cum hospitio Comitis, tum etiam visitatione ex diuersis circumcirca prouincijs insignium fama virorum. Quæ verò & quanta sub eodem Ariano Antistite Patrophilo, mutata subindè custodia, passus sit, cõdignè explicare singulatim haud possit: nihil namque intentatum reliquit Ariana impietas, quò tantum Pontificem ad partes suas attraheret, sin minus crudeli demùm internecione deleret. Liquet sanè eum ob priora illa supplicia & alia tam in Palæstina quàm in alijs pluſquàm semel mutatis exilij locis inuicto robore perpessa (quanquàm eisdem haud fuerit consummatus) Martyrij titulo dignissimum ab omni antiquitate prædicari. Constat ad longa siquidẽ tempora superuixisse ac diu multumque pro tuenda fide Catholica laborasse. Constantio namque Imperatore vita functo, Iulianus ad Imperij

Patrophilus Episcopus Arianus Eusebio infestissimus.

Quo pacto Eusebius martyr censeatur.

gubernacula vocatus fuit; qui vt gratiam ac populi totius beneuolẽtiam captaret, Imperij sui initio, damnatos exilio Orthodoxos reuocauit, & liberam cuique cuiusuis religionis potestatem fecit. Iuliano verò quoque defuncto, Iouinianus ita imperium administrauit, vt sopitis Arianis, Eusebius Vercellas rediret, ac summa populi exultatione cathedram reciperet. Quòd autem ad lucubrationes eius spectat, cum Græcarum lit. æquè ac Latinarum fuerit callentissimus, haud otiosus absque scriptione vitam exegisse creditur: quãquàm de illis nulla sit memoria, & excidisse putentur. Quanta verò miraculorum effuserit post obitum gloria, adeò vt oleo lampadum, in Ecclesia ipsius ex more ardẽtium, dæmones ab energumenis pellerentur, vide Gregorium Turonensem lib. de Glor. Confess. cap. 3.

Redit Vercellas Episcopus Eusebius.

Claret miraculis post obitum.

MARTYRIVM S. FELICIS APVD GErundam: ex Adone Treuir. Archiepiscopo. Coronatus est Anno Christi Saluatoris 303. Marcelli Papæ 7. Diocletia: & Maximi: 20.

Vide 2 Tom. Annal. C. 4, Baronij.

1. Augusti. *Patria eius. In Hispanijs Christũ prædicat.*

S Felix Scillitana ciuitate oriũdus, pietate, religione, & præcipuo martyrij ardore incẽsus, cũ in Hispanijs Christianũ nomẽ vehemẽti persecutione oppugnari intellexisset, ociùs cõscensa mercatorum naui, intrepidè accurrit, ac diuini verbi semina vbique spargens, fidelium pectora nouo fidei calore contra vim tempestatis excitauit. Cumque aliquamdiu apud Barcinonam, Empurias, & Gerundam, sparso Euangelij sato, plurimos in fide cõfirmasset, fama eius longè lateque increbrescente, iubẽte Dacia-

Daciano, repentè à Ruffino officiali tentus est. Ille verò cum tota auiditate ad martyrij epulas aspiraret, magnam ilicò & præclaram fidei suæ confessionem edidit: tyrannumque sua constantia permouit, vt à verbis ad supplicia descenderet. Primò igitur fustibus cæsus, & in ima carceris detrusus; deindè manibus pedibusque ligatis, in loco squalido, omni cibo ac potu destitutus proiectus est. Post hæc etiam catenis grauioribus vinctus, per omnia ciuitatis compita ab indomitis multis tractus, & penè in frusta discerptus est.

Comprehenditur à Ruffino.

Fustibus cæditur.

Dirè vexatur.

Deinde missus in carcerem, nocte ab Angelo visitatus, ac pristino decori restitutus, facto die, ad certamina reuocatur. Tunc vngulis excoriatus, ab hora tertia ad Vesperam vsque inuerso capite suspensus, omnis penitùs doloris expers mansit; Rursus verò in carcerem receptus, tota nocte & lumine copioso & Angelorum concẽtu mirificè recreatus fuit. Quod cùm nunciatũ fuisset Ruffino, iussit eum vinctis post tergum manibus in mare præcipitem dari. Ibi continuò vincula eius dirupta sunt, & angelico comitatus obsequio, super vndas deambulans ad litus peruenit. Tunc Ruffinus iterum cutem eius vngulis detrahi, ac deindè ad vsque ossa laniari, & tamdiu vulnera vulneribus instaurari iussit, vsque dum inuictum Christo spiritum reddidit.

Visitatur ab Angelo in carcere. Horrendum supplicium.

Vinctus in mare mittitur, sed ab Angelo liberatur.

Post varia & horrenda tormenta, tradit Spiritum.

Corpus eius Gerundæ in monumento, quod ipse sibi præparauerat, conditum est Nouis Augusti,

VITA

VITA S. ETHELVVOLDI VVINTONIENSIS Episcopi. Ex ea quam VVolstanus religiosus VVintonienſis conſcripſit. Migrauit è corpore anno Domini, 984. regnante Ethelredo Rege.

Vide Notat. C. Baron in martyr. Roman.

1. Auguſti. *Patria & parentes.*

SVB Eduardo ſeniore, Anglorum Rege, in vrbe VVentana, Ethelvvoldus ingenuis & eximijs Chriſtianæ pietatis cultoribus natus eſt parentibus; cuius genitrix Felix cùm adhuc vtero eum portaret, in ſomnis viſione mirabili futuram ſanctitatis eius gloriam cognoscere meruit. Porrò natus infans, vt primum ætatem ad diſciplinas idoneam nactus eſt, inſita naturæ bonitate & ingenio acri, tenaciſque memoria, eò eruditionis breui peruenit, vt Rex Ethelſtanus, fama eius permotus, adultum tunc ad ſe vocauerit, & ſacerdotij honore decorari curauerit. Itaq; cum Dunſtano & Ethelſtano ad Elphegum antiſtitem miſſus, ſacerdotio initiatus fuit; quod vt melius ſanctiuſque adminiſtraret, Glaſconiam petijt, ibidemque ſub Dunſtano monaſticæ vitæ inſtitutum arripuit; in quo vigilijs, ieiunijs, & cæleſtium rerum commentatione ad ardua virtutum culmina peruenit.

Rex Ethelſtanus eum ad ſe vocat & ſacris initiari curat.

Fit Monachus.

Poſtquàm autem Edredus rex præclaram illius ſanctitatem cognouit, hortante eum matre ſua Edigna, locum quendam, cui Abendonia nomen eſt, ei tradidit; in quo olim exiguum fuerat monaſterium, ſed tum omni habitatore deſtitutum cernebatur. Id Etheluuoldus Regis ipſius impenſa inſtaurauit, & religioſis cunctis virtutibus mirificè exornatis fœcundum reddidit. Erat inter alios monaſterij illius religioſos Elſtanus quidã, vir miro ſimplicitatis & obedientiæ; cui

Inſtaurat monaſteriũ. Elſtanus magnæ obedientiæ Vir.

cui ex officio monasterij artificibus cibus præparare incumbebat. Is impigrè nõ minus quam piè ministerium obibat, dabatque operam, vt religiosa munditia loca omnia niterent. Itaque Abbas visa die quodã virili illius voluntate ad quoduis ministeriũ obeundũ promptissima, vt alijs pariter admirandam obedientiæ virtutem luce meridiana clariùs demonstraret, ait ad Elstanum; Mi frater, hanc tu mihi obedientiam sufuratus es: Sed si eiusmodi miles Christi es, immitte manum in bullientem aquam, & partem vnam ex imo cacabo mihi impiger extrahe. Ille incunctanter Abbatis sui voci obediens, nudam manum in bullientẽ aquam demisit, partẽque sine vllo doloris sensu ab imo lebete eduxit. Is postmodum Abbas creatus, etiam VVintoniæ episcopus fieri meruit.

En virtus obedientiæ.

Porrò Etheluuoldus propagandæ religioni sedulò intentus, non multò pòst vrgente Edgaro Rege, ad VVintonienſem episcopatum à Dũstano euectus est. Cumque veteri in monasterio, Canonici corruptis planè moribus ad ingentem Ecclesiæ ruinam viuerent, & luxuria fœdati per omnia libidinum genera, vxoribus per fas perq; nefas assumptis, ac iterum repudiatis, vagarentur, Etheluuoldus antistes protinùs summa regis voluntate eos expulit, & Abendonienses monachos illorumin locum introduxit: quibus se & Abbatem & Episcopum exhibuit. At verò Clerici illi, stimulante inuidia & liuore, vt acri vindicta loci vberes prouentus recuperarent, venenum præsentissimum Episcopo obtulerunt. Quo hausto, statim facie in pallorem mutata, viscera illius dirè cruciabãtur; prorsus vt ab

Canonicos impiè viuentes ab Ecclesia expellit, & monachos introducit.

Hausit Venenum episc.

vt ab ipsa morte absorptus putaretur. At ille è mensa ad lectum se recipiens, tacitus apud se ita agere cœpit: Vbi nunc fides tua, quam aliis tanta constantia & virtute inculcasti? vbi mentis tuæ cogitationes? Si Christi fidem habes, qui diuinitate sua præsens est, quid mihi hoc mortiferum, quod bibi, nocere poterit? Ille procul dubio, ille inquam, qui nec falli nec fallere potest, hoc in te virus eneruabit. His dictis, lethiferam illam potionem fide sua mox inefficacē reddidit, pulsoque dolore, hilari vultu surrexit.

Marc. 16.

Egregia fides episcopi.

Monasticam disciplinam in Angliam introducit.

Eo tempore cùm in Anglia cælestis illa monachorum disciplina adhuc exularet, & diuinū istud institutum in sola Glasconia & Abendonia notum esset, Ethelvvoldus summo studio ac vigilantia plurima vtriusque sexus construxit monasteria, eademque virtutibus adeò sanè præclaris exornauit, vt verè Angelorum domicilia crederentur.

Eximia eius liberalitas in pauperes.

Accidit quandoque vt acerba fames vniuersam Britanniam vehementer opprimeret, multosque dira clades extingueret. Tum ille pecuniam omnem pauperibus largitus est; qua deficiente, cuncta ecclesiæ & monasteriorum ornamenta, & permulta quoque vasa sacra, ac postremò omnem ecclesiæ thesaurum in subleuāda pauperum inopia tolli iussit; ijsque in pecunias redactis, innumeram multitudinem sustētauit, donec misericordia Dei de cælo in terrā prospiciens, solita benignitate, inopiæ malum temperabat. Itaque confluebant vndique ad virum Dei, qui famis periculum euadere cupiebant. Ipse verò in plateis omni solatio destitutos

tos refocillabat, & singulis larga manu necessaria præbens, admiranda alacritate recreabat. Cumque nonnulli tanta largitate preciosam ecclesiæ suppellectilem erogari, eaque quæ diuinis erant consecrata vsibus ad humanos trãsferri calumniarentur, ille multo cordis gemitu testabatur, se æquo animo ferre non posse muta metalla durare integra, hominem verò ad imaginem Dei factum, & precioso Christi sanguine redemptum, mendicitate & inedia confici.

Monachus quidam furti se crimine obstrinxerat. Ethelvvoldus mandauit, vt is, qui rem abstulisset, quamprimum eam cum ipsius benedictione redderet, aut tali in loco eã proijceret, vbi inueniri posset. At furti reus, spreto Episcopi mandato, rem apud se detinuit, ac restituere neglexit. Tum vir sanctus, cõuocatis in domum Capitularem omnibus, ait; Quandoquidem sacrilegus pecuniam, quam furatus est, cum benedictione reddere recusat, restituat ergo eam cũ omnipotentis Dei maledictione, sitque ligatus nostra auctoritate non tantum in animo, sed & in corpore. Et eccè ilicò monachi illius brachia inuisibili nexu ita constricta sunt, vt ea nullatenus, reliquis tamen membris officium suum retinentibus, mouere posset. Tandem cæteris exeuntibus, ipse postremò Episcopum sequutus, facinus suum confessus est; quem antistes blandis verbis compellans, à vinculo soluit, solutumque sua insuper benedictione munitum, pijs monitis à simili facinore deterruit.

En virtutem excommunicationis.

Et quidem alijs multis clarus virtutibus vir diuinus, postquã sedem episcopalem annis admodum quatuor & viginti administrâsset, ipsis kalen-

kalendis Augusti fœliciter in Domino obdormiuit. Corpus eius subita immutatione fuit renouatum, lacteo candore perfusum, roseoque rubore venustatum; ita vt quodammodo septennis pueri vultum præ se ferre videretur: cum alioquin in vita ex creberrimis viscerum doloribus, cruriumque tumoribus inuisum vultûs pallorem cõtraxisset. Est autem VVintoniæ ex veteris Monasterij crypta in Chorũ Ecclesię translatum, & perquàm honorificè repositũ: vbi admirandis virtutibus in hodiernum vsque diem Deo cooperante, fulget & miraculis.

Renouatio corporis eius post obitum.

Miracula fiunt ad tumulum eius.

Vide C. Baron. Tom. 2.

MARTYRIVM SANCTISSIMI Stephani Pontificis, & eorum qui vnà cum illo Romæ passi sunt: ex eo quod est apud Metaphrasten. Coronati sunt Anno à Nato Saluatore 260. Valer. & Gallieni Impp. 6.

2. Augusti. *Valeriani & Gallieni in Christianos edictum.*

QVO tempore Valerianus & Gallienus impietatis sectatores Romanum administrabãt Imperium, lege ab ipsis statutum est, vt quicunq; hominem Christianum latitantem detulisset, (latitabant autem quam plurimi acerbissimæ tyrannidis metu absterriti) omnium facultatum ipsius repentè hæres existeret: & quoscunque in exercitu expeteret honores, protinùs obtineret. Illo igitur tempore Stephanus, qui Christiano gregi cum fide præerat, cùm cerneret fieri non posse, vt ipse cum suo clero certamen declinaret, summa vigilantia in eam curam incubuit, vt se suosque contrà tyranni minas & futura supplicia cælestibus egregiè armis muniret. Itaque cõuocato clero, diuinis verbis

Stephanus summus Põtifex hortatur assiduos suos ad constantiam, & rerum humanarum cõtemptum.

sanè

sanè luculenter ad terrenarum rerum cõtemptum eos hortatus est, monuitque, vt tota mente ad hæreditatem aspirarent cælestem, omnesque cogitationes ibi deinceps fixas haberent : vbi post hanc vitam caducam atque fugacem, æternum se cum Christo regnaturos sperabant. Hæc aliaque sancto Pontifice ad suos perorante, adducti sunt cẽtum & octo vtriusque sexûs homines, quos cælesti lauacro ritè expiatos in Ecclesiæ gremium recepit: oblatoque Sacrificio, omnes Sacramentorum participes fecit. Deindè Presbyteros tres, Diaconos septem, ac Clericos sexdecim ordinauit, vt confluentem ad se populum exciperẽt, ac rem Christianam pro viribus amplificarent. Ipse verò quotidiè ad omnes de Regno Dei & sempiterna illa vita, quæ futura est, differebat, tanta auctoritate ac gratia, vt multi ex Græcis pariterque gentilibus, diuina eius philosophia inescati, à vano errore ad veritatis agnitionem & Christiana sacra læti transirent.

Ordinationes eius.

Multos conuertit.

Inter alios autem adfuit quidam Tribunus militum Nemesius nomine, cui vnica erat filia, forma quidem elegãti, sed oculorum acie adeò hebetata, vt nihil omninò vel in ipsa meridiana luce misera adspiceret. Hanc Tribunus secũ adductam Pontifici obtulit, vt vtrumque lustralibus aquis expiatum Christo consecraret. Suscepit vtrumque cum gaudio vir diuinus, & breui catechismo imbutum expiauit, in loco cui nomen Titulus Pastoris; vbi puella Nemesij filia, cum animæ puritate & lumẽ oculorum recepit; quæ deindè Lucilla appellata est. Porrò eodem illo die quo Lucilla baptismo lustrata est; mares

Nemesius Tribunus credit.

Lucilla Nemesij filia.

pariter & fœminæ ſexaginta duo miraculo permoti, ad idē lauacrum cæleſte confluxerunt; qui omnes per Stephanum Chriſto geniti ſunt. Nemeſius verò fuit ad Diaconi officium dignè promotus; quod magno animarum fructu adminiſtrauit. Cùm verò eximia illius & familiæ pietas atque religio minimè obſcura eſſent, fuit nomen illius ab impietatis ſectatoribus ad Glabrionem & Maximum cōſules delatum; qui miſerandum in modum nefario dæmonum cultu cōflictantes cōſilium inière, quibus potiſſimùm ſupplicijs eum excarnificarent. Cum aût Nemeſius die quodā viam Appiā inambularet prope Martis templum, cerneretque Valerianum & Maximum fœdiſſima dæmonibus ſacrificia offerre, zelo fidei inflāmatus, genua magno animi ardore humi fixit, & manibus admiranda cum pietate ad cælum ſublatis, ſanctiſſimum Chriſti numen precatus eſt, vt dæmonis inſidias, quibus animas ad æterni Dei imaginē creatas ſecum in peſtem abripit, diſſiparet, quatenus miſeri ac infelices illi repudiato ſimulacrorū cultu ad vnī veri Dei agnitionē perueniāt. Hæc illo orante, Maximus à dæmone arreptꝰ clamare cœpit; Nemeſius nūc factus Chriſtianus me incendit. Ecce illius oratio me cruciat. Ad iſtos clamores impij ſatellites tēplo effuſi Nemeſiū corripiūt, atq; diuexant. Cumq; verberibus & iniurijs vehemētius onerarent, Maximus Conſul ſimul cum clamore ſceleratam animam miſerè efflauit.

Nemeſius ſit Diaconus.

Nemeſius accuſatur.

Ingens zelus Nemeſij.

Nemeſius verberatur.

Itaque Nemeſius ſtatim mandato Valeriani ad palatium Claudianum ductus, ibidem ab eo nūc blāditijs nūc nimis vt ad dæmonū caſtra reſiliret oppugnatus eſt. Verùm Valerianus cū ſe

oleum

oleũ & operã perdere cerneret ira percitus, ad carcerẽ abduci mandauit: eiuſq; famulum Sempronium domino ſuo fideliſſimum quæſtionibus ſubijci; vt facultates domini proderet, ac abiurato Chriſti cultu dijs ſacrificaret. Præerat quæſtionibus Olympius Tribunus; qui cùm verbis à Sempronio nihil obtineret, furore accẽſus, iuſſit proſtratũ Sempronium virgis crudeliſſimè cædi, cæſumque aureo Martis idolo ac tripodi ſacrificare. Ille nihil ijs motus ſupplicijs: Conteratte (inquit ad idola) Dominus Ieſus Chriſtus filius Dei viui. Quo dicto, idolũ inſtar ceræ humi defluxit, & Olympium pudore affectum recedere compulit. Igitur Olympius cum Sempronium cuſtodiendũ tradidiſſet Tertulle, domûs ſuæ gubernatori; ilicò Exuperię cõiugi rẽ ab eo dẽgeſtam narrauit; quæ inquit ad maritũ; Si tãta eſt Chriſti potentia, quanta dicis, ſatius nobis eſt, inanibus dijs relictis, qui nihil vnquam opis nobis contulerunt, ad Chriſtum trãſire. Nec mora. Olympius, hortante Sempronio, ſimulacra cõminuit: & conflatam ex ijs auri & argenti maſſam pauperibus diſtribuit; ſicque mammona iniquitatis liberatus, hilariq́ue animo vnà cum cõiuge & familia à ſanctiſſimo Stephano Põtifice fonte ſalutari abluti omnes, poſt oblatum pro illis Sacrificiũ, ſanctæ oblationis participes effecti ſunt.

Mittitur in carcerem. Et famulus eius Sempronius quæſtionibus exercetur.

Idolum ſubuertit Sempronius.

Olympius Tribunus cũ vxore ad Chriſtum cõuertitur.

En Sacrificium pro alijs oblatum.

Tertio aũt à percepto baptiſmate die, Valerianus & Gallienus hæc audientes nimio furore agitati, Nemeſium & Lucillam capitis damnârunt; Sempronium verò vinctis poſt terga manibus flammis abſumendum curarunt; quorum venerandas reliquias ipſe Pontifex digno cum

Nemeſius, Lucilla & Sempronius martyrio coronantur.

honore in monumento collocauit. Inde tyranni ad inquirendum Stephanum conuersi, satellites suos multis oneratos promissis dimiserunt, vt Pontificem eiusque clerum adducerent; Abeunt illi, & die noctuq; indagine facta, tãdem Clericos duodecim reperiũt; quorũ nomina sunt hęc: Faustus, Maurus, Primitiuus, Columnius, Ioannes, Exuperantius, Cyrillus, Honorat', Theodosius, Basilius, Castulus, Donatus: qui post multos cruciatus, magno & constanti animo superatos capitis sententia palmam martyrij adepti sunt; quorum corpora Tertullinus Olympij quondã seruus, quamuis adhuc gentilis, in via Latina propè reliquias SS. Iuuini & Basilei honorificè condidit.

Duodecim Clerici martyres.

Tertullinus eos sepelit adhuc gentilis.

Quod vt Stephanus Pontifex intellexit, Tertullinum ad se vocauit, ac pijs monitis ad Christi fidem conuertit, expiatumque sanctissimo lauacro alba adhuc veste indutum presbyterum ordinauit. Qui paucis pòst diebus à Marco Tribuno compræhensus, & Valeriano oblatus, primùm virgis immaniter cæsus, indè, flamma latere eius lambente, adustus, atque in ligno extentus, neruis diu flagellatus fuit. Cumque omnia illa & alia supplicia inuocato Christi Iesu nomine egregiè superasset, postremò capite truncatus è corporeis vinculis ad cælos migrauit, cuius corpus Stephanus in crypta, quam arenosam vocant, pridiè Kal. Augusti reuerenter sepeliuit.

Baptizatur à Pontifice Tertullinus, & fit Presbyter.

Tertullinus martyrio coronatur.

Postero autem die pater omnium ipse Stephanus cum magno clericorum numero apprehensus, maiori fidelium cum luctu & lachrymis sequente caterua, ad Martis templũ deductus est,

Stephanus cum multis alijs cõpræhenditur.

Quo

Quo in loco vir sanctissimus oculis ad cælum sublatis ita rerum omnium conditorem precatus est. Domine Deus qui turrim confusionis apud Babylonem euertisti, destrue, quæso & locum hunc, in quo diaboli superstitio per idolorum cultum exercetur. Hæc vbi dixit, repentè horribilis cæli fragor cum fulgure maximo intonuit, & profanã Martis ædẽ magna ex parte euertit. Quo terrore milites in effusam fugam conuersi, Stephano cum omnibus Christianis relictis, Valeriano rem gestam narrârunt. Ipse verò Pontifex cum suis recta ad beatæ Lucillæ cœmeterium abijt; vbi confirmans concione, suos contra tyranni minas oblationem Deo obtulit. Valerianus autem, missâ continuò maiore militum manu, Pontificem mactari præcepit; qui animo tranquillo & nulla sui parte turbato irruentium furorem ita excepit, vt nihil prorsus de pristino habitu cultuque diuino remitteret. Itaque datis ceruicibus, sanguinis sui effusione Christi fidem consignauit, 4. Nonas Augusti; cum sedisset annos 3. menses 3. & dies 22. cuius venerandum corpus fuit via Appia à discipulis, in qua multa cum pace occubuit, admodum reuerenter sepultum: & Tharsitius Diaconus quidam eodem die glorioſa morte similem martyrij palmam adepus est. Succeſſit autem huic sanctissimo Pontifici, Xistus nono Kalen. Septemb.

Oratio Stephani.

Templum Martis corruit.

Martyrio coronatur S. Stephan.

Martyrium S. Theodotæ cum tribus filijs, inueniet lector in vita S. Anastasiæ martyris 25. Decembris.

INVENTIO S. STEPHANI PROTOmartyris, Nicodemi, Gamalielis, & Abibonis: ex Epistola Luciani Presbyteri. Accidit eadem anno Christi 415. Innocentij Papæ 14. Honor. 21. Theodos. Iunior. Impp. 8.

Vide tom. 5. Annal. C. Baron.

3. Augusti. Cui tertio Nonas Aug. hæc inuentio celebretur, diligens Lector consulat dicta Bar. in Notas in martyr. Ro. hoc die.

IPSO die Parasceues, hoc est, sexta feria, tertio Nonas Decembris, Consulatu Honorij decies, & Theodosij sexies Augustorum in villa Caphargamala, haud procul Hierosolymis presbyter quidam Lucianus, vir pietate nõ minùs quàm religione clarus, nocte secundùm quietem visus sibi videre est venerandum quendam senem sic ipsum compellantem; Luciane, Luciane, Luciane: eia vade Hierosolymam & dicito Ioanni antistiti, vt pandat mecum, sociorumque sepulchrum; & honestiore nos loco reponat: vt esse possimus aliquandò mortalibus in aduersis casibus patrocinio. Exterritus Lucianus tanto visu, Quis tu, inquit, es Domine? quos socios memoras? Sum, retulit, Gamaliel; cuius disciplinis Paulus Apost. quondam eruditus est, iacetque mecum Stephanus, qui à perfidis Iudæis lapidibus obrutus meo in monumento sepultus est. Iacet & Nicodemus mihi sanguine iunctus; qui nocte, Iudæorum insidias veritus, ad Iesum venit, & à Petro & Ioanne cælesti lauacro expiatus est; quem postea à Iudæis principatu suo priuatum, anathematizatum & ciuitate expulsum, excepi, foui, ac tandem vita functum eodem sarcophago tumulaui. Iacet simul

Act. 22. 7.

Ioan. 3.

mul Abibon * filius meus, qui mecum regenerationis lauacrum consecutus, in virginitate purissima ante me mortuus est. In medio autem suburbano, proximo villæ agro, Delagabri nũcupato, nos quæretis. Hæc visio Luciano obiecta, primò quidem phantasma visa, ideoque neglecta. Inde iterum ac tertiò oblata pondus habuit, promouitque virum, vt Hierosolymam ad Ioannem Episcopum abiret, & prodigiosam eiusdem exponeret. Ioannes verò iis auditis lachrymatus præ gaudio, cum Synodo Hierosolymitanæ interesse deberet, fodiendi curam mandauit Luciano: qui ad locum demonstratum festinus contendens, adhibitis fossoribus, summa contentione precio sum thesaurum inuestigauit. Cumque diu fodiendo nihil proficerent, Gamaliel quoq; Nygetio * cuidam monastica disciplina inprimis præstanti apparuit, locumque multò apertiùs designauit. Repertis itaque sacris pignoribus, ilicò Iohanni Antistiti denunciârunt: qui protinùs assumptis secum duobus alijs Episcopis eò aduenies, cum S. Stephani thecam aperuisset, facto repentè ingenti terræmotu, tanta suauitas & odoris fragrantia inde emanauit, vt cuncti qui aderant, quasdam cælestis vitę primitias se delibare putarent. Mirabantur cælestem ambrosiam; concurrebant vndique mortales; duo & septuaginta homines variis languoribus oppressi sanitatem consequuntur. Tandem sacræ Reliquiæ in Ecclesiam sanctam Sion summa celebritate illatæ sunt.

* al. *Abibas & Abibus.*

Lucian. presbyter tertio in somnis monitus, ad Ioannem Hierosolymorũ Episcopum abit.

* al *Nugetio.*

Gamaliel Nygetio apparet.

Miracula ad reliquias S. Stephani &c. inuentas.

VITA S. DOMINICI, ORDINIS Prædicatorij Primi institutoris: ex ea quæ est per F. Theodoricum de Appollida eiusdem Ordinis conscripta. Desiit ab humanis Anno Dominici Natalis 1221. qui fuit Honorij 3. Summi Pontificis, 5. agens ætatis suæ annum primum supra Quinquagesimum.

Fide Notat. C. Baron. in Martyr. Rom.

4. August. *Patria & Parentes eius.*

PRAESIDENTE Romæ in cathedra S. Petri magno patre Domino Alexandro, eius nominis tertio, & Frederico huius nominis primo imperij habenas moderante, fuit in Hispanię oppido Callaroga, Oxonienſis diœcesis, anno seculi illius 1170. vir quidam, Felix nomine, ex nobilissima Guſmānorum prosapia; qui ducta in matrimonium Iohanna, clari inprimis generis fœmina, tres ex ea suscepit liberos; quorum duo primi literis imbuti, & vitę integritate conspicui, ac sacerdotio initiati, se totos Christi seruituti & proximorum saluti mācipârunt. Tertius verò, cui ex nutu Domini, Dominici nomen impositum fuit, haud sinè præsagio futuræ sanctitatis, tanquam iubar quoddam longè præstantissimum in mundum prodijt: & splendore planè admirabili eruditionis pariter & sanctitatis, cæcas mortalium mentes illustrauit; Cum mater eius sancto hoc fœtu grauida esset, videre sibi visa est catulum vtero gestare, ardentem ore faculam ferentem; egressumque ab vtero, totum mundum flammis ab ore eius prorumpentibus illuminantem; quin etiam & matri eius spiritali, nobili cumprimis matronæ, nato iam puero & sacro baptismate lustrato, luculenta in eius fronte stella apparuit: cuius immo-

Visio matris eius grauidæ.

immodico splendore totus orbis irradiabatur.

Porrò mater puerpera cùm accuratè domi filium enutriret, & lętabunda ad incremēta perduceret, iacenti aliquandò in cunis apum examen adfuit, & circa os volitans, linguam eius diuinæ sapientiæ melle affluituram indicauit. *Examen apũ circa os pueri volitat.*

Itaq; vixdum infantiæ annos egressus, exemplo piorum parentum templum crebrò adire, miro feruore in precibus persistere, lectuli quoque mollitiem in ea ætatis teneritudine sæpè relinquere, nudaque humo infantilia allidens membra, iam tunc de cælesti disciplina sedulò meditari. Erat in Ecclesijs assiduus, psalmos cum Clericis promebat, hymnos concinebat, sacris mysterijs deuotus assistebat, & Christi ministris ac sacerdotibus mira alacritate & gaudio seruiebat; denique hæc & alia in altero ætatis septenario ita obibat, vt sub tenello vultu veneranda quædam animi canities abdita videretur. *Exercitia pietatis eius in tenera ætate.*

Igitur parentes cùm cernerent admirandam in sancto puero simul cum ętate gratiæ accessionem, studiorum causa Valentiam eum destinârunt; quòd ea Academia præ cæteris omnibus & præstanti magistrorum doctrina, & discipulorum frequentia celeberrima haberetur. Itaq; prudens adolescens non segnitiem sectatus, sed rebus friuolis & ineptis, quibus ea ætas diffluere solet, contemptis, breui & ingenij facilitate, & labore indefesso, & assiduo precationis studio, liberales disciplinas assecutus est; quib. tamen non ita multum tribuit; sed mox vt ab humana philosophia, ad Christianæ præstantiam, cui tota mente inhiabat, ocyus perueniret, ad fontem Theologicæ sapientiæ se contulit; cui toto *Mittitur Valentiam studiorũ ergò.* *Superatis studijs Philosophicis, 4. annis Theologiæ dat operam.*

toto quadriennio tanta animi contentione & ſtudio inſudauit, vt penè noctes inſomnes duceret, quietiſque tempora vigiliis largiretur. Atque vt è fonte ſapientiæ ſalutaris largius potaret, decem annis vino, in quo eſt luxuria, caſtitatis amator penitùs ſibi interdictum voluit.

X. annis abſtinet à vino.

Et quia incenſo erat in Deum amore, nó potuit non proximum, quem vult Deus in ſe diligi, vehementer amare. Itaque quidquid in Deum nullius rei egentem non poterat, id totum in proximum incredibili ſanè charitate conferebat. Cùm Valentiæ daret operam literis, omnem ferè Hiſpaniam immanis oppreſſerat fames. Deficiebant præ fame ſitiq́ue pauperes, miſerabiles valdè gemitus pupillorum & viduarum audiebantur: nec erat qui miſerorum calamitatibus mouebatur. Inter hæc Dominicus perfectionis ſectator egregius, vt pro ſua facultate pauperum multitudini ſubueniret, libros & omnes res ſuas diſtraxit alacriter, preciumq́; in pauperes expendit, ſuoq́ue exemplo alios ad tantam benignitatem ſtupentes prouocauit egregiè.

Dira fames in Hiſpania.

Egregia eius in pauperes benignitas.

Per id tempus Didacus Eccleſiæ Oxonienſis antiſtes, vir & ſacrarum literarum peritia, & generis nobilitate, & morum inprimis honeſtate inſignis, tota in id virtute incumbebat, vt errantes mortalium animos ad rectum ſalutis iter omni ratione reduceret. Qui vt primùm de celebri & odorifera Dominici fama multa cognouit, eum ad ſe accerſitum, Canonicum regularem ſua in Eccleſia conſtituit. Ibi tunc vir diuinus librum, qui Collationes Patrum inſcri-

Didac. Oxonienſis Epiſc. admodum inſignis.

Facit Dominicum in ſua Eccleſia Canonicum.

inscribitur, studiosè legendum suscepit, deditq; operam, vt lecta, intelligentia comprehenderet, affectu senitret, effectu & re ipsa fortiter exequeretur. Ex illo namque præcipuam cordis puritatem, contemplationis viam, omniumque virtutum perfectionem, vnctione magistra, præclarè hausit: atque in profundam adeò sui cognitionem venit, vt quanquàm cunctis esset virtutibus ornatissimus, sui tamen deprimendi vbique locum & occasionem captauit; prorsus vt se omnium abiectissimum, peccatorumque maximum existimaret. Ex hoc verò studio omnibus adeò charus euasit, vt inuitum & fortiter reluctantem vices Prioris loci illius administrare compulerint: tum verò magis satagebat, tanquàm lucerna super candelabrum posita, & ciuitas super montem; omnibus sese exhibere integerrimæ vitæ speculum: consummateque sanctitatis exemplar.

Collationes Patrum studiosissimè legit.

Fit Supprior licet inuitus.

Eo tempore feruens desiderium salutis animarum in illi⁹ pectore mirificè crescebat; prorsus vt haud existimaret se verum Christi membrum esse, si non eius exemplo totum se lucrandis animabus manciparet. Quid igitur? Cor eius mira pietate refertũ illud spectabat imprimis, vt afflictorum rebus, ac præcipuè eorum qui pondere peccatorum pressi sub graui sarcina gemebant, & consilio & ope subueniret. Quotiescunque enim in consideratione turpitudinis peccati mortalis versabatur, (versabatur autem quotidiè) toties obortis lachrymis peccatorum miseriam deplorabat, & votis à Domino specialibus flagitabat, vt ad eorum procurandam salutem sibi & gratiam & auctoritatẽ conferre

Magnum illius studium iuuandi proximos.

ferre dignaretur. Nec fuit pio frustratus desiderio.

Cõuertit hæreticum S. Dominicus.

Alphonsus Castellæ Rex, Didacum antistitem ad legationem apud Marchiam obeundam euocabat. Is diuinæ erga se & Dominicum prouidentiæ ignarus, eundem legationis suæ socium assumit. Vbi ventum est Tolosam, & Dominicus cognouit ciues hæreticorum Albigensium fraudibus deprauatos, ipsumque suum hospitem eadem correptum peste animaduertit, spiritu ingemiscens, statim blandis colloquijs eius sibi familiaritatem insinuauit: hominemque multum affabilitate, tum ratione erroris cõuictum, ad catholicæ fidei veritatem reduxit. Fuit hic primus manipulus, quem diabolo ereptum ad aream Domini reportauit. Expeditis autẽ apud Marchiã regijs negocijs, Episcopus Didacus ad Romani Pontificis curiam cum suis profectus est, vt à functione pontificali (quemadmodum sperabat) absolutus, se totum conuertendis animabus vnà cum Dominico impendere posset.

Didacus Episcopus fit monachus Cistertiensis.

Sed ea spe frustratus, cùm Cistertiense cœnobium quoddam in via inuiseret, monastico se habitu induit, & aliquot eiusdem ordinis monachos secum assumpsit, vt hausta eorum disciplina ardentius se ad proximorum salutem procurandam componeret.

Prætergressi montem Pessulanum Abbates duodecim eiusdem ordinis à Põtifice Innocentio contra Albigenses hęreticos missos offenderunt; qui tum fortè consilia inter se varia agitabant, quibus nefandam pestem opprimere possent. Ij comperto Didaci aduentu, multo gaudio ipsum accersiunt, honorificè accipiunt, consiliumque

liumque petunt, qua potissimum via modoque hæreticorum impietati occurrendum statuat. Quibus ille sine vllis ambagibus, vt erat vir mirè ingenuus, Quod me, inquit, facere cernitis, hoc facite. Moxque familia & equitatu atque apparatu, quem habebat copiosum abire iussis, pedes ipse in opus Euangelij cucurrit, & humilitate, modestia, mansuetudine, deprauatos hominum mores ad normam sanctioris disciplinæ reuocare instituit. Sequuti sunt & alij duodecim, nouissimè omnium S. Dominicus; qui præ cæteris omnibus maximarum virtutum splendore coruscabat. Cùm enim non pauci pro Orthodoxæ fidei defensione libellos conscriberent, & ipse Dominicus suum quoque libellum auctoritatibus & diuinis rationibus munitum offerret, idemque cum hæretici cuiusdam libello apud Fanum Iouis igni traderetur, hæretici libello flammis absumpto, ipsius Dominici ex igne prosilijt, & secundò deindè ac tertiò in ignem iectus, scriptoris sui sanctitati & Christianæ fidei veritati præclarum resultu reddebat testimonium. Stupebant omnes, & pij quidem lætabantur, impij verò execrabili errore relicto, corde compuncto ad veritatis agnitionem reuertebãtur. Eodem tempore Dominicus monasterium quoddam in loco, quem Prulianum vocant, instituit: vt in eo depauperatorum nobilium filiæ, quæ pestiferum hæreticorum virus (quibus prius fuerant traditæ nutriendæ & erudiendæ) attraxerant, sanctissimis Catholicæ fidei disciplinis imbuerentur. Interea Didaco vitæ munere sanctissimè perfuncto, Dominicus eius institutum tanquam Dux & antesignanus viriliter prosecutus

Optima ratio hæreticos in viam reuocandi.

S. Dominicũ libellus contra hæreses conscriptus, ab igne lædi non potest.

S. Dominicus instituit Virginũ monasterium Prulianum.

tus est : Albigensiumque hæresim totis viribus oppugnandam atque extirpãdam susceperit. Verba eius facularum instar ardebãt. Opera admirando pietatis studio relucebant, & hæreticorum perfidiam redarguebant.

Accidit, vt celebris admodum disputatio cum hæreticis institueretur; ad quam cùm loci episcopus multa cum pompa iturus esset, Dominicus prudenter decernens filios superbiæ non fastu elationis & ostentatione, sed humilitatis studio expugnandos esse, detractis sibi calceis, episcopũ vt idẽ faceret hortatus est. Assensit antistes; cumque de itinere incerti obuium quendam hęreticum haberent, rati Catholicum esse eius se ductui commiserunt; qui eos in syluam quandam callidè pertraxit; vbi spinarum aculeis grauiter sauciati, perfidi malitiam demùm senserunt. Tum Dominicus nihil ea iniuria motus: Confidite, inquit ad socios, charissimi, quia certa nos de cælo manet victoria & triumphus, cùm peccata nostra sanguine expiantur. Cernens autem veterator ille tantam in viro sancto patientiam, ilicò abiurata hæresi supplicem se Dominico sanandum tradidit; existimans fieri non posse, vt à tanta vitæ integritate recta in Deum fides abesset. Cùm autem vir diuinus salutis animarum studio vehementer incensus crebrò discurreret, & aquam quandam euangelizandi causa traijceret, nauta importunè admodum à seruo Dei denarium pro naulo exigere instituit. Cumque is mercedem regni cælorum promitteret, & miser ille vili penderet atque acrius vrgeret, vt vel cucullum relinqueret, vel denarium solueret: vir sanctus sublatis ad cæ-

Detractis sibi calceis obuiam procedit hæreticis.

Hæreticum sua humilitate, & patientia conuertit.

ad cælum oculis parumper intra se orauit; moxque in terram despeciens denarium nutu diuino illic iacentem vidit; quem protinus à nauta tolli iussit, & sic demùm ad læta euangelij fata spargenda alacer abscessit. *Miraculum.*

Cùm multo tempore apud Tolosanos tum verbis, tum exemplis hæresim expugnasset, scelerati dæmonum satellites de nece illi inferenda consilia captârunt. Itaque positis certo loco insidijs, aduentum eius præstolabantur. At ille, cognita eorum malitia, cantans & alacer gradum intulit, eorumque furorem vltrò etiam ad cædem prouocauit. Qua re stupefacti carnifices: An non, inquiunt, mortis horrore tu afficeris? Quid facturus, si nos te ad mortem abriperemus? Quibus ille: Rogarem, inquit, ne breui compendio mortem mihi celerem adferretis, sed paulatim singula membra ferro præcisa oculis meis contemplanda obijceretis: atque ad extremum euulsis luminibus, sineretis ita mutilatum corpus in suo sanguine volutari, vel prorsus pro vestro arbitratu vita omni priuaretis. Nec minus pro salute proximorum extrema quæque subire paratus erat. Cùm enim quendam hæretica prauitate subuersum ad fidem reuocare contenderet, & ille res vitæ degendæ necessarias ab illis accipere se diceret, eaque de causa eis adhærere deberet, vir sanctus toto pectore hominem miseratus, seipsum vendere proposuit, vt eius in tanto periculo constituti inopiam subleuaret, & sub peccato venundatum redimeret. *Insidias hæreticorum et mortem vir sanctus nihil metuit.* *En ardentissimum patiēdi pro Christo desideriū.*

Decem annis vir beatus in diuersis Narbonensis

nensis prouinciæ locis hæreticam perfidiã strenuè oppugnauit, animarumque saluti totus addictus, multas interim contumelias, multas angustias, magnum sui contemptum & abiectionem pertulit; nullis tamen fractus iniurijs, nullis fatigatus laboribus, à sollicitandis mortalium animis & ad veritatis agnitionem reducendis auelli potuit. Congressurus quandoq; cum hæretico, scripta quædam fidei documenta in charta eidem tradidit: vt de obiectis maturè deliberaret. Ea nocte cum reliquis fortè ad ignem considens, chartulam viri Dei protulit, & alijs discutiendam tradidit. Conferunt illi inter se multa, & alijs alia atque alia asserentibus, quidã inquiunt; Mittatur in ignem scedula, vt veritas comprobetur. Mox proiecta in ignem, illæsa indè prosilijt. Indè & secundò & tertiò pari ratione veritatem explorârunt; & chartæ quidèm, illis stupentibus, nihil flammarum incẽdium obfuit; illi verò obduratis in perfidia animis persistentes, quæ hæreticorum omnium est pertinacia, rem silentio tegere nitebantur: sed miles quidam qui coram interfuit, insigne miraculũ ad Catholicorum notitiam perduxit.

Charta ab eo conscripta exuri nõ potest.

Hisce alijsque quamplurimis virtutum miraculis, quæ omnia referre nimis longum foret, vir Dei celeberrimus factus certatim ad honores & dignitates ab Ecclesiæ prælatis expetitus est: fuitque ei à tribus cathedralibus Ecclesijs dignitas episcopalis oblata; quam ille constanter semper repulit, vt liber ab omnibus, saluti animarum, cui se totum consecrauerat, incumbere posset. Cùm apud Carcasonam demandatas sibi Episcopi vices accuratius exequeretur, & die

Tres Episcopatus refuit.

Corpus eius, vi Spiritus

& die quodam ad monasterium, cui Castris nomen, diuertisset, ingressus ecclesiam, dum pro sua consuetudine precationis studio attentius incumberet, fuit cum ipsa mente, corporis pariter sarcina è terra eleuata; & cælum inter, & terram mirabiliter suspensa. Nec propheticò caruisse spiritu putandus est, vtpotè qui multa, cælesti lumine illustratus, multò antè futura prædixit: & quosdam etiam cùm à corporis tùm ab animæ exitio sempiterno liberauit. *in oratione è terra eleuatur.*

Cùm apud Tolosam hæretici quidam à magistratu comprehensi, & scelerum conuicti, extremo tandem supplicio afficiendi essent, Dominicus secretorum Dei conscius quendam in ijs conspicatus: Hunc, inquit ad aulæ officiales, reseruate. Deindè comiter eum & blandè compellans: Scio, inquit, fili, scio tardè quidem, sed tamen quandoque fore te virum bonum & sanctum. Res planè stupenda. Dimissus ille, viginti ferè annis hæreticam prauitatem mordicus sectatus est, sed tandem voluntaria abiuratione detestatus errorem, cum Ecclesia sancta nō modò in gratiam redijt, sed Prædicatorum insuper institutum complexus, cursum vitę cum fide absoluit. *Prophetiæ spiritu clāret.*

Erat ijs temporibus Simon princeps cum primis illustris Montis fortis, qui cùm magna animi beneuolentia, honore denique & reuerentia virum Dei prosequeretur, dedit illi, summa hæredum omnium voluntate, castrum insigne, quod Cassauuel siue Fanum Iouis appellatur, aliaque complura, vndè se suosque sustentare potuisset. Porrò Tolosanus antistes, zelator

fidei eximius, sextam decimarum omnium partem ei donauit: vt libros sacramque suppellectilem sibi suisque compararet. Obtulêre se etiam illi duo Tolosani, frater Thomas homo facundus & gratiosus, & Petrus de Salare, qui insignes ædes, quas Tolosæ habebat, ei largitus est. Tum verò, qui communem cum B. Dominico vitam agebant, cœpêre se ad religiosorum institutum ex professo sectandum componere. Anno igitur millesimo ducentesimo decimoquinto, cùm Romæ generale omnium patrũ celebraretur Concilium, Fulconi Tolosano antistiti eò cõtendenti, Christi minister Dominicus se comitẽ adhibuit, vt eius & auctoritate & gratia nixus, Ordinis Prædicatorij institutum Innocentio tertio, qui tum summum illud honoris fastigium obtinebat, confirmandum offerret. Et primò quidem Christi Vicarius nonnihil sese opponere visus est; sed proxima nocte idem Pontifex in somnis sibi videre visus est, Lateranẽsem ecclesiam grauem minitari ruinam. Cumque terrore perculsus Pontifex consilium tanto malo oportunum inquireret, videt ediuersò virum Dei Dominicum accurrentem, suisque humeris totam illam ruinosam fabricam sustentantem. Eam visionis nouitatem prudens Pontifex admirans, ilicò quid sibi vellet sagaciter animaduertit; Oblatas itaque preces hilariter admisit, & pium propositum commendauit. Hortabatur verò, vt ad suos rediret fratres, communicatoque cum eis consilio, regulam quandam approbatam deligeret, quam Ordo inchoandus sectaretur; atque ita ad ipsum rediens, confirmationem Ordinis pro voto reportaret. Absolutio

Romam proficiscitur, vt ordinis sui fundamenta iaceat.

Visio Innocentij Pontificis.

luto igitur generali capitulo reuersus ad suos vir Dei, Pontificis verba eis enarrauit. Illi inuocato Spiritu Sancto Regulam beati Augustini, vnanimiter elegerunt, adiunctis quibusdam arctioris vitæ constitutionibus. Erant tunc fratres numero plus minùs sedecim, qui, gratijs (vt æquum erat) superis actis, Tolosæ in Ecclesia S. Romani, quam Fulco eius ciuitatis Episcopus illis attribuerat, monasterium extruxêre: eodē Pontifice & operam & opes in ipsum enixè conferente.

Tolosæ primum monasterium Dominicanorū.

Paulò post Innocentio III. è viuis sublato, Honorius Apostolicæ dignitatis sedē obtinuit: qui, suppliciter hoc petente Dominico, sanctam iam antè instituti formulā, Apostolica auctoritate confirmauit anno Salutis millesimo ducentesimo decimosexto, & Dominicus non vno oraculo cælesti admonitus, fratres suos quanquam pauciſſimos in varia orbis loca dimisit: vt sata Euangelij longè lateque dispergerent, & nouo fœtu nouum ordinem quam maximè multiplicarent.

Mittit S. Dominicus fratres suos in diuersa Orbis loca.

Porrò pater ipse sanctissimus cùm ad Saracenos penetrare decreuisset, anno 1217. Matthæum Abbatem instituit qui cæteros gubernaret; cuius tamen nominis prælatus alius deinde nullus extitit. Sed ea profectio diuinitùs impedita fuit, & fratribus alijs aliò atque aliò missis, ipse Dominicus Romam venit, vbi concionandi munere magna cum laude & opinione sanctitatis haud vulgari aliquamdiu fungens, duos è mortis seruitute in vitæ libertatem asseruit.

Primus idēque postremus Abbas apud Dominicanos.

Romæ vir sanctus duos mortuos excitat.

Per id tempus Honorius Pontifex, visa viri

in curandis animabus induſtria pariter & vigilantia, ei commiſit vt ſacras virgines per diuerſa Vrbis loca diſperſas, & multum à priſtino illo rigore ac vitæ ſanctitate alienas vnum in locum congregaret, eisque leges præſcriberet, quibus & collapſa ſanctimonialium fœminarú diſciplina reſtauraretur, & Deo ſacratæ virgines ijſdem legibus haud inuitæ colla ſubderent. Præſtitit vtrumque vir diuinus, quamquàm non ſine moleſtijs, egregiè. Omnes enim vrbis moniales, à diſciplina clauſtrali inueteratæ libertatis conſuetudine tranſuerſum actas, vnum in monaſterium conuocauit, easque mira lenitate ad ſanctiorem diſciplinam reuocauit. Cumque omnibus in vnum congregatis in domo (vt vocant) Capitulari, præſentibus tribus purpuratis patribus, Hugolino Oſtienſi, Stephano de Foſſa noua, & Nicolao Cardinali, Tuſculano Epiſcopo, verba ſalutis earum auribus ſuauiſſimè inferret, ecce vir quidam magno eiulatu irruens repentino clamore haud mediocriter cunctos exterruit. Illis verò ſciſcitantibus quid calamitatis eſſet, reſpondit: Nepotem Stephani Cardinalis ex equo lapſum, vitam cum morte permutaſſe, Nepoti nomen erat Napuleon. Ea re prorſus inopinata Stephanus attonitus, animo concidit. Dominicus verò precibus & lachrymis multorum cõmotus, ilicò abijt ſacram hoſtiam Deo pro incolumitate iuuenis oblaturus. Cùm autem iam arę aſtaret, immẽſo perfuſus lachrymarum imbre cunctis qui aderant ſpectantibus ſtupentibusque cubitu vnius altitudine è terra eleuatus eſt. Tanto enim ſpiritus ardore ad cæleſtia ferebatur, vt terrenum corpus & graue

S. Dominicus Romæ monaſteria virginum reformat.

Cubiti altitudine vi ſpiritus è terra eleuatur.

eiuſ-

eiusdem spiritus vi sursum attolleretur. Oblationis deindè ministerio pijssimè peracto, recta ad corpus defuncti, Cardinalium & virginum caterua sequente, abijt, & sublatis in cælum manibus iuuenem in Christi Iesu nomine incolumen surgere præcepit. Res stupenda: qui vita functus erat, & conquassatis miserè membris exanguis iacebat, protinus ad vocem sanctissimi Patris caput membraque erexit, & sanus planè atq; incolumis domum abijt. Intererat huic spectaculo, monasterij, quod Mariæ trans Tyberim dicebatur, Abbatissa cum sacro virginum cœtu; quæ licèt anteà ad Patris obedientiam ægrè se adduci passa fuisset, tunc tamen adeò animo immutata est, vt nihil tam durũ, nihil molli & delicatæ naturæ tam aduersum esse putaret, quod non libens salutis causa assumeret: & se totam suaque omnia Patri Dominico curanda permitteret. Itaque fælicibus auspicijs & magno bonorum omnium gaudio atque exultatione sacer ille virginum cœtus monasterij Mariæ Trans Tyberinæ ad S. Sixtum translatus est; quo in loco ipse Dominicus cum suis ad illum vsq; diem domicilium habuerat: & tunc Honorij Pontificis munificentia ad S. Sabinæ Ecclesiam prædicatorio muneri aptiorem commigrauerat. Igitur anno restauratæ Salutis 1219. Abbatissa cum suis sororib⁹ numero quatuor & quadraginta ad sanctioris vitæ initiũ, habitum simul cũ obedientia integra à S. Dominico suscepit, eiusque in verba sanctissimè iurauit. Et hoc quidem primùm fuit sacrarum virginum Ordinis istius monasterium, eiusdẽ Patris opera & studio sanè florentissimum. Virgines enim Deo dicatas assi-

Nepos Stephani Cardinalis mortuus excitatur.

Primũ virginum Dominicanarũ monasteriũ Romæ.

dua cæleſtis diſciplinæ dulcedine paſcebat, eaſque non tam ſeueritate quàm conſolatione, atque vbi opus erat, miraculorum virtute in officio continebat.

Octauo ab ingreſſu virginum in monaſterium iſtud die, cùm in frequenti ſanè populi auditorio ſacrum ordiretur ſermonem, ecce dæmoniaca quædam horribili voce clamare cepit: Sceleſte, Sceleſte, quatuor iam tuis impoſturis mihi præripuiſti. Illo autem ſilentium dæmoni imperante, ſed nihil efficiente, tandem cùm cerneret importunis inimici clamoribus concionem diſſipatam iri, Crucis ſigno ſublata manu edito: In nomine, inquit, IESV Chriſti præcipio, vt protinus exeas, & Dei creaturam eiuſdem IESV Chriſti ſanguine redemptam deſeras. Continuo mulier horribili corporis diſtenſione compacta, magnam carbonum molem cum ſanguinis copia euomuit: redditaque ſanitati, Chriſto ſeſe dicauit. Quo miraculo reliquis ſororibus pius quidam timor & reuerentia incuſſa eſt; quæ libenter deinceps ſanctiſſimi Patris monitis ſinè vlla recuſatione obtemperabant. Proferebat tunc lætos admodum atque vberes animarum fructus Romana vinea; quam vir ſanctus incredibili charitatis ardore excolendam ſuſceperat. Sunt quidem multa & varia in illo admiranda, quæ nos breuitatis cauſa ſilentio præterire cogimur. Sed hoc vnum ſatis eximiam viri ſanctitatem teſtatam facit, nosque meritò ad æmulationem virtutis incitare debet; quòd vna charitas ita ſanctiſsimum pectus eius ſibi vendicauerat, vt nihil tam terribile, nihil tam laborioſum poſſet acci-

Crucis ſigno dæmonem ex obſeſſo corpore fugat.

Nota charitatem eximij viri.

accidere, & pro salute proximi refugeret; nihil tam charum aut preciosum offerri, quod non ilicò charitati postponeret, & eius causa alacriter exponeret. Hoc assiduis precib. & lachrymis à Domino contendebat; hoc feruentibus concionibus & perfectissimis studijs agebat; hoc præclaris miraculis Domino cooperante complebat; vt animas Christi sanguine redẽptas, ab impotenti dæmonũ tyrannide liberaret, & miseranda valdè seruitute oppressas, in Christianæ disciplinæ libertatẽ vindicaret. Et quidem hãc vnã in rem tota mente adeò excubabat, vt nihil de crastino solicitus cætera penè omnia neglexisse videretur; certus & is qui aues cæli pascit, & agri lilia splẽdidissimo vestit ornatu, fieri nõ posse vt suis operariis, in Ecclesiæ vinea nullo stipendio laborantibus, necessaria ad exigendã vitam alimenta deesse patiatur. *Matt. 6.*

Cùm Romæ apud S. Sixtum centum fratres cum illo sub Euangelica degerent paupertate, die quodam missi fuêre ab eo duo, Ioannes Calaber & Albertus Romanus, vt fratribus omni alimonia destitutis eleemosynam peterent. Illis à manè ad tertiam vsque horam frustra laborantibus, & iam re infecta domum petentibus, mulier quædam occurrens, vnum illis panem obtulit; ne, inquit, planè inanes & vacui reuertamini. Eo accepto pane, mox vir quidam candidus & pulcherrimo aspectu ab eis stipem petijt, ac precibus vehementer institit, vt in subsidium paupertatis suæ aliquid conferrent. Illi supplicantis importunitate victi, quanquam extrema inedia confecti, panem illum tribuunt, & sic planè vacui

Nota insignẽ in pauperem quendam benignitatem.

domum abeunt. Interea Dominicus, qui rerum ab illis gestarum seriē in spiritu probè cognouerat, iussit fratres ad mensam adesse. Quibusdam verò negantibus quidquam omninò quod apponeretur suppetere, & aliis pusilla fide hæsitantibus & cunctantibus vir sanctus omnibus sedere iussis, solita pietate oculos atque manus in cælum sustulit; & eccè, illo precibus adhuc intento, adolescentes duo cum panibus candidissimis adsunt, & singulis fratribus singulos administrant, atque ad oblatis fruendum benignè inuitant. Omnib⁹ igitur panes sumentibus, Dominicus ad ministros conuersus: Ite, inquit, & vinum è dolio à Domino infusum nobis promite. Res mira. Cadus antea vacuus optimo vino redundans, potum præbuit suauissimum; qui deindè post biduum iussu Dominici vnà cū ciborum reliquiis pauperibus ex integro deprōptus fuit. Hæc & permulta alia tum virtutū exēpla, tum miraculorum signa, Deo cooperante, beatus Pater Romæ edidit.

Diuinitus fratres pascuntur.

Porrò anno restauratæ salutis 1219. Lutetiam veniens, in cœnobio S. Iacobi, fratres inuenit triginta, regulari disciplina & virtutum omnū odore mirificè florentes. Quibus deindè Deo commēdatis, Bononiam migrauit; vbi iam tum apud S. Nicolaum magnus erat cum F. Reginaldo fratrum numerus; apud quos ad supremum vsq; vitæ diem cælestis militiæ stipendia fecit, multaque cum admiranda sanè opinione sanctitatis gessit; exhibebat siquidē sese vir sanctissimus cunctis, verum viuendique religionis exēplar & virtutum omnium speculum lucidissimum; atque Bononiæ, instar oliuæ fructiferæ in

Dominicus Lutetiam venit.

Inde Bononiam.

domo

domo Dei fructus protulit suauissimos; cuius excellentissimam vitæ sanctitatem nemo pro dignitate vnquam explicare poterit. Et primò quidem laudibus mansuetudinis, humilitatis, ac præcipuè charitatis fuit ornatissimus. Quid dicam? Proprij corporis domitor egregius, alijs tanta benignitate, modestia ac suauitate cõsulebat, vt nõ rarò infirmioribus, Canonis præscriptum relaxaret, eisq; materna quadam indulgentia succurreret: cùm tamen in suo capite minima quæque rigidissimè puniret. Aliis duobus ad mensam ferculis ministratis, ipse vno contentus abstinẽtiæ virtutem sectabatur. Præclaro sanè exemplo, non inepto sermone, vir diuinus suos ad inediæ labores excitabat. Corporis enim cura, & victus vestitusque ratio, exigua admodum ei erat. Lecto neque domi, neque foris vsus est vnquam, sed tam prospera quàm aduersa valetudine humi cubabat; scamno, storea aut crate straminea ad refocillanda membra animia lassitudine oppressa pro delicijs fruens; ita tamen, vt assiduò ferrea catena lumbos succinctus, lasciuientes corporis motus opprimeret, mentemque sine intermissione in studio cælestis disciplinæ conseruaret. Adeò namque orationi semper intentus erat, vt nullis vel molestijs, vel repentino strepitu, vel irruente calamitate ab eius attentione auelli posset.

Summa vitæ eius austeritas.

Nocte quadam antè aram prostratum, malus dæmon vt interturbaret, grãdem è tecto Ecclesiæ deiecit lapidem, tãto impetu, vt tota Ecclesia circumsonaret; eaque industria, vt caputij eius extremitatem contingeret. Sed vir Dei nihil eo casu commotus, nihil periculo absterritus,

Dæmon eius præcib. insidiatur.

ſumma animi tranquillitate in precibus perſtitit, & hoſtem tanta conſtantia confuſum, magnaque affectum ignominia, recedere compulit.

Dæmonem videt fratribus inſidiantem.

Quodam verò tempore, vir ſanctus, cùm intenta vigilia pro ſua ſuorumque ſalute excubaret, vidit teterrimum cacodæmonem per omnia monaſterij loca peruagantem: quem compellans ait, Quid hic cruenta beſtia ita circuis? Tum ille: Hic, inquit, lucro meo ſedulus incúbo. Cui Dominicus: Quod, inquit, lucrũ ex dormitorio reportare potes? Reſpõdit dæmon; Hic ego neceſſarium illis ſomnum nõ rarò aufero, efficioque vt vagis imaginibus deluſi tẽpus quietis amittant, ac poſtea cunctabundi ſurgant; interdum etiam maximo meo lucro, pigritia oppreſſi à diuinis ſe officijs ſubducant. Nec ceſſo animos ad libidinoſos ſolicitare motus; vt ijs polluti vberiore diuinæ gratiæ influxu fraudẽtur. Inde vir Dei de templo interrogat, quidnam tam ſancto in loco lucraretur. Reſpondit ille; Id ago, vt ſui immemores vanis cogitationibus agitentur, ſoliſque labiis Deum honorent, ac tandem tædio affecti procul ab amore Dei abripiantur. De refectorio verò ſciſcitanti: Ecquis, ait dæmon, non plus, quis non minus? De colloquii verò loco interrogatus, cachinnatus dixit: Hic locus totus meus eſt. Hic riſus exiſtit; hic vani referuntur rumores, & verba inania proferuntur. Poſtremò ad locum (vt vocãt) capitularem perductus, cum horrore quodam refugit: Iſte, inquiens, locus mihi tartarus eſt. Quidquid enim alibi lucratus ſum, hic iacturam patior. Ita miſer ille, cogente illum ſancto

Nota ſingula dæmonis reſponſa.

En quem locum diabolus ſibi vendicat, & quẽ odit.

cto viro, malitiæ suæ detexit fraudes; vt iustus quilibet studiosè caueat, ne laqueis eius irretitus capiatur.

Fuit autem Pater beatiſs. cùm charitatis, tum paupertatis amator præcipuus; prorsus vt oblatas etiã vltrò possessiones non semel repudiauerit, cauitq; diligenter, ne possessionibus institutũ suum obscuraretur. Itaq; ne pungens diuitiarum solicitudo & anxius rerum labentiũ amor sanctitatis fructum aut prædicationis semẽ opprimeret, paupertatem euangelicam, quæ, reiecta solicitudine, de craſtino nõ cogitat, amplexus est, mandauitq; filijs amplectendam. Panem non semel ostiatim mendicauit, suoque exemplo cæteros ad eandem animi humilitatem prouocauit.

Paupertas eius.

Anno Dominicæ incarnationis 1220. à confirmatione instituti Dominicani quarto, Bononiæ in primo generali (vt vocant) capitulo, cui beatus Dominicus præsedit, consilio S. Spiritus, perpetuo statuto cautum est, vt ab omnibus rerum terrenarum possessionibus nudi perfectam Christi paupertatem sectarentur. Hisce alijsque rebus ad ordinis sanctitatem constitutis, Dominicus qua erat humilitate vigiliam suam alteri tradere, seque Magistri officio abdicare constituit. Sed fuit communi Patrum omnium consensu ab ea cogitatione protinus reuocatus, & Ordini summa cum auctoritate præfectus. Prima ei cura semper fuit, vt omnibus modis animas CHRISTI sanguine redemptas, miserèque peccatorum cœno fœdatas, diuini verbi nitro perpurgaret, & impotentem dæmonis Dominatum frangeret. Inerat enim

Primum Capitulum vel congregatio Patrum generalis.

Magistratu se abdicare nititur Dominicus.

Est salutis animarum ſtudiosissimus.

enim ei mira quædam & penè incredibilis ſalutis omnium æmulatio; prorſus vt corpus in quoduis periculum atque in ſeruitutem perpetuam libenter offerret, quo proximorum ſalutem ac libertati conſuleret. Inerat etiam ei conſtans animi æquabilitas, adeò vt ne ſermonem quidem vllum ſemel ab ore matura deliberatione prolatum irritum fieri pateretur. Erat præterea externa illi vultus iucunditas, ac mira ſerenitas, qua facilè omnium ſibi, qui eum aſpicerent, conciliabat amorem. Nemo illo apud ſocios aut proximos aut fratres humanior & communior, nemo iucundior vel vtilior. Cauebat autem vir ſanctus in omnibus ſtudioſiſſimè, ne cui vel in re leuiſſima offendiculum præberet. Poſt itineris laborem hoſpitium petens, ad fontem aliquem prius ſitim leuare ſolebat, ne eius, ex itineris labore accenſæ occaſione, largius bibendo notam incurreret. Oratio eius munda & accepta fuit in conſpectu Dei, quam cùm ſine intermiſſione Domino offerret, nihil non ab illo impetrauit; prorſus vt cuidam ipſe faſſus fuerit, nunquam ſe à Domino quicquam poſtulaſſe, quod non pro voto adeptus ſit.

Vide quàm diligēter vir ſanctus ab omni offendiculo & ſpecie mali cauet.

Efficaciſſimæ eius preces.

Neque ſatis illi fuit intenta ſupplicatione dies & noctes tranſigere, perpetuis vigiliis carnem macerare, inedia affligere, ſed etiā quamuis innocentem & virgineam multis verberibus & caſtigationibus attriuit. Singulis enim noctibus ter catena ferrea in dorſum ſuum diutiſſimè ſæuiebat; primò quidem pro ſeipſo, tum pro peccatoribus in mundo degentibus: tertiò pro animabus pœnas in Purgatorio luentibus. Oculi eius aſſiduo lachrymarum imbre

Singulis noctibus ter ſe catena cædit.

infuſi

infusi & Christi numen ad misericordiam inflectebant, & peccatores etiam durissimos emolliebant. Honorum diuitiarumque contemptor adeò strenuus fuit, vt oblatum sibi Cizeranensem episcopatum non modò recusaret, sed palàm etiam testaretur, se potius ad vltimos terræ fines migraturum, quàm vlli eiusmodi electioni consensurum. Mundus illi totus crucifixus erat, & ille mundo; adeò vt nulla re magis quam sui contemptu & abiectione gaudere videretur. Interrogatus cur in Carcassona diœcesi libentius moraretur, quàm in Tolosana, respondit: Quia in Tolosana honore me passim prosequũtur: In Carcassona verò dum multi suis me calumnijs oppugnant, præclaram ibi exercendæ virtutis materiam inuenio. En verum mundi contemptorem, Christique germanum discipulum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.

Recusat Episcopatum.

Galat. 6.

Gaudet contemptu sui.

Hebr. 12.

Denique cùm in omni sanctitate perfectus cunctis pater fulgeret virtutibus, nequaquam eum prophetiæ dono caruisse, multa, quæ futura prædixit, testantur: Itaque diuinorũ conscius arcanorum, cùm obitûs sui diem cælesti præsignificatum oraculo certo noscet, vt constitutæ à se fratrum societati Ordinique vniuerso quàm optimè prospiceret, postquam Bononiæ secundum iam Capitulum (vt vocant) generale magna celebritate absolutum esset: Hugolinum Ostiensem antistitem, qui tum apud Insubres legatione Pontificis Maximi nomine fungebatur, & perquam honorificum Prædicatorum Ordini se semper præbuerat, inuisit. Apud quem cum aliquamdiu versatus fuisset, & nonnulla cum eo in

Claruit Prophetiæ spiritu.

En quã strictè paupertatis votum seruari voluerit.

eo in rem ordinis totius transegisset, postremò sub finem mẽsis Iulij Bononiam reuersus, lethalem in febrem incidit; Vocatis itaque ad se fratribus, tale testamentum condidisse fertur; Hæ sunt, inquit, fratres & filij charissimi, quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo; Charitas sit in vobis continua, humilitatem sectamini; Paupertati voluntariæ studete. Et ne paupertatem euangelicam, firmissimum instituti sui fundamentum, inimica Deo carnis sapientia aliquandò euerteret, quanta potuit seueritate prohibuit: omnipotentis Dei & suam ei maledictionem terribiliter intentans, qui prędicatorum ordinem, quem vel maximè ornat paupertatis professio, terrenæ substantiæ puluere ausus fuerit obscurare.

Placidissimè moritur.

Indies porrò febris ardoribus ac dysenteria pariter increscẽtibus, cum sentiret vir sanctissimus corporis dissolutionem iam imminere, ecclesiasticis primùm sese muniens sacramentis, suos dein desolatos admodũ ac mærentes piè consolans ac celesti Patri commendans, placidissimè demùm efflauit animam: Angelorum suauiter modulantium frequenti exercitu, in cælos (quemadmodum fideles complurimi per reuelationem didicerunt) abductum. Sacrum verò corpus eius fuit ingenti omnium luctu Bononiæ iuxtà filios suos fratres Prædicatores (vti viuens petierat) proprijs manibus Hugelini Ostiensis Episcopi, sedisque Apostolicæ legati humatũ; illustribus admodùm insigne miraculis; quibus iugiter tota Italia increbrescẽtibus, Anno salutis 1233. Indict. 6. Pontificatus Gregorij Noni, anno 6. ab obitu B. Dominici 13. honorificè

Translatio eius.

rificè ac reuerenter, ex priori monumento odorem suauissimum, summeque delectabilem eructante, in marmoreum fuit translatum sacrophagum. Biennio verò post idem Gregorius solenni ritu honores ei, vt reliquis diuis, cõcessit, Nonis Augusti: pridiè diei obitûs eius: quibus anniuersariam eius solennitatem in Ecclesia agi præcepit. At SS. D. N. Paulus Quartus Rom. Pont. in hunc retulit diem; ob festum Beatæ Mariæ ad Niues, quod in Nonas Augusti incidit.

Adscribitur catalogo SS. Dies obitus eius 8. Idus Augusti.

MARTYRIVM S. AFRAE, ANTEA Meretricis; ex eo quod est apud V. P: Laurent. Surium. Passa est Anno Dominici Natalis 303. Marcelli Papæ 7. Diocletiani Imperatoris vigesimi.

Vide Tomo 2. Annal. C. Baron.

NARCISCVS Episcopus, cùm sæuiente in Christianos persecutione, cum Felice Diacono suo Augustam Vindelicorũ venisset profugus, nesciretq; quo diuerteret, ad Afrã meretricẽ ingressus est. Illa existimãs viros, honestate conspicuos, non nisi turpitudinis studio eò deflexisse, ilicò cœna opiparè instructa, fuco meretricio de more ornata, ad flagitiosus actus sese composuit. Porrò antistes cùm ad sumendum cibum accessisset, & primùm toto corpore, vultu, oculisque ad orationem se componeret, illa, cuius omnis orandi consuetudo non modò ignota, sed ne visa quidem esset, insolita viri pietate stupefacta, inquisiuit quis esset. Cumq; Christianorum eum Episcopum esse cognouisset, mox salutari pudore suffusa, & timore pariter correpta, ad eius se pedes

5. August. *Narcissus Episcopus venit Augusti.*

Antè cibum orat more Christiano.

pedes abiecit: ac impudicitiæ suæ labem confessa est. Cui Narcissus verbis protinùs lenissimis Christi Iesu bonitatem explicuit, hortatusq; vt impudico & flagitioso vitæ genere relicto, cùm Christo in gratiam rediret, haud difficulter effecit, vt prioris vitæ pertæsa, ad matrem suã, Hilariam nomine, abiret, eidemque & Narcissi monita, & animi sui propositum aperiret. Porrò Hilaria, audita Narcisci Episcopi fama, illicò cum filia in Christi amorem exarsit, & se suaque omnia antistiti permittens, sacro baptismate veteris vitæ delictis ritè expiatis, Christiana sacra suscepit; & Afra cum tribus puellis, Digna, Eutropia & Eunomia, ab infœlici dæmonis seruitute ad Christi stipendia transiuit.

Afra peccatricem se fatetur.

Sæuiebat tũ temporis Augustæ atrocissima in Christianos persecutio; & inter alios ipsa etiam Afra, propter actiones meretricias notissima, ab impietatis satellitibus compræhensa est: cumq; esset oblata Gaio Iudici, ille vt eam à Christianæ fidei professione euocaret, atque ad Veneris sacra repetenda induceret, blanditijs ac promissis diu multumque certare. Mira namque dæmonis fraude insidijsque instructus, huiusmodi sermonem ad eam habuit; Afra, ecquæ mentis dementia à Deæ nostræ Veneris sacris in spem adeò vanam te impulit, vt ab eo, qui propter summam imbecillitatem in Crucem actus fuit, mercedem aliquam post hanc vitam expectes? Et vt concedam eum diuina potentia præditum esse, quem tu colendum, Christum inquam, suscepisti, certè si Christianorum dictis fidem adhibemus, tu quæ ab infantia libidinis labe fœdè contaminata es, Christi gratiæ particeps fieri nullo modo

Afra Iudici offertur.

Gaij Iudicis ad Aſram oratio.

modo potes. Quare te hortor moneoque, vt ab hac mētis tuæ stultitia resipiscas, & imminentiū supplicíorum atrocitatem Veneris sacrificijs redimas. Ad quæ Afra; Equidem fateor me Christi gratia indignissimam esse, sed ea est eius benignitas & misericordia, vt facilè cuiuis ad meliorem frugem redeunti ignoscat, suisque etiam beneficiis mirificè exornet, & cælestis gloriæ participes faciat. Quarè nihil moror, corpus hoc, quo diu ad omnipotentis Dei iniuriam abusus sum, supplicijs subdatur, excruciéturque, modò præteritorum scelerum venia impetrata, ad requiem pertingam sempiternā.

Afræ responsum fiducia plenum.

Gaius, hoc responso accepto indignatus: Meretricem, inquit, istam pessimā flammis viuam exurite. Mox rapta à ministris, & ducta in insulam fluuij, quem Licum vocant, ibique expoliata & ad palum religata: subiectis vndique sarmentis breuissimo ignis supplicio ad æterna cælestis patriæ gaudia transmissa est. Stabant iuxta fluuium Digna, Eunomia & Eutropia, eius quōdam nefario in opere sociæ, & iam tum cælesti lauacro expiatæ; quæ cum se in Insulam traduci curassent, aduocata matre, quæ noctu cum sacerdotibus eò venit, corpus beatæ martyris ab ignis incendio nihil læsum inde asportantes, in monumentum secundo ab Vrbe milliario intulerunt. Quod ob factum, & illæ similiter iussu Iudicis, eodem supplicij genere, sexto à passione beatæ Afræ die, martyrij palmam apud eius sepulchrum in oratione excubantes, adeptæ sunt.

Iubetur viua ignibus concremari.

Obit.

Corpus eius nihil læsum ab igne.

Vide tom. 8. Ann. C. Bar.

VITA S. OSVVALDI REGIS ANglorum, ex ijs quæ sunt apud Venerab. Bedam, lib. 3 Histor. Eccl gentis Anglorum. Migrauit corpore anno Domini 642. Theodori Papæ 1.

5. Augusti. OSVVALDVS Anglorum Rex, cùm contra infandi Britonum Ducis immensas copias, cum paruo admodum exercitu præliaturus in locum qui lingua Anglorum Denises burna, id est, riuus Denisi dicitur, descendisset, fertur factam citato opere Crucem suis ipse manibus in foueam demisisse, atque vtraque manu erectam tenuisse, donec aggesto à militibus puluere terræ figeretur; Quo facto elata in altum voce cuncto exercitui proclamasse, vt omnes flexis secum genibus omnipotentem Deum deprecarentur, quo ab hoste feroce & iniqua bella moliente victoriam reportarent. Fecerunt omnes vt iusserat rex; moxque arreptis armis in hostem progressi, iuxta meritum suæ fidei victoria potiti sunt. In cuius loco orationis, innumeræ virtutes sanitatum noscũtur esse patratæ, ad indicium videlicet ac memoriam fidei Regis. Nam & vsque hodiè multi de ipso ligno sacro sanctæ Crucis assulas excindere solent; quibus in aquas missis, potu eiusdẽ aquæ tam pecora quàm homines languentes sanitatem consequuntur.

Rex Oswald. præclarum de hostibus suis Crucis virtute Victoriam adipiscitur.

Porrò idem Rex vt susceptis regni gubernaculis gentem sibi dicto audientẽ reddidit, enixè operam dedit, vt Christianæ fidei gratia, cuius in expugnandis barbaris per maxima iam cæperat experimenta, regnum imbueretur; Misit itaque ad maiores natu Scotorum, (apud quos inter

inter exilij sui incommoda baptismatis sacramenta, cum his qui secum erant militibus, consequutus erat) petens vt sibi Antistitis alicuius copia fieret, cuius doctrina ac ministerio gens, quam regebat, à profanis ritibus ad Christiana sacra traduci posset. Nec difficulter, quod petebat, impetrauit. Obtinuit namque pontificem Aidanum summæ mansuetudinis ac pietatis virum, qui honorificè à Rege exceptus, sedem in insula Lindisfarnensi, vbi ipse Rex degebat, constituit. Cuius admonitionibus cùm in omnibus humiliter alacriterque obtemperaret Rex, tum pulcherrimo sæpè spectaculo contigit, vt Euangelizante antistite, qui Anglorum linguam perfectè non nouerat, suis ipse ducibus ac ministris interpres verbi existeret cælestis. Factumque est exindè, vt plures per dies illos de Scotorum regione in Britanniam confluerent, atque Anglorum prouincijs magna deuotione verbum fidei annunciarent: ita vt innumeri, eximia eorum pietate ac præclaris regis pientissimi operib⁹ prouocati, Christo sua certatim nomina darent. Construebātur ergo Ecclesiæ per loca; cōcurrebant ad audiendū Dei verbum populi gaudentes; donabantur munere regio possessiones ad instruenda monasteria; imbuebantur præceptoribus Scotis paruuli Anglorū, vnà cum maioribus, studijs cælestis disciplinę planè admirandis. Nam monachi erant maximè, qui ad excolendam Domini vineam venerant; monachus & ipse episcopus Aidanus; cuius doctrina rex Osvvaldus cū ea, cui præerat gēte Anglorū, institutus, nō solū incognita progenitoribus suis regna cælorū sperare

Aidanus insignis Episcopus.

Rex suis sæpè concionatur.

Monachi olim præcipuè vineam Domini excolebant.

didicit, sed & regna terrarum, plusquam vlli maiorum eius, ab eodem vno omnipotenti Deo consequutus est. Denique omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas, id est, Britonum, Pictorum, Scotorum & Anglorum diuisæ sunt, in ditione accepit. Quo regni culmine sublimatus, nihilominus, quod mirum dictu est, pauperibus & peregrinis semper humilis, benignus, & largus fuit.

Rex Osuualdus in summa potentia summè humilis.

Denique fertur quòd tempore quodam, cũ die sancto Paschæ cum præfato antistite consedisset ad prandium, posituſq; esset in mensa coram eo discus argenteus, regalibus epulis refertus, iamque essent manus ad panem benedicendum missuri, intrauit subitò minister ipsius, cui susciendorum inopum cura erat delegata, & indicauit Regi, quia maxima pauperum multitudo vndecunq; aduenies per plateas sederet, eleemosynę aliquid à Rege expectans. Qui mox dapes sibi appositas deferri pauperibus iussit; sed & discum confringi, atque eisdem minutatim diuidi præcepit. Quo viso, pontifex qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehensa eius dextera, ait; Nunquam hæc manus inueteraſcat. Quod & ita iuxta votũ benedictionis eius prouenit. Nam cùm interfecto illo in pugna, manus cum brachio à cætero esset corpore resecta, contigit vt hactenus incorrupta perduret; quæ in vrbe regia, quæ à Regina quondam vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusa argẽteo, digno à cunctis honore veneratur. Huius industria Regis, Deirorum & Berniciorum prouinciæ, quæ eatenus hostili odio dissidebãt, in vnam pacem & velut vnum in populum sunt com-

Manus Regis eleemosynis dedita non putrefact.

compaginatæ. Erat autem nepos Eduini Regis ex sorore Acha: dignumque fuit, vt tantus præcessor talem haberet de sua consanguinitate & religionis hæredem, & regni.

Regnauit autem Osuualdus Rex Christianissimus nouem annis, annumerato illo anno, quem & feralis impietas Regis Britonum, & apostasia demens Regum Anglorum detestabilem fecerat. Siquidem vno animo, omniumque consensu firmatum est, vt nomen & memoria apostatarum, de catalogo Regum Christianorum prorsus aboleri deberet, neque aliquis regno eorum anus adnotari. Quo completo annorum curriculo, fortiter dimicans in prælio contra paganum Regem Merciorum, gentemque paganam occubuit, in loco qui lingua Anglorum vocatur Maserfelth, anno ætatis suæ trigesimooctauo, die quinto Mensis Augusti. Cuius quanta fides in Deum, quæ deuotio mentis fuerit, etiam post mortem virtutum miraculis claruit. Namque in loco, vbi pro patria dimicans à paganis interfectus est, vsque hodiè sanitates infirmorum & hominum & pecorum mirabiliter exuberant. Vndè contigit, vt puluerem ipsum, vbi corpus eius in terram corruit, multi auferentes, & in aquam mittentes, suis per hoc infirmis multum commodi afferrent. Qui videlicet mos adeò increbuit, vt paulatim ablata exindè terra, fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit. Nec mirandum, in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper, dum viueret, infirmis & pauperibus consulere, opemque ferre non cessabat. Et multa quidem in loco illo, vel de puluere loci illius

Reges à fide apostatæ sempiterna oblitione damnantur.

Locus in quo rex Oswaldus occisus est, miraculis celebris.

lius facta virtutum miracula narrantur; sed nos duo tantum, quæ à maioribus accepimus, referre satis duximus.

Non multò post interfectionem eius exacto tempore, quidam equo insidens iuxta locum illum iter agebat. Cuius equus subita lassitudine oppressus concidit. Cumque diu spumando aliaque mortis indicia exhibendo huc illucque se volutaret, tandem ad locum illum, vbi Rex Osvvaldus occubuit, deuenit. Nec mora, statim & dolore, & insanis membrorum motibus fugatis, sanus exilijt, atque per omnia loca herbarum vireta auidiùs carpere cœpit. Qua re viri sagacis ingenij admiratione defixus, intellexit aliquid miræ sanctitatis loco illi inesse. Itaque posito ibi signo, iter suũ prosecutus est, & equo egregiè forti ad destinatum vsque hospitium vsus est. Quo dum aduenisset, inuenit puellam ibi neptem patrisfamilias longo paralysis morbo grauatã. Et cũ familiares domûs illius de acerba puellæ infirmitate ipso præsente quererentur, cœpit dicere de loco illo, vbi caballus suus præter omnẽ opinionẽ subitò curatus fuerat. Quid multa? Subuectam curru puellam duxerunt ad locum. At illa humi posita, leui mox sopore oppressa est. Indè euigilans, sanatam se ab illa corporis dissolutione sensit, suisque ipsa pedibus sana & incolumis domum repetijt. Sunt alia plurima virtutum miracula & præclara beneficia, quæ omnipotens DEVS per reliquias sanctissimi Regis huius mortalibus conferre dignatus est. Nec mirandum sanè, preces Regis illius, iam cum Domino regnantis, multum valere apud eum, qui

qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno semper laborare ac deprecari solebat. Deniq; ferunt, quia à tempore matutinæ laudis, sæpius ad diem vsque in orationibus perstiterit, atque ob crebrum modum orandi, semper vbicunque sederet, flexis genibus supinas manus habere solitus sit. Sed & inter verba orationis vitam finiuit. Nam cùm armis & hostibus circumseptus, iam iam videret se perimẽdum, preces pro animabus exercitus sui fudit; atque ita demum Rex sanctissimus de aliorum magis quàm de sua salute solicitus occubuit. Ossa illius in monasterio Beardanam nomine, Lindissæ prouinciæ condita sunt. Porrò caput, & manus cum brachijs à corpore precisas, impius Merciorum Rex, pro triumpho in furcis suspendi iussit. Quæ tamen post annum, successor regni eius Osvvinus, cum exercitu victrici manu abstulit; & caput quidem in Lindisfarnesis Ecclesiæ cœmeterio, in regia verò ciuitate manus cum brachijs honorificè condidit. Quis non dixerit, si oculis tantum carneis ista inspiciat, Osvvaldum miserrimo fine clausisse diem, & à Deo quodammodò visum derelictum esse? At angusti animi fuerit id cogitasse; cum diuini oraculi testificatione certum sit, vtcunque acciderit, pretiosam esse in conspectu Domini mortem sanctorum eius; ac visos quidem illos, oculis insipientium mori, verum eosdem esse in pace, atque vnà cum Christo regnare in cælis; quod ne putaret aliquis esse inanem imaginem in Osvvaldo, perspicuè cunctis quæ secuta sunt miracula declarârunt.

Regis assidium precandi studium.

DEDICATIO

ROMAE, IN ESQVILII S. BASILIcæ S. Mariæ ad Niues: Ex Ioanne Maldonato Hispano.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Romanum. 5. Auguſt.

Ioannes vir patricius Sobolem petit.

a Claruit hic S. Pontifex præcipuè, anno Chriſti 365. &c. ſub Impp Valentiniano & Valète, teſte C. Baron. Tomo 4. Annal.

QVo tempore a Liberius Petri ſedem tenebat; Ioannes quidam vir patricius, ingentes Romæ diuitias poſſidebat, eratq; procreandæ prolis mirum in modum cupidus, vt tanti patrimonij ſucceſſor ex voto contingeret, qui & nomen referret, & ſtemmata continuaret. Itaque verſus cum ſterili coniuge pia ad preces, Mariam virginem & matrem ſupplicationibus quotidiè intētiſſimis rogabat ac obteſtabatur, vt ſobolem eis ad propagand[um] genus & familiam à Ieſu filio impetraret: aut viam oſtenderet, qua viuentes in aliquo pio poſſent opere congeſtas opes inſumere. Nonis igitur Auguſti, cùm Solis potiſſimum æſtus mortalibus negotium facere ſolet, Ioanni coniugique

Adſtat ei coram, Virgo Maria.

Virgo mater noctu coram aſtitit; eorum precibus docet victam deſcendiſſe, quò piam præſens hæreditatem adiret. Mihi Romæ, dixit, nulla nunc habitatio eſt, nulla baſilica; Surgite cum primis manè, & in ea parte montis Superagij quam contra naturam temporis, niuibus videritis oppletam, domum mihi conſtruite. Locus ille veſtrarum facultatum hæres eſto. Eadem

Item Virgo Maria apparet Liberio.

Liberio Pontifici Virgo Mater denunciauit: atque, vt orta luce cum Clero & populo locum monſtratum adiret, imperauit. Liberius, fugatis tenebris, viſa Ioanni nunciat: ille viciſſim eadem per noctem oblata commemorat. Conuocant extemplò Clerum ac populum, mon-

tem

tem conscendunt: & (dictu mirabile) locum basilicæ dicandæ commodissimum, altissima nive conspiciunt occupatum, cùm proxima quæque circum æstuarent. Ita Diuæ Mariæ basilica omnis opibus fabricata est, longeque dotata; quod primùm fuit ei Romæ templum dicatum.

Templum Mariæ ad niues, vnde exordiũ sumpserit.

MARTYRIVM SANCTISSIMORVM pueorum & fratrum, Iusti & Pastoris, ex eo quod optima fide V. P. Laur. Surius ex antiquis monumentis eruit. Passi sunt anno Domini 303. Marcelli Papæ 7. Diocletiani Imper. 20.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 2.

EO tempore, quo crudelissimus Datianus furoris sui rabie in Christianos accensus, vniuersum perlustrabat orbem, vt quoscunque inueniisset pietatis cultores, varijs tormentis enecaret, contigit eum ad Complutensem transeundi gratia deuenire ciuitatem. Cuius incolæ cum tremendam eius opinionem intellexissent, duo infantes Iustus & Pastor, relictis scholæ tabulis, quibus tenera eorum ætas imbuebatur, tanquàm longa exercitatione probati Christi discipuli, ad spectaculum proprij martyrij alacres cucurrerunt. Cumque solicitè cernerent & intento perciperent corde, quid dementis Datiani inquireret furor: nunciatum est Tyranno, duos istos, Christianis parentibus ortos, propterea ad id spectaculi deuenisse, vt si Christianorũ fieret inquisitio, ipsi spõte sese offerrent puniendos. Quo audito, Tyrannus indignationis ira commotus, vtrumq; comprehendi, & flagris conscindi acerrimè iubet. Com-

6. Augusti.

Iustus & Pastor ad modũ pueri ad martyriũ currunt.

Iustus & Pastor comprehenduntur.

prehensi igitur sancti martyres, priusquàm ad supplicium traherentur, sese mutuo, cælitus edocti, læti confortabant, adhortabanturque, vt spreto hoc breuis vitæ sæculo, ad Angelorum consortia alacres properarent. Erat inter eos mira verborum concertatio, & vultus alacritas, quibus se inuicem ad martyrij palmam prouocabant. Timebat Iustus, ne Pastor ætate iunior

Se mutuo corroborant.

suppliciorum atrocitati succumberet; rursus Pastor, ne Iustus promissis vel minis Tyranni vinceretur, vehementer formidabat. Interea verò dum alter alteri mutuis cohortationibus animum adderet, carnifices, visa puerorum constantia & alacritate, cuncta Datiano nunciârût; qui tam admiranda puerorum virtute stupefactus, veritus ne ex eorum certamine aliquam ignominiæ notam maiestati suæ inureret, quasi per

Capitis damnantur.

contemptum, quòd suo cõspectu indigni essent, eos capitis damnauit.

Cumque accepta sententia procul ab vrbe glorioso fine certamen peregissent, & Datianus celeri profectione ad alia loca tenderet, ilicò Christiani incolæ sacra eorum corpora honorifica sepultura exceperunt: & constructa basilica, singulis martyribus altare dedicârunt; vbi

Clarent miraculis post obitum.

eorum precibus meritisque præclara Dei beneficia cunctis mortalibus, pura fide & integra deuotione eorum suffragia implorantibus, exhibentur.

VITA

VITA BEATI ALBERTI DE MONTE Drepano, Carmelitæ. Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Migrauit è corpore anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Romanum.

EA tempeſtate, qua Sereniſſ. Rex Petrus regnum Cataloniæ & Siciliæ obtinuit, fuit Benedictus quidam, nobili ſtirpe progenitus, dictus Adalbatibas; quæ eſt præclara apud Siculos familia. Qui ducta in vxorem Iohanna, æquè clari generis fœmina, in caſtro montis Drepani orta, poſtquam annos fermè ſex & viginti inculpata morum integritate in matrimonio ſine vlla ſpe prolis cum ea exegiſſet, tãdem communicato inter ſe cõſilio, Virgini matri vo tum nuncuparunt, ſi ipſa pro ſolita humanitate & benignitate prolem eis maſculam impetraret, eam ſe ipſius ſeruitijs perpetuò conſecraturos. Eo voto facto, in ieiunia, preces, & eleemoſynas incumbunt, vt dicta factis cõfirment. Nec multi præterierẽ dies, quin Iohanna è ſuo marito grauidam ſe ſentit. Porrò Benedictus vir eius nocte quadam ſecundùm quietẽ vidit è ſuę coniugis vtero prodeuntem cereũ mirificè radiantem; nec diſſimilis viſio eius cõiugi oblata fuit: quæ quidem in magnam eos ſpem adduxẽre, vt infans eximia vitæ ſanctitate aliquando fulgeret. Aduenit deinde tempus partus, natoq; filio fuit Alberti nomen impoſitum, inſtinctu planè diuino; cùm apud Siculos hactenus vix quiſquã eo nomine eſſet appellatus.

7. Auguſt, Patria & Parentes Alberti.

Votum Parentum.

Viſio Patris.

Poſtquàm autem ætas diſciplinis matura fuit, mox liberalium artium ſtudijs admotus, haud

haud vulgares fecit in ijs proceſſus ; prorſus vt & literis apprimè eruditus,& optimis imbutus moribus, parentibus eximiè charus & ciuibus vniuerſis acceptus & amabilis eſſet. Iam anni atttigerat octauum; & quidam præcipuæ nobilitatis viri eum (per verba de futuro vt vocant) puellæ cuidam,quæ regio ſtemmate nata videretur,ſponſum poſcebant. Pater eius, illorum tandem precibus flexus, rem ad vxorem refert; quæ voti haud immemor, tacta religione, modeſtis maritum verbis increpuit, remq; diſiecit & Alberto filio in cubiculum accito, omnia ei per ordinem expoſuit;& conceptionis modum, & viſionem parentis ; & poſtremò votum,quo Deo obſtricti tenebantur. Ille verò cùm verba matris probè cepiſſet, reſponſum dedit humilitatis & prudentiæ pleniſſimum , dicens,Se quidem ſui iuris non eſſe,ſed ſalutari parentum iugo ſubiectum;ex eorum etiam conſilio & auctoritate vitæ curſum moderari debere: neque velle ab eorum præſcriptis vel latum vnguem aberrare. Tum mater,Equidem,mi fili,inquit, votum,quod nuncupauimus , nolim eſſe irritum: quin potiùs toto pectore oratum te velim,vt promiſſa exequamur. Ait illi : Albertus puer;Faciam,mea mater,quod hortaris, meque in ſacra religione perpetuum Chriſto famulum conſecrabo. Cumque die quodam pius puer cum parentibus menſæ ſimul acumberet, ait ad illos ; Parentes optimi equidem neque cibum neque potum ſumam , niſi mihi benè precemini . Tum illi pio animi affectu dixerunt; Benedicat tibi Deus , & dirigat greſſus tuos. Ea parentum ſuorum benedictione percepta,abiit ad

Albertus octennis ſpõſus expetitur.

ad monasterium Depranense fratrum Carmelitici instituti, à castro montis Drepani duobus plus minus distans milliaribus. Quò vt peruenit, templum ingressus, peracta ibidem oratione, petijt ab ipso Priore, eiusdem instituti habitum, Ordinemque, vt omne vitæ tempus in diuinis laudibus deinceps cum fratribus transigeret. At Prior, acceptis non sine multa admiratione pueri sermonibus, cùm generis nobilitatẽ non ignoraret, veritus ne ea res parentibus offensionem commoueret, postulatum reiecit. Itaque pius puer, insigni mœrore tabescens, ad parentum se ædes recepit. Interim nocte proxima parentibus in quiete apparuit Beatissima Virgo, vultu minimè blando, sed sanè seuero, monens vt promissi memores filium ad perpetuum numinis diuini cultum tendentem nõ retinerent. Illi, hac correptione consternati, è strato cõsurgunt, ac confestim cum filio ad monasteriũ properant; Priori ac fratribus visa auditaque exponunt, & filium votiuum vltrò illis exhibent: orant obsecrantq;, vt habitu eum monastico donent.

Pius puer ibit ad monasterium.

Patitur repulsam à Priore.

Virgo Maria parentibus apparet.

Nihil à Priore & fratribus recusatum est: sed summa quadam eximiæ beneuolentiæ significatione Albertum exceperunt, & in castra spiritalis militiæ receptum, internis externisque armis & ornamentis decorârunt. At verò humani generis hostis, visa pueri ad confligendum alacritate, stimulis inuidiæ grauiter concitatus, insidias moliri cæpit, sumptaque elegantissimę mulieris forma, vultu pietatem mentiens, precibus inhærentem non sine gemitu ità compellat; O Decus omnis pulchritudinis & flos ætatis, quid insano

Induit habitum monasticum Albertus.

Dæmon sub specie formosissimæ mulieris ei insidiatur.

insano & stulto labore pondus humeris tui lõgè impar tollere conaris? Quid asperum hoc & acerbũ vitæ genus subire, & in sordibus perpetuò permanere decreuisti, quæ in fine, & insignem ignominiam, & salutis ruinam, dum resilire cogeris, parient? An nõ satius esse existimas, vna mecum, quæ tui amore tota occupata sum, sacro matrimonij fœdere copulari, & procreãdis instituendisque liberis operam dare? Redi igitur ad paternos lares, & bonis mecum summa cum securitate & felicitate perfruere. Has voces fraudis & insidiarum plenas ilicò sentiẽs Christi seruus, signo sanctæ Crucis se cõmunijt, & tortuosum serpentem, humanam speciẽ mentientem, in flammas abire præcepit; atque ita fugato dæmone, multò se alacrior ad subeundos pœnitentiæ labores accinxit.

Crucis signo procacẽ fugat dæmonẽ.

Professionẽ facit.

Igitur euoluto anno, palàm se monastica professione obligauit, vitamq; adeò seuerè & sanctè instituit, vt parùm aut nihil è priscis illis eremi incolis discrepare videretur. Neque tamen propria sanctimonia contentus fuit, sed & infideles Iudæos concionum suarum radijs mirificè illustrabat, plurimosq; ex illis ab impia superstitione ad sanctissima Christi sacra traducebat. Cùm ad Messanam vrbem sacerdotio initiãdus, inuitus planè, indignum omninò se tanto ministerio censens, missus esset, mox eadem in vrbe haud vulgari admiratione digna miracula per eum Dominus perpetrauit.

Multos conuertit Iudæos.

Anno Domini 1286. aut circiter, Fridericus Dux ad Regni Siciliæ gubernacula admot' fuit; quo tempore Robertus Rex Neapolitanus Messanam Siciliæ vrbem fortissima pressit obsidione,

ne,eo consilio, vt & ciuitatẽ illã,& totũ Siciliæ regnũ suo subderet imperio.Interim dira fames obsessos in vltimam desperationem adduxerat; prorsus vt ipse Rex,omni spe defensionis abiecta,ciuitatem flammis exuri præceperat, & iam fugam in Catalonię & Castilię castra meditaretur.Tunc Albertus,importunis quorundam nobilium virorum clamoribus fatigatus,vt vrbem precibus & lachrymis defendẽdam susciperet, immaculatum Christi Iesu sacrificium cum ingenti lachrymarum vi Deo patri obtulit: & flexis humiliter genib' peracta demùm oratione, ecce in vrbis portu tres visæ triremes, quæ per medios hostiũ cuneos virtute & beneficio planè diuino in ciuitatẽ penetrârunt. Ex ijs exhausta annona fuit, & dira ciuium fames sedata;ipsæ verò momento ex oculis & aspectu omnium abreptæ,satis testatũ reliquêre, angelico ministerio eò aduectas pariterque ablatas fuisse.

Messanã vrbem precibus à perditione liberat.

Anno Domini 1295 vir Dei sacra loca Christi quondã pressa vestigijs visitabat.Erat ibi Iudęus morbo comitiali miserandum in modum obnoxius;cuius parentes, cùm nullam calamitoso filio opem ferre possent,ad Albertum venêre; Fidemq; requisiti dedêre, se à religione patria ad Christi sacra transituros, si eius virtute morbũ profligaret,& optatam filio sanitatem conferret Tum vir sanctus animarum salutis cupidus, edito Crucis signo in hominem comitialem: Expellat, inquit, à te Christus morbos omnes, si vera sunt quæ de illo prædico. Vix ea dixerat, & euestigiò homo ab infesto morbo curatus integerrimè, Christo nomen dedit virumque beatum secutus est: & parentes pariter lustralibus

Visitat terrã sanctam.

Miracula quædã eius.

Sanat Iudæũ comitialem in vtroque homine.

libus expiati aquis, abiurata perfidia, fidê Christi amplexati sunt. Eodem anno alios idem Iudæos insigni miraculo ad fidem pertraxit. Erant non pauci fluuium inter & montes excelsos loco perquã augusto iter agentes, subitoque exundantibus aquis, arrepti Iudæi, de vita periclitare cepêre. Aderat spectator ex altera parte fluuij Albertus, quem Iudæi, vtpote fama sanctitatis celebrem, protinùs inuocârunt, promittentes fore, vt, si imminens mortis periculum euaderent, sanctissima Christianæ religionis sacra susciperent. Tum nihil cunctatus vir Dei, siccis plantis aquas inambulans ad eos festinauit, & precibus, impetu aquarum fugato, cunctos ex illo periculo in terram eduxit, ac sacro Baptismate expiatos ad Christi fideles aggregauit. Et hæc quidem ò multis pauca virtutum miracula, quibus miserè errantes mortales ad læta Christi pascua traduxit. Aliæ sunt penè innumeræ illius virtutes, quibus & corporum languores, & morbos exitiales, & infesta hominibus dæmonia fugauit, multisque optata sanitatum beneficia contulit.

Liberat alios à præsentissimo submersionis periculo & baptizat.

Fugit celebritatem, & latet in tugurio.

Cùm autem his alijsque rebus sanè admirandis magnum honoris pondus indies ad nomen suum adijceret, vt hominum celebritatem, famamque sanctitatis euitaret, rursus Messanam contendit; vbi vili quodam in tugurio sese abdidit, & ab omni hominum consortio remotus, reliquum vitæ tempus in precibus & rerum cælestium commentationibus exegit. Cernens autem instare tempus, quo ad cælestem patriam euocandus erat, conuocatis fratribus prophetiæ spiritu obitûs sui diem indicauit, aitque:

aitque: Eodem ipso die, quo spiritus meus è carnis ergastulo liberabitur, soror mea pariter mecum emigrabit. Aberat illa ducentis sexaginta & amplius milliaribus; compertumque posteà est, vera Albertum vaticinatum esse. Ad eius obitum, quem non sine magno animorum dolore & copioso lachrymarum imbre spectabant fratres, campana, quam ille fieri curârat, per seipsam, nullo mouente, insonuit, & odor suauissimus, ab eius corpore manans, omnium nares animosque mirificè recreauit. Quam ob rem non modò Christiani, sed etiam Iudæi, tantæ rei admiratione permoti, ad exequias confluebant.

Claret prophetiæ spiritu.

Ad eius obitum campana vltrò sonat.

Cumque sacrum corpus in ædem maiorem delatum esset, ingens confestim hominum multitudo eô confluxit; atque hi manus, hi pedes certatim exosculari; alij ægra membra applicare corpori; multi etiã vestes deuotionis ergò certatim diripere. Denique visis miraculis, quibus præclarè admodum coruscabat, singuli particulam aliquam è sacris reliquijs sibi vendicare cupiebant. Tandem cùm arcæ inclusum humandum esset, ingens lis & concertatio Clerum inter & populum exorta est, quonam Missæ officio, eóne quod defunctorum proprium est, an verò quod Confessoribus debetur, exequiæ celebrandæ essent: Clero defuncti Missam celebrandam esse dicente, contra populus tam eximia sanctitate viro Confessoris officium deberi asserebat.

Miracula ad funus eius.

En feruẽtem fidelium deuotionem.

Cælitus significatur pro illo Missam de Confessore celebrandam esse.

Tandem Vindericus Messanensis Archiepiscopus, cunctos in vota precesq; incumbere mãdauit: & ecce in aëre duo pueri amicti stolis al-

bis auroque intextis, Os iusti meditabitur sapientiam, cantandum esse, excelsa voce denuntiabant: quo miraculo sopita controuersia, diuinũ Confessoris officium mira populi frequentia & exultatione celebratum est; & Rex, qui cum Archiepiscopo exequijs intererat, illicò opera & impensis regni, Sanctorũ catalogo virum sanctissimum inserendum curauit. Eodem ipso anno, præter alia quæ apud arcam viri sancti contigêre miracula, Sacerdos quidam, stimulante inuidia, palam meritis & innocentiæ vitæ eius derogabat, & falsa atque commẽtitia esse exclamabat, modisque omnibus mentes populi à reuerẽtia & cultu viri sancti abducere conabatur. Et ecce eodẽ planè momento, quo verbis venenatis vitam Alberti summam in inuidiam vocare contendebat, disrupto ventre, viscera & intestina maligni, eius in genua prolapsa sunt. Qua plexus pœna, ilicò ad mentem redijt, agnitoque scelere, deuouit se deinceps Albertum festiuo celebraturum gaudio, si sanitatem obtineret. Proximo die, prima luce, sensit sacerdos blasphemus adesse Albertum, oleoque suum perungere corpus; ex quo mox sanitate adepta surrexit incolumis, cunctisque pro concione, & insanæ mentis suæ blasphemias, & collatum ab Alberto præter meritum beneficium non sine lachrymis exposuit. Sunt & alia haud cõtemnenda sanè miracula, quæ nos propositi memores omittere cogimur. Vnum adhuc illud ad terrorem sacrilegorum nostri temporis addidisse sufficiat, quod testibus veritatis clarissimis innititur.

Canonizatur.

En vltionem diuinam in virum sanctũ blasphemantem.

Pœnitens sanatur.

In Drepanensi castro quidam taxillarum lu-

su rem

ſu rem ſuam omnem tanto animi dolore perdiderat, vt deſperatione fractus huc illuc circũcurſaret, ac tandem ad beatiſſimæ Virginis & S. Alberti imagines veniret. Eas vultu admodũ toruo intuitus, tandem ait; Toties te, ô Alberte, inuocaui, & ſemper mihi durus aures occluſiſti, neque vllam extremis neceſſitatibus meis vnquam conſolationem attuliſti. Et tu Maria, quæ mater gratiæ diceris, quæ hæc tanta tua eſt crudelitas, vt ſemper inuocantem te repellas. His dictis, arrepto gladio vtriusque imaginem diſſecuit; è quibus mox ſanguinis riui copioſè defluxerunt. Ea res puero procul ſtanti vt innotuit, ſublato in ſacrilegum clamore turbas ciuit; ſed homo ille nefarius vix templi limen prætergreſſus, fulminis ictu proſtratus eſt, animamque infœlicem reddidit. *Præclarum miraculum.*

CERTAMEN S. VICTRICII MILITIS; poſtea Epiſcopi Rothomagenſis; quod ſubijt anno Salutis 362. ſub Iuliano Apoſtata Imperatore: Ex ijs quæ S. Paulinus Nolanus, in epiſtola ſecunda ad ipſum ſcripta præclarè replicat. Adſcribitur hic, in tabulis Epiſcoporum Rothomagenſium, ordine octauus. Claruit in Epiſcopatu Anno Dom. 404. ſub Innoc. Papa. *Vide Tomo 4. & 5. Annal. C. Baron. & Notat. in Martyrol. Romanum.*

GRATIA illi & gloria, qui opera manuũ ſuarum nunquam omittens, omnem hominem ad veritatis agnitionem vult venire. Sed quibus te itineribus omnipotens ille & miſericors ad viam ſuæ veritatis adduxit, ô Victrici? Carnalibus munijs ad ſpiritalia ſuæ virtutis inſtituens, creauit initiò mil tem, 7. Auguſt. 1. Timoth. 2.

quem postea elegit antistitẽ;& passus est te militare Cæsari, vt Deo quandoq; militare discerres;vt dum labore castrensi corporis robur exerces, spiritalibus te prælijs roborares. Quod diuinę prouidentiæ circa te fuisse consilium,ingens postea exitus tuus à malitia,& ingressus ad fidem,docuit.Cùm primò Christi amore accensus,per insignem cõsilio militari diem progressus in campũ es, toto illo, quem iam antè mẽte respueras,muniminum bellicorum præcinctus ornatu,cunctis admirantibus accuratissimos in te habitus ac terribiles apparatus, repentè obstupefacto conuersus exercitu, ante pedes sacrilegi Tribuni militiæ sacramenta,arma,inquâ sanguinis abiecisti,vt armis pacis indutus Christum profiteris. Et ilicò antiqui serpentis inuidia concitatus in furias Tribunus, districtis te verberibus mactauit,vastisque fustibus fractum sanguinolenta sumere arma voluit. Sed tu,qui Crucis ligno innitebaris, nunquid fractus succubuisti? Imò mox acuto testarũ fragmine corpori substrato,geminata pœna exultasti,& percussorem tuum carnificem sacra victima sequẽdo,quanta in Christo tibi fiducia reposita erat, egregiè declarasti. Sed ô ineffabilis Christi bonitas,quanta tu benignitate, quanto amoris affectu tui amantes prosequeris. Carnifex mente furibunda ceruicem tuam insultans violare conabatur, & is ilicò cæcitate percussus,non modò ceruicem sed nec ipsum quidem gladium inuenire poterat.

Victricius primo miles inde antistes.

S. Victricius proijcit arma militiæ ad pedes Tribuni.

Acerbissimè verberatur.

Carnifex cũ ferire volẽs, cæcitate percutitur.

Sed ideò ille cæcitate percussus est, vt multi illuminarentur;& ipse etiam,qui oculos carnis amiserat, lumina mentis acciperet. Quid interim?

terim? Ferrea, quibus constrictus tenebaris, vincula, diuina virtute disrupta sunt, & catenæ, stupescentibus ministris, liquescentis ceræ instar de manibus tuis defluxerunt. Quo miraculo satellites turbati, ad Comitem pauidi cucurrerũt, & stupendam meritò virtutem retulerunt. Et quid Comes? Mox, qui persecutor Christi inprimis extiterat strenuus, factus est eiusdẽ prædicator egregius: prorsus, vt quos sæuiens prædamnârat vt reos, laudans ilicò emitteret vt sanctos. Sunt hæc, ô Victrici, Victricia sanctitatis tuæ signa, quibus & inimicum conculcasti, & Christi inimicos potenti virtute, Christi tamen gratia, à perfidia & scelere ad vitam salutis traduxisti.

Ferreæ martyris vincula rumpuntur.

Comes conuertitur ad Christũ, & vinctos omnes dimittit.

MARTYRIVM SS. CYRIACI ET SISINNIJ diaconorum, ac sociorum. Item certamen S. Marcelli Papæ; Ex ijs, quæ habentur in V. P. Surij Tomo 1. Passi sunt circa annum Domini 303. & 309. sedente Marcellino & Marcello Roman. Pontificibus, sub Maximiano & Maxentio eius filio.

Vide Tomo 2. & 3. Annal. C. Baron.

8. Augusti.

MAXIMIANVS cum de partib. Africæ Romã redijsset, vt summã apud Diocletianum Augustum iniret gratiã, statuit nomini eius thermas ædificare; qui honoris titulus magno apud gentes in precio erat. Itaque cùm vndiq; operas cogeret, inueterato quodam in Christianum nomen odio, milites omnes tam Romanos quàm exteros Christianos ad laboris afflictionem cõpulit, locaq; per varia, alios fodiendæ arenæ, alios portandis lapidibus

Maximinianus Diocletiano thermas ædificaturus Christianos dirè afflixit.

deputabat, damnabatque. Quo tempore fuit quidam eximiæ pietate vir, idemque potens & opum diuitiarumq; existimatione facilè princeps, Thrason nomine, qui, visa iniqua Christianorum conditione, nullis neque sumptibus neque laboribus pepercit, quo sanctis martyribus succurreret, eorumque afflictiones rebus vitæ degendæ necessarijs subleuaret. Eam in rem insigni virtute Christianos qnatuor, Sisinnium, Cyriacum, Smaragdum & Largum constituit, qui alijs grauissima seruitute oppressis cuncta administrarent. Eadem tempestate Romanæ Ecclesiæ præerat Marcellinus, qui audito egregiæ pietatis charitatisque eorum studio, Cyriacũ inprimis & Sisinnium ad se accersijt, eosq;, inito consilio, Romanæ Ecclesiæ diaconos ordinauit; vt deinceps nõ corporis tantũ sed & animæ cibum fidelibus ministrarent. Interim illis die noctuq; in opus sedulò incumbentibus, accidit vt nocte quadam, alimonijs deferendis onusti, impiorum insidijs circũuenti in carcerem abriperentur, atque inde mox diriſſima cum alijs seruitute damnarentur.

Thrason Christianus insignis.

Marcellinus Papa, Sisinnium & Cyriacum diaconos ordinat.

Cyriacus & Sisinnius dãnatis associãtur.

Erat inter alios Saturninus quidam, deuexa planè ætate vir; qui cùm frequenter oneri succumberet, Cyriacus & Sisinnius hominis ætatẽ vehementer miserati, illius onera suis ipsi humeris imposuêre, suasq; nihilominùs sarcinas Christi adiutorio, alacritate incredibili deferebant; & inter labores oneraq; grauissima pia admodum cantica & hymnos & psalmos Christo concinebant. Ea res cùm magnam operum magistris admirationem commoueret, illicò Maximiano Augusto retulerunt, Sisinniũ & Cyria-

Cyriaci alacritas.

Cyriacum laboribus non modo fatigari, sed voces insuper letitiæ plenas depromere, & carminibus Christi nomen celebrare. Hoc audito, Maximianus Sisinnium adduci, adductumque Deo Herculi sacrificare iussit: ni mallet continuò flammis viuus exuri. At verò Sisinnius minitanti extrema quæque Maximiano respondit; Equidem nihil ardentius in votis habeo, (si tamen me tali dignatur honore Christus) quàm vt supplicijs affectus, martyrij corona redimitus excedam. Hoc accepto responso, Imperator tradidit eum Laodicio præfecto; qui eum post graues carceris squalores, diebus quatuordecim passos, suo tandem iudicio per Apronianum Commentariensem præsentari iussit.

Egregia Sisinnij constantia.

At verò is dum vinctum Christi martyrem ad tribunal adducitur, subitò cælesti quodam splendore circundatus, huiusmodi vocem auribus percepit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. A pronianus ea voce perculsus, ad pedes Sisinnij concidit: & summis infimisque precibus cæleste lauacrum flagitauit. Sisinnius præclara confessione eius, quam proferebat, vehementer gauisus, sinè mora salutari vnda eum lustrauit, lustratumque ad Marcellinum Pontificem deduxit; qui eum ad futura certamina chrismate consignauit, & viuifici corporis ac sanguinis Domini participem fecit. Ijs muniti præsidijs intrepidè ad Laodicij tribunal perrexerunt. Et Apronianus fide vehementer incensus, non exspectato iudicij ordine, exclamauit; Quid vos infestus dæmon exagitat tantis DEI seruos afficere

Matth. 25.

Apronianus ad Christum conuertitur.

Eu Chrismatis vsus antiquissimus.

Apronianus capite plectitur.

malis? Laodicius eo Aproniani clamore irritatus, ilicò eum capitalem sententiam via Salaria secundo ab Vrbe milliario subire iussit, quarto Nonas Februarias.

Indè Saturninum senem & Sisinnium diaconum carceribus mancipari iussit; qui confluentem indies magnam ad se gentiliũ turbam, salutari Christi doctrina instruebant, & sacris aquis ritè expiabant. Post dies verò duos & quadraginta, vincti catenis ad tribunal in Tellude erectum, nudis pedibus euocati sunt, allataque tripoda, dijs sacrificare iussi. Tunc Saturninus

Saturnini virtus.

zelo fidei inflãmatus, Cõterat inquit, Dominus deos gentium. Et continuò tripoda ærea instàr luti soluta est. Quo miraculo Papias & Maurus egregij milites exclamarunt; Verè Dominus Iesus Christus Deus est. Laodicius ea militum cõfessione turbatus, Saturninum & Sisinium in eculeo sublatos fustibus & scorpionib⁹ atrocissimè mactari præcepit. Ea supplicia non ferentes milites, Laodicium impietatis cõstanter redarguerunt; qui ora eorum lapidibus contundi, ac tandem in carcerem abduci iussit; martyres verò in eculeo pendentes lampadibus aduri, atq; postremò toto corpore fœdè laceratos, via Nomentana secundo ab Vrbe milliario capite trũcari; quorum corpora Thraton cũ Ioanne presbytero, in prędio suo via Salaria sepeliuit, 3. kal. Decemb.

Papias & Maurus credunt.

Sisinnius & Saturninus decollantur.

Post dies verò duodecim, fuêre Papias & Maurus, iam aquis salutaribus ritè à Marcellino Pontifice expiati, in circo flaminio, præfecto Laodicio oblati; qui, comperta eorum in Christi fide constantia, humi prostratos, primum

Papias & Maurus perimuntur.

mum fustibus, inde plumbatis tamdiu mactari præcepit, donec Christo spiritum traderent; quorum corpora, noctu, Ioannes presbyter, via Nomentana, quarto Kalendas Februarias ad Lymphas beati Petri reuerenter condidit. Hæc vt Maximiano nunciata fuêre, furore succêsus, Cyriacum, Largum, Smaragdum & Crescentianum, Carpasio vicario suo excarnificandos tradidit. Qui adductos in Tellude martyres, primò verbis multis ad deorum sacrificia inuitauit. Sed cum inuictum fidei robur, neque verbis labascéret, neque minis cederet, Carpasius Cyriacum scommate petens, Efficiam, inquit, Cyriace, vt cana illa tua senectus modò iuuenis appareat; simulque liquata pice venerandum diaconi caput perfundi iussit. At Christi seruus nihil eo supplicio commotus: Gloria, inquit, tibi Christe, qui nos seruos tuos tali honore afficere dignaris. Cumq; alij pari constantia Christi numen collaudarent, Carpasius sublatum in eculeo Crescentianum, spectantibus alijs, fustibus & vnguibus laniari iussit, flammisque ad latera eius admotis, tam vehementi supplicio rum atrocitate martyrem vrsit, vt inter certamina spiritum redderet. Fuit ipsius corpus à Ioanne presbytero, ipsa nocte, in cœmeterio Priscillæ via Salaria octauo Kal. Decembr. sepultum.

Pice liquata perfunditur Cyriacus.

Crescentiani martyrium.

Inde post dies quatuor reliqui ad certamen euocati sunt. Et primò quidem Cyriacus in cataste extensus, neruisque attractus, & fustibus cæsus est. Sed Christi martyr ijs supplicijs non modò non fractus est, sed præclarum adeò inuicta animi virtute de hoste triumphum age-

Rursus torquetur Cyriacus.

bat, vt Maximianus, præcipiti furore agitatus vinctos omnes vnà cum Cyriaco capitis damnaret: ne maiorem ex eorum constantia ignominiam acciperet; Fuêre omnes numero viginti, qui capitis truncatione martyrij palmam via Salaria intra thermas Salustij adepti sunt. Quorum funera Ioannes presbyter insita pietate eadem via condidit. Porrò S. Marcellus Papa octauo à peracto certamine die, cum Lucina insigni religione matrona, eadem sanctorum corpora indè sustulit: atque septimo ab vrbe miliario via Ostiensi in lapideos sarcophagos honorificè transtulit 6. Idus Augusti.

Maximianus Cyriacum cũ multis aliis capitis damnat.

Ceterùm * eo tempore, quo Maxentius, Maximiani filius, Romæ tyrannidem occupârat, beata Lucina, rebus omnibus & facultatibus sanè ampliſſimis Ecclesiæ donatis, postremò domum suam Marcello diuino cultui sacrandam obtulit. Quod singulari deuotione sanctissimus Pontifex peregit, frequenterque eadem in domo Missæ sacrificium celebrauit, & rem Christianam egregiè auxit. Sed cum in ciuitatis meditullio, via Latina, ecclesia illa sita esset, non potuit ea res latere Maxentium; qui cùm odio in Christianos æstuaret vehementissimo, ecclesiam mox impiè profanatam in iumentorum conuertit stabulum: ipsumque Pontificem Marcellum eorundem animalium seruitijs cum custodia publica deputauit. Vbi vir sanctissimus & summis pontificij summi honoribus decoratus, cũ semel indè à Clericis esset ereptus, ac rursum ab impijs in illud retractus, post annos multos iumentis seruiendo beatum Deo

* *An. Domini 309.*

S. Marcellus seruitiis iumentorum deputatur, & moritur.

Deo spiritum tradidit decimo Kalend. Februarij. Cuius Funus à Iohanne presbytero & beata Lucina in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, tertio ab Vrbe milliario cum aromatibus curatum fuit.

MARTYRIVM SS. SECVNDIANI, Marcelliani & Veriani, ex eo quod est per V. P. Laurentium Surium, ex antiquis monumentis. Passi sunt circa annum Domini 253.

Vide 2. tom. An. C. Bar.

DECIO Cæsare, & Valeriano præfecto, atrox sanè Christianorũ fuit persecutio. 9. Augusti. Erat tunc togatus quidam Secundianus nomine, vir cùm laudibus eloquentiæ ornatissimus, tùm disciplinarum omnium cognitione tam præclarè instructus, vt viris inprimis illustribus eximè charus esset. Cùm autem à consilijs esset Valeriano præfecto, & inter honoratos omnes principem facilè locum obtineret, cogebatur cum ipso Præfecto & Christianos subuertere, & alios similiter ad subuertendum incitare. Quodam verò die intentissima mentis cogitatione voluere cœpit, quo præmio vel qua spe adducti Christiani, pro Christi nomine vitam tot supplicijs ac morti acerbissimæ libenter obijcerent potius, quàm quòd, abiurata fide Christo semel data, omnibus huius mundi bonis affluere mallent. Vtque accuratius ea de re philosophari & ad veri cognitionem peruenire posset, acciuit ad ædes suas Marcellianum, quòd is & minimè vulgari sapientia præditus esset, & animo in Christianos adeò acerbo, vt & ipsum nomen valdè ei exosum esset.

Secundiani insignis eruditio.

Secundiani & Marcelliani philosophia.

esset. Itaque cum summa vtriusque animi voluptate philosophari cœptum esset, & varia ex Homero & Virgilio loca adducerentur, tandē Secundianus, Quæso te, inquit, omissis istis ambagibus, redeamus ad simplicis doctrinæ consultationem. Scisciante verò Marcelliano, quam ille diceret simplicis doctrinæ consultationem; Videamus, inquit, de Christianis, quæ res tanto illos ardore ad mortem pro Christi nomine oppetendam impellat. Atque hoc, inquit Marcellianus, tu non semel ex eorum responsis intelligere potuisti: qua spe & charitate inflammati vitam hanc abijcere potius, quàm tueri maluerint. Tum Secundianus; Aiunt illi resurrectionem futuram & iudicium post mortem, vitamque immortalem, omnis doloris expertem, ac bonis denique omnibus mirificè affluentem. Christus verò, quem illi colunt, execratur idola, ac lege cauit, omnibus æterna supplicia apud inferos constituta esse, qui simulacra colerent. Porrò Christum verum Dei filium esse, nouisti opinor mecum, luce meridiana clarius, ex historiographis Matthæo & Luca; qui affirmant eum cæcos illuminasse, leprosos mūdasse, mortuos excitasse, ipsosque dæmones eum filium Dei confessos esse. Iam verò in Crucem quidem actum & supplicia perpessum fuisse, sed vt sui corporis supplicijs & morte sponte susceptа, nos à supplicijs & morte sempiterna liberaret. Nam triduo à morte eum redivivum surrexisse, imò & manducasse, atque glorioso triumpho post dies aliquot cælos conscendisse testantur, Hæc sanè de nostris dijs nunquam vel audita, vel visa fuêre; quos cer-

certum est multis flagitijs coinquinatos vitam egisse.

Marcellianus auditis tam luculentis Secundiani rationibus, protinùs eius in sentẽtiam manibus, quod aiunt, pedibusque concessit: & eadem hora Christianam fidem syncerè amplexati sunt. Cùm autem hæc & his similia inter se conferrent, fortè adfuit Verianus, communis vtriusque amicus; qui, audita eorum disputatione, de æternæ vitæ bonis pariterque supplicijs, Equidem, inquit, quod æternum est, vobiscum summa cõtentione inquirendum statuo; Eadem hora Timotheum presbyterum de titulo Pastoris, egregia & eruditione & pietate virum, accersiêrunt; qui existimans se ad martyrij certamen ineundum vocari, alacriter adfuit: primoque ad illos ingressu, pacem illis de more precatus est. Tum Secundianus, ilicò se ad sancti viripedes abijciens, cum lachrymis baptismum flagitauit; quem pari pietate & ardore secuti Marcellianus & Verianus, mox catechesi instructi, salutari lauacro expiati sunt, ac deindè à Fabiano Pontifice confirmationis sacramento contra futura certamina muniti. Illi verò percepta Christi gratia, incredibili gaudio exultantes, suas confestim facultates in pauperes erogârunt.

Credunt in Christũ post multas ratiocinationes.

Item Verianus.

Baptizãtur.

En Cõfirmationis Sacramentum.

Intereà Valerianus præfectus, de Secundiani religione ac pietate certior factus, literis peramanter datis, eum ad consilia & necessaria Reipublicę negotia enocauit. Quibus lectis, Secundianus conuersus ad socios, Iam, inquit, ô fratres tempus est, quo ad certamen euocamur; Ponamus metum omnem, armisque communiti, constan-

Valerianus præfectus aduocat Secũndianum.

constanter cum hoste congrediamur. Ego solus ad Valerianum ibo; vos, si ita videtur, maturè vobis consulite. Respondêrunt illi; Nequaquàm ita decet, sed vnà nobis tecum sit salus.

Valeriani ad Secũdianum oratio.

His ita constitutis, primo diluculo tres illi gregij Christi athletæ ad Salastij palatium, vbi tunc Valerianus cum Decio erat, contenderunt. Sedebat tum fortè præfectus in Asclepij basilica; qui Secundianum cælesti quodam lumine fulgentem intuitus sic compellat; Vir eloquentissime & artium omnium peritissime, ecquid ego de te audio? Itane mentis inops factus Christianorum dementiam amplexatus es? Cui Secundianus præclarè sanè respondit; Ego hactenus profundissimis ignorantiæ tenebris immersus, iam demùm sapientiæ lumen aspicere merui. Vestra namque sapiẽtia stultitia est, & Christianorum stultitia æterna Dei sapientia est. His alijsque eius pijs rationibus auditis, Valerianus ilicò martyrem ad carcerem abduci præcepit.

Ducitur ad carcerem.

Quo abeunte, Marcellianus & Verianus exclamárunt. Quid est, quòd hominem innocentem carceris damnatis? Quod si Christianę fidei professio causa est, & nos Christiani sumus. Igitur & illis pariter iniecta vincula, & eodem ergastulo concluſi sunt.

Egregia Marcelliani & Veriani confessio.

Deindè causa eorum ad Cæsarem delata est; qui furore incensus iussit eos Centumcellas in exilium deportari, ac *Promoti viri Consularis potestati permitti; qui eos sacrificare recusantes, multiplici cruciatuum atrocitate interimeret. Ducti ergo à militibus & Promoto traditi, fuêre post breuem carceris squalorem, in foro pro tribunali statuti, vt Saturni simulacro thura incen-

*al. Quadrati & Quarti.

incenderent. At verò Christi martyres vna voce constanter professi sunt, se deinceps nunquam dæmonibus, sed Christo æterni Patris filio sacrificaturos, & corpora sua libenter ei hostiam oblaturos. Tunc confestim expoliati, grauiter fustibus cæsi sunt; sed ea inter supplicia, martyribus Christi potentiam laudantibus, & vota numini eius magnificè nuncupantibus, idolum graui lapsu contritum est.

Cædũtur fustibus martyres.

Ea re Promotus vehemẽter exasperatus, sublatos in eculeo martyres, vngulis radi ac flãmis torreri iussit. Ibi tum rursus Christi virtus, quę à martyribus assiduò celebrabatur, apparuit. Nã & carnificum vnus, subita oppressus morte concidit, & reliquia dæmonibus arrepti, clamore valdè miserabili martyrum sanctitatem fateri cogebantur. Promotus verò in furorem conuersus, capitis sententia eos damnauit, corporaque 62. ab vrbe milliario in fluctus maris præcipitari iussit. Eadem verò nocte, quidam egregius Christi seruus, Deodatus nomine, è maris littore ea abstulit, & eo quo par erat honore sepulturæ mandauit.

Plectuntur capite.

MARTYRIVM SS. POLYCHRONII, Episcopi Babylonis, Parmenij Presbyteri ac sociorum, quod consummârunt Anno Dominici Natalis 254. Sede vacante, Decij Imp: 2. Ex ijs quæ habẽtur apud V. P. L. Surium in præambulis S. Laurentij.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baron.

10. Aug.

DECIVS ingentem illam, Mercurij hominis Christiani ope, de Persis consequutam victoriam, scelerata planè mente dijs

Iuxtà Martyrologium verò Rom. 17. Februar.

dijs acceptam ferens, in Christianos eorú contemptores atrociùs desæuijt. Cum igitur celebri hac victoria elatus, eos curiosè curasset inquiri, inter cęteros Polychronium Antistitem, cum Parmenio, Elima & Chrysotelo presbyteris, Diaconis Luca & Mucio, virisque nobilissimis Maximo & Olympiade, comprehendit, ilicoq; ad sacrificandum idolis impulit. At Polychronius caput & ductor aliorum, pro omnibus tale responsum dedisse fertur. Nos Domino nostro Iesu Christo nosipsos offerimus, dæmonibus verò & idolis manufactis nunquam nos submittimus. Eo responso ad furorem prouocatus, martyres quidem in custodiam trudi, Saturno verò templum in vrbe Babylonia magnificum sanè ædificari præcepit. Quo perfecto, vinctos Christi martyres denuò sibi oblatos, ad immolandum Saturno compellere aggressus est. Et quidem primò, sic ore sacrilego Polychronium antistitem affatus est; Tunè es ille sacrilegus Polychronius, qui & principum iussa obseruare contemnis? Antistes verò, intenta mentis cogitatione cum Deo agens, ne verbum quidem, semel iterumque rogatus respondit. Qua re commotus Decius, En, inquit ad reliquos, Princeps vester obmutuit. Respondit ei Parmenius; Nequaquam ita est; sed prudẽter admodum is præcepto Domini nostri Iesu Christi se gerit, ne os sanctum, quod à Creatore purgatum est, verbis polluat superfluis. Neque enim decet sanctum dari canibus, & margaritas obijcere porcis, ne pedibus eas conculcẽt, & conuersi nos elidant. Tunc Decius, Itanè, inquit, nos canes sumus? Simulque iratus vehementer, Parmenij linguam præcidi

Polychronij constantia.

Matth: 7.

præcidi iussit. At verò Parmenius præcisa lingua exclamauit; Ora pro me beate Pater Polychronij; video enim os tuum signaculo S. Spiritûs munitum esse. Porrò Decius admiratione defixus, Polychronium diuinis rebus spiritu vehementer intentum, & responsum dare recusantem lapidibus cõtundi iussit; qui sublatis in cælum oculis, dum sacrum eius os repetitis lapidum ictibus frangeretur, spiritum Deo tradidit. Cuius corpus eadem nocte, duo subreguli Abdon & Sennes, occultè Christiani, iuxtà mœnia vrbis Babyloniæ sepeliêrunt. Decius verò Cordubam proficiscens, cęteros catenis vinctos secum abduxit.

Parmenius præcisa lingua loquitur.

Polychrõnius excedit è viuis.

Vt autem Cordubam ventum est, ilicò ad sacrificia euocati martyres, constanter negârunt se idolis & impuris sceleratisque hominibus honores oblaturos. Tunc Decius omnes in eculeo sublatos neruis distendi, ardẽtibus laminis ad latera eorum admotis torreri, ac vngulis atrociſſimè lacerari præcepit. Postremò cum omnes in supplicijs inuictos, ac Parmeniũ præcipuè elinguem, cæteris animum luculẽtis sermonibus addere cerneret, de eculeo depositos capitis damnauit; Quorũ corpora præfati Subreguli noctu, suo in prædio iuxta Cordubam condiderunt.

Parmenius & socij decollantur.

PRAECLARVM CERTAMEN SS. Abdon & Sennes, nobilium persarum, quod Romæ viriliter compleuêre, Anno Salutis 254. Sede vacante, Decij Imperatoris 2. Ex ijs quæ extant apud R.P. Surium in præambulis S. Laurentij.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baronij.

10. Aug. *Iuxtà Martyrologium Roman. 30. Iulij.*

CVM post præclaram illam in Persidę obtentam victoriam, Decius Imperator, quamplurimos quos ibidem inuenerat Christianos, atrocissimis, necasset supplicijs, Romam tandem rediens, duos subregulos Abdon & Sennen, quos quòd corpora cæsa Christianorum colligerent ac in suo prædio reconderent compræhẽsos, in suam seruârat gloriam ac Romani populi spectaculũ, catenis vinctos secum ad Vrbem abduxit. Quò cum post menses 4. veniisset, conceptum in Christianos odiũ omni tyrannide exprompsit, & imprimis præfatos Christi athletas, præsente Senatu ad certamen euocauit. Aderant illi auro quidem & lapidibus pretiosis, vtpotè subreguli, ornati, sed catenis vincti. Porrò splendebat ex vultu eorum fulgur quidem, haud dubiũ diuinæ virtutis indiciũ; adeò vt Senatus molestissimè ferret, viros tam pręclaros, & regia dignitate conspicuos ad supplicia euocari. Decius verò, allato per Claudium Capitolij Pontificem tripode, blandis admodum verbis & promissis ampliſſimis, ad Dijs sacrificandum eos inuitauit. At illi animis planè inuictis in cõfessione Christi perstitére, vndè furore acrius incensus, Valeriano præfecto seuerè mandauit, vt atroci vindicta martyres puniret, ac suppliciorũ immanitate reliquis qui in vrbe erant Christianis terrorem inferret.

Abdon & Sennes tentantur blanditijs à Decio.

Mox igitur Valerianus nudatos Christi martyres, furibundus ad Solis simulacrum, iuxta amphiteatrum, adduxit: præcepitq; militibus, vt eos ad thura Dijs cremanda compellerent. At illi, eiecto summũ per contemptum in simulacrum

lacrũ ſputo, dixerunt Valeriano; Iam fac quod facturus es. Tum Valerianus ilicò plumbata expediri, ijſq; atrociſſimè cæſos martyres in amphiteatrum introduci præcepit, vt ferarum laniati morſibus, mẽtis eius furorem crudeli ſua morte extinguerent. Sed vt martyres, expreſſo crucis ſigno & Chriſti nomine fidenter inuocato, amphiteatrũ ingreſſi ſunt, ilicò feræ (erant autem Leones duo, & vrſi quatuor) ouina pluſquàm manſuetudine ad pedes ſanctorum rugiẽtes ſe demiſerunt; & quod maiorem admirationem habet, contra tyranni furorem impetumque, eos aliquamdiu mirabiliter tutati ſunt. Tãdem verò iuſſu Valeriani gladiatorum ictibus in ipſo amphiteatro trucidati, ad Solis ſimulacrum propè amphiteatrum proiecti ſunt; vbi ad Chriſtianorum terrorem, tribus diebus, totidemq; noctibus corpora eorum iacuêre. Tertia verò nocte, Cyrinus ſubdiaconus, cuius ædes amphitheatro admodum vicinæ erant, ea collegit, & in arca plumbea, domi ſuæ honorificè condidit, 3. Calend. Auguſti.

Damnantur ad beſtias.

Nihil ab iſtis læduntur.

Necantur.

Latuêre autem horum ſanctorum corpora ad vſque tempora Conſtantini, quo imperante diuinitùs reuelata ſunt: & ea à Chriſtianis in cæmeterium Pontiani ſummo cum honore tranſlata.

Diuinitus reuelantur eorũ corpora.

INSIGNE MARTYRIVM SS. SIXTI Papæ; Itẽ Laurentij, Primarij eius Diaconi: Quod inuicto conſummârunt animo, Anno à Chriſti Incarnatione, 261. Valer. & Gal. Impp. 7. Ex iis quæ extant apud V. P. Laurent Sur.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baron. & Not. ad martyr. Rom.

10. Aug. *S. Sixtus Athenienſis.*

BSIXTVS, Athenis quidem oriundus, cum magnum & præclarum ſanè eruditionis ac philoſophiæ theſaurũ indefeſſo labore ſibi comparaſſet, poſteà Chriſti diſcipulus effectus, ſtrenuam cumprimis, cum fructibus minimè pœnitendis in vinea Domini nauabat operam. Meruit is deinde eximia vitæ ſanctitate ſummos illos ſummi Pontificij honores, ad quos, Stephano Papa, martyrio coronato, euectus fuit, anno Domini 260. vigeſima quarta die menſis Auguſti, Valerij & Gallieni Imper. anno ſexto. Is cùm die noctuque tanquàm Paſtor optimus ſumma vigilantia cõmiſſum ſibi gregem regeret, & pabulo diuini verbi aſſiduò paſceret, multaque ſanè pro Eccleſiæ ſalute faceret, quæ excellentem vitæ illius ſanctimoniam in oculis & conſpectu omnium proponerent, fuit tandem iuſſu Valeriani cum Clero penè vniuerſo in vincula coniectus; vbi vir ſanctiſſimus ſuos luculentis ſanè ſermonib⁹ aſſiduò ad certamen viriliter & cõſtanter obeundum hortabatur. Aliquo deindè temporis ſpatio interiecto, fuit ad fanum Martis euocatus, vt idolis ſacrificaret, vel certè recuſans ſupplicia ſubiret. Adhærebant ei diaconi duo Feliciſſimus & Agapitus egregia pietate viri, qui Sixtum admiranda conſtantia idola reſpuentem, & à tẽplo Martis ad Mamertini cuſtodiam iuſſu Valeriani tendentem, ſequebantur.

Sixtus quando Pontifex creatus.

Feliciſſimus & Agapitus diaconi.

Hæc Ambr. lib. 1. officiorum cap. 41.

Interea beatus Laurentius Archidiaconus, vt primùm certior eſt factus, Pontificem ad cuſtodiam cum alijs Diaconis reduci, ilicò cæteris neglectis accurrere, & his eum verbis compella-

pella-

pellare; Quò progrederis sine filio pater? Quid in me displicet paternitati tuæ? Nunquid degenerem probasti? Experire certè, vtrum idoneũ ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummando-rum consortium sacramentorũ credidisti, huic sanguinis tui consortium negas? Vide, ne periclitetur iudicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli, detrimentum est magistri. Quid? quot illustres præstantesque viri discipulorum certaminibus magis, quàm suis, vincunt? Denique Abraham filium obtulit; Petrus Stephanum præmisit; & tu pater ostẽde in filio virtutem tuam, & offer quem erudisti, vt securus iudicij tui, comitatu nobili peruenias ad coronam.

Egregia S. Laurentij fortitudo, & magnanimitas.

Genes. 22. Actor. 7.

Tunc Sixtus; Nõ ego te fili desero, neque derelinquo: sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes, leuioris pugnæ cursum recipimus: te quasi iuuenem manet glorioſior de tyranno triumphus; mox venies, flere desiste, post triduum me sequêris; inter sacerdotem & Leuitam medius hic numerus decet; non erat tuũ sub magistro vincere, quasi adiutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? totam tibi hæreditatem eius dimitto. Quid præsentiam meam requiris? infirmi magistrum discipuli præcedunt, fortes sequuntur; vt vincant sine magistro, qui iam non indigent magisterio. Sic & Elias Eliseum reliquit, sed virtutem non abstulit. Tibi igitur commendo nostræ virtutis successionem. Accipe facultates Ecclesiæ vel thesauros, & diuide quibus tibi videtur.

Sixti responsum ad Laurentium.

4. Reg. 2.

S. Laurentius thesauros Ecclesiæ pauperibus erogat.

Ea verò accepta potestate, beatus Laurentius per omnem circa regionem Christi pauperes studiosè inquirere, thesauros sibi cõmissos erogare, pedes pauperum lauare, exosculari ac profusis lachrymis rigare; denique manuum suarum contactu morbos & dolores pellere, ac cæco cuidam, cui nomẽ erat Crescentio, visum restituere. Hæc præclara pietatis & virtutis opera in vico, qui dicitur Canarius in ædibus Narcissi, & in vico Patricij in crypta Nepotiana exercuit; vbi homines promiscui sexus fermè septuaginta tres congregati erant; quibus Iustinus, à beato Sixto presbyter ordinatus, pabula diuini verbi sedulò ministrabat.

Miracula operatur.

Sixtus in Telludem ducitur.

Eo ministerio in vico Patritij sanctissimè peracto, cùm beatus Laurentius inde exiret, Sixtus Pontifex cum Felicissimo & Agapito in Telludem ducebatur, vt Senatus cõsulti auctoritate (eo enim in loco conuenire solitus erat) ad sacrificandum permoueretur. Sed cùm inuictus Christi martyr, & constantia & verborum ac sententiarum pondere, Senatus auctoritatem longè superaret ac vinceret, Valerianus eũ ad templum Martis abduci mãdauit, vt vel dijs sacrificaret vel capitis supplicio vitam finiret. Cum verò eò ventum esset, Sixtus zelo honoris diuini inflammatus ait ad fanum; Destruat te Christus filius Dei viui. Christianis omnibus dicentibus, Amen: subitò magna templi pars horrendo fragore corruit. Porrò Laurentius, incredibili martyrij desiderio inflãmatus, iterum exclamare cœpit; Noli me derelinquere pater sancte, iam enim expendi thesauros fidei

En ardens martyrij desiderium in Laurentio.

mea

meæ commissos. Tunc milites audiẽtes thesauros, vincula beatissimo martyri iniecêre: & Sixtum quidẽ cum duobus diaconibus antè fanũ Martis capite plexerunt; Laurentium verò spe thesaurorum pleni, Valeriano obtulerunt; qui eum Hippolyto cuidam vicario custodiendum tradidit.

Sixtus capite plectitur cum felicissimo & Agapito.

Ferunt tunc eadem in custodia Lucillũ quendam fuisse oculorum lumine orbũ, ob assiduã lachrymarum vim; quem beatus Leuita hortatus est, vt relicto detestabili inaniũ Deorũ cultu ad Christi sacra transiret, ac cælesti lauacro & mentis & corporis lumen reciperet. Paruit is alacriter, & spectãte Hippolyto expiatus, cum summo mentis gaudio pristinam videndi facultatẽ obtinuit. Quo sanè permotus miraculo idem Hippolytus, confestim nomen Christo dedit, & beatum Laurentium benignè habuit.

Lucillus cæcus à Laurẽtio curatur.

Hippolytus credit.

Intereà mandatur Hippolyto, vt beatum Leuitam Valeriano sistat, vt cupitos Ecclesiæ thesauros, quibus auaritia cæcus miserè inhiabat Imperator, prodat. Adductus igitur ad Valerianum martyr, bidui aut tridui inducias postulauit; quibus transactis, thesauros se productum spondebat. Acceptis itaq; triduanis inducijs, pientissimus Christi athleta ingentem vim pauperum collegit, eamque Valeriano obtulit: clara voce palàm contestans, eos esse veros Ecclesiæ thesauros, qui nunquã minuuntur. Valerianus ea re, insigni se contumelia affectum existimans, iussit protinùs martyrem suo in conspectu nudatum scorpionibus cædi. Cæsum verò grauissimè, & in CHRISTI gratia mirificè exultantem eleuauit, propositoque ob

En veri thesauri Ecclesiæ à B. Laurentio Valeriano oblati.

Cæditur Scorpionibus.

oculos omni tormentorum genere, minis eum exterrêre conatus est.

Allatæ erant laminæ ferreæ, lecti, & plumbatæ,& cardui,cæteraque sanè ad aspectũ horrenda tormenta;quæ tyrãnus eum experiri necesse esse dicebat,nisi confestim & dijs sacrificaret,& thesauros proderet.

Quid ad hæc sanctus adolescens? Num ad Imperatoriæ Maiestatis præsentiam expauit? num tormentorum immanitate antè oculos posita aut metu concidit, aut aliquantulum titubauit,aut demissa voce verbum aliquod fide sua indignum protulit? Minimè verò; sed incredibili constantia,Deo plenus, quasi antè sordidum quendam hominem astitisset,vocem illam emisit;quam mundus expauit, dæmones exhorruerunt,& Angeli in cælo demirati sunt; Infœlix,inquiens, Imperator,qui me istis machinis terrendum putas; ista mihi non arma, sed ludus; non tormenta, sed virtutis excitamenta;non gladij,sed ludicra puerorum territamẽta sunt;ista me tu miser formidare putas? Has epulas ego semper optaui, tantum abest vt illas formidare debeam.

Nota magnanimum S. Laurẽtij responsum.

Cumque Tyrannus respondisset, Dic ergo, vbi tui similes sunt, vt simul epulemini; ille contra, admiranda diuini Spiritus vi confirmatus,non minus generosè quam anteà,Non es, inquit, dignus eorum adspectibus præsentari.

Tum verò Tyrannus tanta(vti putabat) contumelia irritatus, totusq; furijs dæmonum inuectus,& in furorem conuersus, scorpionibus immanissimè Martyrem cædi iussit; vt hoc tormen-

Secundò cæditur Scorpionibus.

mentorum genere, quam aduersus eum conceperat rabiem expleret. Nec sic tamen exsatiatus, quasi parùm esset, totum Martyris corpus scorpionibus lacerum & cruentatum, sanguinisque riuos ex eo vndique fluentes cernere, aliud flagellorum genus, nempè virgarum, adhiberi iussit; quò verbera verberibus & vulnera vulneribus addita, Martyris constantiam frangerent. Qui tamen quò vehementius cædebatur, eò fortior atq; constantior reddebatur. Sed nec sic tamen Tyranni rabies & furor conquieuit. Tertium enim flagellorũ genus multo dirius, hoc est, plumbatas proferri iussit; quò videlicet sauciatum & lacerum scorpionibus & virgis corpus, plumbatæ contunderent, ossaque confringerent. Sic factũ est, vt in toto Martyris corpore nulla pars vulnere & sanguine vacaret. Cùm ergò sanctus Martyr mortem sibi iam imminere credidisset, sublatis in cælum oculis cælestem Imperatorem his verbis appellat; Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Quid ad hæc Dominus IESVS? O miranda diuinæ sapientiæ consilia. Ad hanc Martyris petitionẽ clarissima è cælo vox delapsa est, quam ipse etiam crudelis Tyrannus audiuit; Adhuc multa tibi desunt certamina. Tunc Laurentius inter atrocia supplicia nouo delibutus gaudio: Benedictus es, inquit, Domine Deus, qui tantam nobis immerentibus misericordiam impẽdis. Et nunc Domine ostende nominis tui gloriam & gratię potentiam, vt cognoscant oẽs quod tu consoleris seruos tuos.

Item Virgis & plumbatis.

Vox cælitus eum ad maiora tormenta cõfirmat.

Hæc precantem Dominus in seruum suũ fidissimus, protinus nouo spiritus robore firma-

uit,& miraculis fidem eius ſtabiliuit:& certiſſimam ſalutis & gloriæ ſpem mox futuræ oſtédit. Nam eadem hora vnus ex militibus, Romanus nomine, pulcherrimũ Angelum, qui Martyris ſanguinem ex vulneribus defluentem linteo abſtergebat, contemplatus eſt. Quo permotus miraculo ac ſanè ſtupefactus, ad Laurẽtium ait; Video ante te iuuenem ſidereo ſplendore coruſcantem,& linteo vulnera tua tergentem; ideoque te adiuro per Deum, qui ſuum ad te Angelum demiſit, ne me derelinquas. Opportunitate verò accepta, à B. Laurentio cæleſti lauacro expiatus clamare cæpit, ſe Chriſtianum eſſe. Ideoque Imperatoris iuſſu capite truncatus Chriſti martyr effectus; cuius corpus per Iuſtinum presbyterum noctu in cripta agri Verani ſepultum eſt.

Romanus miles videt Angelum, martyris vulnera curantem.

Romanus à B Laurent. baptizatur.

Porrò Valerianus, vt Martyrem ſupplicijs fractum aliquando ſuperaret, nihil non moliebatur. Eadem itaque nocte adductum ad tribunal ſuum Laurentium, totus quaſi furijs agitatus, ſic cõpellauit; Vel iam tãdem faceſſat artis tuæ magicæ perfidia,& edic nobis genus tuum. Cui Martyr excelſo admodum animo reſpondit; Quod ad genus attinet, Hiſpanus ſum; Romæ aũt nutritus & eruditus, atque à cunabulis Chriſtianus, doctus omnem legem ſanctam & & diuinã. Tum Imperator, Reuera, inquit, diuinam, quia nec deos cogitas nec torméta formidas. Rurſus Martyr; In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti tormenta tua nõ timeo. Tum verò crudelis Tyrannus, priore Martyris cruore nequaquàm exſatiatus: Sacrifica, inquit, dijs; ſin minus, nox iſta in tuis expendetur ſupplicijs.

Sanctus Laurentius Hiſpanus natione.

Cum-

Cumque sanctus Martyr hoc sacrilegum facinus & facinoris auctorem libera & constanti voce detestaretur, ignis, & craticula, & furcæ ferreæ parantur, sanctissimumq; corpus in craticula, subiecto igne, ponitur, & furcis ferreis comprimitur. Ibi tum videre licebat admirandum sanè cumprimis spectaculũ. Carnifices alij carbones craticulę subijciebant; alij ligna comportabant; alij corpus furcis fortiùs comprimebant, alij clamores in cælum tollebant; denique cuncta in conditis vocibus perstrepebãt; & ipse inprimis Valerianus instabat & vrgebat, vt saltem vel gemitum à Martyre extorqueret, quo se victum esse ostenderet.

Assatur in craticula S. Laurentius.

At verò Martyr quanquam craticulæ dirè affixus, & ardentibus prunis tostus, ad Tyrannum lætissimo vultu conuersus; An tu, inquit, miser existimas, hos mihi carbones supplicium & nõ potiùs gratissimum præstare refrigerium? Equidem nunquam iucundius cubaui, nunquam maiori me affectum gaudio in vita memini. Tu verò vnam iam partem assâsti, versa aliam & mãduca; quia iam video quod diu ardentissimè desideraui. Hæc clarissima voce pronuncians, inuictum spiritum per manus Angelorum in cælestes mansiones deportandum tradidit. Sacratissimũ illius corpus in craticula relictum Hippolytus summo manè rapuit, conditumq; aromatibus, in Crypta viæ Tiburtinæ in agro Verano sepeliuit. Iustino presbyt. multa Christianorũ frequentia exequias & triduò sacras vigilias celebrante. Quinetiã tremendũ altaris obtulit sacrificiũ, populumq; vniuersum, qui frequens ad vigilias confluxerat, eorundẽ mysteriorum participem fecit.

Cum summa constantia & fortitudine tradit spiritum.

Iustin. presbyter celebrat triduo exequias martyris.

ILLV-

Vide 2. tom. An. C. Baron.

ILLVSTRE MARTYRIVM S. SVSANnæ Virginis: Claudij, Præpedignæ & filiorum eius, & Maximi: Ex ijs quæ sunt apud P. Lam. Coronati sunt Anno ab orbe redempto 295. Caij Papæ 12. Anno verò sequenti Pater S. Susannæ Sabinius, atq; Caius Papa.

* *An. Imperij eorum 12. 11. Augusti.*

TEMPORIBVS *Diocletiani & Maximiani Augustorum, fuit Romæ presbyter quidam, eadem ciuitate oriundus, Gabinius, vterinus frater Caij Pontificis, vir humanarum diuinarumque literarum apprimè eruditus, & genere ac dignitate clarus; vtpotè ipsi Diocletiano sanguine iunctus. Huic erat filia eximia & corporis & animi pulchritudine, Susanna nomine; artium haud vulgarium cognitione à patre excellenter instructa, quam Diocletianus filio adoptiuo suo Galerio*, propter raram, quæ in virgine mirificè relucebat prudentiam, coniugem postulabat; missoque Claudio Gabinij consobrino, viro valdè nobili, instabat vrgebatque, vt quamprimum Maximianus Susannæ sacro matrimonij fœdere associaretur. Et quidem Claudius cùm mentem Imperatoris Gabinio & Caio eius fratri exposuisset, hortareturque instanter, vt magnificas adeò nuptias admitterent, Gabinius animi dubius trium dierum inducias postulauit: vt interim & filiæ suæ mentem & Caij fratris exploraret consilium.

Gabinius frater Caij Pontificis, pater Susannæ, vxore defuncta, ordinatè factus est presbyter.

* *Maximiano.*

Peculiare fuit principibus, vt quem cuperent Imperij successorē, eundem in filium adoptarent.

Diocletianus Susannam Maximiano petit vxorē.

Accita itaque Susanna à parente, præsente patruo, exposuit ei postulatum Imperatoris, vt si Spiritui sancto gratum putaret Maximianum coniugem admitteret. At verò Susanna subitò

quasi

quasi stupore oppressa pedem referre, atque vehementer mirari, vbi nam & patris & patrui sapientia esset, qui virginem parentibus Christianis ortam, & legibus diuinis à teneris imbutam, impuro dæmoniorum cultori matrimonij vinculo copulare vellent. Et ego, inquit, noui me ab ore patris mei, qui propter fidem Iesu Christi cognatum nostrum negare non timuit, ita institutam, vt seruandæ castitati & pudicitiæ studerem, quomodò igitur virili me complexu coinquinabo? Equidem corpusculum hoc meum, quod Spiritus sancti est templum Christo consecraui, neq; patiar amore humano vnquam pollui; Hoc admirandum sanè Virginis responsum non potuit non & pari & patruo lachrymas excutere, & gaudio simul incredibili perfundere, cùm cernerent teneram virginem Christi amore adeò inflammatam, & gratia S. Spiritus ita repletam, vt nihil dubitarent facilè eam minas Imperatoris superaturam. Inter ea verò Claudius multis pro officio stipatus militibus superuenit, Gabinijque ædes solus ingressus, præ gaudio in oscula & amplexus singulorum ruit. Erant enim non modò sanguine, sed & arctissima familiaritate ita inter se coniuncti, vt nulla res tanti illis esset, quam mutuo amori anteponere vellent. Igitur Claudius, post datam acceptamque salutationem, iterum imperatoris mentem eis exposuit, rogauitque peramanter, vt tanta affinitate genus & dignitatem amplificare vellent. Ad quæ Gabinius respondit, vt antè omnia virginis animum explorarent.

Susanna humanos amplexus recusat.

1. Cor. 3 & 6.

Accitam itaq; coram illis Susannam, Claudius

Susanna recusat osculũ.

dius lachrymans amplecti voluit, & peramanter oscularj; sed illa auerso protinus vultu; Noli, inquit, cõtaminare os meum, quod hactenus à viro intactum manet; Cui Claudius; Equidem charitatis affectu non libidinis amore, volui osculari te dominam neptem meam. Respondit Susanna; Non ob aliud ego recuso osculum tuũ, quam quòd os tuum idolorum sacrificijs pollutum est. Tum ille; Ecquid faciam, vt hac immunditia expietur? Cui Susanna? Crede in Deum viuum, & abiurata nefanda idolorum superstitione, Christianæ religionis sacris initiare. Claudius, Nihil, inquit, recuso, tantumne Diocletiani Augusti petitio retardetur. Tũc Caius Pontifex præsaga mente sermonem Claudij excipiens; Obsecro te, inquit, mi frater, vtere consilio meo, neque differas fusum à te sanctorum sanguinẽ digna pœnitudine redimere: scelerumque tuorum sordes salutari lauacro expiare. Si feceris, quæcunque postulas, omnia tibi præstabuntur. Eadem hora Susanna salutis eius vehementer cupida, ad Caij se pedes abiecit; obtestans nè Claudium expiare negligeret, sed confestim optatam illi salutem conferret. Hæc ea orante, Claudius, cum vera in Christum fide omnia facinora sua plenè diluenda à Caio Pontifice esset certificatus, demum credidit: achumi prostratus, & caput puluere aspersus, pariter lachrymari & scelerum suorum veniam à Deo rogare. Tunc Pontifex gaudio sanè magno perfusus Catechumenum fecit, ac salutari doctrina instructum dimisit. Ille verò domum regressus, magna animi alacritate coniugi suæ exposuit, quomodò Susannæ neptis suæ precibus,

Susanna pro Claudij salute supplicat.

Conuertitur Claudius precibus Susannæ.

à pri-

à pristino errore & idolorum cultu liberatus, ad Christi accessisset fidem; seq; ad sanctissima Christi sacra breui percipienda componeret.

Præpedigna vxor Claudij.

Eius permota sermonibus Præpedigna coniunx eius, eadem hora ad Gabinium abijt, eandemque sibi Christi gratiam profusis lachrymis petijt impartiri. Nocte verò subsequutus Claudius cùm duobus filijs Alexandro & Cuthia, sacro baptismate à Gabinio lustratus est; & vxor cum filijs, paucis post diebus per Caium Pontificem eiusdem lauacri in Christo diuites effecti sunt. Deindè omnes pariter à Caio Pontifice sacro chrismate confirmati, cælestę epulum, quo corpus & sanguis Christi Iesu continentur, percepêre. Ab eo verò die Claudius facultates suas Christianis pauperib. erogare, custodias officiosè inuisere, vincula sanctorũ laxare, & nocturno tempore magno cũ gaudio illis ministrare.

Claudius cũ vxore & filijs baptizãtur, & confirmantur chrismate.

Post mensem verò & dies sedecim, Diocletianus, misso ad Claudium Maximo Comite eius fratre, de nuptijs Susannæ certior fieri voluit. Vt autem Maximus ad Claudium, quem aduersa valetudine domi teneri fama erat, venit: vidit eum duro amictum cilicio precibus intentum, & macie ac squalore confectum, profusis lachrymis Christi numen implorantem. Qua re admiratione confixus, causam tantæ afflictionis quæsiuit. Tunc Claudius fratri totam rei gestæ seriem pandens, nocte eum ad ædes Gabinij adduxit; vt plenius cognosceret quanta in Susanna prudentia, quanta castitas, quanta denique esset humilitas. Porrò Maximus, visa Susanna, casto illius amore exarsit; atque honoris & officij ergo verecũdæ puellę manus exosculabatur.

Claudius vestitus cilicio orat assiduè.

Illa

Illa verò id reſpuebat. Interim omnibus illis Chriſti numen profuſo gaudio celebrantibus, vocatus adfuit Caius, qui iuxta Eccleſiam à ſe conſtructam, propè Saluſtij palatium domicilium habebat. Is verò, quòd ſe ad palmam martyrij vocari ſperaret, tanto cum deſiderio ingreſſus eſt, vt omnes ad illius conſpectum humi caderent. Deindè data de more benedictione, Maximus quanquam paganus, & ab eccleſiæ ceremonijs adhuc alienus, pedes tamen Pontificis ad aliorum exemplum cum reuerentia exoſculatus, aduentus ſui cauſam expoſuit; nimirum miſſum ſe ab Auguſto nuncium, vt poſtulatam per fratrem Claudium Gabinij filiam, tandem aliquandò Maximiano adduceret coniugem. At verò Caius; Puella, inquit, hæc iam Chriſto à Deo patre omnipotente deſponſata eſt: nec alium coniugem admittere poteſt. Reſpondit Maximus; Quicquid à Deo datur, ſempiternum eſt. Quin igitur, inquit Caius, & tu ſempiternã accipis vitam? ſimulque luculento ſermone de Chriſtianæ religionis præſtantia ad Maximum diſſerens, eum permouit, vt relicto errore ad Chriſti ſacra vehementer tranſire cuperet. Nec mora; Caius, indicto illi ieiunio, Gabinio fratri eũ catecheſi imbuẽdum tradidit; à quo probè inſtructus, omniaq; Chriſti ſacramenta edoctus, ab ipſo demùm Caio luſtratus eſt: & ſacro ad luctã inũctus chriſmate, corporis & ſanguinis Chriſti cum reliquis particeps effectus eſt.

En antiquam valdè conſuetudinem oſculandi pedes Pontificis.

Caius Maximum conuertit.

En antiquiſſimum vſum confirmationis.

Ab eo die omnes animis arctiſſimè coniuncti, communi domo vſi ſunt: in qua diu noctuq; Chriſti laudes concinerunt, & gaudio mirè feſtiuo diuinum numen concelebrârunt. Maximus

mus autem singulis noctibus facultates suas pauperibus erogabat, & ea pietatis opera præstabat, quæ minimè obscura nomen illius apud Diocletianum deferebãt. Porrò Diocletianus, audita rerum à Claudio & Maximo gestarum gloria, Iulio cuidam potestatẽ dedit, vt omnes, excepto Caio Pontifice, comprehẽderet, & Gabinium quidem presbyterum cum filia Susanna custodiæ manciparet: Claudium verò cum vxore Præpedigna & filijs Alexandro & Cuthia, itemque Maximum, flammis cõcrematos, ad Ostia Tyberina in aquas iactaret. Hi igitur glorioso hoc martyrio vitæ cursum absoluerunt: Illi verò carceribus mancipati sunt. Post dies verò quinque & quinquaginta, Susanna fuit Serenæ Augustæ Imperatoris Diocletiani coniugi tradita, vt eam à suscepta religione abduceret; persuaderetque vt Maximiano se matrimonij vinculo coniungeret. At Serena, quæ occultè rei Christianæ operam dabat, venientem ad se Susannam peramanter excepit: eamque in confessione Christi vehementer corroborauit. Cùm diebus pluribus eam apud se detineret, vnà simul cum ea ex Christianorum instituto, diu noctuque quæ erant Christianæ religionis officia, frequentabat.

Maximus suã dat pauperibus.

Claudij, ac vxoris & filiorum martyrium.

Item & Maximi.

Serena, vxor Diocletiani, Christiana.

Cùm verò innotuisset Imperatori Susannam perstare in sententia de Christiana fide sectanda, ac coniuge refutando, eandem in Gabinij patris domum reduci mandat. Ad quam Maximianus Cæsar, cui eam Diocletianus ipoponderat, noctu veniens vim virgini illaturus, resilijt correptus numine; cuius fulgore eam ambiri atque custodiri vidit; sed totum magiæ

Ee tribu-

tribuitur, cùm Diocletiano, quod acciderat, aperitur. Quamobrem Imperator, missо ad eam Macedonio, iubet eam occultè subijci quæstioni, & in refragantem animaduerti. Abijt ille; conuenit eam, admouet tripodem, iubet & thura offerat Iouis quod statuerat simulacro; sed detestata illa facinus, flexis genibus Deum est deprecata, vt abominabilem impietatem euerteret. Adfuit illi protinùs numen diuinum, Iouisque statuam ab oculis omnium sublatam, in plateam antè palatium Salustij prostrauit. Quæ cùm à Macedonio renunciarentur Diocletiano, iussit eam intra domesticos parietes gladio necari; quo percussa, spiritum Deo reddidit; sicque glorioſam martyrij coronam, laureæ virginitatis adiecit.

Gladio necatur S. Susanna.

Vt autem Serena Augusta comperit Susannâ martyrium suum forti animo consummasse, gaudio incredibili exultans, noctu in ædes illius aduenit, corpusq; suauiter amplectens, proprijs curauit manibus; linteo inuoluit; & aromatibus conditum opere polinctorio, in Arenario in crypta apud sanctum Alexandrum tertio Idus Augusti sepeliuit; Velum autem, quo sacrum cruorem absterſit, apud se in theca argentea retinuit, & diu noctuq; furtiuis precibus ibidem sedula incubuit. Caius verò eadē in domo, vbi percussa martyrium absoluit, iugitur Deo sacrificium pro eius commemoratione obtulit. Erat enim coniuncta domus Caij cum ædibus Gabinij patris eius. Atque inde factum est posteà, vt statio Christianorum in duabus illis ædibus fuerit instituta. Facta sunt hæc in sexta Regione, apud Vicum Māmuri, antè forum Salustij

En Commemoratio Sanctorum in Missæ sacrificio.

lustij. Post hæc pater Susannæ Gabinius eadem ex causa, & Caius Papa martyrium subiêre; siquidem postquam annos duodecim menses 4. & dies 5. magna cum laude sanctitatis, sedem Pontificiam rexissent, & annos admodum octo pro salute Ecclesiæ, Diocletiani furorem fugiês in Cryptis latitassent, tandem cum fratre Gabinio ad diu desideratam martyrij gloriam lætus peruenit: sepultus in cæmeterio Callisti, via Appia, decimo Kalend. Maij.

Mentio est de vico Mãmuri, seu Mamurci, in Regione Sexta, apud Sextũ Rufum, et P. Victorem.

*VITA S. GAVGERICI**, *EPISCOPI Cameracensis. Ex ea quæ extat apud V. P. Lau. Surium. Fuit hic quintus eius sedis Antistes, ac egregia floruit sanctitate, an: Incarnati verbi, 615. Deus dedit Papæ 1. sub Clothario Francor. Rege ac Monarcha.*

* *al. Gauderici.*

Vide tom. 8. An. & Not. Mart. Rom. C. Baron.

BEATVS Gaugericus, Iuodio Galliarum oppido Diœcesis Treuirensis, patre Gaudentio, matre Austridiola, etsi pro elati sanguinis fastu nec summis, nec infimis, Christianis tamen & ingenuis atque orthodoxis editus est parentibus. Qui cùm procedente ætate sacrarum literarum studijs traditus esset; ea vitæ continentia & morum integritate inter omnes effulsit, vt Magnericus Treuirensis antistes, cum parœciam suam peragraret, & ad castri illius Ecclesiam peruenisset, Gaugerici moribus vehemẽter delectatus, eum in Clerum adoptaret: & Diaconum ordinaret. Ille leuitico sublimatus ministerio, in singulos dies magna virtutum incrementa castissimis moribus adiecit, ac summa contentione laborauit, vt alios quamplurimos cœno peccatorum immersos

11. Augusti. *Patria & parentes.*

Magnericus Treuirensis antistes eum diaconum ordinat.

Dat operam saluti animarum.

inde extraheret, errantesque mortales ad rectũ salutis iter reduceret; Cùm igitur quodam tempore loca orationis more suo adiret, quendam horrenda sanè vtriusque hominis lepra laborãtem obuium habuit; corporis externa superficie luridum, & fœdis gentilismi erroribus animo corruptum ac squalidum. Cognoscés autem vir beatus corporis deformitatem à peccatorum putredine profectam, hominem aggreditur, horteturque, nihil iam mortale sonans, vt pristinis erroribus relictis veram Christi fidem amplectatur; vt melioris vitæ studio cum Deo in gratiam rediens, à lepræ fœditate purgari mereatur. Ille mox idolorum spurcitiei renuncians, Christianum se fore promisit, si optata salute potiretur. Nec mora. Gaugericus extemplò eum ad sacerdotem tanquam Naaman ad Iordanem adduxit, vndis salutaribus expiandũ; Vbi simulatque baptizatus est, quod peccatis iã vacuus esset, ipsa externa corporis habitudo ostendit; tanta in illo munditia apparente, vt nũquam lepra infectus fuisse videretur. Eum verò Christi seruus Gaugericꝰ è fonte suis sacris manibus suscepit, & postea literis imbutum coronæ fratrum religiosorum sociauit. Deinde Episcopus factus, per singulos gradus vsque ad sacerdotij culmen eum euexit.

4. Reg. 5. Sanat leprosum.

Vedulphus Episcopus Cameracensis moritur.

Interea increscente beati viri fama, & odore sanctæ existimationis longè lateque sese diffundente, Vedulphus Cameracensis antistes, rebus humanis exemptus, ad meliora commigrauit. Igitur grex eius pastore destitutus, comperta iam viri sancti fama, vno animo & pari voluntate tum Clerus, tum populus à Childeberto Fran-

to Francorum Rege Gaugericum sibi episcopum postularunt. Annuit benignè eorum postulato Rex; missisque ad AEgidium Rhemensem episcopum literis, mandauit, vt Gaugericum episcopali honore dignissimum, incunctanter in Cameracensis Ecclesiæ sede collocaret. *Succedit Gaugericus.*

Ordinatus igitur Episcopus, dictu mirum quanta vitæ innocentia ac sanctimonia sedem illam administrauerit. Nihil ei in ea dignitate prius fuit, quàm vt miseris & egenis consuleret, & nexibus tam corporis quam animæ constrictos solueret: & omnibus denique viscera misericordiæ aperiret. Quodam tempore cùm oues sibi à Domino commissas inuisere vellet, fortè carceris cuiusdam ostium præterijt, vbi homines duodecim nequaquam innoxij ferreis constricti vinculis detinebantur. Id percipiens vir pius, more suo misericordia permotus, multis apud VValdonium* eius loci Comitem egit precibus, vt miseros illos sibi donaret. At ille superbia tumidus, & mundanæ potentiæ fastu inflatus, beati viri preces contempsit. Sentiens vir Dei ab illo se repulsum, cùm humanum auxilium non suppeteret, totum se ad deprecandum Dominum contulit, orans, vt è carceris squallore erepti, in ea ecclesia, quam ipse petebat, sub totius populi conspectu inuenirentur. Mox diuinitus manicæ ferreæ confringuntur; compedes dissoluuntur; & in ecclesiam, ad quã vir sanctus deducebatur, illi iam nexibus liberi, Angelo ductore, celeriter ingrediuntur; in quam intrante etiam beato Gaugerico, Clero populoque spectante, qui paulo antè vincti fue- *Eximia eius in pauperes & peccatores benignitas.* ** al. VValdonem.* *Precibus suis vinctos & carcerem soluit.*

fuerant, flexis poplitibus, dicunt ei; Nos sumus illi, qui tuis precibus ex interiori ergastulo sanctæ matri Ecclesiæ modò sumus restituti; Audiens hoc vir pius, gaudio repletur, & gratias agens Deo, dicit Comiti, qui cum cæteris huic spectaculo admirandus intererat; Iam vel expertus agnosce, vir generose, potentiorem esse Dei misericordiam, compeditos soluentem, quàm tuam seueritatem hos in vincula coniectos perdere volentem. Deinde salutaribus eos monitis instructos, ad sua quemque liberos reuerti permisit.

Dies Rogationum.

Confirmatus porrò in sede sua, sacris habendis concionibus dabat operam; nec modò pluebat verbis, sed etiam miraculis coruscabat. Cumque pro Galliarum consuetudine, rogationes triduano conuentu fierent, & vir sanctus veneratione plenissima ieiunijs, eleemosynis & psalmodijs eas excoleret, contigit eum obiter transire carcerem, in quo viri tres iussu VValacharij Tribuni vinculis implicati tenebantur. Solita igitur humanitate, Tribuno præsenti supplices obtulit preces, vt miseros illos sibi ad meliorem frugem reuocandos largiretur. Negat ille; Gaugericus antè fores carceris prosternitur; orat aliquantisper, vt omnipotentis Dei clementia præstet, quod iudex superbus & ira ebrius recusat. Surgit indè ab oratione, & protinus vincti nutu præpotentis Dei nexibus suis expediuntur. Adhibet tum illis venerandus præsul animarum medicinam, & sic mente atque corpore absolutos, & vt deinceps emendationi vitæ studeant admonitos, ad propria remittit.

Item alios vinctos præcibus soluit.

Dum

Dum igitur sic crescit, & tum publicè, tum priuatim diuulgatur beati antistitis fama celebris, ad Clotarij Regis aures pertingit. Is comperta eius sanctitate, de domo æternitatis secum pertractans, in saluberrimam incidit cogitationem: vt per manus tanti viri, eleemosynæ pauperibus Christi distribuerentur. Mox igitur à Rege vocatus adfuit, & quæ ille in pauperum vsus contulerat, liberali manu distribuenda suscipit. Interim apud se perquirebat, quomodò ea sic posset expendere, vt inde cõsolatio prçcipua ad inopes rediret, conuenienter illi sentẽtiæ; Desudet eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum cui tradas eam. Venit autem illi in mentem, vt ad beatissimi Martini limina properaret, ibiqúe pro suis & suorum erratis, tanti viri interuenientibus meritis, Dominum deprecans, prout dignum videretur, etiam in vsus sanctorum pauperum daret. Cùm ergo itineri se dedisset, propè Turones cæcus quidam triginta annis lumine orbatus, vt audiuit beatum Gaugericum trãsire, clamauit obsecrans, vt per eius preces, à Sole Iustitiæ Christo Domino illuminari mereretur. Itaque vir sanctus diuinæ misericordiæ cõfidens, dextera sua oculis cęca caligine diu pressis, sanctę Crucis signum impressit, & cæcitatem omnem sancta manu detersit.

Rex Clotarius per eum curat distribui eleemosynas.

Cæcum illuminat.

Morante viro Dei apud fanũ Martis in diœcesis suæ territorio, negociator quidam pueros captiuos vinculis constrictos per eum locũ venundandos duxit. Id vbi comperit sanctus Episcopus, precibus ab eo obtinere contendit, vt vinctos illos pro peccatorũ suorũ remissione

dimitteret, atque in ſupremo illo horrẽdo ſanè mundi die, eius operis mercedem æternam ſecurus expectaret. At mercator ille, auaritiæ mancipium, obſtinato animo quibus potuit modis ſeſe excuſauit, nec ſancto antiſtiti obſequi voluit. Orat ergo Beatus pręſul clementiſſimum Deum, vt ipſe ſua immenſa virtute præſtet, quod mercator ille lucris inhians negabat.

Captiuos liberat precibus.

Abit intereà negociator ad hoſpitium ſuum, & eccè nutu diuino ſomno grauiſſimo opprimitur. Id verò cernentes captiui, nexibus diſſolutis, ad epiſcopum confugiunt. Indè expergefactus mercator, videt non adeſſe vinctos; ſuſpicatur eos beati antiſtitis precibus ſibi ereptos eſſe; properè accedit eccleſiam, in qua vir Dei operi diuino incumbebat; inuenit quos quærebat, ſui liberatione lætantes; & qui prius voluit ſpontè obtemperare Gaugerici precibus, diuinæ potentiæ vel intuitus ceſſit.

Obtinuit cathedram ſuam beatus antiſtes ad annos plus minus triginta nouẽ, virtutibus inſignis, miraculis celebris, fide integer, operibus bonis perpetuò intentus. Et licèt animum inſtar arcus ſemper haberet intenſum, attamen corporis viribus deficientibus, iam ætate proiectus, tertio Idus Auguſti obdormiuit in Domino. Sepultus eſt autem in Baſilica, quæ eſt in montis vertice, ab ipſo in honorem S. Medardi conſtructa; qui locus haud procul abeſt Cameraco; olim dæmonũ cultui ab idololatris in animarum perniciem dedicatus. Sed vir Dei Gaugericus idola exterminauit; lucum ſuccidit; & locum ſpurcitijs addictũ, in orationis & ſacrificij ædem mutauit. Iamque locus ille &

Obitum eius.

bea-

beati viri memoria est venerabilis,& nundinis celeberrimus;præstanturque illic vsq; ad præsens beneficia diuina in laudem Domini nostri Iesu Christi; cui est honor & gloria in sæcula sæculorum;Amen.

VITA S. CLARAE VIRGINIS, SANctitate & Miraculis Clarissimæ;ex ea quæ iussu Alexandri IV. Pontificis, conscripta est; qui eam inter sanctos censuit adnumerandam, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto; cum iam ante biennium ex hac vita migrasset.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Romanum.

ADMIRABILIS fœmina, Clara vocabulo & virtute, Assisij claro satis genere oriunda,ex progenie militari, ab vtroque parente originem traxit.Familia nequaquã obscura,splendidis instructa facultatibus, genus omne celebre reddebat. Pater eius miles quanquam pro voto, pietatis operibus incumbere non posset,minimè tamen Christianæ militiæ arma abijciebat;Mater autem, Hortulana nomine, diu noctuque diuinis obsequijs insudabat; & quamuis maritali subdita iugo,summo tamen mariti voluntate, loca quondam sacris Christi Iesu vestigijs pressa,religionis ergô lustrauit; & Apostolorum limina,haud vulgari pietatis studio visitauit. Cumque iam non mediocriter bonis abundans fructibus, fructiferã in horto Ecclesiæ plantulam paritura esset, & de partus periculo solicita antè Crucem in Ecclesia oraret,vocem sibi audire visa est; Ne paueas mulier; salua enim lumen quoddã partu-

12. Augu. *Patria & Parentes eius.*

Mater eius Hortulana cælitùs de

filiæ sanctitate fit certior.

ries, quod ipsum mundum clarius illustrabit. Quo edocta oraculo, natã infantulam Claram appellari voluit.

Igitur edita in lucem paruula, mox sancto cœpit clarere lumine, atq; intra teneros annos morum splendere sancta probitate. Docili corde primum ex matris ore fidei rudimenta suscepit: quæ deinde operibus sanè præclaris exercuit. Pauperum enim cura tanta ei inerat, vt præter alia, quæ larga manu de abundantia domus suæ pauperibus erogabat, proprio etiam corpusculo delicata subtraheret cibaria, quibus clàm viscera pupillorum reficiebat. Studiũ verò orationis adeò illi amicum erat, vt cõgerie lapillorum, suas oratiunculas Domino annumeraret, cùm signacula illa, quæ Rosaria vocamus, ad manum non haberet. Vbi autem sancti amoris stimulis se sauciari præsensit, ilicò mundani floris pictura instabili cõtempta, spiritus vnctione prædocta, rebus vilib⁹ precium imponere vilitatis studuit. Sub vestibus namq; preciosis ac mollibus ciliciolum induit abscõditum, & dum mundo exterius florere videbatur, Christum interius induta erat. Deniq; suis eam nobiliter maritare volentibus, dissimulato in posterum mortali coniugio, virginitatem suã Domino deuouit. Talia fuêre in domo materna delibamenta virtutis; tales primitiæ spiritus; talia præludia sanctitatis; quæ quamuis diligenter occultaret, ipsa tamen, instar optimorum aromatum sua fragrantia in populum emanabant.

Magna eius cura & benignitas erga pauperes.

Induit cilicium sub vestibus preciosis.

Vouet virginitatem.

Audiens verò tunc celebre nomen Francisci, qui velut nouus homo, obliteratam in mundo

viam

viam perfectionis, nouis virtutibus renouabat, mox magno eius videndi desiderio flagrabat; necminus ille celebri gratiosæ puellæ fama perflatus, videre hanc & alloqui cupiebat; si quo modo, qui regnum mundi depopulaturus aduenerat, nobilem istam prædam seculo nequam possit eripere, suoque Domino vendicare. Visitat ille istam, & sæpiùs ista illum, visitationum suarum tempora moderantes, quibus diuinum illud studium nec percipi ab homine possit, nec rumore publico detrectari. Nam vnica tantùm familiari socia comitante, paternos lares puella egrediens, clandestinos ad virum Dei frequentabat accessus; cuius sibi verba flammantia, cuius vltrà hominem opera videbantur. Hortatur eam Franciscus ad mundi contemptum, speciem seculari aridam & spem deceptiuam, viuo sermone demonstrat. Instillat auribus eius dulcia connubia Christi; aperit æternorũ intuitũ gaudiorum; quorũ conspectu mundus illi vilesceret. Quid multis? Virgo cælesti igne succẽsa, terrenæ gloriã vanitatis sic ex altero contempsit, vt nihil iam de mundi applausu eius affectibus inhæreret. Ex tunc Franciſci consilio se totam committit, ipsum post Deum statuẽs suæ directionis aurigam. Pendet exinde anima eius ad sacra illius monita, & de bono Iesu calido excepit pectore, quidquid promit ille sermone. Molestè iam fert secularis ornatus decorem, & ne speculum illibatæ mentis mundanus puluis vlterius inquinet, cõsilio beati patris Franciſci, solenni Palmarum die compta & ornata processit ad palmam, & in turba dominarum, festiuo splendore puella

Cupit videre S. Franciſcũ: cuius vita habetur 4. Octobris.

Frequenter accidit S. Franciſcum.

Eligit Franciſcum in patrem spiritualem.

puella præradians, cum reliquis intrauit ecclesiam. Nocte verò sequenti ad sancti mandatum se præparans, optatam fugam cum honesta societate aggreditur. Cumque ostio consueto exire non placuit, aliud ostium, quod lignorum & lapidum pondera obstruebant, miranda sibi fortitudine proprijs manibus reserauit.

Consilio S. Francisci fugit mundum.

Igitur domo, ciuitate & consanguineis derelictis, ad sanctam Mariam de Portiuncula festinauit; vbi mox reiectis sordibus Babylonis, mundo libellum repudij tradidit: simulq; cum crinibus ornatus varios dereliquit. Cùm autem corã altari beatæ Mariæ, sanctę pœnitentię suscepisset insignia, & quasi ante torum huius Virginis, humilis ancilla Christo nupsisset, statim eam ad Ecclesiam S. Pauli Franciscus deduxit, donec aliud altissimus prouideret in eodem loco mausoleum.

Cognati eam reuocare conatur.

Intereà rumore ad consanguineos volante, factum & propositum virginis damnant, & conglobati in vnum, ad locum currunt: tentant quod obtinere non possunt. Violentiæ impetum, venena consiliorum, blanditias adhibent promissionum; suadentes ab huiusmodi vilitate discedere: quia nec generi congruat, nec exemplum habeat in cõtracta. At illa pannos apprehendens altaris, caput denudat attonsum, firmans se nullatenus à Christi seruitio vlteriùs auellendam. Crescit animus, bello crescente suorum; viresque ministrat amor iniurijs lacessitus. Sic sic per plures dies cum in via Domini obicem pateretur, & sui se opponerẽt eius proposito sanctitatis, non collapsus est ani-

animus,non feruor remissus: sed inter verba & odia ad spem animum tamdiu reformat, donec propinqui retusa fronte quiescunt.

Paucis interiectis diebus, ad Ecclesiam sancti Angeli de Panso transiuit; vbi cùm animus inquietudine quadam exagitaretur, tandem ad Ecclesiam S.Damiani, beati Francisci consilio, commigrauit . Ibi mentis ancoram quasi in certo figens,non iam pro loci mutatione vlterius fluctuat,non pro arctitudine dubitat, nec pro solitudine reformidat . Hæc est illa ecclesia,in cuius reparatione Franciscus miro desudauerat studio, cuiusque sacerdoti pecuniam obtulerat pro opere reparando . In huius locelli ergastulo,cælestis amore sponsi, virgo se Clara conclusit.In huius cauerna maceriæ, columba deargentata nidificans,virginum Christi collegium genuit;monasterium sanctum instituit;pauperum dominarum ordinem inchoauit.Hîc per duos & quadraginta annos, disciplinæ flagellis corporis sui alabastrum fregit, vt domus Ecclesiæ fragrantia vnguentorum repleretur.

Ad S. Damiani Ecclesiã commigrat: ac ibidem se includit.

Paulo enim post, odore sanctitatis eius per proximas sparsa regiones,dictu mirum,quanta alacritate virgines pariter & mulieres,nobiles & illustres,amplis contemptis palatijs, ad eam confluxerint,eiusque exemplo arcta sibi monasteria construxerint: vt Christo soli deinceps viuerent. Neque cælestis huius benedictionis vena,quæ in valle Spoletana scaturijt , breues intra terminos diu concluſa permansit, sed diuina prouidentia longè lateque in orbem erupit, & vbique animas in vasto mundi huius oceano

Multas Virgines & illustres matronas, suo exẽplo, ad suauẽ Christi iugũ inuitat.

oceano errantes ad portum salutis transuexit. Nonnullæ namq; Ducum ac Regum matrimonio dignæ, Claræ inuitante præconio, arctâ salutis viâ libenter arripuerunt, monasteria suis sumptibus exstruxerunt; & nõ modò ciuitates, sed ipsa quoque campestria & montana loca, cælestis huius ædificij fabricis decorârunt.

Multa conduntur S. Claræ monasteria.

Studium humilitatis.

Hæc sui Ordinis lapis primarius, ac fundamẽtum, in fundamẽto sanctæ humilitatis, virtutũ omniũ fabricam, ab ipso principio studuit collocare. Cùm enim beato Francisco obedientiã sanctè promisisset, à promisso nullatenùs deuiauit. Triennio verò post conuersionem suam, nomẽ & officiũ Abbatissæ declinãs, subesse potiùs voluit, quàm præesse: & inter Christi ancillas seruire libentius, quàm seruiri. Sed cùm B. Francisco cogente, regimẽ dominarum susciпere deberet, nõ tumore, sed timore cæteris se præferri passa est; si tamen illa prælata dicitur, quæ nullos famularum respuens actus, omnibus ministrabat; infirmarum sedilia lauabat; suo illo nobili spiritu nec sordida fugiens, nec fœtida perhorrescens. Pedes famularum deforis reuertentium sæpius abluit, & ablutis oscula impressit.

Cogitur esse Abbatissa.

Paupertatis studium.

Paupertati spiritũs, quæ vera humilitas est, paupertas rerum omnium mirificè cõgruebat. Et quidem cùm primo conuersionis suę tempore paternam hęreditatem, quę ad eam peruenerat, distraxisset, distractãq; pauperibus, nihil sibi de precio seruato, erogâsset, tam strictum cũ sancta paupertate fœdus inijt, vt ab Innocẽtio, tertio eius nominis Pontifice, priuilegiũ postulauerit paupertatis, ne deinceps vnquam terre-

norum

norum puluis, ad sacrum eius institutum trãsiret, neve res peritura amantem ab amato secluderet, aut cursum eius cũ Domino impediret. Sed accipe nunc, quanta quamque admiranda paupertatis amatrix meruerit operari.

Cùm die quodã refectionis tempore, vnicus tantũ in monasterio esset panis, iubet sancta panem diuidi, & vnam quidem partem fratribus mitti, alterã verò sororibus reseruari. Deindè mandat de retento dimidio, iuxta dominarum numerum, partes fieri quinquaginta, & singulis vnam distribui. Ad quod mandatum dispensatrix cũ obstupesceret, diceretque opus esse antiquis Christi miraculis, vt modicum panis quinquaginta reciperet sectiones, Clara respõdit: Fac filia secura, quod dico. Tum filia matris implere festinat mandata; mater verò ad Christum suum properat, pia cum filiabus destinare suspiria. Crescit diuino munere, inter frangentis manus parua illa materia, & cuilibet extitit portio copiosa. Pari virtute, altero quodam die, vacuum vasculum oleo plenum inuentum fuit.

Precibus suis panem mirabiliter multiplicat.

Item Oleum.

De admirãda carnis eius maceratione, silere magis quàm loqui forsitan expediret, cùm talia fecerit, in quibus audientium stupor, cum veritate rerum contendit. Nam quæ conuentio carnis virgineæ, ad vestem porcinam? Procurauerat sibi virgo sanctissima vestẽ de corio porci, quam versa ad carnem hispida tonsura pilorũ, secretò sub tunica deferebat. Vtebatur nonnũquam duro cilicio, de pilis equorũ nodosè conserto, quod hinc indè cordulis rudibus stringebat ad corpus. Nuda humus, & interdũ sarmenta vi-

Admiranda carnis afflictio in tenera Virgine.

ta vinearum lectum præbebant, lignumque d
rum præstabat sub capite officium puluinar
Postquàm autem corpus tanta seueritate tr
ctatum, longa cepit infirmitate fatigari, iube
te Francisco, sacco paleis plena est vsa. Por
in ieiunijs tantus erat rigor abstinentiæ, vt s
cro quadragesimali tempore sicco pane & a
qua, solis Dominicis diebus, vini vsum admit
tens, victitaret. Interim verò tribus cuiu
libet hebdomadæ diebus secunda videlicet,
quarta & Sexta feria, omnis alimenti expers,
precibus & rebus diuinis tantùm, spiritum pa
cebat. Quod tamen trium dierum exitiale ieiu
nium, cum à beato Frãcisco, tum ab Assisij epi
copo interdictum ei posteà fuit: ne corpori
vigorem penitùs eneruaret. Et quidem cùm sic
in carne præmortua esset, spiritu adeò vigebat,
vt dies noctesque in oratione peruigil & inui
cta semper maneret. Lachrymanti semel in o
ratione, profunda nocte, adstitit angelus tene
brarum in forma nigri puerili, ipsamque mo
nuit, ne tantis lachrymis lumẽ oculorum amit
teret, & cæcitate miserãda alijs ludubrio esset.
Cui sanctissima virgo ilicò respondit: Cæcu
non erit, qui Deum videbit. Quo responso co
fusus ille discessit.

Diabolus eius preces & lachrymas impedire conatur.

Libet hic orationum eius recitare magnalia.
Illa tempestate, quam sub Imperatore Frederi
co in diuersis mundi partibus sustinebat Eccle
sia, Vallis Spoletana de calice iræ frequentius
imbibebat. Erant in ea pro ciuitatum expugna
tione acies militum & Saracenorum examina
velut apum constituta. Cumque in Assisium pe
culiarem Domini ciuitatem, hostilis semel

furor

furor irrueret,& iam ipsis portis exercitus appropinquaret,Saraceni,gens pessima, qui sanguinem sitiunt Christianum,& omne nefas impudentiùs audent, apud sanctum Damianum intra claustrum virginum cõfluxerunt. Liquescunt dominarum corda timoribus, tremunt formidine verba, & ad matrem referunt fletus suos. Quæ impauida corde, se infirmam ad ostium,præcedente sacratissimo corpore Christi, duci iubet. Cumque se totam in oratione coram Domino prostrauisset, Christo suo cum lachrymis ait; Placet mi Domine, inermes ancillas tuas, quas tuis amoribus innutriui, manibus eccè tradere paganorum? Custodi Domine, precor, has famulas tuas, quas ipsa in præsenti articulo custodire non possum. Mox de nouæ gratiæ propitiatorio, vox quasi puerili ad eius aures insonuit; Ego vos semper custodiam. Mi Domine, ait, & hanc si placet, protege ciuitatem, quia nos pro amore tuo sustẽtat. Et Dominus ad eam; Grauamina sustinebit, sed meo munere defendetur. Nec mora. Statim canum illorum repressa pauescit audacia, & per muros, quos ascenderant, celeriter exeuntes, orantis virtute deturbati sunt.

Magna virtus orationis eius.

Præsens Christus in asseruata Eucharistia.

Alio quoque tempore, Vitalis de Auersa, vir gloriæ cupidus, Imperialem exercitum, cui præerat, contra Assisium admouit, verbisque minacibus se indè nullatenùs recessurum iurat, donec ipsa ciuitate potiretur. Iamque arctissima pressa obsidione, in vltimum ferè periculum venerat ciuitas: cùm Clara Christi famula sororibus ad se vocatis ait; Multa quotidie ab ista ciuitate, chariſſimæ filiæ, suscipimus

Assisiũ precibus suis ab hoste liberat.

bona; quarè impium est, si non tempore opportuno pro viribus ei succurramus. Iubet afferri cineres, iubet capita nudare sorores. Ac primùm illa suum multo consperſit cinere caput: deindè sororum cunctarum, totisque affectibus cum lachrymis ciuitatis postulat liberationem. Quid singula narrem? Sequenti nocte superbus homo toto dissoluto exercitu discedit: nec deindè terræ illi bellum infert, paulò pòst interemptus.

Nec mirum, si sanctæ virginis oratio hominum vicerit malitiã, quæ etiam dæmones cedere compulit, & ex obsessis corporibus profligauit. Præterea multa admodũ admirandæ virtutis per Crucis signum edidit miracula. Credo sanè, quia die nocteque Dominicę passionis cõmentationi intenta erat, hanc illi eiusdem passionis & Crucis virtute, à Domino gratiam cõcessam fuisse, vt morbos & infirmitates quaslibet Cruce fugaret.

Cruce quoslibet morbos sanat.

Porrò qua animi prudentia suas informauerit discipulas, quo pietatis amore fouerit, quæ vis orationis explicabit? Primò siquidem docebat illas exclusis animi perturbationibus summa mentis tranquillitate in Dei seruitio versari; carnalium propinquorum amore iam nõ affici: carnisq; nugas rationis imperio restringere. Deindè Dęmonũ occultis insidijs & tẽtamẽtis viriliter resistere. Certis horis operi manuũ ita incumbere, vt ilicò ad conditoris desideriũ per orationis exercitium valerent recalescere. Silentium obseruare, verborumque leuitatem sedulò vitare: sicque alacres iugiter ac lætæ in suauissimo Christi iugo pura mente & casto

corpore

corpore ferendo perseuerare. Sed & id cõmodius vt fieret, summa diligentia ac studio prouidit, vt diuini verbi alimonia assiduò pascerentur. Gaudebat enim literatorum hominum, quanquam literarum rudis, doctis concionibus, tantaque auiditate diuini verbi prædicationi intendebat, vt nulla re magis quàm doctorum, sermonibus delectari videretur. Cùm autem Papa Gregorius sancijsset, ne quis fratrum ad sacrarum virginum monasteria sinè sua licentia pergeret, dolẽs pia mater, sorores, pabulum diuini verbi rarius habituras, nullum non mouit lapidem, vt Pontifex canonem illum à se latum solueret; quô pane cælestis verbi assiduò saturari possent.

Libenter audit sacras Doctorum Virorum conciones.

Is fuit Gregorius nonus.

Quadraginta iam annis in stadio altissimæ paupertatis cucurrerat; cum eccè iam ad brauium supernæ vocationis, præcedente languore multiplici, appropinquabat. Vigore siquidem carnis, acerbissimis pœnitentiæ doloribus penitùs attrito, posteriora tempora occupauit infirmitas; vt quæ sana ditata fuerat merito operum, infirma ditaretur meritis passionum. Cũque ægritudinum pondere prægrauata, ad finẽ festinare videretur; Innocẽtius quartus, Romanus Pontifex, qui id temporis Lugduni moram trahebat, ilicò Christi ancillam & meritis venerandam, & miraculorum gloria claram, inuisere festinauit. Illa quantam ex præsentia vicarij Christi lætitiam hauserit, quamoque fuerit cumulata gaudio, postquam sacris illius manibus benedici, & ab occultis peccatorum vinculis (manifesta enim nulla erãt) absolui meruit, argumento est, quod septem deinde

In fine vitæ variis infirmitatibus exercetur.

17 diebus sine cibo est.

& decem diebus, nullo prorsus corporali cibo vsa fuerit. Aderant ei quotidiè fratres eiusque filiæ, cuncti lachrymis infusi, crebroque gemitu atque singultu piam matrem ex hac vita breui migraturam prosequentes. Cardinalium quoque atque prælatorum frequenti visitatione vt verè sancta honorabatur. Ceterùm ad se conuersa virgo sanctissima, ac tandē tota mēte Deo intēta, suam in agone animā his verbis cōpellabat; Vade secura, quia bonum habes itineris conductum. Vade, quoniam qui te creauit, sanctificauit, & custodiens te semper, velut mater filiam, tenero amore dilexit. Tu, inquit, Domine benedictus sis, qui me creâsti. Et inter hæc aliaque pietatis verba, sancta illa anima ergastulo mortalitatis soluta, ad cælos migrauit.

Fœlicissimus decessus eius.

Funus fuit ab ipso Pontifice, incredibili hominum caterua cum lachrymis & singultu sequēte, curatum, atque ex monasterio ad S. Gregorij honorificè deportatū. Qui locus S. Francisci reliquijs primò honoratus fuit: & tunc sanctissimæ virginis corpusculum excepit; vt qui viam vitæ viuenti parauerat, idem etiam morienti locum quodam præsagio præpararet. Mox vt pontifex cum sacro Cardinalium cœtu, celebratis exequijs, turbæ, magno concursu ad tumulum virginis confluenti, locum dedit, veneranda miraculorum testimonia mirificè fulserūt. Demoniaci quippè liberabantur; cæci illuminabantur; claudij curabantur: alijsque multifarijs languoribus afflictati, diuina virtute sanabantur: quæ, ne prolixiores simus, hic singulatim adscribere omittimus; præsertim quòd eximia virginis sanctitas, in morum & operum

Innocentius Pontifex eius celebrat exequias.

Miracula post obitum.

perum perfectione satis superque eluceat.

Vide etiam Notat. in Martyrolog. Roman.

MARTYRIVM S. EVPLII DIACONI; *ex secundo tomo Annalium Baronij, sub anno Christi 303. Marcell. Papæ 7. Imperat. Dioclet. & Max. 20.*

DIOCLETIANO octies, & Maximiano septies Consulibus, pridiè Idus Augusti, in Catanēsium ciuitate, Euplius Diaconus ab exploratoribus inuentus legere Euāgelia, & Christianos docere, tentus ab illis, vnà cum libro productus cum esset extrà velum secretarij exclamauit; Christianus sum & pro Christi nomine mori desidero. Audiens hæc Caluisianus Consularis, iussit Euplium Iudicis Secretarium ingredi. Quo ingresso, quidam ex amicis Caluisiani, nomine Maximus, furore incensus: Non, inquit, decet tales eū tenere chartas contra Augustorum edictum. Caluisianus autem: Vnde, inquit, hæc tu nobis adducis? nunquid è domo tua? Respondit Euplius; Non habeo domum. Nouit hoc Dominus meus Iesus Christus. Iussit deindè Caluisianus, vt ea clara voce legeret. Tunc Euplius aperto codice legit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorū, & alio loco: Qui vult venire post me, tollat crucem suā, & sequatur me. Cùm hæc & alia legeret, Caluisianus Cōsularis, Quid, inquit, hęc sibi volunt? Cui Euplius; Lex est Domini mei, à Iesu Christo filio Dei viui mihi tradita. Tunc Cōsularis, audita Christi cōfessione, Tradatur, inquit, tortoribus, interrogetur sub tormentis. Nec mora. Martyr Christi pridiè idus Augu-

12. Aug.

Euplij confessio.

Euplius è codice Euangelij legit. Matth. 5. 16.

Torquetur martyr.

stas tormentis subditur, Caluisiano vrgente, vt à Christi confessione resiliret, & maturè atrocitatem tormentorum negando redimeret. At Euplius libera manu Cruce frontem cõsignãs,

Consignat frontem suã cruce.

Quod, inquit, semel confessus sum, idem rursus confiteor, Christianum me esse, & scripturas diuinas edoctum, cæteris eas prælegere. Caluisianus verò, Et quarè, inquit, has lectiones ex edicto Imperatorum nobis non tradidisti? Respondit Euplius; quia Christianis nefas est eas tradere; ac multò satius est vitam in tormentis abijcere, quàm diuina eloquia vobis prodere.

In diuinis eloquijs vita æterna.

In his enim vita consistit æterna, quam ne perdam, hanc caducam vestris libẽter cruciatibus subdo. Tunc Caluisianus martyris sermonẽ interrumpens: Qui, inquit, secundùm Principum edicta scripturas non tradit, sed eas populo legit, torqueatur.

Iterum torquetur.

Cumq; torqueretur Euplius: Gratias, inquit, tibi ago Christe; custodi me, qui te propter hæc patior. At Caluisianus: Desiste, inquit, ab hac mẽtis tuæ insania; deos adora, & liberaberis. Et Euplius: Adoro Christũ, detestor dæmonia; fac quod vis, Christianus sum. Hæc diu optaui, fac, inquam, quod vis: adde alia, Christianus sum. Postquam verò diu tormentis exercitus fuisset, neque tamẽ de inuicta animi fortitudine quidquam remitteret, iussi sunt cessare carnifices; & rursus Caluisianus: Miser, inquit, adora deos; Martem cole, Apollinẽ, & Aesculapiũ. Respondit Euplius; Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum adoro, sanctam, inquam, & individuã Trinitatem, præter quam non est Deus. Pereãt dij, qui non fecerunt cælum & terram: Christianus

nus sum. Caluisianus præfectus ira inflammatus: Sacrifica, inquit, si vis liberari. Dixit Euplius; Sacrifico modò Christo Deo meipsum; quid vltrà faciam non habeo. Fruſtrà conaris, Christianus sum.

Tertiò direè torquetur.

Tunc Caluisianus in furorem & rabiem cõuersus, Martyrem acrius torqueri præcepit. Euplius verò in tormentis spiritu exultans, frequenter in ore habebat; Gratias tibi Christe. Succurre Christe, te propter hæc patior Christe. Tandem verò deficientibus viribus, labia ad orationem mouebat, & spiritu de Præfecti tyrannide triumphum agebat. Caluisianus ea Martyris constantia vehementius exasperatus, intra velum ingrediens, sententiam dictauit; In Euplium Christianum, edicta Principum contemnentem, deos blasphemantem, nec resipiscentem, gladio animaduerti iubeo. Ea sentẽtia ex tabella ab ipso præfecto lecta, ilicò Euangelium, quocum apprehensus fuerat, ad martyris collum appensum est; & præcone clamante, Euplius Christianus, deorum, & Imperatorum inimicus, ad locum certaminis ductus fuit. Euplius verò gaudio exultans, Christo sine fine gratias agens, hoc assiduò repetebat; Gratias Christo Deo. Cumque ad locum perductus esset, fixis humi magna cum reuerentia genibus prolixiùs orauit; ac postremò iterum gratijs Christo actis, iugulũ præbuit, ac capite plexus ad cælos emigrauit. Sublatum est posteà corpus eius à Christianis, & cõditum aromatibus, honorificè sepultum.

Sententia mortis in Euplium.

Appenso ad collum Euãgelio ad mortẽ trahitur.

MAR-

Vide Not. C. Baron. in martyr. Roman.

MARTYRIVM S. CASSIANI, BRIXINENSIS Episcopi: ex Aurelio Prudentio; qui eiusdem acta, præclaro conscripsit carmine. Extat apud V. P. L. Surium.

13. Augu.

CASSIANVS Brixinensis antistes, cùm è sede sua pulsus, Romam iter instituisset, Imolam veniens, visum est ibidem sedē figere: ac teneros puerorum animos literis ac disciplinis imbuere. Cum verò eodem tempore tempestas persecutionis vehementer sæuiret, & Christi cultores ad Iudicis tribunalia vbique abriperet, fuit & B. Cassianus in medium productus: quod impia sacra cum persecutoribus colere recusasset. A quo cum esset quæsitū, quid artis aut officij exerceret, responsum est, quod pueros & moribus & literis erudiret. Túc persecutor, quem spreuerat, prȩcipiti animi furore accensus, tradidit eum pueris, quos castigando in se exasperauerat, diris excarnificandum supplicijs: quamuis siquidem vtilia sint scientiæ bona, dura tamen semper solent esse infantiæ, quæ inprimis ab omni labore & molestia abhorret.

Imbuit Imolæ teneros pueros literis & disciplinis.

Traditur pueris S. Episcopus excarnificādus.

Igitur Cassianus vestibus spoliatus, & manibus post tergum arctissimè reuinctis, agmini puerorum stylis armato laniandus statuitur; vt ij acriores à magistro pœnas expeterent, qui ægrius illius disciplinas anteà pertulerant. Itaque in faciem & ad caput magistri, tabulæ & buxa cerata franguntur, & præacutis stylis cōfessor Christi nunc foditur, nunc cæcatur; & alijs summa vulnera, alijs altiora figentibus, dum leuiores manus grauiores fiunt, morte dilata;

Atrox supplicium.

dilata, humili confessor voce precabatur, vt essent viribus fortiores, & annos virtute transcenderent, vt ætatis infirmitatem suppleret sæua crudelitas; & se velocitas amaritudine mortis absolueret. Sed illi non contenti sola feritate tortoris, sic magistri sui vulneribus illudebant; Tu armasti manus nostras, & ferrum hoc, quod gerimus, tu donasti. Duriores reddimus, quàm sensimus, plagas, & in te districtionem, accepta libertate, punimus. Tandem pius Deus Martyris sui tormenta miseratus, mortis vincula dissoluit, & per venas totius corporis sanguis effusus, piam animam Creatori suo reddidit.

MARTYRIVM S. HIPPOLYTI MILITIS, quo coronatus est Anno saluatoris 261. Valeria: & Gal: Imp: 7. Ex ijs quæ extant apud V. P. L. Surium in vita S. Laurentij.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baron. & Not. in martyr. Roman. 13. Aug.

HIPPOLITVS cum sacratissimũ S. Laurentij corpus, eximia cum pietate, multisque lachrymis ac gemitibus, adiuuãte Iustino Presbytero sepulturæ mandasset, domum suam reuersus, allata secum altaris mysteria seruis & ancillis cõmunicauit; cumque strata iam mensa accumbere vellet, subitò militum insidijs oppressus, vinctusque catenis ad Imperatorem ductus est. Qui à Tyranno ilicò veste, quæ Christianam religionem profitebatur, expoliatus, dijs sacrificare iussus est. At Hippolytus constans deorum contemptor, Ego, inquit, Christianus sum: nec dijs sacrifico. Eo responso frequenter repetito vehementer irritatus Tyrannus, primò os eius lapidibus

Olim in Ecclesia vrgẽte persecutione, non tantum Clericis, sed & Laicis cõcessum fuit Eucharistiã domũ deferre. Vide de eo Annales Ecclesiasticos Baronij tomo primo.

contũdi, deindè extensum fustibus cædi, ac habitu militari indui mandauit, dicens, Memor esto dignitatis tuæ, & fruere militia pristina: vt viuas. Cui martyr; Militia mea hæc est, vt constanter me militem Christianũ declarem. Tunc Valerianus omisso Martyre, domum eius contendit, vt omnes eius facultates absumeret. Inuenit verò in domo eius familiam Christianæ precationi intentam, & in ea Hippolyti ipsius Nutricem, Concordiam nomine; quam furore præcipiti plumbatis cædi voluit, donec spiritum exhalaret. Indè nihil ab insito furore remittens, Hippolytum cum promiscui sexûs familia, decem & nouẽ, extra muros portæ Tyburtinæ educi præcepit. Et illi quidem capitibus cæsi præclaram martyrij palmã consecuti sunt. Hippolytus verò pedibus ad colla indomitorum equorũ ligatus, perq; carduos & tribulos raptatus, glorioso fine ad Dominum migrauit. Corpora eorum in campo iuxta Nymphaam relicta, ad latus agri Verani, à Iustino presbytero nocte eadem, ibidẽ sepulta sunt.

Concordiæ martyrium.

Familia Hippolyti gladio cædi tur.

Porrò corpus beatæ Cõcordiæ Iustinus nullo modo inuenire quibat; quę res incredibilem animo eius dolorẽ inurebat, conabaturq; assidua lachrymarum & precũ vi, à Domino, & istum reliquiarum thesaurũ obtinere; neq; fuit optato frustrat⁹ desiderio. Tertio enim decimo die à beati Hippolyti passione, Porphyrius miles ad Irenæũ venit, ea spe incitatus, vt auro, argento, & gemmis, quæ in vestibus beatæ Martyris recõdita existimabat, potiretur. Nunciabat is corpus Concordiæ in cloacam præcipitatum esse

esse; multisque obtestationibus auaritiæ cupiditate occæcatus Irenæum rogabat, vt corpus inquireret, & thesauros secum participaret. Erat enim Irenæus homo abiectæ conditionis, & qui vili eiusmodi ministerio victitabat: sed insigniter probus, & occultè Christianæ religioni ac pietati vehementer deditus. Is igitur, spectante Porphyrio, noctu magno cum labore corpus Martyris è cloaca eruit, mundum adeò & immaculatum, vt haud mediocrem admirationem eis adferret. Cumque Porphyrius auri gemmarumque valdè cupidus, vestes excuteret, & singula loca indagaret, nec tamē quidquam reperiret, æger admodùm animi abijt, & extractum è cloaca per Irenæum Martyris corpus nunciauit. Porrò Irenæus, accito ad se Abūdio viro cumprimis Christiano, corpus beatæ Martyris ad Iustinum detulit; qui fusis præ gaudio lachrymis apud Hippolytum cęterosq; honorificè sepeliuit.

Irenæus insignis Christianus.

S. Concordiæ corpus inuenitur ab Irenæo.

Altera verò die, Valerianus comprehensos Irenæum & Abundium, viuos in cloacam demergi iussit septimo Kal. Septembris. Eorum corpora Iustinus presbyter indè extracta sepulturæ mandauit, iuxta corpus beati Laurētij in agro Verano, 27. die à passione sanctorum supradictorū. Eodē tēpore, Valerianus in amphitheatro funestas martyrū cædes exhiberi iussit, multorumque animos terrore compleuit. Quo tempore Tryphonia Decij quondā vxor, occulta S. Spiritus gratia impulsa, & lumine veritatis mirabiliter illustrata, ad Iustinū cum Cyrilla filia abijt, ab eoque cælesti lauacro sanctissimè illustrata, septimo pòst die inter verba orationis beatum

Irenæi & Abundij martyrium.

Tryphoniæ festum 18. Octobris celebratur.

Cyrillæ verò 28. Octob. vt patet in Not. C. Baron. ad martyr. Roman.

beatum Deo spiritum tradidit; cuius corpus Iustinus presbyter in crypta iuxta S. Hippolytum sepeliuit.

Porrò milites sex & quadraginta, exemplo Tryphoniæ & Cyrillæ permoti, ad beatum Iustinum cum vxoribus & liberis venerunt, prostratique ad eius pedes, nomina sua Christo dedêre; quos deinde Dionysius, qui Sixto Pontifici substitutus & à Maximo Ostiensi episcopo consecratus fuerat, baptismate lustrauit. His auditis; Claudius princeps, Cyrillam Decij filiam & milites comprehendi, & vltimo affici supplicio præcepit. Et quidem Cyrilla capite plexa glorioso certamine occubuit: corpusque à beato Iustino iuxtà matrem sepultũ fuit. Milites verò ab exercitu extra muros portæ Salariæ in ciuitatem Figlinam ducti, eodem fine cũ alijs cẽtum & viginti martyrij coronam adepti sunt; inter quos fuêre quatuor milites Christi, excelso animo & magna virtute præditi, Theodosius, Lucius, Marcus & Petrus; qui vt viderunt armatos ad se venire milites, alacritate incredibili obuiam illis processêre, vt cæteris nonnihil trepidantibus pro Christo moriendi animum adderent.

Cyrilla Decij filia martyrio coronatur.

Item milites sex & quadraginta cũ alijs 120.

Tiburtij certamen habet Lector tomo 1. in vita S. Sebastiani.

Vide 7. Tom. Annal. & Not. in Martyr. Roman. C. Bacon.

VITA S. RADEGVNDIS REGINAE; ex ea quæ est per Fortunatum episcopum, & Bãdommiam monialem. Migrauit è corpore anno Domini 590. qui fuit Childeberti Regis Francorum 12.

BEATIS-

BEATISSIMA Radegundis, ex Turinga regione barbara oriunda, auo Rege Basino, patruo Herminefredo, patre Rege Berchario nata fuit. Quæ cum in domo paterna tenera adhuc ætate, prout Barbarorum ferunt mores, imbueretur, regione illa, Francorum victoria, vastata, fuit in captiuitatem abducta regalis puella. Cumque forma esset eximia, victores inter se Reges contendebant, cui tam pulchra tamque amabilis cederet præda. Cessit tandem in sortem præcelsi Regis Clotarij, ducta in Viromandensem, Atheias in villa regia nutriendi causa custodibus est deputata. Ibi puella inter quotidiana opera animum præclarè erudijt, omnique abiecta barbarie, tantis à Domino est illustrata beneficijs, vt vitam etiã pro illius nominis gloria inter tormenta profundere cuperet. Intereà pijs operibus ac præcipuè humilitatis officijs sedulò incumbebat, animumque ad omnem sanctitatis rationem, domesticorum nihil verita persecutiones, mirificè componebat. Quid multis? Rex ipse Clotarius virginis moribus & animi candore delectatus, præparatis expensis, coniugem eam sibi stabili matrimonij fœdere iungere statuit. At illa gloriam mundi fugiens, nocte cum paucis elapsa est. Deindè Rex cùm eam Suessionis direxisset, vt Reginam eligeret, rursus fuga sibi cõsulit, ne quo modo regali pompa seculo cresceret. Sed cui diuinitùs etiam gloria humana destinata erat, tandem terreno Principi ita cõiuncta est, vt tamen à cælesti nequaquam separaretur. Iuncta igitur Principi, prima illi cura fuit, ne animus puluere mundanæ gloriæ aspergeretur:

13. August.

Patria & Parentes eius.

Abducitur captiua à Francis.

Clotarius Rex eam cõiugem petit.

Illa fugit.

Clotarius Rex eam ducit vxorem.

Benignitas eius in pauperes.

geretur: neuè Creatoris sui oblitus paulatim per abrupta vitiorũ in tartara laberetur. Itaque facultates suas omnes, & quidquid tributorum nomine accipiebat, pauperibus deputauit.

Humilitas eius.

Atheias domum instruxit, in qua congregatis egenis, fœminas suis ipsa manibus in thermis lauabat; morborũ putredines curabat; virorum capita diluebat; ac postremò lotis omnibus potiones salubres ministrabat. Sic deuota fœmina, nata & nupta Regina, palatij domina, pau-

Abstinentia eius.

peribus seruiebat ancilla. Porrò inter regales epulas occultè faba vel lenticula vescebatur, precesq; horarias tempore soluebat suo; prorsus vt nõ rarò, (quãdo prolixior mẽsa eã retardabat) simulata corporis necessitate, è cõuiuio se subduceret, vt debitũ Deo redderet. Noctur-

Pietas egregia.

no itẽ tẽpore, ne animus Deo intentus carnali voluptate frãgeretur, bona Principis venia surgebat, & egressa cubiculo, humi se abijciebat: intentaq; supplicatione, corporis sui oblita, tãdiu rebus inhærebat cælestibus, donec carne planè præmortua, vix foco vel lectulo refici

Domat Cilicio carnem Regina.

posset; omnib' Quadragesimæ diebus, sub veste regia duro terebat carnẽ cilicio, precibus & sacræ scripturæ delicijs in Christo abũdè se reficiebat. Totũ illius studiũ erat vel in pauperibus nutriẽdis, vel in precibus pro sua suorumq; salute Deo offerẽdis. Vndè Regis ministri non

Ridetur à Regis ministris.

reginã, sed iugalẽ monachã eũ habere dicebãt, & frequẽter odio sanè iniquo animum illius in sanctissimam coniugem incendebant. Sed illa partim mariti offensam leniens, partim rixas à coniuge illatas modestò tolerans, cunctas difficultates insigni constantia superabat.

Iam

Iam verò in redimēdis captiuis quanta fuerit illius ſolicitudo, quis pro dignitate explicare poterit? Si enim quis à Rege vltimo adiudicatus eſſet ſupplicio, ſanctiſſima Regina mortis ſanè doloribus oppreſſa deficiebat animo; & nunc proceres ſolicitabat, vt pro reo apud Regem intercederent, nunc Regē ipſum blandimentis mulcebat, vt reo veniam tribueret. His igitur ſanctiſſimis occupata actibus, cū inſuper miraculis clareſcere inciperet, frater eius (incertū quo caſu vel qua de cauſa) innocēter neci datur, fortè vt Regina ad maiorē sāctitatem ijs ſtimulis proueheretur. A Rege igitur directa, Nouiomū ad beatū venit Medardū; orat, ſupplicat, inſtat & vrget, vt ipsā mutata veſte Domino cōſecret. Sed Medardus memor dicētis Apoſtoli, ſi qua ligata ſit cōiugi, ne quęrat diſſolui; diſtulit Reginā ſacro cōtegere habitu: & à maritali complexu, Domino conſecrare. Intereà proceres cognito Reginę propoſito, beato viro minantur, & vi ab altari auellunt, ne Regi coniunctam ſacro tegat velamine, & reginā Principi ſubducere præſumat. At Regina ſolius Chriſti inflāmata amore, intrat in ſecretarium, vt vocant, & monachali induta habitu, rurſus procedit ad altare, & beatiſſimū Medardū his verbis alloquitur; Tu ſi me conſecrare diſtuleris, pluſque hominem quàm Deum in re tam ſalutari timueris, neglecti officij pœnas profectò lues, & nihilominus à mundanis vanitatibus ad Chriſti caſtra tranſibo. Quo ille concuſſus tonitruo, ilicò manu ſuperpoſita, diaconam eam conſecrauit.

Miſericordia eius erga captiuos.

Frater eius innocenter occiditur.

1. Corinth. 7.

Induit ſe Regina habitu monaſtico.

Fit monacha ex Regina, & conſecratur diacona.

Mox indumēto nobili abiecto, & rebus omnibus

nibus inæstimabilis precij cum gemmis ante altare Deo oblatis, horrido se cultu induit, ac velamen à Medardo suscipit, viriliterque pœnitentiæ labores aggreditur; adeò vt à tempore susceptæ religionis, præter legumen & olera, in cibum nihil admiserit. Sed hæc exigua sunt, si cum studio charitatis, (in quo perfectio legis consistit) conferantur. Nam præter quotidianam mensam, qua maximam pauperum multitudinem excipiebat, qualibet quinta feria & sabbato, parato balneo morbidos & calamitosos fouebat, nec quicquam purulenta fastidiés membra, cutis putredines suis ipsa manibus tergebat; capita scabie exesa pectebat; vlcera cicatricum superfuso oleo mulcebat: atq; omnia deniq; morborũ cõtagia, incredibili quadã mansuetudine, salutari medicamine curabat. Hinc instructo opiparo conuiuio, singulis alacriter ministrabat; inualidis manus pariter & os; tergebat; languidis & cæcis cibos cum cochleari porrigebat: ac postremò cunctos lauto tractatos conuiuio in pace dimittebat. Nec minori cura ac sedulitate lepra deformatos excipiebat; oscula figebat; maculas proprijs lotas manibus linteo tergebat, vlcera preciosis vnguentis liniebat: ac recedentibus auri & vestimenti munuscula suppeditabat. Nec curæ illi erat cui inseruiret, quæ se totam omnium obsequio & necessitatibus deputauerat.

Studiũ charitatis eius erga proximos sanè admirandum.

Tractat leprosos humanissimè.

At verò Rex, prauis procerum suorum instigatus consilijs, statuit eam ab illa vitæ austeritate & à sordibus (vt dicebant) monachalibus, ad pristinum regiæ dignitatis splendorem reuocare. Tunc illa, ne ab illo suauissimo Christi com-

complexu auelleretur, rursusque maritalis subire cogeretur dolores, dies noctesque precibus iunxit, & flagellis multò durioribus carnem triuit; Christi numen supplex cum ingenti lachrymarum vi implorans, ne terreno Regi iterum iungeretur, quæ in Regis cælestis iam admissa esset amplexus. Præterea à Pictauis sibi monasterium construxit, eaque pietatis & religionis opera præstitit, vt Rex admirandis illius operibus tandem superatus, ac prioris in illam odij pœnitudine ductus, se indignum iudicauerit, qui deindè sanctissimæ illius mulieris amplexibus frueretur. Atque vt omnibus testatum faceret, quanta eam veneratione prosequeretur, quamque vehementer praua illorum consilia, qui Reginam in studio religionis impedire conabantur, detestaretur, ad pedes S. Germani Parisiensis episcopi antè S. Martini limina palàm se prostrauit, orans vt à beata Radegunde veniam illi peteret, quò orationum & meritorum eius particeps fieret, regnumque fœliciùs ad animæ salutem administraret.

Construit monasteriũ.

En quanti Rex Clotarius post multas persecutiones eam fecerit.

Igitur Regina cunctis, quas inimicus tendebat, liberata insidijs, monasterium suũ, magna puellarum sequéte caterua, ingressa est: vt præclariora adhuc perfectionis ornamenta sibi cõpararet. Et quidem vt Christo sponso suo tota mentis virtute inhæreret, ex vniuerso sacrarum virginum numero, vnam cæteris præstantioré elegit, ac summa cum potestate omnibus præesse voluit, cui se suaque omnia ita subdidit, vt nihil sibi reseruaret. Ibi tum videre licebat nobilissimam reginam, vilissima quæque culinæ officia sedulò subire, & omnia, quæ suprà retu-

Ingreditur monasteriũ suum.

Subdit se alterius volũtati & regimini.

Admiranda eius humilitas.

limus, charitatis munera exhibere, adeoque ſui abiectione & contemptu gaudere, vt cunctæ tantam illius humilitatem vehementer obſtupeſcerent.

Dirè ſeipſam affligit & ad martyrij exercet.

Nec ijs humilitatis contenta officijs, ſeipſam quotidie Domino immolabat; martyrijque accenſa ardore, delicatam carnem incredibili cruciatu affligebat. Diebus Quadrageſimæ, tres circulos ferreos collo vel brachijs cùm innexuiſſet, totidemque catenis corpuſculum ſuum ſtrictius alligaſſet, tenera caro paulatim ſupercreſcens, durum ferrum ſub cute recondidit; prorſus vt non niſi medica manu, nec ſinè ſanguine copioſo, indè euelli poſſent. Præterea & lamina aurichalcea vehemẽter ignita, carnem ſæpius concremabat, vt animum ad martyrij labores vehementiùs accẽderet, ac in rebus leuioribus periculũ faceret, nũ gratia Chriſti adiuta, acrius martyrij certamẽ, ſi opus eſſet, ſuſtinere poſſet. Hęc aũt omnia cũ clanculũ perageret, & in cordis penetrali, admirãdę ſanctitatis moliretur opera, virtus miraculorũ, quæ ſe vndiq; prodebat, eadem occulta eſſe non patiebatur. Nam & dęmoniaci ad conſpectũ eius ſanabantur, morbi & languores fugiebant, cæcitates oculorum pellebantur; mortua fuit excitata: denique homines ſcelerati, quod eſt præſtãtiſſimum, peccatorum tenebris occæcati, illius interceſſione & meritis cæleſti lumine & cognitione vitæ æternæ illuſtrabãtur. Quid multis? tot tantæque per eam coruſcabant virtutes vt vix iuſto ſermone explicari queant. Itaque & Chriſti gratia & miraculis plena, Idibus Auguſti è corpore in cælum emigrauit; cuius

Miracula ab ea adhuc in viuis patrata.

vene-

venerabile corpus, vir Apostolicus Gregorius, antistes Turonensis absente tunc temporis Pictauiensi Episcopo, in Basilica S. Mariæ honorificè sepulturæ mandauit, præcedentibus mirabilibus signis itidem illustratum iugiter.

Eadem fiunt ad sepulchrũ eius.

VITA S. VVERENFRIDI, QVI FVIT ex viris Apostolicis missus ex Anglia, ad conuertendos Hollandos, Frisones, Geldrenses, Saxones, &c. ex ea quæ est apud V. P. Laurentium Surium. Claruit Anno Salutis 697. Sergij Papæ 10. &c.

Vide 8 Tom. Annal. C. Baron.

TEMPORE quo * VVillebrord⁹, spectata religione ac sanctitate vir, ex Anglia ad Francorum, Frisonumque gentem Christo subiugandam profectus est, VVerenfridus, qui ijsdem in partibus Anglorum oriũdus extitit, nõ solùm exemplis sed & vestigijs præclarè eũ secutus est. Patria namq; & parẽtibus Christi amore relictis, indiuiduum se illi comitẽ in gloria & ignominia constanter præbuit: & animas non paucas sanctæ prædicationis officio, Christo lucrifecit. Postquam. n. Vvillebrordus prim⁹ omniũ Vltraiecti antistes designat⁹ fuit, VVerenfridus auctoritate eius quendam illius Diœcesis locum, quem Elste vocãt, & VVesteruoert verbo & doctrina regendum suscepit, vbereſque ade ò animarum fructus Deo breui retulit, vt tota diœcesis, quæ ad illud vsq; tempus nefanda dæmoniorum superstitione conflictata erat, vesanis gentium ritibus ac detestabili inanium deorum cultu sublato, sanctissima Christi sacra susceperit, seque totam, vni Christi famulo Vverenfrido, sanctioribus reli

14. Aug.

** VVilibrordus.*

Patria eius.

VVillebrordus primus Vltraiecti episcopus.

In Elste verenfridus prædicat.

gionis Christianæ disciplinis imbuendam commiserit. Hoc verò vir diuinus non verbo tãtum, sed excellenti vitæ integritate effecit; quæ gentis illius animos ita permouebat, ac insolitæ virtutis splendore illustrabat, vt cuncti nõ hominem sed angelum è cælis missum crederent. Nihil enim in eo, quod ad virtutum omnium perfectionem attinet, requiri videbatur. Itaq; post vberem animarum messem Domino oblatam, omnis colluuionis immunis, ac meritorũ trophæo insignis, in VVesteruoert ex huius carnis migrauit ergastulo, sinè fine fœliciter gauisurus in Domino. Sacrum corpus eius fuit longam vtriusque loci populorum post altercationem, insigni de a arca testamenti Domini renouato miraculo demùm diremptam, in Elste, cum omni veneratione, ingenti omnium luctu sepulturæ commendatum: Ibi per tanti Patris intercessiones multæ miraculorum declarantur à Domino virtutes.

Obitus eius.

Locus sepulturæ eius.

a 1. Reg. 6.

Claret miracula post obitum.

Vide C. Baronij Annal. Tom. 1 Anno Christi 48. & Not. in Martyr. Rom 15. Augusti.

ASSVMPTIONIS SOLENNITAS

Sanctißimæ Dei Genetricis Virginis Mariæ. Ex R. P. Ludouico Granatensi & sermone Ioannis Damasceni, adiunctis paucis ex C. Baronij.

CVM multa sunt ac penè innumera, in hac sacratissima solennitate commemoratione dignissima, illud nos tantùm pro instituti nostri modulo attingere volumus & debemus, qua celebritate ac lætitia, hodierna die Sacratissima Virgo à supernis ciuibus excepta sit.

Principio igitur cõstat, inter alia Angelorũ mini-

ministerio hoc inprimis numerari, quòd sint animarum nostrarum (si piè vixerimus) in cælũ portitores. Sic enim mendicus ille Lazarus, (in Euangelio, ipso Domino referente) ab angelis in sinum Abrahæ portatur. Quòd si ex vngue leonem (quod aiunt) æstimare licet, iam tum conijcere poterimus, qua celebritate & pompa, quibus hymnis & canticis, & qua celestis illius Senatûs lætitia, Mater Regis æterni hodie excepta sit. In terrenis quippè regnis hoc videmus, quòd cũ noui Regis nuptiæ celebrãtur, aut filius regni hæres nascitur, aut etiã Rex ad Imperatoris dignitatem euehitur, & imperatoria corona redimitur, regni Proceres, quo quisque Regi charior, & in eius regno præstantior est, eo sumptus maiores in Principis sui gratiã facere, maioremque lætitiæ significationem dare. Cùm igitur hoc die Regis æterni Mater in cælum conscenderit, vt regiam coronam, dignitati & meritis eius debitam, perciperet, superni illi ciues, qui tanto charitatis ardore communem Dominum & Regem suum prosequuntur, qua hodie lætitia perfulrârunt? qua frequentia ad hunc diem celebrandum conuenerunt? quibus hymnis & canticis Matris Domini sui laudes prædicârunt? cum omnes intelligerent, gloriam Matri Dei exhibitam, in Regis sui gloriam redundare? Quale autem hoc genus obsequij fuerit, nemo poterit mente cõplecti, nisi qui charitatis magnitudinem, qua communem Dominum Sancti diligunt, potuerit pro dignitate æstimare, qui solis ipsis ac Deo cognita est. Accessit & alia causa, quòd cũ superni ciues, fælicitatis suę gloriam, & omnia

Angeli Sanctorum animas in cælũ deferunt. Luc. 16.

gratiarũ genera, quibus ad illam peruenerunt, humanitati Christi debeant, hoc est, innocentissimo illi Agno, qui occisus est ab origine mundi, cui omnes salutẽ sua in Apocal. magnis vocibus acceptam fecerũt, cum, inquã, tantum honoris & glorię huic sacrę humanitati & sanguini debeant, consequens erat, vt proximo loco beatissimæ Virginis se debitores profiterentur, ex cuius intemeratis visceribus, illa caro, ille sanguis, illa humanitas delibata est. Illam igitur post filiũ, tanquã mediatricẽ salutis, matrem gratiæ, ministram gloriæ, cæli fenestram, & vitæ ianuam agnoscunt, diligunt, amplectũtur, & toto affectu reuerentur.

Apoca. 13. & 5.

Quo iubilo virgo Dei para, à SS. in Cælo recepta fit.

Itaque hodierna die nõ solum in gratiam filij, sed etiã ob grati animi officiũ erga beatissimã matrẽ, oẽs è solijs suis surrexerunt; oẽs Virgini occurrũt; omnes sacris eius pedib⁹ prouoluti sunt: omnes eius laudes & gloriã cecinerunt; illiq; post filium salutis & felicitatis suæ beneficium acceptum retulerunt. Vbi Iudith vidua, abscisso principis Assyriorũ capite, Iudæorũ populum ab imminẽti exitio liberauit, seniores populi & sacerdotes magnificis eã titulis ornantes, Tu (aiebant) lætitia Israel, tu gloria Hierusalem, tu honorificentia populi nostri. Benedicta filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ communicauimus. Quanto igitur iustius hæ voces & laudes beatissimæ Virgini cõueniunt? quæ non Principis Assyriorum, sed serpentis antiqui capite cõtrito, nos à diaboli seruitute, à morte peccati, & gehennæ incendio liberatos, cælestis regni ciues effecit? Illam igitur meritis laudibus ornãt; illius gloriam

Iudith. 15.

Genes. 3.

riam prædicant; illam magnificis titulis nuncupant. Tu(inquiunt)genitrix gratiæ,inuentrix vitæ,mater,salutis;Tu stella illa orta ex Iacob, Num.24.
ex qua radius processit, qui vniuersum mundũ illuminauit. Tu viuũ & animatũ templũ Dei, in quo salus mundi nouem mensibus habitauit. Tu arca illa mystica testamẽti, quæ cæleste mã- Exodi 16.
na,hoc est,Angelorum & hominum panẽ, continuisti; Tu aureum illud propitiatorium, per 25.
quod infensum sceleribus nostris diuinum numẽ placatur. Tu veri Salomonis thronus,tu aula regia,tu thalamus,in quo cælorũ Rex & Dominꝰ requieuit.Tu hortus cõclusus, & fons sig- 3 Reg.10.
natus,qui nulli vnquã,nisi cęlestiSpõso,patuit. Cantic.4.

His igitur titulis,his vocibus, Sanctorũ omnium chori Virginis beatæ gloriã prędicabãt. Quæ autem vis orationis explicare valeat, quæ lætitia simul & admiratione beatæ illę mentes completæ fuerũt; cùm incomparabilẽ Virginis puritatẽ,& pulchritudinẽ,& clarissima virtutum eius odoramẽta perciperunt?Eorum quippè nomine hodie canit Ecclesia ; Vidi speciosam,sicut columbam;ascendentem desuper riuos aquarum,cuius inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis eius,& tanquam dies verni circundabant eam flores rosarum,& lilia conuallium.

Sed inter has tamen Sanctorum laudes & vo- Cantic. 2.
cẽs,multo dulciꝰ Virginis auribus dilectissimi filij vox insonabat; qui placidissimi vultu matri occurrẽs his vocibꝰ eã compellabat; Surge, propera amica mea,colũba mea,formosa mea, & veni.Iam enim hyems transijt,imber abijt & recessit,flores apparuerũt in terra nostra. Veni

sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Ad electos, Saluator in extremo iudicij die se dicturum esse ait; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me. Quanto ergo iustius hæc eadem verba, ad Matrem Filius inclamabit? Veni, inquiens, benedicta Patris mei, & accipe thalamum tibi antè mundi constitutionē præparatum; quæ me esuriētem pauisti, sitientē potasti, nudum carne vestisti, & hospitem ac peregrinum in terris, intrà pudicū pectoris tui hospitium excepisti, lactasti, & omni pietatis obsequio fouisti.

Matth. 25.

De Sacrosancto Virginis corpore quid actum.

Et hoc quidem splendidissimo comitatu, hac communi supernorum ciuium lætitia, hodierna die ad thronum sibi à Deo paratum beatissimam Virginis animam deductam fuisse, dubiū nō est. De sacratissimo verò illius corpore quid Ecclesia ex antiqua & verissima traditione acceperit, silentio transeundum non est. Siquidē tempore glorioſæ illius dormitionis, ferūt dispersos per orbem Apostolos, momento temporis diuinitùs Hierosolymis conueniſſe, eiusque exitum, Angelorum concentu & hymnis dulcisonis honoratum, pari gaudio & alacritate ab Apostolis celebratum fuisse. Sacratissimū autem corpus eius munda inuolutum syndone, & arca reuerenter inclusum, inclytis Apostolorum humeris in prædium Gethsemane delatum est. Cùm autem sacri portitores in montis essent descensu, aiunt Hebræum quendam, ser-

ferũ peccati, audaci & inconsiderato impetu, & infælici impressione, in diuinũ illud tabernaculum irruisse, & ambabus manibus apprehẽsum furiosè grabatũ in humum deijcere voluisse. Sed mox audax & nefarium facinus cælesti vltione fuit repressum; nam arescentibus manibus ipse concidit, agnitoque scelere, supplex sui reatûs veniam postulauit. Tunc Apostoli constitêre; ac mutilata brachia infelicis Hebræi feretro admouerunt, dictoque citius, pristinam incolumitatem, cum insigni dono fidei lætabundus accepit. Hinc Gethsemane in prædium tendentes, summa cum reuerẽtia corpus in monumento posuêre; vbi dies admodum tres continuos, cælestes hymni, Apostolis de more Ecclesiæ iusta ei soluentibus auditi sunt. Tertio verò die vnus Apostolorum, qui fortè tum præsens non erat, superuenit, voluitq; insita animi pietate, aperto monumento, corpori debitos deferre honores, & parem cum reliquis cultum exhibere. Cumque postulato eius annuentes reliqui loculum apperuissent, syndonem quidem honestè compositam viderunt, corpus verò nequaquam inuenire potuêre, sed ineffabilis quędam odoris suauitas ad omnium nares permanabat; prorsus vt mysterij obstupefacti miraculo hoc solùm cogitarent, quod cui placuit ex sacrosancta Virgine carnẽ assumere, & post partum incorruptẽ eius virginitatẽ cõseruare, ei quoque visum esse, intemeratũ eius & impollutum corpus, antè communem resurrectionis diem ad cælos honorificè tranferre.

Vltio diuina in perfidum, sacras Virginis reliquias violare conantem.

Cælestis melodia, ad eius tumulum triduo auditur.

Aperto monumento, corpus sanctissimum nõ inuenitur.

Porrò ne cui hæc eadem friuola videantur, sanè eorum confirmantur testimonio, quorum

& oculata fides, & auctoritas hactenùs ab Ecclesia recepta perseuerat. Nã vnà cũ Apostolis Sanctissimus Timotheus primus Ephesiorum antistes, & Dionysius Areopagita præsétes fuêre; sicut ipse præclaro cõfirmat testimonio, in iis, quæ de B. Hierotheo, (qui ipse quoq; tũc aderat) scripsit ad dictum Timotheum sic dicens; Nã etiam apud ipsos à Deo afflatos sacrorũ Antistites, quando nos quoq;, vt nosti, & multi ex sanctis nostris fratribus, ad contuendũ corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, conuenissemus, (aderat autẽ & Domini frater, Iacobus, & Petrus suprema & antiquissima Theologorum summitas) & viso sacro corpore, placuit omnibus prout quisq; poterat, hymnis celebrare infinitã bonitatem diuinarum virium. Hæc ille; Cæterùm quanquam de tempore quidèm obitûs Deiparæ Virginis diuersæ ferantur sententiæ, nec Ecclesia certum aliquod definierit, Illud tamen (sicut tam ex Græcorum tam Latinorum ferè omnium assertione, ita etiam ex Romanæ Ecclesiæ vsu recepto) firmiter constanterque est asserendum ac profitendum; Ipsam Sanctissimam Dei Genitricem Mariam, vt hominem, naturali exitu vita functam; vnaque cum Sacratissimo illo corpore, quo impartita est Deo carnem, in cælum esse receptam. Quod quidem haud adeò mirum vel nouum videri debet, cũ, si cætera in illam collata pensentur beneficia, hoc leuius censendum videatur, quod & alijs plurimis constat fuisse diuina liberalitate concessum. Quod si Christo resurgente ex mortuis, multa subindè (vt ait Euangelista)

Nota fidem iam dictorũ, ex Dionisio Areopagita.

Hæc C. Baron. Tom. 1. Annal.

Assertio de S. V. Mariæ assumptione.

ſti) ſanctorum corpora ſurrexerunt, & introierunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis; (Quos, penetrans ille cælos, duxit ſecum in altum, captiuam, (vt eſt apud Paulum) ducens captiuitatem.) Quid, inquam, tam mirum, tam nouum, vt matri conceſſum ſit, quod compluribus ſeruis conſtat fuiſſe tributum? Sunt & aliæ innumeræ rationes, immò & ſanctorum oracula Prophetarum, quæ non id ſuadeant ſolum, ſed & affirmare compellant; quæ cum ab alijs pluribus ſint recenſita, in illis diutius non eſt neceſſe immorari. *Matth. 27.* *Epheſ. 4.*

VITA S. ARNVLPHI, EPISCOPI Sueßionenſis, ex ea quæ eſt per Liſiardum eius ſucceſſorem. Exceßit ex humanis anno Domini mill-ſimo octogeſimo ſeptimo. Extat apud V. P. L. Surium.

Vide C. Baron. Not. in Martyr. Roman.

15. Aug.

PER id tempus, quod Flādrię regio Balduini Comitis & Adelæ cōiugis eius regimine ornabatur, regnum Francorū moderāte Henrico filio Roberti, & apud Anglos regnāte Eduardo Rege pientiſſimo, fuit vir nobilis, Fulbertus nomine, in pago Brabantiæ, apud fluuium Scaldem in villa, quam vocant Thidengen; qui non ſolùm genere ſed etiam mundanarum rerū copia locuples, inter cęteros cōterraneos & animo & carne modis omnibus eminebat. Porrò nobiliū more, digno matrimonio inito, ex nobiliſſima coniuge * Meinſinde filium elegantem ſuſtulit; qui iam adultus, & armis geſtādis aptiſſimus, ex humanis ſublatꝰ eſt. *Patria & Parentes S. Arnulphi.* * *Manſuende.*

Eius

Eius verò mors, tantum vtrique parenti & omni denique familiæ attulit dolorem, vt toto deindè anno in luctu & squallore versarentur.

Visio matris eius.

Mensibus verò aliquot in illo mœrore trãsactis, eccè in somnis apparuit matronæ illi, vir sanè speciosus, & multa luce splendidus, qui eã his ferè verbis affatus est; Quid ita teipsum mœrore consumis, filiumque ex hac mortali ad vitam meliorem translatum luges? An ignoras æquissimo Dei iudicio eum ex hac vita sublatũ? ne si longiora vitæ spatia ei cõcessa fuissent, per abrupta vitiorum in sempiternæ damnationis barathrum irruisset? Desine igitur stulto te dolore affligere, quin potiùs exulta, quòd in vtero gestes puerum superna prædestinatione in conspectu Dei magnificandum. Cui in lucem edito, Christophori nomen imponi curabis; Quandoquidem reuerà in hoc illi destinatus est, vt verbis & factis suo in pectore Christum ferat. Et vt certo noueris hæc ita diuinitus præfinita, abi ad ecclesiam, & in consueto orationis tuæ loco, humo fossa, inuenies lapidem, & nomine & meritis filij tui literis grandiusculis insignitum. Matrona tantæ laudis percepto oraculo, summa mariti voluntate & gaudio, ilicò assumptis famulis ad locum abijt, fossaque humo, lapidem quadratum, in eoque Christophori nomen profundè exaratum inuenit. Eo reperto, admiratione pariter & gaudio affecta, anxiè partûs diem præstolata est; ac tempore deindè opportuno, filium diuinitùs promissum enixa, cum incredibili gaudio & patris & propinquorum: eum ad Arnulphum Aldenardensem, virum diuitijs & potẽtia insignem, è sacro

fonte

fonte pro more ſuſcipiendum direxerunt. Is verò gaudio perfuſus maiori, nullo modo paſſus eſt Chriſtophorum eum appellari, ſed præ nimio propinquitatis amore, & faſtu quodam Arnulphi nomen ei impoſuit. Etſi autem Chriſtophori nomen non accepit, virtus tamen Chriſtum ferendi, indies in illo mirificè excreuit.

Magnũ corporis eius robur.

Interea magno ſtudio ac cura nutrici traditus, tanta cæpit & animi & corporis adoleſcere virtute, vt quinque robuſtorum excederet vires; ita vt omnes eum fortem Arnulphum nominarent. Et pater quidem ac mater eum cupiebant ſtudijs tradere literarum, ſed propinqui omnes, ac præcipuè Aldenardenſis Arnulphus, ex paterno ſanguine cognatus, ſumma vi reluctabantur, eumque ſummo conatu & ſtudio bellicis aptabant rebus; ac tandem etiam ſæcularis militiæ cingulo, cum multa cognatorũ exultatione donatũ, ad ſummos honoris ac dignitatis gradus euehebant. Erat enim Aldenardenſis Arnulphi maternũ ſtẽma ex Comitũ genere, nempè Ducis Louanienſis & Comitis Namurcenſis, Loſnenſis, Duſacẽſis atq; Montenſis, apprimè nobile. Itaq; pro voto amicorum, & nobiliũ cõſuetudine, ornamentis militiæ egregiè decoratus fuit; quẽ tamẽ mater tãta nobilitate ornatum, ex diuina ſponſione Arnulphum Chriſtophorum appellari voluit.

Nobilis proſapia matris eius.

Arnulphus Chriſtophorus.

Eius perfectio vitæ inter arma militiæ.

Cæterum pius piæ matronæ filius, ita inter ſæcularis militiæ arma verſatus eſt, vt cuncti ex ipſo vno, egregium virtutis acciperẽt exemplum, & tãquam in ſpeculo perfectiſſimam viuendi normam contemplarentur. Erat enim diui-

diuinis rebus intenta ſupplicatione aſſiduò deditus, pius in ſubditos, erga pauperes profuſus, & vt verbo concludam, cunctis virtutibus præclarè excultus. Sed cùm tot & tanta virtutum germina, vberes fructus pro voto, terrena militia eum retardante, proferre non poſſent, ſalutari apud ſe conſilio ſtatuit, ſæcularis militiæ ſtipendio deſerto, curas & labores omnes in illud cómutare, vnde certa cæleſtis vitæ præmia expectare poſſet.

Abit in Frãciam, Chriſti ſeruitutis.

Itaq; duobus conuocatis armigeris, iubet omnia armorũ genera expediri, vt cum eximio ornatu & pompa, Francorum Regis aulã poſſet adire. Parent illi imperanti; præparant equos, arma componunt, omniaq; ſtrenuo milite digna cõparant. Tum Arnulphus matri valedicẽs, (iam enim pater obierat) arripit iter Frãciam verſus; & neglecta Regis Philippi aula, feſtinus expetit Eccleſiã almi confeſſoris Medardi. Erat tunc illo in monaſterio præclara monachorum congregatio, ſub Reinaldo ſpiritalis militiæ ſtipendia faciens. Eius loci fratres, Arnulphum præcipua deuotione ad Chriſtum properantẽ & militiæ cingulum reſpuẽtem, charitatis officijs, vt par erat, excipiunt, armaque cum veſtibus cultiſſimis Eccleſiæ cõferentem tondent, & tonſum habitu regulari & Crucis Chriſti mortificatione induunt. Indutus Chriſtianæ militiæ armis Arnulphus, mox legibus & præceptis Dominicis diligenter imbuitur, annuoque curſu in aramite regulari ſtrenuè exacto, eleemoſynæ operibus per obedientiam deputatur. Præſtitit hoc vir ſanctiſſimus, qui miſericordiæ viſceribus totus affluebat,

Recipitur in monaſterio S. Medardi. Induitur habitu monaſtico.

Mirè beneficus in pauperes.

fluebat, tanta liberalitate, vt pauperes verũ patrem se nactum arbitrarentur.

Porrò cùm eodem in monasterio, per id tempus, monachus quidã Ereboldus nomine, Christi amore inclusus degeret, ei Arnulphus pietatis ergô, & vt eius disciplinis per familiare colloquium diligẽtius imbueretur, sedulò ministrabat; qui tandem post multos pœnitentiæ agones, cum mortis doloribus se vrgeri sentiret, aduocato Arnulpho, obnixè ab eo parum lactis ad refocillandas corporis vires petijt. Id vir diuinus vt ocyus exequeretur, panem vnũ, ex ijs qui pauperibus destinati erant, vendidit, ac precio illius lac emit, & seruo Dei alacriter obtulit. Interim Arnulphus cernens Ereboldũ ad vitæ terminum appropinquare, supplicibus ab eo precibus contendit, vt post obitum, statum illi suum reuelare dignaretur. Ille verò, quod fidei calore eum petere nouerat, se facturum fideliter promisit. Cumque à præsenti vita emigrasset, paucis post diebus iucunda visione Arnulpho se exhibuit. Vnde sanè mirificè exultans Arnulphus quæsiuit, num quid pœnarum perpessus esset. Cui Ereboldus; Lactis illius causa, quod tu mihi ministrasti, pœnarum nonnihil lui; quòd illud pauperum substantia comparasses. Sed tum hoc, tum alia omnia mihi clementer indulta sunt peccata, & nunc beatorum gaudijs securus fruor.

Ereboldus post obitum Arnulpho apparet.

Hac visione Arnulphus vehemẽter ad diuinæ seruitutis cultum inflammatus, non prius à precibus, alijsq; corporis afflictionibus cessauit, quã eandem secretæ conuersationis rationem

nem

nem à Domino obtineret, & ab omni homin
familiari congressu seclusus degeret. Eo auten
potitus desiderio, factus est Christi bonus od
in omni loco; suoque exemplo, præter alios i
numeros, ipsum quoque Theobaldum, nobil
cum primis adolescẽtem, ad eadẽ laborum pr
mia è medio honorum cursu allexit, multo
rumque mentibus virtutis rem mirabiliter in
stillauit.

Arnulphus se includit.

Ille verò cellæ angustijs inclusus, mente pa
radisi fruebatur delicijs; prorsus vt annis ad
modum tribus & mensibus sex, intrà perpetui
sese silentium continuerit, solaque diuinorum
librorum lectione animum oblectauerit. Dedit
quoque operam, vt scribendi peritiam obtine
ret: librosque componendi non contemnen
dam adeptus est gratiam. De cibo verò & potu
quid referam? cum diuturnis ille ieiunijs plus
delectaretur, quàm delicatis ferculis: panem
que ex hordeo semitrito non nisi parcè & rarò
sumeret.

Pontius pseudomonachus.

Intereà Abbate Reinaldo vitæ munere de
functo, Põtius quidam pseudomonachus, à Re
ge Francorum Philippo, nomen & sedem Ab
batis per Simoniam obtinuit; breuique mona
sterium & opibus & disciplinis florentissimũ,
exhausit: & omnia penè ornamenta vesana mẽ
te profudit. Cuius scelere meritò offensi fra
tres, habito inter se consilio, Suessionem anti
stitem adeunt; supplicant, vt cum loci primari
js à Regia maiestate alium illis pastorem petat,
electoque Pontio non Abbate sed tyranno, lo
cum illum, à Pontio subuersum atque omnibus
ornamentis impiè spoliatum, in pristinum

splen-

splendorem restituat. Satisfecit eorum postulato antistes Theobaldus; summaque Regis voluntate, electo Pontio, Arnulphum substituit. At verò Arnulphus, qui iam triennij & sex mẽsium silentium tenuerat, accepta antistitis fratrumque voluntate, vehementer indoluit, & inducias in alterum vsq; diem postulauit. Tum episcopus aduertens eum quippiã animo callidè versare, cõcessis inducijs, custodes in cellæ circuitu dispositi, ne nocturna fuga, quam animo voluebat, elaberetur. Verùm Arnulphus altis suspirijs, crebrisque gemitibus noctem ducens insomnem, vbi custodes optato correptos somno aduertit, per murũ aufugit, totaque penè nocte errabundus, tandem pauperis cuiusdam hospitio, in pago iuxtà montẽ Laudunensem exceptus fuit. Intereà vt primùm fuga innotuit, ilicò permulti in regiones ablegantur, vt virum sanctum à fuga retrahãt, domumque reducant.

Arnulphus Abbas eligitur.

Meditatum fugam.

Hæc vbi audiuit reuerendus heros, vt quærentium euitaret manus, prima noctis hora è strato consurgens, ad pagi illius Ecclesiam abijt: ibidemque ante ianuam prostratus, profuso lachrymarum imbre diuinã opem supplex implorauit, vt cœptum iter prosperè dignaretur dirigere. Cumque expleta oratione exauditum se à Deo putaret, ad remotiora deserti loca fugere decreuit. Et eccè subitò lupus ingens ab improuiso aduenies, illi se itineris comitem adiungit. Ille ratus ex lupi comitatu se facilius ad auia loca peruenturum, illum præeuntem sequitur; sed duce lupo, vel potiùs auctore Deo nocte ad vrbem Suessionensem redit, se lensq;

Lupus se illi in fuga adiũgit.

Lupi ductu ignarus ad Vrbẽ venit.

Lupi ductu ignarus ad Vrbem venit.

in cliuo ei propinquo orto Sole, vbi esset dem agnouit. Animi ergò anxius & mœrore confectus, ante quàm nouas latebras quærere posset, fuit à nobilibus & vrbanis, Monachis pariter & Clericis à fuga retractus, & Abbatis officio ac honore vel inuitus decoratus. Itaque cùm diutius reluctari se non posse cerneret, cerui-

Inuitus fit Abbas.

cem oneri subiecit; collapsam monasterij disciplinam & doctrina & exemplo restaurauit: & distracta Ecclesiæ ornamenta reuocauit. Indè verò annis aliquot, clarissimis miraculorum virtutibus non modò fratres in omni sanctitatis continuit officio, sed & exteros etiam à prauitate vitæ ad meliorem frugem adduxit.

Sed quia ratum hoc est inter mortales, nihil esse ex omni parte beatum. Odo quidam illius subditus, summis inuidię stimulis in virum Dei concitatus, indicauit Regi Francorum Philippo, contra hostes bellum molienti, antiqua cõsuetudine receptum esse, vt S. Medardi Abbas regiæ expeditioni intereſſe; cogeret igitur Arnulphũ, vt cum armato milite regiam in expeditionẽ iret. Excepit Rex Odonis consiliũ gratulabundus, monuitq; Arnulphũ, vt ilicò arma expediret, sociumq; se periculi præberet, vel certè Abbatis loco & nomini cederet. His auditis, vir eximius honoris culmen pro nihilo ducens, ilicò elegit sibi Geraldum successorem; virum & scientia scripturarum egregiè instructum, & omni honestate conspicuum; seque cõfestim cellæ includẽs, pristina pœnitentiæ opera incredibili animi ardore resumpsit.

Abdicat se libentissimè Abbatis officio.

Porrò Geraldo Abbate ocyus instituto, de-

repen-

repentè aduolat memoratus ille Pontius, vesanus monastici Ordinis temerator, ducens secum Reginam Bertradam: quæ authoritate regia, viro Dei Arnulpho frustrà obnitēte ac cæleſtem vltionem denuntiante, Geraldum expulit: & impium Pontium contra fas in administrationem intrusit. Et quidem B. Arnulphus, cum præter omniū opinionem vitam ibidē inclusus multò suauis iucundiusque duceret, tū eiusmodi virtutum studijs & exercitijs celebre adeò nomen longè lateque sibi cōparauit, vt totius regni nobiles eius benedictionibus frui peroptarent, & omnes in dignitate positi eius colloquium ardenter expeterent, vt cū de pace Ecclesiæ, tum de animarum salute ab illo consilia peterent. Inter ea verò, dictu mirū est, quantis miraculis & quàm egregio prophetiæ spiritu claruit; quæ omnia nos breuitatis studio omittere cogimur. Veniamus ad illa quæ ex solitario factus Episcopus designauit.

Fit celebrior apud nobiles omnes, cellæ inclusus quā Abbatis honore decoratus.

Postquàm Suessionū antistes Theobaldus, vitam hanc caducam cum meliore permutauit, Arnulphus fuit ad id honoris fastigium, quanquàm inuitus & planè reluctans, reuectus, & infula pontificali summo Suessionensis populi gaudio decoratus. Sed cū iam ante, Vrsio Geruasij regij dapiferi germanus frater, sedem illam occupasset, & armatorum circumcinctus turba per fas perq; nefas, Regis fauore fretus, episcopalem dignitatem retinere vellet, Arnulphus pacis quàm discordiarū studiosior, in quodam castello eiusdem diœcesis, quod Vlciacum vocant, sedem sibi constituit; ibidemque accurrentibus ad eū promiscuis populorū

Succedit Theobaldo in Episcopatu.

turbis, officio suo egregiè est perfunctus. Tandem verò post alia atque alia pietatis munia Ecclesiæ, magna cum sanctitatis laude præstita, vitificis perceptis sacramentis, tempore diuinitus ei revelato, obdormiuit in Domino, (quippè Kal. Septemb. anno Christi 1087. Aldenburgi in Flandria; quò tum, pro pace Reipublicæ componenda, Deo ita disponente iam secundò erat euocatus; Vbi & corpus eius in Ecclesia S. Petri honorifico monumento conditum est insigni hoc Epitaphio decoratum:

Obitus eius.

Epitaphium S. Arnulphi.

Miles in hoc mũdo, modo puluis in hoc monumẽto,
Militiam mundi spreuit amore Dei:
Cuius tutela, qua viuitur absq; querela,
Primùm deuotus Suessonis monachus;
Et mox Angustæ deuotior incola cellæ
Et per pauperiem, frigus & esuriem;
Atque per insomnes in fletibus & prece noctes,
Virtutum studijs extulit & meritis:
Abbas dein factus & præsul vtrunq; coactus,
Quæ dignè subijt, dignius excoluit.
Huc veniens demùm, Domino donante, supremum
Claudens morte diem: transijt ad requiem.
Transitus eius ei prouenit fine diei,
Quem sequitur celebris, orbe colente, dies:
Qua cæli Dominum de mundi valle Mariam
Intulit æstricolis calica turma choris.
Præsulis Arnulphi quo festa dies celebratur,
Præsulis Arnulphi corpus humo tegitur.

Fuit verò cùm in vita, tum post obitum tantis clarus miraculis, quanta nulla vis orationis pro dignitate explicare potest.

BRS-

BREVIS VITA S. ARSACII CONfessoris, quem Latina Martyrologia Vrsatium vocant: ex historia Ecclesiastica Sozomen. lib. 4. cap. 15. Obijt anno Domini 358. Liberij Papæ 7. Constantij Imperatoris 22.

vide C. Baronij annal. Tom. 3.

CIVITAS (Nicomedia) tam exiguo temporis momento, terræmotu cõcussa est, vt qui cuperent aliò confugere, nõ possent: sed prima periculi aggressione, quo quisque stetit loco, in eo magna ex parte aut seruatus est, aut perijt. Est prętereà multis in ore, Arsacium hanc antè vidisse calamitatem, quàm acciderit. Qui genere Persa fuit, & ex milite, qui Imperatoris leones nutriebat, insignis cõfessor, regnante Licinio, factus, relictaq; militia, in arce Nicomediæ, intra murum, monasticam exercens disciplinam, habitauit. Quo in loco diuina visio ei oblata, iussit ex vrbe egredi, quò vitaret cladem, quę esset eam posteà occupatura. Maturè igitur ad Ecclesiam profectus, dat mandatum Clericis, vt supplices Deo preces sedulò exhibeant, quò imminentem ciuitati cladem orationibus auertant. Vbi autem frustrà eis persuadere conatus est & ludibrio habitus, simul vt calamitatē eos nec opinantes oppressuram præsignificauerat, ad arcem reuertitur, & humi faciem proiectus, Deum precatus est.

16. Aug. Nicomediæ horribilis terræmotus.

Patria eius.

Admonet eos diuinitus, de terræmotu futuro.

Intereà temporis, vrbe terrę motu concussa, complures obtriti perierunt; qui autem supererant, in agros & solitudinem profugerunt. Siquidem velut in ciuitate opulenta & ampla,

singulis in ædibus ignis accensus fuit; in focis, furnis, & caminis balneorum, & eorum qui eas exercent artes, quibus igni opus sit; adeò vt tectis ædium terræ motu disturbatis, flamma eorum materiem occuparet, ligniſque aridis, vt est verisimile, admixtis, & rebus oleo & pinguedine perfusis, quę facilè incendi solent, affatim nutrita crescceret: atque in omnes partes serpens, ac tandem velut in vnum confluens, efficeret, vt tota vrbs instar vnius (penè dixerim) rogi videretur. Et quoniam in hac clade ad ædes accedi non posset, qui incolumes ex terræmotu euaserant, ad arcem procurrerunt. Arsacius autem in turri, quæ steterat inconcussa, pronus decumbens, sicut se, cùm orare cepisset, extenderat, mortuus repertus est. Fama verò est, eum à Deo precibus contendisse, vt antè cladem mortem oppeteret; moriqúe maluisse, quam calamitatem oculis cernere vrbis illius, in qua primùm Christum cognouerat, & Ecclesiastica disciplina imbutus fuerat.

Terribile incendium.

Obitus S. Arsacij.

Sed quoniam ad hunc virum nostra delapsa est oratio, intelligendum est, eum præ amore, quo Deus illum complexus est, potuisse dęmones abigere, & homines ijsdem agitatos purgare. Nam cum quidam vexatus dæmonio, per forum gladio stricto curreret, omnesque in effusam conuerteret, & tumultus vrbem occuparet, Arsacius factus illi obuiam, Christum nominauit, verbo hominem deiecit, eum extemplo dæmone purgauit, & ad sanam mentem reduxit. Edita sunt etiam ab illo alia multa opera, quæ supra humanam facultatem ar-

Dæmones ex obsęssis fugat corporibus.

tem-

temque putanda sunt; quorum hoc vnum fuit; Erat fortè Draco, vel aliud serpentis genus, quod viatores illac iter habẽtes antè flatu suo peremit, quàm oculis eorum cerneretur; nam in quodam specu propter viam obtulit. At quẽ locum accedens Arsacius, orauit; serpens autẽ sua sponte egreditur è specu, & capite bis ad terram allisо, se ipse interfecit. Atque ista cõmemorârunt hi, qui dicebant se ab illis audiuisse, qui ipsum Arsacium oculis aspexissent.

Draconem hominibus infestum interfecit.

VITA S. ROCHI, CONFESSORIS eximij. Excessit è corpore Anno Salutis 1327.

Vide Not. C. Baronij in Martyrol. Rom 16. Aug.

S. Rochus cõfessor Christi glorioſus, Narbonẽsi oppido Mõtis Pessulani oriũdus, patre Ioanne, matre, verò Libera, illustribus oppidi illius dominis, rubra cruce insignitus, in lucem prodijsse fertur. Is duodecimo ætatis suę anno parentibus orbatus, incredibili seueritate bellum suo corpori indixit: & patria, & amicis relictis, cunctisq; possessionibus ac facultatibus sanè amplissimis pauperibus distributis, ac postremò oppidis paternis, vnà cum principatu, patruo cõmissis, breui & abiecta indutus veste, cum pileo & perâ, peregrini instàr, ex Gallia in Italiam commigrauit. Itaque cum Romam animo proposuisset, antèquã eò perueniret, Aquampendẽtem ingressus ciuitatem, Vincentio Nosodochij magistro se iunxit; vbi cunctos pestilenti contagione ad mortem, infectos, signo Crucis (haud sinè ingẽti omniũ admiratione) integra & perfecta sanitate donauit. Indè alias Italiæ ciuitates &

Clari natales eius.

Peregrinatur.

Seruit in Nosodochio, & sanat omnes peste laborantes signo Crucis.

castella obiens, plurimos truci pestilentia correptos, simili ratione ac virtute sanauit. Quibus gestis, & ipse cælesti admonitus oraculo, quamuis corporis cruciatibus & tormentis exercendus esset, acutissima febre corripitur, coxaque sinistra, sagitta transfigitur. Ex ijs porrò doloribus, mortisque periculis vt incolumis euasit, Galliam Deo comite longis itineribus repetijt. Porrò in via noua correptus infirmitate, in eremi solitudine sub arbore se abiecit, hominibus quidem ignotus, sed nobilis cuiusdam cani, Deo id agente, probè adeò cognitus, vt is idem, panem de Domini sui mensa quotidie ei adferret.

Corripitur Febre.

Alitur diuinitus ministerio canis.

Tandem verò post varios labores & corporis afflictiones in Galliam delatus, cùm illa tunc bellorum incendio vexaretur, fuit in paterno castro, tanquam explorator in vincula coniectus; vbi annis admodum quinque, à patruo incognitus, carceris squalorē inuicta quadam animi patientia sustinuit. Quo tempore exacto, penè opprimitur; qua cùm se exanimari, mortemque adesse sentiret, sacris Ecclesiæ munitus sacramentis, ante quàm è vita excederet, supplicibus admodum à Domino precibus contendit, vt quicunque patrociniū eius cum fide postularet, à pestilenti cōtagione immunis permaneret.

Mittitur in carcerem.

Corripitur peste.

Moritur.

Eo itaque vita functo, ad latus eius tabella his literis inscripta reperta est; Peste laborantes, ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam atrocissimam euasuros significo. Quod & ad patruū eius, principem, delatum est; is, agnito suo ex fratre nepote, profusa ingen-

ingenti lachrymarum vi, corpus eius sanctissimum cum summa pompæ celebritate ad templum deferri curauit; indè exequijs rite peractis, eidem honorificam admodum erexit basilicam; vbi vir sanctus per multos annos inauditis signis & virtutibus coruscauit. Fama deindè virtutum & miraculorum eius cum in Germaniam, tûm in Italiam perlata effecit, vt vndique illi & templa & sacella construerentur.

Claret miraculis post obitum.

Porrò sacratissimum illius corpus fuit anno 1484. à quibusdam è Derdonensi diœcesi furtim sublatum, ac tandem Venetias aduectum; vbi à Senatu Veneto, ac vniuerso populo tanta festiuitate ac gaudio exceptum fuit, quanquam nulla vis orationis pro dignitate explicare queat.

Transfertur Venetias corpus eius.

VITA S. ARNVLPHI* METENSIS Episcopi, Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Surium: Obijt Anno Salutis 640. Ioannis eius nomine 4. Papæ, 1. Heraclij Imp. 31. Dagoberti verò Francorum Regis 9.

* al. Arnulfi. Vide Tom. 8. Annal C. Baron. & Notat. in Martyr. Rom. 16. Augu.

Quo die eius festum celebratur, propter translationē illius.

S Arnulphus in Francia, parentibus diuitiarum ac nobilitatis claritudine multum conspicuis natus: à Stephano quodā seruo Dei, in ipsis natiuitatis exordijs, futuræ sanctitatis insigni meruit decorari testimonio. Porrò opportuno tempore, literarum studijs imbuendus traditus præceptoribus; cum esset præclaræ admodùm indolis, sagacis ingenij, memoriæque capacis; in tantum breui tempore profecit, vt cæteros contubernales suos, multis parasangis superaret.

Primordia eius.

Cumque iam egregiè edoctus, ad robustam

Degit in aula Regis.

peruenisset ętatē, in bonis actibus exercitādus, oblatus est Gundulpho subregulo siuè palatij Rectori: quē ille per multa deinceps experimenta probatum, Theoberti Regis ministerijs applicauit. Ecquis verò illius in armis & bellicis rebus strenuitatem satis enarrare queat, quandò ille sepè aduersarum gentium phalanges suo ferro abegit? Vndè Christo directore, qui dudùm penè omnium infimus videbatur, demùm effectus est omnium summus; ita vt sex prouinciæ, quas tunc totidem curabant Regis domestici, sub illius administratione, eius solius arbitrio regerentur: interim haud segniter in orationibus, in ieiunijs, in pauperum miserijs subleuandis, alijsque spiritalibus exercitijs sese exercendo. Porrò parentibus & amicis ipsum cogentibus vix cedens, illustrissimæ prosapiæ, præclariumque morum duxit vxorem; ex qua duorum filiorum gaudio suscepit: ita tamen vt iugis eius meditatio circà monasteria & loca sancta versaretur.

Maguis honoribus potitur.

Pia eius exercitia.

Per id tempus verò erat in Regis ministerio Romaricus, vir egregius; qui cognito eius desiderio sancto, familiari ei affectu iungitur: atque adeò tandem relictis omnibus ad *Lerinum. *Lirinense monasterium, Christi amore proficisci simul statuunt. Verùm hac in re vtriusque desiderio altissimi voluntas obstitit. Contigit siquidem interim vrbem Metensem suo orbari Pontifice; cum subitò vnanimi corde & voce, populus Arnulphum Regis domesticum & Consiliarium Episcopatu dignum planè acclamat. At ille primò multum resi-

stere

fere obnitiqúe; demum cernens Deo sic visum esse, compulsus, cum lachrymis humeros oneri subiecit: ita Pontificalem ferens infulam, vt cogeretur, priorem curam & Aulę solicitudinem, nec non & Palatij Primatũ seu Magistratum retinere. *Creatur Metensis Antistes.*

Porrò ad hanc dignitatem sublimatus vir sanctus, sedulò cauit ne illi honores in peius (vt assolet) mutarent mores. Ilico etenim tãta illi accessit in pauperes munificentia, vt fama per longinquas regiones & ciuitates sese diffundente, innumera pauperum multitudo vndiqúe ad eum refocillanda festinaret. In suscipendis autem monachis & peregrinis intantum extitit humilis & deuotus, vt quos hospitio recepisset, proprijs manibus, eorum ablueret pedes: vestitos deindè, & cibo potuqúe satis refectos in pace dimitteret. Abstinentiæ verò eius rigorem condignè explicare quis possit? cum præsertim interdum post triduana vel prolixiora ieiunia, pane hordeaceo & aquæ potu victitarit? Quin & occultè asperum iugiter ad nudam carnem gestans cilicium, exesa & macerata membra spiritui egregiè subdita esse, indefessè cogebat. *Benignitas eius in pauperes, Religiosos, ac peregrinos.* *Rigor vitæ ipsius.*

Quo ferè tempore * Clotharius, peremptis hostibus, cum solus totius Galliæ regni monarchiam consecutus esset, nihil antiquius habuit, quam vt coleret pietatem, Deiqúe amicos, viros sanctos, vsu sibi amicitiæ iungeret, atque consiliarios adhibet. Fuit ex ijs vnus sacer hic Antistes, cui suum filium Dagobertum tradidit instituendum: quẽ regni **al. Clotarius.*

Clothārius Francorum Rex, quanti eum fecerit.

regni totius hęredem fore ſperaret. Tanti ſiquidem ſanctum Præſulem faciebat Rex, vt eo inconſulto quicquam facere non auderet; itemque Regina: qui non interdiu tantum, ſed noctu etiam eundem ſæpius adire ſolerent: vndè curialibus canibus oblatrandi in eum & famam eius dilacerandi ac corrodēdi occaſio data eſt. At ſeuerè admodùm Deus vltus eſt in huiuſmodi detractores.

**al. Notto.*

Quidā enim ſceleſtus homo, nomine *Noddo, auſus eſt irrogare cum complicibus ſuis Epiſcopo ſancto iniuriam; aſſerens ſcilicet eum non eſſe cultorem Dei, ſed potius hominem deditum voluptati: ad cuius lectum nocturnis honoris non ſolum Rex, verumetiam Regina, tanquàm conſilia flagitantes interdū properarent. Cum ergò vir ille die quadam, aluo referto vino, vnà cum detrahēte ſocio ſuo ſtrata petiſſet, eccè iubente Domino, omnia illorū veſtimenta vallantur vndique flamma. Quibus ilicò cum ingenti clamore proſilientibus, & aquam circà nates ac genitalia loca, vbi camiſię illorum acerrimè cremabantur; inijcientibus, nec omninò flammam diuinitùs miſſam extinguere valentibus, tandem ad inſtar porcorum luto volutabri ſeſe pariter inuoluunt; & ibi diu vociferantes, vix ad vltimum, pœnam, quā meritò patiebantur, euaſerunt, nec diu poſt Noddo ille, in ipſis ſacro Præſuli impiè obiectis flagitijs depræhenſus, Regia animaduerſione, vnà cum filio vita priuatur.

Diuina vltio in detractores viri Sancti.

Per id tempus cum vir ſanctus iam penè omnes theſauros Eccleſiæ in vſus pauperū erogaſſet,

set, supererat adhuc discus argenteus, habens libras septuaginta duas. Hunc quidam Hugo primus procerum prouisis primò pauperibus de necessarijs, dato pretio comparauit: Sed omnipotens Deus haud passus est, vt laicus illo frueretur, qui in honorem Beati Stephani protomartyris olim consecratus habebatur. Prædicto siquidem Hugone repentina morte sublato, discus ille Clothario Regi allatus est: qui cum vera relatione didicisset, hunc à Beato Arnulpho ob alimoniam pauperum venundatum fuisse, mox tanquam cælitùs inspiratus, iubet eum velociter superpositis centum aureis ad Metensem ciuitatem sancto Pontifici deferri. Ità factum est, vt pauperes Christi haberent alimenta; & res sanctorum, quibus semel data fuerat, absque vllo dispendio, qui & multiplicato fœnore restitueretur.

Vas sacrum haud impunè retinet laicus.

Pietas Regis Clotarij.

Porrò cuncta quæ operatus est vir sanctus miracula, singulatim hîc recensere, longum nimis cum foret, ea summatim perstrinxisse sufficiet. Tres dæmoniacas liberauit; Leprosum mundauit: permultisque alijs virtutibus egregiè passim claruit. Vndè metuens ne quandoq; vanæ gloriolæ laqueum incideret: eremi secreta adire, nunciumque Ecclesiæ remittere statuit. Verùm id regnante Clothario ad effectũ perducere haud potuit; eodem Rege cõstantissimè iugiter obnitente. Quo demùm defuncto, cum adhuc pio eodem desiderio flagraret, & iterum atque iterum à Dagoberto eius filio, quẽ diligentissimè nutrierat, licentiam huius rei postularet, instinctu diaboli tandem commotus Rex, stricto gladio voluit eum sauciatum à se re-

Quædam miracula eius.

Petit missionem ab Episcopatu.

se remouere. At pius Antistes diuino feruens amore, intrepidum sese neci obtulit: cum protinus astantium procerum vnus temeritatem Regis redarguens, furorem eius sedauit: sicque mediante Dei gratia, caruit effectu, sceleratus affectus. Superueniens quoque Regina, vt audiuit iniustam Regis commotionē in sanctū Prę-sulem, prostrauit se vna cum eo pedibus ipsius: iniuriæ illatæ remissionem cum lachrymis postulantes, ac facultatem ad eremum pergendi, quanquam inuiti, ei largientes.

Constantia eius.

Rex & Regina sacrum Antistitem veniam rogant, & postulatis annuunt.

Itaque B. Arnulphus data illis benignè venia, sollicitus de grege sibi à Domino credito, ne solitis æternæ vitæ pabulis, illo sic remoto, destituerentur, prouidit illi de successore viro digniſſimo ac sanctitate admirando, Goërico* cognomento * Abbo. Id vbi percepit vir egregius Romaricus, cunctis posthabitis ilicò ad virum sanctum venit cōgratulabūdus; & vtroque in id consentiente, in vasta eremo sibi locum præparauit. Insequenti autem luce, cum quod animo conceperant, conficere vellent, & equi præ foribus iam strati adessent, eccè casu inopinato Regium promptuarium voraci corripitur igne; flamma excelsissima erumpit: domos vndique vicinas minaciter lambit; Oritur repentè ciuium eiulatus & clamor: concurritur vndique; in vanum laboratur: donec beatus Pontifex eò adueniens, protinùs expleta oratione, sanctam manum eleuans, contra horrēdos flammarum globos signum S. Crucis expressit. Tunc siquidem (mirabile visu) tanquàm cælitùs percussus, intra parietes in semetip-

Instituit successorem.

** al. Gortrico.*

** al. Abdo.*

Signo S. Crucis extinguit ingens incendium.

metipsum totus contortus ignis interijt: nihilque alibi nocuit.

Post quæ sacer Antistes, relictis cunctis seculi rebus, beneque ac integrè in pauperes erogatus, ceu nouus Elias ad eremum * Vosagum cum pientissimo socio Romarico properans, inter bestias & feras syluestres exiguis constructis domicilijs, quotidianis meditationibus, diuinarum laudum cantica admiscens, animum iugiter pascebat, confortabatque. Assciti quoque nonnullis monachis, atque leprosis, haud dedignabatur tantus Antistes suis manibus calceamenta à pedibus eorum detrahere, eaque detergere; capita eorum & pedes crebrò abluere: lectos illorum quotidiè studiosissimè componere; cibos illis sedulò præparare: sæpeque ipse esuriens, sollicitè admodùm illos pascere. Lectus verò eius, spretis mollibus & pretiosis operimẽtis, cilicijs ornabatur.

Abit in eremum vir sanctus.

** al. Vogasum.*

Pia eius exercitia ibidem.

In his igitur alijsq; bonis innumeris cum vitam Angelicam duceret sanctus Pontifex, tandem Deo volente athletam suum ad destinatum vocare brauiũ, post breuem infirmitatẽ, sancta illa anima è corpore migrans, manibus sanctorum Angelorum in Cælum delata est: exultãtibus quidem supernis virtutibus, multum verò plorantibus Christi pauperibus ac religiosorum cætibus.

Migrat in cælum sacer Antistes.

Porrò Romaricus eius sanctissimum corpus, quo potuit honore in castello sepulturæ mãdauit. Indè anno ferè euoluto successor eius Goëricus accitis duobus Episcopis, collectaque Cleri & populi multa frequentia, id ad vr-

ad vrbem Metensem transtulit, ac in Basili-
Locus sepulturæ eius. sanctorum Apostolorum cum reuerentia inge-
tique totius ciuitatis gaudio condidit. Quod
autem apud Christum in eremo sibi compara-
set, suis ciuibus per miracula ilicò declarauit.
Cæca siquidem illuminatur; contracta ad se-
Miracula ad sepulchrum eius. pulchrum eius sanatur: claudo gressus optatus
restituitur. Et hæc quidem pauca è plurimis
quæ si omnia stylo exarare vellemus, vastum o-
pus & ingens lectori exhiberemus.

Vide 2 Tom. Annal. C. Baronij & Not in Martyr Roman. 17. Augu.

ILLVSTRE MARTYRIVM S. Mamantis, ex eo quod est apud Metaphrasten. Passus est Anno Salutis 275. Eutych. Papæ, Aureliani Imp. 5.

MAMAS magnus & insignis martyr
Christi, pietate non minus quàm gene-
re clarus, è Pophlagonia oriundus; pa-
Patria & Parentes. trem habuit Theodotum, matrem verò Ruffi-
nam; vtrosq; cum patricia nobilitate illustres,
tum religione & Christi amore adeò insignes
& conspicuos, vt nullo modo ardentem amo-
ris diuini flammam reconditam seruare pos-
sent. Nam & liberè religionem profitebantur,
& quotquot poterant tam verbo quam exem-
plo, ab infelici dæmonum cultu ad Christi fidē
traducebant. Eo tempore Alexander quidam,
Gangræ, legatione pro Imperatore fungeba-
tur, habebatque in mandatis, vt deorum cultū,
Theodotus & Ruffina, Mamantis parentes, quàm maximè posset, extolleret: Christianos
verò atrocissimis supplicijs, si immolare recu-
sarent, subijceret. Nec segniter ab eo mandatū
peractū est. Mox enim vxor Theodoti & vxoris

eius

eius pietate, vtrumque in Cappadociæ Cæsaream, ad Faustum præsidem misit; non quòd ijs parcere vellet, sed quia à dignitate parentum, Patricijs supplicia vel contumeliam inferre prohibebatur. At Faustus homo sæuo & crudeli ingenio, eos confestim vinculis constrictos carceri mancipauit. Et quidem Theodotus imbecillitatis suæ benè sibi conscius, eo in ergastulo precibus & lachrymis, maturam & piam valdè à Domino impetrauit mortem, ne fortè in medijs supplicijs, aliqd diceret faceretve, sua pietate ac religione indignũ. Porrò Ruffina, quæ vterum gerebat, cernens, se mariti solatio destitutã, multis ac varijs perturbationibus agitari cępit; cumq; profuso lachrymarũ imbre cõiugis sui reliquias rigaret, & crudelia carnificum tormenta perpẽderet, victa doloribus filium enixa est. Tum verò nouæ de infante solicitudines accrescebãt ac perturbabãt sanè; nullo tamen modo à Christi amore & fidei cõstantia, vel latum vnguẽ dimouebãt. Itaq; cùm Deo infantem suum cõmendâsset, & aquis salutaribus expiatum Christo obtulisset, instantissimis à Deo precibus similem cum marito vitæ exitum obtinere meruit.

capiũtur & in carcerem mittuntur.

Theodoti fælix obitus.

Parit filium Ruffina in carcere præ tristitia.

Ruffina baptizat Mamãtem, & decedit è vita.

Ea igitur pariter cum marito vitæ munere perfuncta, solus infans inter parẽtum reliquias viuus voluebatur; cùm eccè diuina quædam visio mulieri viduę, genere inprimis & opib⁹ claræ offertur; monetq; Ammiam (hoc namq; matronæ nomen erat) vt à Præside petat sanctorũ corpora: tenerumque pupillum sibi in filiũ adoptet. Illa verò (quòd careret libris) alacriter visioni aurẽ prębuit; Præsidemq; accẽdens, cor-

Ammia insignis matrona, adoptat Mamantem infantem in filium.

pora sanctorum simul cum infante sibi donari cum postulasset: impetrauit. Itaque, & corporibus & infante è carcere ablatis, illa quidem splendidè & magnificè suo in horto sepultura mandauit, infantem autem in filium adoptatum, summa diligẽtia ac studio aluit, nutriuitque, ac simul cum lacte, pietate ac Christi amore eum præclarè imbuit.

Porrò exacto ferè biennio, à primo adoptionis die infans Ammiam lingua tenera mammá appellare cæpit, quod Romani matrem interpretantur. Itaque prima infantis balbuties, proprium ei nomen tribuit, fuitque deinceps Mamas appellatus. Cùm autem quintũ ætatis annum attigisset, Ammia optimis præceptoribus, studijs disciplinarum eum imbuendũ tradidit; quarum amore adeò incensus erat, planeque in eruditione defixus, vt coæuos suos multis (quod aiunt) parasangis superaret.

Mamas vnde dictus.

Romanorum autem sceptra tũc Aurelianus tenebat, qui insano dęmoniorum cultu ebrius, nõ modò perfectæ ætatis viros & mulieres, sed & pueros ad venerationem simulacrorũ cogebat. Et quidẽ cùm alij non pauci, Imperatoris cederent volũtati, tum multò plures Mamãtis exẽplo (qui Omnipotẽtis Dei cognitione, pro ingenij sui modulo pręclarè instructus erat) simulacra irridebant, & pias quasdam preces cũ magna animi veneratione, Mamante in verba præeunte, Christo recitabant. Interea tẽporis successu, Fausto Cæsareæ præsidi vita functo, Democrit⁹ quidã, vir insigniter impius nec minus crudelis, subrogatus fuit; cui Cæsareã veniẽti, mox dæmonũ satellites de mora gratulabundi

bũdi occurrerũt; atq; vt eius sibi benevolentiã arctiùs conciliarent, Mamantem accusârunt, quòd spreto Imperatoris edicto, nõ ipse modò diuinos Christo honores offerret, sed alios insuper quãplurimos ad eiusdẽ religionis cultũ pertraheret. Agebat tũc temporis Mamas annũ quintum decimum, eratque, defuncta Ammia, omnium eius facultatum hæres factus.

Mamas accusatur.

Democritus ergo, audita Mamãtis pietate pariter & virtute, animo protinùs in adolescentẽ efferatus, eum ad tribunal suum euocauit; vbi multa de eius religione ac studijs inquisiuit. At Mamas animo minimè perturbato: Ego, inquit, satis vestrã nequeo mirari dementiam, qui canitie iam aspersi, tantam erroris caliginem nõ cernitis, quòd, vero & viuo Deo relicto, surdis & mutis simulacris honores diuinos tribuitis. Nã ego sanè à meo Christo tantũ abest vt recedã, vt potiùs quoscunq; possum ad eum adducam. Democritus tantam dicendi libertatẽ in puero admiratus, iussit eum ad aram duci Serapidis, vt vel inuitus Deo sacrificaret. Ille autẽ nihil à minis effœminatè affectus: At nõ licet, inquit, tibi adolescentem, à matre maxima & clarissima Ammia educatum, supplicijs subdere. Cùm hæc audisset Democritus & vera cognouisset, ferreis vinctum catenis, ad Imperatorem eum transmisit.

Egregia Mamantis coràm Iudice confessio.

Vincitur catenis.

Imperator lectis, quæ ad eum datæ erant à Democrito literis, Mamãtem variè est aggressus. Et nunc quidẽ minis terrere, nunc promissis & muneribus delinire; nullumque non mouere lapidem, vt pius adolescens nefario se sacrificio cõtaminaret. At Mamas, spretis mi-

ribus & minis contemptis: Mihi, inquit, ô Imperator, pro Christo mori, quouis honore & lucro est præstantius. His vehementer irritatus Aurelianus, iubet corpus adolescentis flagris conscindi; atque interim venenatam linguam adhibebat, vt animũ adolescentis emolliret. Si, dicebat, vel solis labris te sacrificaturũ dixeris, cõtinuò ab omni supplicio liberaberis. Et Mamas; Nec labris, inquit, nec corde verũ Deũ & Regẽ Christũ vnquã negabo. Quin potiùs gratias tibi ago maximas, quòd præclaris adeò beneficijs me afficis. Aurelianus hoc responso vehementer exacerbatus, iubet nudatũ martyris corpus, ignitis torreri lampadibus; sed lampadum flammæ, diuina virtute in tortores cõuertebantur; prorsus vt, martyre illæso permanẽte, ipsi præ dolore ingemiscerent. Iussit deindè tyrannus lapidum ictibus illum obrui; sed neque lapides, vllum ei supplicium inferebant.

Cæditur flagris.

Eximia eius constantia.

Vndè animi dubius Imperator, ac simul furore æstuans, iussit ingenti plumbi pondere collo eius appenso, maris illũ fluctibus obrui. Cumq; ad hoc supplicij genus à carnificib. insulso clamore duceretur, eccè Angel⁹ Domini protinùs adfuit; ac inimicis in fugam actis, Mamantem ad montem quendam Cęsareę deduxit; vbi diebus admodum quadraginta ieiunus permãsit. Indè verò digressus, tanquã alter Moses splendore diuinæ virtutis fulgens, & doctrina instàr Pauli instructus, omnibus Christi Euangelium prædicare cæpit. Et ne cui molestiam inferret, post sparsa Euangelij semina, ad montẽ reuertebatur, feraſq; (dictu mirabile) in vnũ cõuocabat;

Victitat lacte ferarum.

bat; è quarum mammis lac mulsebat; indeque caseum conficiens, partim sibi reseruabat, partim Cæsaream descendens egenis distribuebat.

Quoniam autem fama eius, omniũ sermone celebrabatur, Præses Cappadociæ Alexãder, missis equitibus, eũ sibi sisti voluit; quorũ aduẽtũ martyr vt cognouit, hilari sanè vultu eis obuiã processit, illisq; ignotus, cũctos hospitio & mẽsa excepit. Quærunt illi interim de Mamãtis habitatione, & rogant, vt eũ, si posset, exhibeat. Ille verò se facturũ promittit, iubetq; vt animo securo caseo & lacte fruantur, donec Mamas in conspectũ prodeat. Interim verò dum illi mẽsæ accũbunt, & Mamas suos hospites sedulò excipit, ferẽ, vt cõsueuerant, ad eum accedũt, suoque vt lacte mulgeãtur, incredibili mãsuetudine se illi sistunt. Stupẽt interim, vt par erat, milites; ac nimia formidine oppressi, fuga se indè proripere satagũt. Mamas verò iubet eos bono & fidẽti esse animo, se Mamantẽ esse, quẽ tanto studio inquirunt. Illi cum hæc audijssent, ingenti admiratione correpti, ei tamen fidem adhibentes, protinus conscensis equis ad ciuitatem confugiunt; quos martyr, pro Christo patiendi desiderio inflammatus, mox subsecutus est. Itaq; ductus à militibus ad Præsidem Mamas, quæsitus est, quibusnam præstigijs & incãtationibus feris animalibus imperaret, ijsq; tanquam ratione præditis pro nutu ac voto vteretur. Respondens autem martyr, Qui, inquit, Deo vero & æterno deseruiunt, ijs cuncta famulantur, noruntque eius seruos, vt decet, reuereri.

Vide eius beniginitatem in hostes.

Christi seruis, omnia creata famulantur.

Suspensus cæditur martyr.

Præses eo responso superatus, cùm non haberet quo Christi seruum impugnaret, ilicò in furorem conuersus, iubet eum suspensum atrociter cædi, cæsumque vngulis ferreis Laniari: cumq; ea supplicia generosum martyré nihili facere cerneret, demum in carcerem abducitur.

Vinctos Christianos precibus liberat.

Porrò cùm eodem in carcere, alij quadraginta egregia pietate viri pro Christi nomine vincti detinerentur, Mamas precationis studio & diuina quadam virtute, vectes carceris labefactauit; portas aperuit; vincula soluit; cunctosque à vinculis liberos abire præcepit; solus ipse custodia permanens, angelica præsentia excitatus, tyranni certamen inuictæ virtutis robore expectauit. Intereà Præses, abiectis curis alijs, fornacem accendi iussit, inque eam martyré pręcipitari: si à sentétia recedere recusaret.

Mittitur in fornacem, sed nihil læditur.

Et quidem generosus adolescens, vt primum ad tribunal productus, fornacem flammis accensam conspexit, Quin tu, inquit ad Præsidem, ea quæ mihi minaris constanter exequeris? Ego enim iam tibi prius meam aperui sententiam: à qua non recedo. Tum verò tyrannus rabie quadam incensus, egregium athletam mediam in fornacem protinùs deturbauit; At Martyr, Christi protectione securus, in media versabatur flamma, tanquàm in prato florido; saluatori hymnos iugiter canens.

Porrò post triduum cessante flamma, ac lignis

gnis omnibus in cineres redactis, existimans Præses martyrem ad ossa igne depastum, reliquias lictoribus efferre iubet. Et eccè carnifices, præter omnem expectationem martyrem sanum planè & incolumen, diuinasque laudes iucunda voce depromentem reperiunt. Quo sanè obstupefacti miraculo, Præsidi anxiè visa renunciant: magnisque clamoribus vel inuiti Dei magnalia diuulgant.

Præses autem attonitæ & emotæ mentis homo, cuncta magiæ & veneficijs asscribebat: martyremque mente furibunda ad noua certamina euocauit. Et quidem ductus in theatrum, pardo & vrso sæuissimo deuorandus est traditus. Sed vrsus omnis sæuitiæ ilicò oblitus, humi ad eius se pedes abiecit; pardus verò, in humeros eius citra vllam insiliens molestiam, lingua sudorem eius abstergebat, eumque demulcens, gestu & eiulatu ostendebat, ægrè admodùm se ferrè tantis martyrem molestijs affici. *Feræ illi blanditur.*

His maximo animi sui dolore visis Præses vehementer indoluit, & omni spe victoriæ abiecta, quendam è satellitibus rogauit, vt ferreũ in præclari martyris viscera adigat tridentem: ac celeri morte ignominiam deleat. Paruit is, & ferrum magna vi ambabus torquens manibus, sacra martyris viscera traiecit; prorsus vt ipsa intestina in terram, nisi manibus eius fulta fuissent, continuò defluxissent. Itaq; saucius grauiter Christi athleta, per medium *Tridenti occiditur.*

theatrum lætus graditur: & sanguine vbertim in terram manente, duo è ciuitate stadia progreditur; ac tandem quadam in spelunca recúbens, beatam Deo animam reddit. Fuit verò post obitum eximijs clarus miraculis; de quib. D. Basilius, hæc, inter cætera, ad adstantem populum. Memores estote martyris, quotquot illo per somnia potiti estis; Quotquot in hoc loco constituti, adiutorem ipsum ad precandum habuistis; quibuscunque ex nomine aduocatus ipsis affuit operibus; quotquot aberrantes, ad vitam reduxit; quoscunque sanitati restituit; quibuscunque, pueros iam mortuos, ad vitam reductos, reddidit; quotquot vitæ terminos prorogauit.

Homil. 26.

Miracula post obitum.

MARTYRIVM SS. LIBERATI ABBATIS, ac sociorum; quod feliciter consummarunt, Carthagine, Anno à Christi Incarnatione 484 Felicis Papæ 2. Zenonis Imperatoris 11. sub VVandalorum Rege Hunerico; Ex eo quod extat apud Victorem episcopum Vticensem.

Vide C. Baron Annal. Tom. 6.

17. Augu. *Fortasse quod hoc die eorum sit facta translatio. Nam passi sunt Sexto Non. Iulij.*

SEPTIMVS crudelissimi atque impijssimi Regis Hunerici agebatur annus, cú hostis antiquus, Cirila, quodam Ariomanitarum episcopo vsus est ministro, vt persuaderet Regi, non posse eum statum regni sui diu retinere pacatum atq; longæuum, nisi nomen perderet innocentum. Qui tamen Dei iudicio non multos post dies turpissima morte præuentus, scatens vermibus, expirauit, Insectari cæpit ore cruento, omnem Catholicorum multitudinem, quæ per totam prouinciam Africanam miri-

Vltio diuina in Arianum Cirilam.

mirificè multiplicata erat, vt eam sceleratis suis inficeret dogmatibus, & acceptam in lauacro regenerationis innocentiæ vestem sordida illuuie fœdaret.

Itaque Tyrannus serpentina Cirilæ suggestione incensus, feralibus edictis vno tempore totam cæpit commouere Africam. Et primò quidem sacerdotum copiosam multitudinem in longinquas & extremas regiones exilio crudeli detrusit; quibus bis acutum genus frumenti, quod iumentorum tantummodò cibus est, non molari industria contritum, sed corticatum, pro miseratione dari præcepit. Post verò, increscente impietatis insania, etiam hoc auferri crudelissimus imperauit. Post modicum quoque temporis, vniuersas simul Ecclesias, cæmentis ingentibus claudi mandauit. Vniuersa namque monasteria, tam sanctarum virginum quàm virorum, Mauris vnà cum habitatoribus dono dedit. Vnus fuit omnibus eiulatus; vnus pro Christo moriendi integer & plenus affectus. Et quanquã aliqui votifragi, Christianæ fidei immemores, per summum scelus à constantia resilirent, vt impuris mundi voluptatibus ad breue tempus fruerentur, multò tamen plures, viri sanè nobiles & bonorum omnium copia mirificè affluentes, vitam pro Christi nomine supplicijs obijciebant; & delicatæ etiam nobilissimæq; fœminæ, contra verecundiam naturæ, spectante vulgo, virgis cæsæ, varijsque tormentis cruciatæ, victricia trophæa ad cælos portabant. Sed & infantuli feralia edicta irridẽtes, antè mundũ contẽnebant, quàm illecebrosam eius semitam introirent.

Hunerici Regis tyrannis, in Sacerdotes Catholicos.

Egregia virtus multorũ Catholicorum.

Tunc apprehensi sunt & septem fratres, quàtum pertinet ad concordiam Dominicæ seruitutis Bonifacius Diaconus; Seruus & Rusticus Subdiaconi; Liberatus Abbas; Rogatus, Septimus, & Maximus monachi; cœlestibus disciplinis præclarè instructi, de territorio Capsensis ciuitatis oriundi. Quibus ad vrbem Carthaginensem callidè attractis, primò honores ingentes & diuitiæ maximarum voluptatum, nec non & Regis amicitia, aliaque permulta, quæ solent insipientium animas illaqueare, fuêre oblata. Sed hæc omnia, milites Christi, ac si contagia, respuentes, vno ore clamabant; Vnus [a] Dominus, vna fides, vnum baptisma. Facite quod vultis, inferte pœnas corporibus nostris. Melius est temporalib⁹ purgari supplicijs, quâ æternis tormentis excruciari. Habete quod promittitis, cum ipsis diuitijs post paululum perituri.

Patria Septè Martyrum.

Diuitias & honores oblatos respuunt.

[a] *Ephes 4.*

Quid multa? Dum tali constantia diuinitùs munirentur, crudeli ferri pondere onerati tenebricoso deputati sunt carceri, vbi nulla miseratio lenitatis arrideret. Sed populus illius vrbis, custodibus pretio delinitis, die ac nocte Christi martyres frequentabat, & ita ab eis doctrina & virtute fidei roborabatur, vt eadem ipse pro Christi nomine plena delectatione perferre vehementer cuperet. Quod tyrannicas vt primùm peruenit ad aures, ilicò ebrietate furoris accensus, iubet eos inauditis adigi supplicijs, & maioribus oneratos vinculis, in nauim aridorum lignorum manipulis plenam imponi, medioque in pelago igne

Mittuntur in carcerem.

Horrendum supplicium.

suppo-

ſuppoſito concremari. Eductis igitur illis de cuſtodia, multitudo populi Dei, bellatores Trinitatis quaſi agnos innocuos ad victimam deducebat,& rigentium pondera catenarum, quaſi quædam monilia peruidebat; quia non fuerunt illa vincula, ſed potius ornamenta.

Martyrum fiducia in ſupplicijs.

Incedebant itaque fiducia pleni ad ſuppliciũ, imò ad triumphum; vna voce per ambitus platearum Domino decantantes; Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Luc. 2.* Eccè nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, quando pro fide Domini DEI noſtri perferimus præparatum ſupplicium, ne amittamus acquiſitæ fidei indumentum. *1. Cor. 6.* Sed & populus publica voce clamabat; Ne timeatis ô populi Dei, neque formidetis minas atque terrores præſentium tribulationum; ſed potius moriamur pro Chriſto, quemadmodum ipſe mortuus eſt pro nobis, redimens nos precio ſui ſanguinis ſalutaris.

Maximi pueri conſtantia.

Vnum tamen, vehementi conatu, qui inter eos infantulus videbatur, nomine Maximum, cupiebant auctores malorum, à ſanctorũ conſortio ſeparare. At ille voce quidem pueri; ſenili tamen maturitate clamabat; Nemo me ſeparet à ſancto patre meo Liberato Abbate, & fratribus meis, qui me optimis diſciplinis imbuerunt, & pluſquam amore fraterno proſecuti ſunt. Cùm ipſis extrema quæque pati volupe mihi erit, quibuſcũ æternis gaudijs me fruiturum confido. Simul nos ſeptem Dominus cõgregare voluit, ſimul etiam, ſpero, vna martyrij corona donabit.

Per-

Perducti itaque cum festinatione ad naual supplicium, pro voluntate infandi Regis, ve crudelium ministrorum, manibus pedibusq; extensis, clauati feruntur, potiùs, quàm ligat Cumque ignis fuisset lignis iniectus, extinctu est. Et dum sæpius renouatur nutrientibus pabulis, iterum atque iterum rogus flammarum globo extinguebatur. Et cum deindè magis tyrannus, furore simul esset & rubore repletus, iussit eos remorum vectibus enecari, & ita singulos in modum canum cerebris comminutis extingui. Qui tali genere mortis, debitum spiritum fœliciter Domino reddiderunt. Sed cùm in mari venerabilia corpora iactarentur, ilicò (quod contra naturam est æquoris) eadē hora illęsa corpora pelagus litori reddere maturauit; nec ausum fuit, vt moris est, triduana dilatione in profundo retinere, ne præcepto Dominico minimè paruisset. Ad quod miraculi genus & ipse tyranuus, licèt impœnitens, vt fertur, expirauit. Porrò Christianorum multitudo, quæ gaudio incredibili delibuta aderat, sanctorum corporum, Carthaginensi Clero honorificè cum hymnis & psalmis præeunte, sepulturæ mandauit, in monasterio Biguæ, basilicæ quæ dicitur Celebrinæ contiguo.

Iterata de igne miracula.

Confracto cerebro tradũt Spiritum.

Miraculum aliud.

En veterem morem tumulãdi Christianorum corpora.

MARTYRIVM SS. PAVLI ET IVLIANÆ, qui illud apud vrbem Ptolemaidem præclarè susceperũt, anno Dominici Natalis 275. Eutych. Papæ 1. Aureliani Imperat. 5. Ex eo quod est per Simeonem Metaphrasten.

Teste C. Baron. Tom. 2. Annal.

CVM

CVM Aurelianus Imperator, feralibus per totum terrarũ orbem edictis, Christianos persequeretur, & in Isauriam in vrbem Ptolemaidem, vt Christianos idolis sacrificare cogeret, ingressus esset, vidit fortè Paulum eximia pietate virum, cum sorore Iuliana, frontem suam Christi signo consignantẽ. Vnde animo commotus, ilicò Paulum ad se adduci præcepit; adductumque toruo admodum vultu & verbis iracundiæ & furoris plenis cõpellauit; Quid, inquit, tibi homo infelix, in mentem venit, vel qua demum audacia, tu, me in vrbem ingrediente, frontem signare audes? An ignoras edictum contra Christianos propositum? Cui Paulus animo sanè confidenti. Equidẽ, inquit, edictum tuum non ignoro; sed nemo vnquam à charitate, quæ est in Christo Iesu, me vllo timore auellere poterit. Tua enim torméta breuissimo temporis spatio sunt circumscripta; At illa, quæ à Deo viuorum & mortuorum Iudice impijs omnibus constituta sunt, nulla temporis longinquitate finem accipiunt: ideoque sola formidanda. Eodem modo, voluptas & gloria, quam Deus noster pijs omnibus largitur, ęterna est: vestra verò, & impura & multis ægritudinibus contaminata, & momento temporis peritura. Quis igitur adeò demens erit, vt viuo & ęterno Deo relicto, surda & muta ista idola cum sempiterno cruciatu colere velit?

17. Aug.

En antiquã consuetudinem signandi se Cruce.

Egregia Pauli constantia.

Aurelianus cùm hęc martyrem summa cum grauitate perorantem audiret, Suspendite, inquit, hominem istum, & accerrimè torquete, donec eum Christus è supplicio eripiat. Fuit igitur

Suspenditur Martyr, & diré torquetur.

igitur continuò à carnificibus suspẽsus, & cruciatibus vehementer afflictus; quos tamẽ Christi nomine constanter inuocato facilè superauit. Interim Iuliana soror, cernẽs fratrem tormentis affici, magno animo ad tribunal cucurrit, & Aurelianum his vocibus insectata est.

Egregia virtus S. Iulianæ.

Cur tyranne ita crudeliter in fratrem meum innocentem desæuis? An tu existimas te posse omnipotentis Dei virtutem superare? Aurelianus quanquam ea Iulianæ constantia haud mediocriter turbaretur, victus tamen fœminæ pulchritudine, quæ erat eximia, omisso furore

Aurelianus Imp. captus pulchritudine Iulianæ eam coniugẽ postulat.

Accede, inquit, & dijs sacrifica, vt te mihi legitimam coniugem stabili matrimonio iungam, mecumque Imperij diuitijs ac delicijs perfruaris. Quin & fratri tuo illatam à me iniuriam amplissimo dignitatis gradu compensabo. Iuliana ad eas antiqui serpentis blanditias arridens, sublatis in cælum oculis, Crucis signo frontem consignauit: & ait; non possum non te hominem nugacem & futilem irridere, qui putas me inanibus istis tuis voluptatibus à Christi amore & gloria sempiterna auellere; Audiens hæc Imperator, bile percitus, iussit eam ijsdem cum fratre cruciatibus torqueri. Itaque

Iuliana torquetur cum fratre.

cùm ambo in ligno suspensi tormentis vexarẽtur, Paulus sorori præclaris monitis animum addebat consolabaturque; prorsus vt Iuliana non modo tormenta non formidaret, sed tyranno etiam in medijs supplicijs virili animo insultaret.

Mittuntur martyres in picem feruẽtem.

Vndè Imperator vehementius exasperatus, iussit martyres in lebetem feruenti pice bullientem conijci; sed fuit eorum precibus pix in

geli-

gelidam aquam protinus conuersa;adeò vt cũcti,qui spectaculo intererant,Dei omnipotentiam cum ingenti admiratione prædicarent. Nihilominùs tamen Aurelianus proprio furore oppressus, duas sedes ferreas subiectis carbonibus vehementer ignitas statui iussit, inque eas martyres abdomine illitos imponi. Quod cum factum fuisset, Aurelianus quasi victoria potitus:Iam,inquit, cognoscere potestis,quisnam sit Aurelianus qui artes istas magicas superare potens est.Cui Iuliana: Imò,inquit,tu potius cognosce & vide potentiã Christi,qui ab igne nos lædi nõn patitur. Tunc Imperator furijs agitatus,impetum rabiei suæ in ipsos cõuertit carnifices,quasi pecunijs à Christianis deprauati,supplicia debita non inferrent.Iussit igitur vtrumque carnificem,alterũ Quadratum nomine,Acacium alterum,obtrũcari.Qui Pauli monitis roborati,&fide instructi,necessitatem supplicij in martyrij gloriam conuerterunt.

Terribile supplicium.

Nota Tyranni furorem.

Duo carnifices conuertuntur,& fiunt martyres.

His igitur martyrio consummatis.Paulus & Iuliana compedibus vincti, & ceruices maximi ponderis lignis onerati, & manus catenis deuincti,in carcerem abducti sunt; vbi omni humano solatio & cibo etiam ac potu destituti,in terram ferreis clauis densissimè stratam, cubare coacti sunt.Cũ verò media nocte martyres Deũ precarentur,eccè Angelus Domini multa luce cõspicuus adfuit;ruptisque, quibus colla eorum constricta erant,instrumentis, ac reliquis vinculis tam ferreis quàm ligneis dissipatis,eos erexit, appositisque dapibus non modò refecit, sed adeò mirificè exhilarauit, vt fusis

Angelus eos in carcere visitat.

vt fusis præ gaudio lachrymis Christi bonitatem satis laudare non possent. Videbant interim splendidissimi luminis radios ex ergastulo rumpentes custodes; quorum claritate excitati carcerem intrârunt, seseq;, admiratione & stupore pleni, & mensæ & eiusdem religionis socios præbuerunt.

Custodes carceris conuertuntur.

Tertiò verò post die, Imperator foras productos martyres, in Christi confessione constantes, iterùm iussit in ligno suspendi, ac suspensos supplicijs fatigari. Stabat è carnificibus vnus ad sinistrum Iulianæ latus, vt tormenta in eam inferret, sed pulchritudine eius captus, manum ab ea ilicò continuit. Cuius sensum atque animum Iuliana vt cognouit, calce pedis sinistri eum petijt, dicens; Stratonice, (hoc enim illi nomen erat) quin tu, quod iussus es à Tyranno, exequeris? Ego enim Christi æterni Regis & veri Dei præsidio munita, præsentes istos cruciatus non sentio. His auditis Stratonicus abiecto, quem manu tenebat, mucrone, ad Imperatoris cucurrit tribunal, ingenti voce exclamans; Tyranne, cur nam hæc facinora in Christianos patrare audes? Quidnam homines Deo seruientes commiserunt, vt ita crudeliter & immaniter eos crucies? Aurelianus eo Stratonici clamore adeò obstupuit, vt hora integrâ ne verbulum quidem effari posset. Tandem furore percitus, stultitiæ atque insaniæ eum incusans: capitis in illum sententiam tulit; quam Stratonicus, fixis in terris genibus, Christi nomen ardenter inuocans, lætabundus excepit.

Iterum torquētur martyres.

Stratonicus ex carnifice, fit confessor Christianus & martyr.

Porrò Paulus & Iuliana in tormentis inuicti, ad carcerem abducti sunt: & conuocatis vene-

veneficis ac præstigiatoribus omnibus, iussit Imperator, vt vipras, aspides, cerastes ac dracones afferrent: eorumq; morsibus, celeri morte martyres deleri curarent. Et quidem feræ acerbissimæ, fuêre ad martyres in carcerem immissæ, & simul cum illis conclusæ: sed tantum abest, vt eos aliqua molestia afficerent, vt potiùs ad pedes eorum abiectæ, ingenti martyres psallentes & Deum collaudantes gaudio perfunderent; cùm cernerent pestiferas bestias Christi numen reuereri.

Bestiæ christū in martyribus venerantur.

Tribus verò diebus totidemque noctibus in carcere cum serpentibus transactis, Imperator nosce desiderans, num ab ijsdem consumpti essent martyres, quosdam ad rem inuestigandam sub noctis tempus eò misit: qui cum eos illæsos ac diuinis laudibus intentos comperissent, ilicò Aureliano admirabundi denunciarunt. Porrò ille diluculo cõsurgens ac pro tribunali sedens, iussit veneficos feras suas illinc euocare & martyres ad tribunal duci. At feris solitam obedientiam vocatæ cum essent præstare renuentibus, fuit à magis & veneficis ergastulum resolutum; & eccè serpentes, viperæque vno impetu prorumpentes, obuijs quibuslibet infidelibus venenato morsu interfectis, ad deserta confugerunt. Carceris autem custodes, Paulum & Iulianam ad Aureliani tribunal duxerunt. Tyrannus igitur eos intuens, ac ridens; Beatum, inquit, me hodie existimo, quòd vestra consuetudine fruor, qui præclaro magni Apollinis beneficio, à morsibus serpentum liberati estis. At Paulus Tyranni sermonem excipiens, Quæ hæc est tua arrogantia & temeritas ô iecerate,

lerate, vt tu Christi virtutem Apollini adscribere audeas? Iratus Aurelianus, iussit plumbeis glebis Pauli maxillas contundi, ac è tribunali abduci: Iulianam verò eius sororem coram sisti: q̃ hisce blanditijs animo plànè effœminato est aggressus; Quæso te, animæ meę domina Iuliana, quæso te inquam, & hortor, ne fratris tui insaniam imiteris. Video te puellam & eximia corporis pulchritudine, & multa sapientia præditam. Obtempera consilijs meis, & ego te aureis per totum terrarum orbem columnis honorabo. Cui Iuliana; Non circumuenies Dei altissimi seruam. Visne me & Dei gloria & cælesti regno priuare, quo tu indignus es? Aurelianus eo respõso turbatus & mœrore affectus, Iuliana amota, rursus Paulũ reduci iussit; quẽ tali dæmonis arte subuertere conabatur; En, inquit, soror tua se dijs sacrificaturã mihi promisit; vndè eam mihi vxorem elegi, & regni totius dominam constitui. Tu igitur da operam, vt primos quoque in regno nostro honores cõsequaris. Adhæc Paulus; Verè, inquit, mentitus es: sed nihil alienum à patris tui diaboli disciplina fecisti. Sed frustra laboras. Nos enim nullis vel promissis vel supplicijs subuertere poteris.

Blanditiæ Imperatoris ad Iulianã.

Insidiatur Paulo.

Cæditur Paulus virgis ferreis ignitis.

Tunc Imperator omni mora postposita, quatuordecim virgas ferreas, easque ignitas expediri, & Paulum ferreo constrictum vecte atrociter laniari iussit; Iulianam verò ad lupanar abductam, impuris scortatoribus tradidit; vt nefarijs polluta operibus, prę dolore animi vitam abrumperet. Sed Iuliana fuit angelo custode, ab irruentibus in eam certatim libidinosis de-

Iulianam ad Lupanar

sis defensa; prorsꝰ vt qui sani, & facibꝰ libidinis veheměter incensi, lupanar ingressi fuerãt, luminibus orbati repětè prodirent: & palpitantes magnũ Deum Iulianæ clamarent. Quorum confessione ac humili supplicatione permota martyr, aquam accepit, & insita pietate Deum precata, cæcam plebem aspersit; dictoq; citiùs cunctis visum restituit. Illi verò tanto affecti beneficio, ad pedes eius prostrati, nomina sua Christo dedêre.

abductam, angelus custodit.

Miraculum insigne.

Interea cùm Paulus virgis illis ferreis cęderetur; Imperator, vt cruciatibus illius ludibriũ adhiberet, iussit Iulianam, quam à multis iam vitiatam putabat, in conspectum illius abduci. At Paulus, visa sorore, quam Christi beneficio per angelum intactam mansisse cognouerat, plenus gaudio exultabat. Tum verò Aurelianus ignominia repletus & dedecore, foueam triũ hominum statura parari, inque eam, exstructa pyra, martyres præcipitari iussit. Sancti verò, non expectata carnificum manu, solo Crucis signo muniti, in eam insilierunt. Eccè autẽ Angelus Domini, fumum vna cùm igne foras excussit, & sanctos magna voce Christum laudãtes illæsos seruauit. Fuit eo miraculo ingens multitudo populi à nefanda idolorum superstitione ad Christum conuersa; & Paulus cum Iuliana, post alias corporum aduſtiones; lampadesque constanter superatas, capitis supplicio, ex hac vita ad beatorum gloriam migrauit; quorum funera septimo pòst die, à Christianis honorificè curata fuerunt.

Illæsi in pyra consistunt martyres.

Capite plexi ad cælos migrant.

PASSIO S. AGAPITI MARTYRIS, per Adonem Reuerendiß. Archiepiſcopum Treuirenſem. Extat apud V. P. Sur.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baronij.

18. Aug.

APVD Prænestinam vrbem miliario ab vrbe trigesimo tertio, sanctus Agapitus præclarum martyrij certamen sub Aureliano [a] Imperatore, Præside Antiocho, peregit. Cùm enim martyrij amore ferueret, annorum non amplius quindecim, iussu Imperatoris tentus, & neruis crudis diu cæsus est. Deindè cùm nihil eo supplicio moueretur, fuit Præsidi traditus; qui eum teterrimo cõclusum carcere, quatriduano ieiunio vehementer afflixit. Indè de carcere eductus, ardentibus prunis capiti eius impositis tortus est. Cumque in illis tormentis gratias insuper Deo ageret, flagellis cæsus, & nudus capite deorsum verso, acri subter fumo facto, suspensus est. Sed nec illa tormenta quicquam martyrem à constantia dimouebant: imò forti viriliq́ue animo Præsidi dicebat; Sapientia tua & vanitas, in fumo laborat.

[a] *Anno Imperij eius 5. qui fuit Christi Domini 275. Agapitus 15. annorum martyr.*

Præses, ea martyris virtute irritatus, iterùm flagellis à quatuor sibi inuicem succedentibus cædi, aqua bulliente perfundi, & maxillas eius confringi iussit. Sed non tulit homo nefarius impunè, quod in martyrem impiè moliebatur; nam subitò casu è tribunali prolapsus, & à ministris in lecto collocatus, paulò pòst infælicem animam gemebundus efflauit.

Porrò Imperator Aurelianus, audita Præsidis sui morte, & inuicta Agapiti virtute, iussit

marty-

martyrem leonibus deuorandum tradi. Sed leones insitæ feritatis obliti, pedibus se beati athletæ prostrauerunt, eiusque plantas multa mansuetudine lamberunt. Hoc videntes sceleris ministri, eductum è theatro sanctum martyrem, contra ciuitatem Prænestinam, inter duas ibidem columnas gladio trucidârunt: cuius corpus à Christianis noctu sublatum, primo ab vrbe milliario in sarcophago nouo reuerenter conditum est.

Leones blãdiuntur S. martyri.

Gladio cæsus martyriũ absoluit.

VITA S. HELENAE MATRIS CONstantini magni Imperatoris. Ex ijs quæ Eusebius Cæsareensis Episcopus de vita eiusdẽ Constantini conscripsit, Lib. 3.

Vide C. Bar. Annal. Tomo 3. anno Christi 326.

HELENA pientissima, Constantini genetrix, postquam tot tantisque à Deo se beneficijs affectam vidit, quãta nec cogitatione quidem vnquam apprehenderat, vt debitas Deo gratiarum actiones, præcipuè pro filio suo tanto ac tam præclaro Imperatore, proque liberis eius Cæsaribus, Deo charissimis, nepotibus suis, ageret, quanquàm ingrauescente ætate, singulari quodam consilio & prouida animi cogitatione, vereque regia; terram Christi quondam vestigijs pressam, deuotionis ergò lustrare statuit. Itaque ardentissimi pietatis facibus accensa, adolescentulæ instar in Orientem abijt, ac debita ibidem veneratione locis sacrosanctis exhibita, maiora pietatis suæ monimenta, quibus posteris prodesset, ilicò fabricare aggreditur. Nam duo insigni opere templa Deo dicauit; alterum in

18. Aug.

Visitat terrã sanctam.

Templa ædificat magnifica.

monte, qui Christi in cęlos ascensione celebris habetur; alterum ad obscurum illud natiuitatis eius antrum ædificauit; quod varijs cuiusq; generis insignibus egregiè illustrauit. Imperator autem eundem locum paulo pòst ornamẽtis regalibus honorare, & monimentis ex auro & argento, varijsq; aulæis, matris suæ magnificẽtiam adaugere. Rursus ei⁹ mater, quò omniũ nostri Seruatoris in cælos ascensionis memoriam celebraret, excelsa quædam ædificia in monte Oliuarum extruere parat. Ac primùm in summo totius montis vertice sanctuarium Ecclesiæ Dei erexit; templumque inferiùs etiã exædificauit, eo ipso in antro, in quo discipuli & Apostoli à Seruatore omnium, arcanis fuerunt initiati mysterijs. Imperator quoque ibidem varijs monimentis & insignibus Regem magnum Deum veneratus est. Ista igitur duo templa, memoria perpetua celebranda, augusta & eximia, in duobus obscuris quasi antris & mysticis, Helena Augusta, suæ piæ mentis tanquam indicia, Deo Seruatori fundauit.

En studium ornãdi templa.

Porrò dum regiarum opum magnificentia instructa, omnem Oriẽtem peragrat, cùm vniuerso populo, quasq; ciuitates incolenti, simul tum priuatim singulis eorum, qui ad ipsam accedebãt, munera largita est. Infinita etiam ordinibus militaribus quasi plena manu distribuit. Quæ verò pauperibus, omni auxilio & ope destitutis, dispertierit, vix enumerari possunt: quippè in alios grãdem pecuniarum vim conferre: alijs corporis integumẽta prolixè & largiter suppeditare; vinculis eripere alios:

Eximia eius in pauperes liberalitas benignitas.

tum

tum laboribus in metallis effodiendis afflictatos, tum fraude & iniuria oppressos liberare; denique ab exilio alios in patriam reuocare. Quæ quidem, licet eiusmodi rebus esset insigniter nobilitata, alia tamen in Deum pietatis munera minimè neglexit. Nam vbique cernebatur in ecclesiam Dei intrare; templaq; splẽdidis exornare monumentis; inque ędes sacras vel in minimis vrbibus extructas, suam benignitatem liberaliter exhibebat.

Eximia pietas eius.

Præterea illustrissima illa & maxima admiratione digna Imperatrix, aliud facinus, quod posteriorum memoriæ meritò commendari debet, obijt. Nam mulieres quæ toto vitæ tempore virginitatem excolebant, primum omnes in vnum congregari, & sedibus præparatis accumbere iussit. Deindè illa ipsa ancillæ munus exequi; apponere cibaria; pocula illis porrigere; fundere vinum & gutturninum cum malluuio afferre; aquã denique earum manibus, dum lauant, ministrare. Quorum omnium præmia laboribus suis digna, cùm in altera, tum etiam in hac vita abundè reportauit.

Hæc Theodoretus l. hist. Eccles. Lib. 1. cap. 18.

Insignis tantæ Reginæ humilitas.

Demum verò, cùm vitam suam omnis molestiæ expertem, bonisq; omnibus egrẽgiè affluẽtem, ad 80. ferè ætatis suæ annũ traduxisset, æternæ vitæ incensa beatitudine, facto testamẽto, præsente filio tanto tamq; eximio Imperatore, cum ea pietatis & amoris diuini significatione è vita hac caduca excessit, vt nulli dubium esset, quin rectà in cælum migraret. Funus fuit splendidis admodum exequijs, vt par erat, decoratum, ac Constantinopolm maxima

Felicissimus eius obitus.

satellitum turba deductum, ibique regali sepulchro conditum. Sic igitur Imperatoris mater diem suum obijt; quæ quidem est immortali planè memoria celebranda, non modo propter pia vitæ officia, sed etiam propter eximiũ illud & admirabile germen ab ipsa editum, Constantinũ dico; quem quidem cum ob cæteras res oẽs, tũ ob pietatẽ in parentẽ suam beatũ iudicare par est; qui illam, cũ iam anteà pietate minimè esset imbuta, ita piam reddidit, vt à primo tempore ætatis, ab ipso communis omnium Seruatoris ore instituta fuisse videretur; ita etiam honore regio exornauit, vt cùm apud omnes gentes, tum apud eos, qui aliquo in gradu militari collocati essent, Augusta & Imperatrix nuncuparetur, aureaque numismata eius imprimerentur effigie.

Constãtinus suam matrẽ conuertit.

Quomodò ab eadem beatissima Imperatrice inuenta sit Crux & Claui Saluatoris nostri, Lector videre potest in S. Crucis inuentione, de qua tom. 2 Maij. 3.

a *lib. 6. Hist.* *VITA BEATI RAYNALDI, ARCHIEpiscopi Raunẽatis, ex* a *Commentarijs doctissimi viri Hieronymi Rubæi.*

18. Augu. MORTVO Opizone Rauẽnate Archiepiscopo, sacrati viri Rauennates, de more in Vrsiano templo habitis comitijs, duos elegerunt, Raynaldũ, Cõcorregiũ Mediolanensem, & Leonardum Flisicum, Ecclesiæ Brugensis, quæ est in Tornacensi diœcesi, Præpositum. Verùm Benedictus vndecimus, Pon-

Pontifex Maximus, qui tum primùm Bonifacio succeſſerat, Raynaldum probauit; qui rem diuinam coram Pontifice fecerat; Canonicus primùm Laudunenſis, mox vniuerſæ Flaminiæ Præſes, deinde epiſcopus Vicẽtinus; ad Archiepiſcopatum Rauennatem euectus, tertiodecimo Kal. Decembr. apud Lateranum, anno Pontificatûs primo, à Benedicto Pontifice conſecratur; cum omnes illum Rauennates, ob ſanctitatis famam à Pontifice Archiepiſcopũ poſtulaſſent. Qui in dies puriſſimum numinis diuini cultũ, legibus perſanctè editis, propagandum apud ſuum populum diligenter curauit; quapropter & ſæpè Archiepiſcopatûs oppida, Argentamq́; præſertim inuiſit, ac prouinciale concilium, anno ab ortu Chriſti, milleſimo triceſimo ſeptimo Rauennæ celebrauit; curauitq́ue vti Senatui Rauennati, Lamberto præſidente atque ſuadente, placeret, Rauennæ, monetæ, pecuniæq́ue ad Anconæ modum cuderentur. Eſtque id habitum, non multò poſt, quã Clemens V. qui Benedicto ſubrogatus fuerat, in Galliam Pontificatûs maximi Sedem tranſtuliſſet.

Concilium prouinciale Rauennæ anno 1307.

Poſtea cùm Henricus Cæſar Ciſalpinarum diſſenſionum peritiſſimus, regniq́ue propagãdi cupidus, in Galliam Ciſalpinam deſcendiſſet, familiariſſimo ſemper, grauiſſimoq́ue Senatore vſus eſt hoc Raynaldo Archiepiſcopo; cuius etiam, aliorumq́ue prætereà Senatorum conſilio, cum eſſet Aſtę Coloniæ, omnes Ciſalpinarum ciuitatum exules, in patriam quemq́; ſuam, reuocauit. Tametſi non ita multò poſt, mutata ſententia, omnem ferè Italiam pertur-

Causa Templariorum Raynaldo excutienda cõmittitur.

bauerit, & Robertum Siciliæ Regem, pronunciato publicè edicto, regno priuauerit. Ad hæc accessit causa equitum Templariorum, quos Clemens Pontifex per hos dies acriter persequens, Raynaldo Archiepiscopo eam causam cognoscendam mandauit, religione hominis & virtute plurimùm fretus.

Cæterùm Raynaldus, vt iudicium legitimo iure faceret, cum anno millesimo trecẽtesimo nono, Bononiæ habito conuentu aliquot sibi subiectorum Episcoporum, studiosè in illos inquisiuisset, tandẽ anno 1311. eadem de re Concilium Rauennæ habuit; in quo septem Templarij Ordinis equites ad quæstionem introducti fuerunt. Erant autem hæc quæstionis capita.

Capita quæstionum Templarijs obiecta.

Cùm in Ordinem cooptabantur, in ipsis sacrorum suorum initijs, Christumne, aut Deũ, aut Virginem Deiparam, aut diuos abiurassent, vel vt abiurarent moniti fuissent, aliosque ipsi ad abiurandum incitassent. An simulacrum quodpiam, idolum fictum & commentitium, diuina veneratione coluissent. An tyrones, adolescentulos præsertim libidinosè, atque alia quàm deceat parte, osculati fuissent. An dum rem diuinam facerent, sacra mysteriorũ & consecrationis verba omisissent. An scelestum & nefarium facinus putarent, hæc committere. Quod cum affirmassent, cæteris fortiter perpetuoque negatis, ab Concilio dimissi sunt. Et quidem Raynaldus, Concilium de tota re cõsuluit, quid fieri placeret; in quo cũ multæ & variæ sententiæ dicerentur, & Clemens Pontifex cuncta accepisset, sic de tota tandem re in-

Clemens Põtifex Ordinẽ Templariorum delet.

re iudicauit, vt multis eorum incendio crematis, vniuersum Ordinem deleuerit.

Paulò post idē Raynaldus, Ioannis Pontificis iussu & auctoritate, Friderico, Guidoni, & Sperantiæ, Comitis Vrbinatiū fratribus, ipsisque Vrbinatibus, sacris interdixit; quod cędib⁹ indignissimis maximisq; factis, Vrbinū, & pleraq; alia Romanæ Ecclesię subiecta oppida occupassent, ciues multos expulissēt, reliquos durissimo imperio opprimerent. Neque verò has Pōtificias Interdicti literas Raynaldus solū intrepidè recitauit diuulgauitq;, sed omnes iussit, curauitq;, ad quos ipse eas misisset, vt idem efficerent. Tandem autem cum Bononiæ anno 1317. Concilium Prouinciale habuisset, Rauennæque in æde Vrsiana aram Crucis erexisset ac dedicasset, in qua ex marmore arcam multis ac præstantibus Sanctorum reliquijs plenam, inclusérat, ac eam certis legibus latis, prædijs ditâsset, sacerdotumque conuentum, qui certis statisque diebus parentarent, & pro mortuis psalmos & preces ex libris sacris conceptas, recitarent, iam multis antè seculis institutū; & hoc Raynaldi tempore ob sacerdotū licentiā corruptum, restituisset, anno, 1321. non absque ingēti apud omnes sanctitatis opinione quintodecimo Kalend. Septembris tranquillè decedens, in cælestem patriam euolauit. Sepultus est in monumento ex marmore, in æde Vrsino; quod cùm superioribus annis Iulius Feltrius ab Ruuere, Cardinalis, Rauennatum Archiepiscopus aperiri coram se mandâsset, corpus sancti viri integrū ac penè recens, promissa barba, statura procera, ingenua forma, & spe-

Eximius zelus eius pro iustitia.

Felix Obitus eius.

Miracula ad sepulchrum eius.

& specie ad dignitatem apposita inuentum est. Ad eius funus, cùm adhuc in sepulcrum illatus non esset, multa miracula & insequentibus etiam diebus & annis facta sunt; & vt reliqua omittam, Iacobus Bennicasa, Iurisconsultus Rauennas, cùm desperata omni salute, & penitus destitutus, acerrimis podagræ doloribus affligeretur, seque voto nuncupato, diem Raynaldi festum, quotannis solenniter celebraturum obligâsset, postridie eius diei, doloribus & morbo solutus est. Quòd Ioanni quoque Grado, in graui capitis oculorumque dolore, cùm esset ad Raynaldi sepulchrum profectus, eiusque opem suppliciter imploraſſet, peridem tempus contigit. Ex agro item Rauennati, eo vico, cui Herbosæ nomen est, mulier Blonda vocata, cacodæmone suprà quàm dici potest agitata, à cognatisque suis maxima vi ad Raynaldi sepulcrum pertracta, liberatur. Pari fœlicitate sacra virgo cœnobij D. Mariæ cognomento Padrielis, membrorum omnium resolutione oblanguens, cum viri sancti patrocinium inuocâsset, repentè sanitati restituitur. Atque hæc pauca de multis quæ indies fiunt, collegisse sat fuerit.

PRAECLARVM MARTYRIVM S. Andreæ, Ducis Exercitus & Sociorum: ex eo quod extat apud Metaphrasten. Coronati sunt anno Salutis 301. Marcellini Papæ 5. Sub Galerio Maximiano Imperat. in Oriente, Diocletiani genero.

Vide 2 Tomo Annal. C. Baron.

TEM-

TEMPORE illo, quo Maximianus imperij gubernacula tenebat, cùm im omnibus circà locis, tum in regionibus Syriæ acerrima in Christianos persecutio desæuiebat. Erat Antiochus quidam superstitioni plurimum deditus, qui militaribus copijs cum potestate summa ab Imperatore præfectus erat: & inter Tribunos militares Andream habebat, virum multis egregijs ac strenuis facinoribus admodùm insignem; prorsus vt illius virtus & admiranda fortitudo, ac præcipua in rebus gerendis prudentia, omnibus admirationi esset. Ea tempestate Persæ bellum aduersus Antiochum mouebant: & repentina incursione eximiaque multitudine eum non mediocriter perturbârunt. Porrò Antiochus cum plurimum Andreæ fortitudini ac industriæ fideret, iussit vt instructa militum manu hostiles copias reprimeret: & ad cæteras laudes suas illũ quoque belli à se confecti titulum adiungeret. Tunc Andreas, qui ad illum vsque diem egregia Christianæ religionis ac pietatis semina in cordis sui penetrali recondita seruauerat, vt ea iam tandem dispergeret, fructusque suauissimos ampliſſimosque reportaret; magnum illum Gedeonem æmulatus, selecta quædẽ militum capita, optimis naturæ adiumentis ad percipiendam Christi gratiam fidemque idonea assumpsit; quibuscum, cæteris militibus domi relictis, infesta signa, in hostem copijs innumerabilem intrepidus intulit. Antè verò quam aciem illam exiguam admodùm instrueret, luculẽtis sanè verbis de vnius veri & æterni Dei potentia præclarè disseruit: & præcipua Christianæ

19. Augu.

Andreas insignis admodum Tribunus.

Iudic. 7.

stianæ fidei documenta eis tradidit; hortatúque omnes, vt vno Christi nomine fidenter inuocato, prælium inirent, ilicò in oppositas hostium phalanges stricto mucrone irruit, & nullo suorum amisso, hostem fudit fugauitque; illustremque victoriam, cunctis obstupẽtibus, domum reportauit. Intereà maximus Dei athleta, ad stadium progredi paratus, præstantioribus à Deo donis decoratus, maiores vbiq; virtutis diuinæ insignia exhibebat. Nam cum inuidum & superbum hostem doctrina sua retunderet, tum verbulo ex obsessis corporibus profligabat: tantisque miraculis coruscabat, vt milites quidam, gloriæ illius inuidia & liuore incitati, apud Antiochum eum deferrent, quòd Christum in Cruce suffixum, Deum palàm confiteretur.

Hostes plurimos paucis militibus inuocato nomine Christi fugat.

Profligat dæmones.

Accusatur Christianitatis.

Ea re turbatus sanè Antiochus, statim per internuncios honoratos, partim assentationibus, partim minis, partim admonitionibus, Andreæ animum à Christi cultu auellere conatus est. Cumq; neque minis promissis quidquam efficeret, imò athletæ animũ magis magisq; roboraret, vinctũ ilicò ad se adduci iussit, & omnibus audientibus eum interrogauit, num Imperatoris edicto, an suo Deo parere vellet. Ille autem constanter, apertè & distinctè, Christum confessus est. Itaq; Præses superbissimus, ironia quadam vtens, Quoniam, inquit, Andreas noster multorum bellorũ fatigatus laboribus, & victorijs non paucis coronatus est, suadet, & summo iure vltima illius lassitudo à nobis postulat, vt iam tandem optata diu requie potiatur. His dictis, iussit æreum

Insignis Confessio eius.

lectum,

lectum, copioso igne accensum componi, & Andream super illum cunctis nudatum vestibus prosterni. At ille præsenti & alacri animo, non expectata carnificum manu, in illum tanquam in molle stratum insilijt, decubuitque. Et primò quidem grauissimos cruciatus perpessus est; sed mox eximio fidei feruore succensus, ignitum vndique corpus, canticis & hymnis & gratiarum actiõe refrigerauit: ipsumque tyrannum sua constantia & alacritate, ingenti dolore affecit. Tum nefarius ille Iudex, quosdam ex eorum militum numero, qui relictis simulacris vni Deo nomina sua professi fuerant, manibus pedibusque in linguis quadratæ figuræ suffigi iussit, fixosque ridens interrogauit, num ea res illis voluptati esset. Repentè illi animo valdè iucundo eam rem iucundissimam sibi esse affirmârunt, addentes; Vtinam Christi efficiamur imitatores, qui propter nos in Crucis ligno suffixus fuit. Perculit hoc responsum Tyrannũ grauiter, iussitq; Andream è lecto sublatum carceri mancipari; verbo quidem, quòd martyri tempus dare vellet, vt maturè sententiam mutaret, re autẽ vera, vt intereà imperatoris sententiam, cui Andream admodùm charum esse nouerat, exploraret.

In ferreum lectum igne candentem collocat se martyr.

Sociorum militum cruciatus.

Mittitur indè in carcerem.

Porrò Imperator Maximianus, vt per Antiochi literas de Andrea cæterisque militibus certior est factus, veritus ne vniuersum exercitum morte tam præclari Ducis, optimorumq; militum turbaret, ac animos omniũ à se alienos redderet, monuit Antiochum, vt Andreã eiusque sodales è carcere liberos dimitteret, quasi

quasi anteactarum rerum venia ijs concessa paulò autem pòst, nisi à sententia discederent, tanquàm alterius criminis reos grauiter puniret.

Andreas, eiusque milites Christiani, dimittũtur liberi.

Antiochus igitur, accepto Imperatoris rescripto, Andream, cæterosque vinculis solutos, in pristinam libertatem restituit. At sanctus Dei eiusmodi fallaciæ inuento, diuinitùs cognito, vnà cum militibus in Ciliciam, ad Tarsum metropolim se contulit; vbi à Petro Tarsensi antistite, sacro fonte (necdum enim baptisma perceperant) lustrati sunt. Indè verò celeriter cum militibus profectus, Seleuci, Ciliciæ præfecti persecutionem (qui ab Antiocho in mandatis acceperat, vt vinctos eos illi transmitteret, vel gladijs conficeret) non metu, sed solius præcepti Dominici respectu fugiens, tandem ad Tauri montis angustias peruenit, ac ibidem cum diuino oraculo locum illum suo ac sociorum martyris præfinitũ cognouisset resedit: commilitonesque ad futurũ certamen luculenta oratione roborauit. Porrò Seleucus cum instructo exercitu iam eos assecutus, ilicò eundem in sanctos inuisit. Ibitũ profani illi & nefarij persecutores, ferociter & quodam cum dentium stridore ac fremitu irruentes, strictis gladijs beatissimos viros interfecerunt: eorumque sanguine præterlabentem fluuium impleuerunt. Statim autem, quêadmodum beatus martyr in vltimo illo certamine precibus à Deo postulauerat, fons ille, in quem venerandus sanguis ille defluxerat, diuinis beneficijs mirabiliter scaturiuit; prorsus vt hodiernum vsque diem, diuina quadam virtute

Baptizatur Andreas.

Matth. 10.

Andreas cũ suis militib. trucidatur.

tute præditus morbos pellat, dæmones ex obsessis corporibus fuget, & cunctis Christi gratiam per intercessionem martyrum illorum implorantibus sanitatem tribuat. Porrò venerandas eorum reliquias, Petrus Tarsensis Episcopus, Nonnus Episcopus Beroœensium, Theodulus & Synesius diaconi, Marinus, Nicolaus, Eusebius & Lamyrion Lectores, qui è longinquo certamen spectabant, honorificè condiderunt: in Isauriam ob metum Seleuci confugientes.

Miracula post obitum eius.

VITA PERBREVIS S. MARIANI Eremita. ex D. Gregorio Turonensi, De Gloria confessorum, cap. 1.

FVIT in Termi termino Marianus eremita, qui vitam ab omni peccati contagione alienam pomis agrestibus, & melle vel oblato vel in sylvis quæsito, sustentabat. Qui cum à plurimis plerumque pietatis ergo visitaretur, quodam tempore fuit sub arbore malo exanimis inuentus: incertum quo genere lethi extinctus. Tunc viri qui aduenerant, eiusq; solatijs sæpius fruiti fuerant, attulerunt eum ad vicum Emanuensem, ablutumque ac dignis indutum vestibus, in Ecclesia honorificè sepelierunt. Festa verò obitûs eius, per singulos celebrantes annos, atque conuenientes populi, crebrò ab infirmitatibus sanabantur.

19. Augu. *Pomis & melle victitat.*

Festa dies eius annua miracula clara.

Quidam autem de vicinis annonas diu infectas aqua, ac germine producto conflatas, facto igne, super vimina contexta coquere parat, ad pocula facienda. Accedens autem vnus vicinorum eius, ait; Quid tu ô homo, detineris

neris in opere? An ignoras hodiè Solennitatem esse beati Mariani? Qui indignabundus, nutans tu, inquit, qui hæc loqueris, quia homo elisus ex arbore propter compendia gulæ, angelorum sit relatus in consortium? eumque vt sanctum inuocandum esse? Melius est, mihi crede, opus necessarium domi exercere, quàm talem sanctum excolere. Quod ille audiens, relicto in opere vicino, ad templum abijt. Nec mora, flante vento domus illius flammis absumitur, ac vicinis ædibus (ne quid miraculo deesset) relictis, huius hominis aream, sepes, tugurioli vel porcorum vel pecudum, vorax incendium corripit, ac momento in fauillam ac cinerem redigit.

Cælestis vindicta in blasphemum.

Porrò eodem tempore alterius hominis, qui in templo precibus vacabat, boues furto quidam abegerat. Cumque è templo domũ reuersus damnum cognosceret, miser ille magno eiulatu ad beati Mariani sepulcrum recurrit; orat obsecratque, vt ablatos boues restituat. Res mira; cùm rursus vix mentis suæ compos è templo domum regredi parat, aduertit hominem per aggerem publicum venientem, qui boues illos ante se cũm caballo ex itinere lasso prosequens adducebat. Errauerat enim à via, & quasi amentia percussus, in illam viæ partem, de qua egressus fuerat, mente turbata redibat. Itaque vir ille boues suos recipiés, hominem sine calumnia dimisit, quòd Mariani virtute amissos recuperasset. Quo vulgato miraculo, tota Bituriga in cultum & laudes Mariani vehementius exarsit.

Miraculum.

VITA S. LVDOVICI, EPISCOPI TOlosani, ex Tiplomate Ioannis XXII. Pontificis Maximi. quod extat apud V. P. Surium & egregio quodam M. S. codice Tempus obitus eius patet infrà.

Vide Not. C. Baronij in Martyrol. Rom.

LVDOVICVS eximius Christi Cõfessor, clarissimo stẽmate prognatus, patrẽ habuit Carolũ, Siciliæ Regẽ, matrem verò Mariã, Regis Hungarorũ filiã. Genus sanè illustre; & quod alijs superbiæ fomitẽ administrare solet, hoc adolescẽti huic præter communẽ naturæ modum admirãdæ humilitatis ac sanctitatis suppeditauit materiã. Nam vt à teneris virtutẽ vnicè adamauit, ac diuino inprimis cultui miro studio vacauit, ita postquam quartumdecimũ ętatis suę attigit annum, adeò strenuè vitiliterq; fastu mundanæ gloriæ, calcato, Christianæ fidei ac religionis opera sectat⁹ est, vt cunctis haud partuam sui admirationẽ commoueret. Nõ enim abiecto & effœminato animo vmbras virtutũ captabat; sed excelso planè atq; virili, solidas in pectoris sui scriniũ ingerebat virtutes. Ea ætate adolescẽs, fuit Patris redimendi causa obses cum duobus è suis fratribus in Cataloniam ductus; cumque vnà cũ alijs militari custodia teneretur, ipse seniores iunior miris rationibus consolabatur, & quasi iam ex alto cæli cardine mundanæ gloriæ & fortunæ ludibrium despiciebat, & cùm verbis tum factis ostendebat, nihil esse calamitosius homine illo, qui in incerto diuitiarũ, aut magna spe honorũ fœlicitatẽ collocat. Hinc vt animum magis magisq; contra aduersos ca-

19. Augu. *Ludouici regia prosapia.*

Egregia pietas & virtus Ludouici in iuuenili ætate.

sus omnes roboraret, oblata in eo exilio opportunitate, animum artium maximarum disciplinis imbuendi, præclarè est vsus. Toto nãque septennio, fratres Minores, insigni pietate ac eruditiõe viros, indiuiduos exilij sui socios habuit; quorum præceptionibus tantos in literis processus fecit, vt haud vulgarem, de rebus maximis ac Theologicis, dicendi facultatem consecutus sit. Solo verò pietatis & deuotionis studio ductus, horarias preces, iuxtà ritum fratrum minorum summa cum animi attentione persoluebat: extensisq; brachijs, dictu mirum, quanto ardore contemplationi Dominicæ passionis inhærebat ac eiusdem Officiũ legebat, Vigilijs insuper, ieiunijs, & alijs corporis afflictionibus rebelles carnis motus spiritui subdebat: ac postremò, cælesti pane, sacrosancti Christi Iesu corporis, frequenter se muniebat.

Pia eius exercitia.

Tandem pace, inter patrẽ eius & Aragoniæ Regẽ, restituta, eo tempore, quo nuptiæ sororis eius, causa pacis, celebrabãtur, Ludouicus præsentibus duob' Regibus, totidemq; Apostolicæ sedis Legatis, palam accepta tonsura, mũdo, eiusque pompis renunciauit. Indè Romam cum patre & fratribus profectus, & à Pontifice Bonifacio honorificè exceptus, subdiaconus ordinatus est. Cumque multò tunc ardentius ad perfectionis apicem sibi annitendum esse putaret, cerneretque curiæ strepitũ sibi vehementer impedimento esse, quò minus rebus cælestibus pro voto vacare posset: illicò se Neapolim cõtulit; vbi factus Diaconus, paulò pòst sacerdotio initiatus est. Porrò vt altio-

Renunciat mundo.

Fit Subdiaconus.

Abit Neapolim & fit Diaconus & Sacerdos.

ribus

ribus adhuc sacrarum literarum scientijs pectus locupletaret, quodã in loco, fratrum Minorũ habitationi se adiũxit: eorumq; disciplinis sanè sanctissimis, animum egregiè imbuit.

Intereà Tolosanus antistes, vitę munere perfunctus, Ecclesiæ illius curam, Bonifacio summo Pontifici reliquit; qui perspecta iam antè Ludouici pietate, pariterque prudentia, ac eruditione singulari, eum ad sedem illam administrandam euocauit. Recusauit instanter Ludouicus, negauitque se aliquod Ecclesiastici muneris officium suscepturum, nisi prius in verba, Regulamque D. Francisci solenni professione iurâsset, seseq; totum sanctissimo illi instituto consecrâsset. Miratur Pontifex viri humilitatem; obstupescunt alij ad tantum religionis ac pietatis amorem, ille verò totus in Christo absorptꝰ, abiectis vestibus cultioribꝰ, omnibusq; regiæ dignitatis calcatis ornamentis, Franciscanæ religioni nomen dedit, ac vili suscepti ordinis indutus habitu, nodosoque præcinctus fune, strenuum se Christianæ militiæ athletam exhibuit. Non diu admodum sub signis illis militauerat, cum Pontifex inuitum ac frustra reluctantem in Sede Tolosana collocat: ac Episcopali dignitate ornatum, ad Ecclesiæ munia strenuè viriliterq; obeũda cogit.

Deedit se instituto D. Francisci.

Fit Episcopus.

Igitur auctoritate Pontificis victus obedientiæ cessit, seseque totum ad animarum curã sanè diligenter comparauit. Et quidem inter omnes virtutes, humilitatem præcipuè mordicus in sese tutatus est; prorsus vt oblitus se Regis filiũ, oblitus Episcopum, pedes pauperũ lauaret, & pupillorum ædes lustraret; ijsque

Insignis eius humilitas.

Eximia in pauperes charitas.

non solùm larga manu subueniret, sed etiã reuerenter admodùm cibum potumq; ministraret; manus pedesque abluere; brachijs amoris ardentissimi stringeret, oscula figeret; ac denique haud aliter quàm ipsamet Christi viscera reficeret. Porrò erga superbos & tumidos peccatores iustitiæ seueritate; lapsos tamen, quanquàm grauissimè, nequaquàm despiciebat, sed in spiritu lenitatis corripiens, summa ope, ad rectam iustitiæ semitam reducere conabatur.

Vide quibus ecclesiastica contulerit beneficia.

Beneficia verò ità conferebat, vt nulla vel conditionis, vel fauoris, aut precum habita ratione, solos mores, scientiamque accuratè discuteret, eosque solos beneficijs ac dignitatibus ornaret, qui cæteris & morum grauitate, & prudentia ac pietate præstabant.

Tepor in religioso, valdè periculosus.

Interim verò prudenter secum considerans, quòd sicut cibus corporeus, nisi salis acrimonia condiatur, citò corrumpitur; sic vitæ sanctimonia facilè labascit, nisi pœnitentiæ austeritate fulciatur; totis in id viribus incubuit, vt propriam carnem & victus parsimonia, & asperitate vestium, vigilijs, ieiunijs, curis denique ac laboribus domaret, & spiritui sinè vlla rebellione parere cogeret. Cingebat nodosa reste carnem delicatam, & stramine aspero pro indusio vtebatur; & si quandò vel paululum caro aduersus spiritum insurgeret, mox ferreis catenulis, motus omnes ratione vacuos comprimebat; fractoue hoste, carne inquam, spiritum cælestibus delicijs mirificè recreabat.

En quanta seueritate delicatus Regis filius carnem domuerit.

Vrgentibus Ecclesiæ causis, cùm aliò proficisci cogeretur, diuersas Italiæ & Galliæ lustrans

strans regiones, diuini verbi semine vbique sparso, tandem Lutetiam Parisiorum appulit; vbi diebus admodùm paucis, nõ sinè fructu exactis, superatis Pyrenæis montibus, peragrataque Catalona, in Prouinciam reuersus est. Ibi tanta auiditate, diuinas illius conciones excepit populus, vt, facto ad eum concursu, quidá in mortis discrimen adducerentur. Diuina tandem dispensante clementia, cùm breui explêsset tempora multa, sanctus antistes in eo loco, qui Brimonia dicitur, annos natus triginta tres, ardentium vi febrium correptus, anno salutis 1297. 14. Kal. Septembris è corporis vinculis, in cælos migrauit. Funus fuit festiuo gaudio lachrymis mixto, Massiliæ, in Ecclesia fratrum Minorum honorificè curatum; vbi, mirificante Domino sanctum suum, cæcis, surdis, claudis, mutis, paralyticis, hydropicis, cæterisque morbidis, præstantur remedia, ab eo, qui facit mirabilia solus, viuens & regnans per infinita secula, Amen.

Venit Parisios.

Præclara eius cõciones.

Moritur anno ætatis suæ 33.

Miracula ad sepulchrum eius. Psal. 71.

VITA S. BERTVLPHI ABBATIS cœnobij Bobiensis in Italia: ex ea quæ est apud Ionam Monachum, eius contemporaneum. Floruit temporibus Honorij Papæ: qui sedit Anno salutis 626. & sequentibus.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baronij.

BBertulphus claris admodũ ortus natalib⁹. beato Arnulpho Metensi Episcopo sanguine cõiunctus fuit. Cuius pijssimis vestigijs insistẽs, posthabito patre, neglecto natali solo, spretis seculi pompis, distributis in egenos omnibus suis facultatibus,

19. Augusti. *Ipsius vitã habet Lector 16. Augusti.*

nudus tulit crucem suam, & semetipsum abnegans, ad Bobiense tandem Cœnobium sese contulit: ibidemque sub obedientia venerandi Abbatis b Attalæ, Christo redemptori iugiter militaturus sedem fixit. Porrò increscentibus cum tempore virtutum incrementis, egregius iam & strenuus monasticę regulę ac religionis ædificator & custos, cum pijs omnibus indies charior & gratior euaderet, sacrum ad populũ declamandi munus ei iniunctum fuit: quatenus rudem plebeculam optimis moribus imbueret, salutaribusque monitis ac doctrinis, contra hæresim Arianam assiduò instrueret atque muniret.

b Illius vitã habet lector 10. Martij.

Concionator præclarus S. Bertulphus.

Exequutus id verò est venerabilis Pater continuis 13. annis tãto studio ac spiritali cum fructu, vt beato Attala ex his seculi ærumnis ad cęlestia regna euocato, omnium fratrum vocib. animisque coniunctis paterni honoris successor dignissimus declaratus sit atque assumptus. Omnis autem bonis inuidus satanas, haud ferens tanti Patris proficuam electionem, nihil non attentare, machinarique, quo mentis eius tranquillitatem quodammodò conturbaret, infestaretque. Et quidem excitauit in eũ quendam Proclum, Cleronensis vrbis Pontificem: qui vt pientissimũ Abbatem cum Cænobij supplemento subiectum sibi faceret, omni nisu intendebat: vicinosque Pontifices, & alios quoslibet primates ad id peragendum muneribus attentabat. Quin & *Ariouualdum Longobardorum tunc Arianum super eadem quoque re adijt. Verùm cum nihil aliud ab eo responsi accepisset, nisi vt ecclesiastico iure probaret, vtrũ

Fit Abbas.

Patitur persecutionem.

** al. Arioaldum & Ariouualdum.*

cœno-

cœnobia procul ab vrbibus sita, Episcopali debeant ministrari dominio: illæ omnes quos potuit suo intentui iungit.

Cumque hæc agerentur, vnus aliquis ex aula clam Abbati Bertulpho totius machinamēti seriem per internuncium manifestauit. Illeverò protinùs experiēdi gratia, quosdam de pueris suis ad Regem direxit. Quibus ille inter alia respondit: Non est meum sacerdotum causas discernere: quas Synodalis examinatio ad purum debet iudicare.] *En scitum sanè Regis, quamuis Ariani responsum: quem imprudens Episcopus aduersus monachos interpellauit. Ita planè adeò perspicuum est, semper sacra per homines sacros, & Ecclesiastica per ecclesiasticos viros tractari debere; vt neque hæretici ipsi Principes, tenebris errorum offusi, id potuerint non vidisse: solis temporis huius cæcutientibus Nouatoribus; qui rebelles facti sunt lumini: nam ne tanta luce cerusca videre quæ sunt omnibus nota cogantur, crassa obstinatione, obductis mentis oculis, spontaneæ sunt cæcitate percussi.* [Porrò scisciātur illi qui à sancto Abbate missi fuerant, vtrum Rex fautor esse velit prædicti Episcopi, an Abbatis sui. Ad quod Rex, nequaquàm se ait, illis fauere velle, qui famulo Dei molestias aliquas aut iniurias vellent irrogare.

Explorat mentem Regis Abbas.

Nota responsum etiam Ariani Regis.

In Nouatores.

Postquàm igitur vir sanctus Regem quamuis barbarum, & Arianæ sectæ credulum, tam humane de causa sua locutum fuisse cognouisset, poscit vt publico supplemento fultus, Romam ad Apostolicam sedem peruenire queat.

Bertulphus Romam venit ad Pontificem.

Quo protinùs impetrato, prospero itinere Romam perueniens, Honorium summũ Pontificẽ adijt: ac occasionem ei aduentus sui patefecit. Antistes verò vt erat sagax animo, de industria quærit, quæ sit cõsuetudinis suæ regularis disciplina: nè si fortè errones monachi essent, faueret illis, ab Episcoporũ potestate dimouens.

Res eius gestæ cum Honorio Papa.

Ea aũt ex Abbate audita ac probè cognita, placuit Pręsuli, eam in pristino vigore cõseruari, ac solita libertate iugiter perfrui. Per singulos dies exindè Abbatem conueniens, eum blanditer commonebat confortabatq;, quatenùs suscepti laboris haud tęderet: at Arianam perfidiã Euangelico mucrone viriliter impugnare, omnemq; impietatẽ profligare adniteretur. Erat

Laudes Honorij.

siquidem B. Honorius Pontifex, vigens cõsilio, doctrina clarus, dulcedine & humilitate pollens: vndè lætabatur se è gentibus tam insignẽ Patrem reperisse, cum quo dulcia de Catholica fide stabilienda & similibus liberè promeret eloquia. Quapropter prorsus ferre haud sustinens, citò ab eius consortio separari, peroportunè accidit, vt vehementi admodum tunc existente æstu, B. Bertulphus longiores quã optârat in vrbe cogeretur trahere moras.

Priuilegia à sede Apostolica indulta Bobiensi Cœnobio.

Impertijt autem tandem B. Pontifex S. Bertulpho munera optata: priuilegia quippè sedis Apostolicæ: quatenùs nullus Episcoporum in præfato cœnobio quolibet iure dominari conaretur. Sicq; Apostolica insuper munitũ benedictione, ad propria cum suis in pace dimisit. Cùm verò peracto aliquanto itineris spatio ad Bismantũ Castrum venissent, tanta eum vis

Ægrotat S. Bertulphus.

febrium oppressit, vt omninò morte præueniri

cre-

crederetur. Erat autem Vigilia passionis Beatorum Apostolorũ Petri & Pauli. Atra porrò nocte iam irruente, accersitum ad se fidissimum itineris comitem Ionam, antè stratum suum per totam noctis metam excubare iubet. Paret ille quidem lubens Abbatis iussioni; verùm nocte cõcubia tantus eum sopor oppressit, vt sursum caput attollere nõ valeret: simili quoq; modo eos qui circa tentorium sarcinas vel equos custodiebant. Cum eccè cælestis aulæ clauiger, Apostolorumque Princeps Petrus, immẽso coruscus lumine, aduenit; ac super stratum ægri Patris astans: Surge, inquit, & sospes cum coniatoribus tuis abscede. Eo autem inquirente, quis esset, qui sibi talia iuberet, respondit: Ego sum Petrus, cuius hodie clara in toto orbe celebrantur solennia. Et hæc dicens abscessit: At vir sanctus timore perculsus, scisciatur à Iona, nùm audisset vocem vel aspectum alicuius vidisset. Eo respondente, minimè: Non cernis, inquit, fuluam lucẽ, vbi Petrus Apostolus pergit? Tunc tandem agnoscens Ionas motiuum interrogationis eius, vix enixis precibus obtinere meruit, quatenùs ei seriem admirandæ panderet visionis.

Is est huius historiæ scriptor.

A S. Petro mirabiliter curatur.

En solennitatem D Petri ab eodem approbatam.

Ceterùm fuit & S. Bertulphus miraculorum gloria illustris. Duos siquidem sæuis dæmonũ infestationibus vexatos diuina virtute omninò purgauit. Alium quendam horrenda perfusum lepra ita sanum reddidit, vt nè eius vestigium quidem in homine appareret; adimplente vota famuli sui præpotente Deo: qui est superadmirabilis in sanctis suis.

Miraculis Claret S. Bertulphus.

VITA,

VITA S. PHILIBERTI, ABBATIS Gemmeticensis primò, dein Herionensis; ex ea quæ extat apud V.P. Laurent. Surium: Vixit temporibus Dagoberti eius nominis primi Regis Francorum, & filiorum eius. Qui claruere anno Salutis 644. & sequent. teste C. Baron. Tom. 8. Annal.

Vide Not C. Baronij in Martyrol. Rom.

20. Aug.

Patria & Parentes eius.

BEATVS Philibertus, Helisano territorio oriundus, patrem habuit Philibandem, virum eximijs prudentiæ laudibus, & multis dignitatum ac honorum titulis egregiè ornatum; qui propter prudentiæ ac pietatis opinionem laicæ functionis ministerio absolutus, ad culmen honoris Pontificij euectus fuit. Porrò Philibertus optima & liberali admodùm indole præditus, & maximarum artium disciplinis probè instructus, Dagoberto Regi, à pio parente commissus fuit; vt partum gloriæ ac familiæ decus, sua virtute ac regio fauore sartum tectum conseruaret. At verò Adolescens insigni nobilitate cõspicuus, postposito omni fastu, in intimam Audoëni optimatis familiaritatem sese insinuauit; quòd cerneret virum illum, aureo licèt balteo cinctum, & inter alios aulæ proceres cumprimis illustrem, clarissimis vitæ meritis insignem; atque ea propter, non multò pòst, Rothomagensis Ecclesiæ antistitem consecratum.

In aula regia adhæret Audoëno.

Philibertus autem, cuius in pectore diuini amoris flamma indies magis magisque crescebat, vbi annum ætatis expleuit vicesimum, rebus suis omnibus in pauperes erogatis, ad Rasbacen-

bacense cœnobium se contulit; quod præ cete- *Abit ad monasterium Rasbacense.*
ris omnibus, sub Aglio Abbate, sanctissimis
monasticæ vitæ institutis florebat egregiè. Au- *Aglius Abbas Rasbacensis.*
doënus namque hoc ipsum cœnobium in suo
fundo condiderat, Agliumque è Luxouiensi
monasterio accitum, eidem præfecerat; ijsque
virtutum ornamentis instruxerat, vt fama san-
ctitatis celebre, multos pręcipua nobilitate vi-
ros, ad suaue Christi iugum amplectendum al-
liceret. Igitur Philibertus, relicta regia, Chri-
stianæ militiæ nomen dedit, spiritualibus ar-
mis egregriè tectus, certamen cum hoste anti-
quo, animo sanè confidenti, iniit; rursusque
hostis ignita (ingluuiei potissimùm) iacula a-
criter in eum vibrauit, Christique militem nō
tarò horribili specie terrere conatus est. No- *Dæmon frequenter ei insidiatur.*
cturnis siquidem horis tendenti ad Ecclesiam
sumpta immanis vrsi specie occurrit; aliàs cā-
delabri ferro confodere nisus infremuit; inter-
dum etiam præ templi foribus transuersum se
obiecit, quæ tamen machinamenta, Christi vir-
tute Philibertus dissoluit, soloque Crucis signo
hostem in fugam conuertit.

Postquàm verò Aglius vitæ munere perfun- *Fit Abbas, & persecutionem patitur à subditis.*
ctus, in Domino obdormiuit, fuit vnanimi fra-
trum omnium consensu, in defuncti locum ac
honorem subrogatus; qui dum vitia cuncta ra-
dicitùs extirpare conatur, pessimè à nonullis
peruersis mulctatus est. Sed fuit eorundem re-
bellio, vltione diuina citò repressa; & Phili-
bertus honoribus auctus, à cæteris peramanter
deindè habitus. Nam cùm quidam maligno cō- *Vltio diuina in monachos rebelles.*
citati spiritu, violenta manu, ex Ecclesia opti-
mum parentem extrahere vellent, vnus ex eis
ful-

fulmine ictus interijt, alius instar Arij, effusis in sterquilinium visceribus, indigna morte vitam finiuit. Quo supplicio reliqui examinati, supplices se viro sancto exhibuerunt: petitaque scelerum venia, in omni officio pietatis, subillo stipendia fecerunt.

Itaque vir diuinus, sancta pace domi cũ suis composita, mox sanctorum lustrauit cœnobia, vt instar apis prudentissimæ, ex aliorum moribus & institutis, suauissima virtutum mella colligeret. Cumque hinc indè profundam cælestis philosophiæ disciplinam hausisset, illicò animum ad nouam monasterij fabricam extruendam adiecit. Et quidem haud difficulter à Rege Francorum Clodoueo, eiusque coniuge Baltilde, locum in pago Rothomagensi obtinuit, quem antiqui Gemmeticum appellant; quem elegãtissimo monasterio, virtutibus florentissimo, illustrauit: ac meritis sanctitatis suæ præclare adornauit. Præter alia loci istius cõmoda, haud miraculo carere videtur, quod non rarò ibidem marinas belluas, quinquaginta pedum longitudine capere soleant; ex quibus nõ modò escas sibi parent fratres, sed & earum pinguedine lucernas foueant.

Condit Gemmeticũ monasterium.

Porrò eo in loco, quantis vir sanctus claruerit virtutibus, documento nobis sunt præclara miracula, quæ omnia referre nos breuitatis studio omittimus. Sufficiat ad imitationem tanti viri nouisse, nunquàm eum corpori alimenta suppeditare voluisse, nisi priùs copioso lachrymarum imbre genas rigasset, & sua aliorumque peccata, prolixis precibus &

Eximiè operatus est miracula.

Deflet aliorum peccata quotidie.

eleemosynis deleuisset : ac postremò internam Christi inspirationem hausisset . Et vt intelligi posset , quanto ardore omnium salutem , quantaque diligentia ac studio, curandis animabus inuigilabat, vnum è multis hîc referre libet , quod cuidam suo fratri , mortis æternæ periculis circumuento, contulit beneficium . Monachus quidam occulto infectus facinore , subitò loquendi facultate priuatus animam agebat , ac desperatione fractus, spem salutis planè abiecerat. Accurrit Philibertus, ac manu moribundi fratris apprehensa , blandis hortatur verbis, vt vel aliquod indicium edat ,se ab occulti facinoris delicto , pariterque supplicio , liberari velle . Nec mora; blando Philiberti affatu permotus spem concipit ; manumque eius arctè stringens, pœnitentiæ signum dat . Tum vir sanctus ilicò ad ædem beatissimæ Virginis abiens , perfusis ora lachrymis in preces incumbit , nec prius à fletu gemitibusque surgit , quàm fratrem illum loquelæ beneficium à Deo recepisse intelligit. Tunc ab oratione surgens , iterum ad moribundi se lectum confert , eius confessionem excipit;qui peracta pœnitentia, mox animam à graui peccatorum sarcina liberatam læto vultu tradidit.

Fratri mutæ ac desperati, impetrat loquaiem ac pœnitudinē.

Solebat etiam vir sanctus,fratres è monasterio ad animarum salutem curandam ablegare;quorú concionibus multi viri nobiles permoti,propria calcata voluntate,se Christi seruitio mancipabant . Construxit quoque celebre illud virginum cœnobium , decimo à

Genis

Pauliacum virginum cœnobiũ ab eo constructum.

Gemmetico milliario, quod Pauliacũ vocant, cui Austrebertam illustri familia fœminam præfecit. Alia quoque plurima virtutum meritis illustria condidit monasteria in Neustria, quæ cùm Rex annuis prouentibus egregiè ditaret, ipse decimas, alèdis pauperibus, ac captiuis redimendis, indè abstrahebat, tanta liberalitate, vt etiam monachos suos cum onustis nauibus non rarò in regiones transmarinas mitteret, qui illinc captiuorum greges, persoluto pretio, reducebant. At verò inter tot tantaque virtutum insignia, nõ potuit vir sanctus caninos malignorum quorundã euadere morsus; qui per summam fraudem structa calumnia, nomen eius apud beatum Audoënum Rothomagensem præsulem detulerunt, ac tãtam in inuidiam adduxerunt, vt sanctus antistes, impiorum mendacijs persuasus, virum innocentem in vincula coniecerit. Quod vir diuinus non modò patienter, sed alacri etiam tulit animo; prorsus vt ergastuli squalorem delicias reputaret. Sed eam inuidiam facilè vicit eximia viri sanctitas, Audoënumque permouit, vt eum honorificè è carcere educeret, & in pristinum honoris gradum restitueret. Constrvxit quoque vir sanctus in oppido Villare nuncupato, (in territorio Caltino) quod dono acceperat à VVarrato palatij Principe, præclarum virginum monasterium: vbi etiamnùm eximiè floret sacra religio.

Studium & liberalitas eius in redimendis captiuis.

Vide quid non faciat venenata lingua.

Constrvxit Villare nse monasteriũ virginum.

Cæterùm & Prophetico spiritu insigniter clarus, aliisque mirabilibus signis celeberrimus vir sanctissimus, demùm flentibus Fratribus cunctisque populis, lætantibus angelis in

Cæno-

Cœnobio Herionensis Insulæ, (ab Ansoaldo Pictauorum Episcopo, eius instantia post vinculorum solutionem cõstructo) cui ab eodem Antistite præfectus erat, tertiodecimo Kalend. Septembris è huius mundi ludibrijs ad Christum migrauit, sempiternæ gloriæ palmam à Domino percepturus. *Obitus eius fœliciſſimus.*

VITA S. BERNARDI, PRIMI ABbatis Claræuallensis; doctrina & miraculis gloriosi: Ex ea quæ est per Guilielmum abbatem S. Theodorici Rhemensis, Bernardum abbatem Bonæuallis, & Godefridum Claræuallensem monachum viri sancti quondam Notarium conscripta. Migrauit è corpore anno à Christo Domino 1153. quem Alexander 3. Papa, inter diuos adnumerauit, anno 1165. *Vide C. Bar. Notat. ad Martyr. Romanum.*

20. Augu.

BERNARDVS Burgundiæ oppido oriundus, claris admodum secundùm sæculi dignitatem parentibus, patre Tesselmo, viro antiquæ & legitimæ militiæ insignib. ornatissimo, matre verò Aleth, illustri pietate fœmina, in lucem prodijt. Et quidẽ vterq; ea fuit religione & pietate in Deum, vt proles suas omnes (quas numero septem, mares sex, fœminam vnam habuêre.) Omnipotentis Dei seruitio libenter consecrauerint: & neglecta generis ac familiæ dignitate, totis viribus, cælestis militiæ ornamentis eos ornandos curauerint. Nam pia matrona mox vt fœtum ediderat, suis ipsa manibus eum Deo offerebat, proprijsque sedulò lactabat vberibus, vt vna cum lacte materno, maternam quoq; pietatem imbiberet. *Patria & parentes S. Bernardi.*

Visio matris.

Cùm verò adoleſcere inciperet, teneram ætatem luſibus ita exercebat, vt ijs ipſis quàm maximè ad futura Chriſtianæ militiæ certamina eremo eos non curiæ nutriens, erudiret. Cùm autem tertium in ordine Bernardum vtero geſtaret, vidit in ſomnio futurorum præſagio, candidum ſe catellum geſtare, rufis in dorſo aſperſum maculis, ſuoque latratu multos vndique populos excitantem. Qua viſione territa ſanè mater, virum quendam religionis ac ſanctitatis opinione præſtantem conſuluit; qui mox prophetico ſpiritu, futuram pueri ſanctitatem ei explicauit, monuitque, vt eum in Eccleſia Dei acceptabile Chriſto munus offerret. Paruit non modò mater, ſed viri iſtius monitis tanquam calcaribus incitata, ilicò natum infantem amore incredibili complexus eſt, ac literarum ſtudijs ſedulò imbuendum curauit; in quibus breui tantos fecit progreſſus, vt eruditio ætatem longè vinceret, & pueritia, ſenili quadam prudentia ac morum grauitate ornata, cunctis admirationi eſſet.

Repellit puerulus fœminam carminibus medẽtem.

Cùm adhuc puerulus graui capitis dolore vexatus in lectum decidiſſet, & mulier quædã dolorem carminibus mitigatura ad eum veniſſet, ille acri indignatione commotus, incantatricẽ clamoribus à ſe repulit abegitque; & impetu quodã ſpiritus è lecto exiliens, mox diuinitùs ab omni dolore ſe liberatũ cognouit. Adiecit porrò ei Dominꝰ apparere, vt olim puero Samueli in Silo: & manifeſtare illi gloriã ſuã. Solenni ſiquidem quadam Natiuitatis Dominicæ nocte, cũ nocturni diuini Officij hora aliquantiſper protelaretur, contigit, ſedẽtem expectan-

1. Reg. 3.

pectantemq; Bernardum inclinato capite paululùm soporari : cum eccè ilicò affuit puero suo puerulus Iesus: diuinæ in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit namque ei velut denuò procedens spõsus de thalamo suo: apparuit ei quasi iterũ antè oculos nascẽs ex vtero matris virginis verbũ infans: speciosꝰ forma præ filijs hominũ. Vndè & postmodũ in laudem eiusdẽ genitricis & geniti, & sanctæ eius Natiuitatis insigne edidit opusculum: interim in Dei & proximi dilectione mirũ in modum proficiẽs. Hinc pauperibus imprimis, clãdestinis eleemosynis benignè consulere, & cuncta, pro ætate immò suprà ætatem, pietatis opera strenuè sectari. Porrò cùm hisce operibus sedulò insudaret, & paulò pòst sanctissimè defuncta matre, suo inciperet iure victitare, iuuenis eleganti corpore, grata facie, suauissimis moribus, acri ingenio, acceptabili eloquio, omnium sermone maximæ spei adolescens prædicabatur. Cui mox tortuosus coluber inuidens, laqueos tentationum spargere, & insidias callidè struere. Et primò quidem, cæco puellarum amore; laqueo autem vno omnium ad ruinam certissimo, castissimi iuuenis animũ peruertere cogitans, incredibili pulchritudine matronam, diuitijs & generis claritate præstantem, excitauit: quæ in secretiori domûs cubiculo eũ ingressa, ad peccati illecebras pertrahere conata est. At ille lenibus eam verbis demulcens, pari astutia è manibus & amplexibus eius elapsus aufugit: & virginitatis florem, in medio ignis illibatum conseruauit. Altera autem

Admiranda visio eius.

Psal. 18.

Psal. 44.

Mulier impudica, insidiatur eius pudicitiæ.

vice, cùm curiosius aspiciendo, defixos in quí-
dam oculos tenuisset, moxque impuri amoris
flamma corpus incendi animaduerteret, illicò
vltor in seipsum seueriſſimus, in stagnum ge-
lidæ aquæ collotenùs insilijt, ibidémque tam-
diu immobilis constitit, donec penè exanguis,
calorem carnalis concupiscentiæ penitùs ex-
tinctum sentiret.

Seueriſſimè punit in seipso, incautum fœminæ aſpectum.

Eodem ferè tempore, lasciua quædam puel-
la, dæmonis instinctu adeò eius pudori est insi-
diata, vt nocte quadam per summam impuden-
tiam in eius lectum nudam se collocare, & in-
quieto motu ac tactu, etiam ad fœdam volup-
tatem prouocare non sit verita. Quam adoles-
cens castissimus admirandis pudicitiæ signis
atque indicijs, quanquàm impudentissimam,
tanto perfudit rubore, vt eo relicto, clàm de-
nuò aufugeret : nec deinceps eiusmodi bel-
lum mouere præsumeret. Nec tamen ea adole-
scentis castitate, pariterque constantia, super-
ratus hostis cessit; nam alia quædam haud con-
temnenda matrona, apud quam hospitabatur,
decoro adolescentis aspectu capta, vehemen-
ter in illius amorem exarsit; prorsus vt & pudi-
citiæ & honoris sui oblita, noctu ad eius lectũ
impudenter sanè accederet, & castissimum iu-
uenis animum voluptatis illecebris tentaret.
At Bernardus animaduerso periculo, mox in-
genti voce clamare cœpit, Latrones, latrones.
Quo clamore impudens mulier in fugam qui-
dem versa est; ita tamen, vt, flamma amoris in
viscerib. hærente, secundò & tertiò aditum, ad
nefarium concubitum, tentaret. Sed cùm eodẽ
clamore semper pellleretur, & domestici, ac

Repellit à se mulierem in honestam.

censo

censo lumine, arreptisque quæ sors offerebat, armis, occurrerent, tandem quieuit. Cùm autem ne musca quidem latro appareret, & mane facto, à Bernardo perquirerent, quo mentis furore ille latrones adesse clamasset, respondit prudenter sanè, eam veraciter latronem infestissimam fuisse, quæ irreparabilem castitatis thesaurum suffurari nitebatur.

His igitur defunctus periculis, Christi gratia, Bernardus, ne tandem aliquandò callidi serpentis astutia circumueniretur, fuga sibi consulere statuit. Igitur sagaci mente atque iudicio omnia perpendenti, & locum tutissimum inquirenti, Cistertij monasticæ religionis noua arrisit plantatio; quæ paucos admodum, ob nimiam vitæ & paupertatis austeritatem, sui habebat cultores. Quæ tamen Bernardum cùm minimè terrerent, postposita omni hæsitatione ac timore, mentem oculosque eò direxit, ac planè castra illa subire decreuit. Quòd vt primùm fratribus & cognatis eius, gloriæ & honoris supramodum studiosis innotuit, totis viribus animum eius, amore scientiæ implicare conati sunt; eumq; tã arctè reuincire, vt paulatim tumore elationis (quẽadmodũ sperabant) inflatus, cogitationes illas humilitatis & abiectionis planè deponeret. Et primò quidem feruor pietatis, amorisque diuini, eorum suggestione haud parùm tardatus fuit: sed cum pia matris monita & educatio, animo illius importunè occurrerẽt, mox pio lachrymarũ perfusus imbre, mentis suæ leuitatem & inconstantiam damnauit, & acrioribus amoris diuini iaculis vulneratꝰ, fratres ipse suos ad eandem

Bernardum Cistertium cogitantem, amici & cognati reuocare conantur.

dem Christi seruitutem pertrahere aggressus est. Et sanè vix dici potest, quantum laboris in hoc munere perficiendo susceperit; dum animos eorum, gloriæ militiçque vehementer deditos, ad Christianæ humilitatis studium allicere studet. Primùm omnium Galdricus eius auunculus, Dominus castri, quod Tuillium dicitur, in territorio Heduensi, optimè monenti Bernardo assensum præbuit, nepotisq; sententiam cũ gaudio amplexatus, Christianæ militiæ nomen dedit. Quam mox Bartholomæus, cæteris fratribus iunior, secutus est. Porrò Andræas Bernardo iunior, recenti honoratę militiæ gloria elatus, salutarib. monitis aures præbere recusabat, donec instante & vrgente Bernardo, subitò exclamauit; Video matrẽ meam. Mater enim visibili specie apparens, filiorum proposito, serena facie subridens, congratulabatur. Qua visione motus Andreas, ilicò mandedit, abiectisque sæcularis militiæ armis, ad spiritalia Christi castra cum fratre aduolauit. Guido fratrũ primogenitus, matrimonij vinculis arctè alligatus, eadem cum Bernardo stipendia expetebat; sed cõiunx iuuencula vehementer obstabat, & sedula filiarũ nutrix, monita Bernardi constanter respuebat. Vndè Guido, ne cæteris fratribus in studio pietatis inferior esset, statuit, honorum ac dignitatum titulis planè repudiatis, opere rustico victum quæritare: seque suamq; familiam, sanctissimo manuum suarum labore sustẽtare. Dum hæc toto animo secum voluit, vxor eius graui infirmitate corripitur. Nec mora: Accersito ad se Bernardo, prior ipsa religiosæ vitę institutum postulat;

Galdricum auunculum conuertit.

Itẽ Bartholomæũ fratrem suum.

Item Andream.

Item Guidonem fratrem primogenitũ.

stulat: seq; vehementer perpetuæ castitatis cupidam ostendit. Exultat Bernardus, & teneram coniugem, in sacro Virginum collegio Christo consecrat: Guidonem verò vnà secum ad optata diu spiritalis militiæ castra abducit.

Vxor Guidonis Christo consecratur.

Secundus natu post Guidonem Gerardus erat; vir non modò in armis strenuus, sed præter insignem prudentiæ & benignitatis eximiq; opinionem omnibus charus. Is obstinato planè animo, saluberrima fratris cõsilia repellebat: fratrumque conuersionem summam leuitatem reputans, Bernardum insuper temeritatis arguebat. At Bernard. fidei calore præclarè incensus, & fraternæ charitatis zelo mirum exasperatus in modũ, Scio, inqt, scio, quia sola vexatio dabit intellectum auditui. Digitũque lateri eius apponens: Veniet, inquit, dies, & citò veniet, cùm lancea lateri huic infixa, peruiũ faciet iter ad cor tuum consilio salutis tuæ, quod aspernaris; & timebis quidẽ, sed minimè morieris. Sic dictum, sicque factum est. Paucis enim pòst diebus, Gerardus in acie ab hostib. captus, & vulneratus ad vincula trahebatur. Cumq; vulneris dolore oppressus, præsentem imminere mortẽ putaret, æternæ mortis periculo exanimatus clamabat; Monachus sum, monachus sum Cistertiensis. Itaq; in carcerem cõiectus, ilicò ab amore seculi liberatus est. Cumq; hostilibus adhuc vinculis teneretur multisque circumuentus angustijs, hoc solum precibus lachrymisq; die nocteque à Domino flagitaret, vt aliquandò optata libertate in Christi seruitute cum Bernardo fratre frueretur, audiuit quadam nocte vocem in somnis

Prædicit S. Bernardus Gerardo, euentura.

Gerardus castigatur ad vitæ emendationem.

sibi dicentem; Hodie liberaberis: Agebatur tũc sacrum Quadragesimale ieiunium; cùm Gerardus ex ea voce dubius admodum animi, qua via modoque liberaretur, fortè compedes suos tetigit; qui illicò (dictu mirum) in manu eius, ex parte soluti sunt: ita vt minùs iam teneretur, & aliquatenùs incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostiũ pessulis & claustro firmiter obseratum; & ingens præ foribus pauperum multitudo spem omnẽ euadendi prætereà adimebat. Surrexit tamen, & non tam spe euadendi, quàm tædio iacendi, seu curiositate tẽtandi, ad subterraneæ domûs accedens ostium, mox vt pessulum tetigit, tota inter manus eius collapsa est sera: apertoq; ostio, pedetentim gradum facere cœpit; ac mendicis (qui ibidem stipem petere consueuerant) diuinitùs in fugam conuersis, recta ad ecclesiã debitas Deo grates antè omnia oblaturus tetẽdit. Itaq; Bernard. 4. fratribus (quinto, omniũ iuniore, seniori patri ad solatium relicto) hoc modo ad Christi seruitutem secum adductis, palàm vbique prædicationi insistere, & alacritate incredibili rem Christianam præclarè multiplicare.

Magno miraculo, frater eius Gerardus liberatur è carcere.

Admiranda S. Bernardi virtus in cõcionibus.

Et quidem tanta virtute ac suauitate verba ad populum faciebat, vt quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia diuina: sermonibus illius inescati, mox ad Christi castra cõuolarent. Hinc matres, publicè vel priuatim illo prædicante, filios abscondebant; vxores detinebant maritos; amici amicos auertebant, veriti ne vocis eius virtute, eorũ affectus expugnaretur.

Cùm autem aduenientę die, quo solenni iura-

men-

mento se perpetuæ Christi seruitututi deuouere statuerant, de domo paterna cuncti egrederentur, & Guido natu maior, fratrem iuniorē, in platea, puerum cum pueris lusitantem cerneret. Eia, inquit, *Niuarde frater, tu solus bonorum omnium nostrorum ex asse hæres relictus es. Ad quæ puer haud pueriliter motus, Vobis ergo, inquit, cælum, & mihi terra? Non ex æquo facta est hæc diuisio. Quo dicto, abeūtibus illis, tunc quidem cum patre domi remāsit; sed, modico pòst euoluto tempore, fratres secutus, nec à patre nec ab amicis, vlla vi retineri potuit.

*VVinarde.

S. Bernardus cum socijs 30. Cistertiū ingreditur.

Igitur anno restauratæ Salutis 1113. à constitutione domûs Cistertiēsis quintodecimo, seruus Dei Bernardus, annos natus tres admodū & viginti, cum socijs fermè triginta Cistertiū est ingressus; qui omnes Bernardo præeunte vota sua Christo sanctissimè nuncupârunt. Et quia non pauci ex eorum numero matrimonij fœdere vxoribus copulati fuerant, ne earum pudicitia & voluntas, qua sanctum illud cum maritis diuortium inierant, periclitarentur, ilicò Bernardus cœnobium sanctarum fœminarum ædificari curauit, in quo sanctimoniales illæ, Deo nocte dieque insigni pietatis studio seruiêrunt. Porrò Bernardus, à primo monasterij ingressu, tanto mentis feruore cælestium rerum incumbebat meditationi, vt omni sensu corporeo penè extincto, solo Deo viuere videretur; prorsus vt post annum in cella exactum, ignoraret, essetne domus testudine tecta; nec adnimaduerteret, vnane an pluribus fenestris ecclesia lumen reciperet. Ex his pius

Sanctimonialium cœnobium extruitur.

Mirus feruor Spiritus.

Inuitus in dulce et cibo & somno corporali.

lector facilè colligere poteſt, quo animo ad cibum potumque ſumẽdum acceſſerit. Profectò hoc conſtat, cibum illi tormentum fuiſſe; ſomnum verò mortis imaginẽ reputans, quidquid dormiendo tẽporis abſumebatur, idipſum planè perditum eſſe dicebat. Hinc ita animum mentemq; iugiter aptabat, vt quocunque in opere verſaretur, ſemper cogitatione cum Deo eſſet. Iam verò vt animum ſuum ſapientiæ diſciplinis excoleret, quos non labores ſubijit quanta vigilantia, putandum eſt, eum mentem à terrena cogitatione ſegregaſſe, cum hoc vnum certè conſtet, omnem ſacrarum literarum ſcientiam, in ſyluis & in agris meditando & orando accepiſſe, nulloſque alios aliquando habuiſſe magiſtros, niſi (quemadmodũ gratiosè inter amicos ioco dicere ſolebat) quercus & fagos.

Quercus & fagos habet magiſtros.

Interea cum ſcripturarum cognitione haud mediocriter inſtructus, cæteris etiam meditãdi ſtudijs & ordine longè præſtaret, & Stephanus, qui cæteris Abbas præerat, domum Clarevallis ædificatam cupiebat, ipſum Bernardum, fratribus Abbatẽ conſtituit. Erat autem Clarauallis locus in territorio Lingonẽſi, nõ longè à fluuio Alba, antiqua latronum ſpelunca; quàm veteres Vallem abſynthialem vocabant; cùm propter abundantis ibidem abſynthij copiam, tum propter doloris amaritudinem, quæ ab infeſtis latronibus viatori inferebatur. Ibi igitur Bernardus, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis, cũ ſuis, facturus de ſpelunca latronum templum Dei & domũ orationis, præclarè conſedit; fami, ſitiq; frigori

Clarauallis quid loci fuerit.

& nu-

& nuditati, vigilijs & anguſtijs multis expoſitus; qui tamen ſummam illam vitæ auſteritatem, cùm in ſe tum in alijs, cæleſtium rerum dulcedine temperabat. Panem eis hordeum & milium & vicia præbebant: ciborum condimenta fagi folia erant. Hęc poſt vberes lachrymarum riuos, ſuauia ipſis erant fercula; hæ deliciæ, quibus latrantem ſtomachum & nimia inedia fractum ſedabant; quæ quidem cum viros nobiles & principes ad miſericordiam & ad lachrymas prouocarent, tantùm non mouebant Bernardum, vt quaſi torrente diuinæ voluptatis potatus, ijs ipſis in miſerijs exultaret.

Summam penuriam patitur cum ſuis in Claraualle.

Et quidem illa mentis ſecuritas, & firma in Deum fiducia, nunquam eum tanta rerum inopia premi eſt paſſa, vt non ſemper (potiſſimum quando fratres de perſeuerãtia inclamatum eſſe putarent) res vitæ degendæ neceſſariæ diuinitùs ſuppeditatæ fuerint. Cum enim extrema rerum omnium egeſtas eos opprimere videbatur, tunc vel maximè, orante Bernardo, diuinum aderat auxilium: & vndè minimè ſperabatur, ſolatium etiam humanum abũdè ſuccurrebat.

Egregia eius in Deum fiducia.

Porrò vir ſanctus, cura iſtarũ rerum Gerardo fratri commiſſa, ipſe in ſolitudine cæleſtes delicias tota auiditate hauriebat; quas deindè populo pro concione tãta ſuauitate proponebat, vt cuncti nõ humana, ſed lingua planè angelica eum fari teſtarentur. Quid multis? tantum dicendi facultate præſtitit, vt præter alios innumeros, ipſum etiam parentem ſuum, ſenexa ætate & admiranda prudentia virum,

& ſo-

Patrem & sororẽ suam, à mundi vanitate, ad Christi seruitutem traducit.

& sororem nobilem, diuitijs & luxu affluentẽ, è medio honorum cursu, ad sanctissima Christianæ humilitatis officia perduxerit, & à cunctis vitijs expiatos, omnibus virtutum ornamentis mirificè excultos reddiderit.

At verò inter duros adeò pœnitentiæ labores fieri non potuit, quin tenerum eius corpusculum ieiunijs & vigilijs exhaustum, graui tãdem infirmitati succumberet. Igitur cũ ingraueſcente morbo iam non nisi mors eius, vel omni morte grauior vita timeretur, fuit ei cõsilio prouido Antistitis Catalaunensis, tuguriũ quoddam haud procul à monasterio exstructum; vt ibidem ab omni domûs solicitudine ac ordinis rigore feriatus, tantum meliori valetudini studeret. Sed Bernardus iam erat spiritu tam arctè Deo copulatus, vt in eo ipso valetudinis suæ tugurio, corporeæ necessitatis planè oblitus, crudum sagimen, per errorem sibi oblatum, multis diebus pro butyro sumeret; oleumque tanquam aquam biberet; aliaq; multa sinè vllo sapore in stomachum mitteret; prorsus quasi corporis expers, solo spiritu vitam protraheret. Nihil enim præter aquam sibi sapere dicebat, quod illa fauces ei & guttur refrigeraret. Hæc aliaque subditi illius cũ magno & feruenti zelo æmularentur, ac præ dulcedine amoris interioris, amara æquè ac dulcia delectabiliter edẽdo, delectabilius iam viuere in eremo, quã prius in seculo sibi viderẽtur: tandẽ eò delapsi sunt, vt planè fugiendũ arbitrarentur, quidquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur. Cumq; in hoc suspectã haberent spiritualis patris quotidia-

En vim Spiritûs Deo intimè coniuncti.

nam

nam correptionem, quasi carni eorum plus quam spiritui deferentem, aliquâdò ad VVilhelmi memorati Catalaunensis Episcopi iudicium res delata est. Is verò & pietate & eruditione celebris, (à quo etiam Bernardus Abbatis insignibus ornatus fuit) omnem hominem, quæcunque Dei dona propter gratiam Dei recusantem, diuinæ gratiæ inimicum esse, & Spiritui sancto resistere, luculento sermone pero rauit.

Porrò cum procedente tempore in illa sua valle, Bernardus, & vicinis circà ciuitatibus, quas aliquoties eum inuisere domesticæ curæ ratio cogebat, magnis floreret virtutibus & miraculis, cœpit etiam seu communibus Ecclesiæ necessitatibus seu charitate fratrum seu obedientia Maiorum ad remotas pertrahi, regiones, ac ibidem virtutis suæ radios longè lateque extendere. Et quidem, vt haud pauca alia omittamus, ad schisma Petri Leonis Pseudopapæ opprimendum, antè omnia Abbas Clarævallensis ab ipso Rege & præcipuis quibusq; pontificibus ad Synodum, Stampis in Gallia, conuocatam accersitus fuit. Qui laboranti Ecclesiæ, qua animi prudentia, qua vigilantia succurrerit, nulla vis orationis pro dignitate explicare potest. Ipse enim vnus, instar omnium, tantum dicendi facultate potuit, tantoque verborum ac sententiarum pondere, reiecto Leone, Innocentium suscipiendum confirmauit: vt cuncti manibus (quod aiunt) pedibusque, eius in sententiam descenderent, & Innocentio summos honores sinè vlla controuersia deferrent. Ipsum quoque Henricum Angliæ Regem,

Synodus Stampensis in Gallijs.

S. Bernardi authoritas & dexteritas.

Regem, à ſuis perſuaſum ne Innocentium a
mitteret, miro dicēdi artificio perpulit, vt p
ſita priore ſentētia, quàm mordicùs tuebatu
Pontificem Innocentium amplecteretur, fou
retque.

Et hęc quidē, aliaq; ſanè multa à ſancto Ber-
nardo edita ſunt virtutis indicia. Porrò, vt per-
luſtrata Francia, ac Rhemis peracto concilio,
Leodiū Romanorū Regi gratulabūdus, cum ſa-
cro Cardinalium cœtu occurrit Pontifex, fuit
quidē honorificè ab ipſo Rege ſuſcept⁹, ſed (vt
ſunt ferè hominū ingenia ad quamuis lucri oc
caſionem cæca) ratus Rex opportunum ſibi tē-
pus recuperandi Epiſcoporum Inueſtituras (vt
vocant) oblatum, (quas ab eius prædeceſſore
Imperatore Henrico per maximos labores &
pericula, Romana Eccleſia ſibi vendicauerat)
importunè inſtitit, vt illis iterùm per fas perq;
nefas potiretur. Res erat periculi plena, maio-
remq; Pontifici & Romanis omnibus timorē
incutiebat, quàm illudipſum periculum quod
Romæ declinauerat. Iamq; nulla Imperatoris
voluntati reſiſtendi ſpes reliqua erat, nec con-
ſilium ſuppetebat, quo iniquuū poſtulatū reij-
cerent, cùm rurſus Bernardus, Chriſti gratia e-
gregiè confiſus, intrepidè ſe Regi murū oppo-
nit, ac mira auctoritate malignam eius volun-
tatem compeſcit.

Imperatorē Bernardus auctoritate ſua cōpeſcit.

Itaque hiſce tumultibus Leodij per Bernar-
dum ſopitis, Lotharius Rex Pontificē Innocen-
tium armata militum manu in Lateranēſe de-
duxit palatium. Verùm Petrus Leonis, ſuorum
ſtipatus malitia, in locis munitioribus & turri-
bus, Imperatoris ludificabat virtutem; prorſus

vt In-

vt Innocentius, ne Petri rabiem sua præsentia magis efferaret, ad horam cesserit, Romaque spōte relicta, Pisas reuersus sit; vbi conuocatis totius Occidentis Episcopis, alijsq; præcipua religione viris, synodū celebrauit. Adfuit per omnia consilijs & iudicijs sanctus Abbas, tanta auctoritate & existimatione sui, vt sacerdotes qui dubijs in rebus prudentiam eius consulere cupiebant, antè limina domûs excubarēt, vt alijs abeuntibus, alijs verò aduentantibus, primò ad eum accessum inuenirent.

Concilium Pisanum præsente Pontifice.

Iam verò soluto Concilio, reliquum erat, vt schisma per Anselmū in Mediolanēsi vrbe cōflatum tolleretur. Eam in rē, nemo rursus vno Bernardo magis idoneus inuentus est. Itaque à summo Pōtifice perampla cū potestate Mediolanū missus, tanto fuit ciuium omnium gaudio & gratulatione exceptus, vt nobiles pariter & ignobiles, equites peditesq;, septem à ciuitate milliarib⁹ obuiā ruerēt, & agminib⁹ certo ordine distinctis sūma cū reuerētia susciperent. Nimirū adeò fama sanctitatis eius, & nota miraculorū virtus increbuerat, vt vel eius tactu se sanctificari existimarēt. Vellicabāt quidā pilos vestimentorum eius, vt malè affectis membris admouerent, certa spe, ilicò omnē morbi calamitatem virtuti eius cessurā, Hisce virtutum indicijs & morum facilitate haud difficilè schisma oppressit, rebusque omnibus sanctissimè pacatis, ecclesiam illam bonis omnibus florentem Pontifici restituit.

En quanta reuerentia & gaudio Mediolani vir Sanctus excipitur.

Mediolani, schisma extinguit.

Eadem quoq; tempestate Gulielmum Aquitanię Comitem horribiliter sanē furentē, parteśque Petri Leonis armis fouentem, admirāda virtute

Gulielmum Comitem vt conuertit.

secrãdo oleum & operam diu perdidisset, fr
straque Comitis impietatem expugnare con
cus fuisset, postremò vir Dei ad arma confugi
efficaciora, templum sacra oblaturus myste
ingreditur. Intrârunt pariter cum eo, quibu
licebat diuinis interesse mysterijs; Comes ve
rò fulmine excommunicationis ictus, præfo
ribus sustinebat, & frendens consuetas in Ab
batem minas iactabat. Intereà peractis conse
crationibus, & pace de more data, vir Dei cor
pore Domini nostri Iesu Christi patenę impo
sito, ignea facie & flammeis oculis foras egre
ditur, Ducemque verbis sanè terribilibus ag
greditur; Rogauimus te, inquit, & spreuisti
nos; Supplicauit tibi in altero, quem iam tecũ
habuimus, conuentu, seruorum Dei antè te
adunata multitudo, & contempsisti. Eccè ad te
processit filius Virginis, qui est Caput & Do
minus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Nũquid
& ipsum, eadem qua seruos eius impietate cõ
temnes? Lamentabantur vniuersi, qui aderant,
& orationibus intenti, rei exitum præstolabã
tur, & omnium suspensa expectatio, nes
cioq; quid diuinũ cælitùs fieri expectabat. Po
rò Comes viso Abbate protinùs diriguit, ac
solo tremebundis metu membris prostratus,
ne oculorum quidem aciem ad Bernardum cõ
uertere præsumpsit Et quidem eleuatus à mili
tibus, rursum in faciem ruit, & saliuis per bar
bam defluentibus, alta ab imo pectore suspiria
trahebat. Tum vir Dei propius accedens, &
pede accliuem pulsans, surgere, attentisq; au
ribus Dei sententiam percipere summa cũ au
ctoritate iubet. Præsens est, inquit, Pictauensis

Episco-

Episcopus, quem iniurijs onustum ab ecclesia sua expulisti. Vade & reconciliare ei, & protinùs in pacis osculo iungito fœdera; & in Sedē restituto redde pro ignominia gloriam. Subdere Innocentio Papæ, & qua omnis ei obedit Ecclesia, tu quoque pari alacritate tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, auctoritate S. Spiritus & tanti præsentia sacramēti victus, ilicò Episcopum amplexatus est, ac totius cum ciuitatis exultatione, eadem, qua eum abiurauerat, manu in Sedem restituit.

Pace igitur omni Aquitanicæ Ecclesiæ reddita, Bernardus glorioſis trophæis insignis, Clarauallem reuersus, magno cum gaudio à fratribus exceptus est. Cumque iam aliquod quietis tempus se nactum putaret, cœpit tota auiditate diuinis incumbere meditationibus, & Cantica Canticorum cùm sibi tum alijs omnibus commentari; cùm eccè rursus literis Apostolicis Romam euocatur, vt laboranti Ecclesiæ opem ferat. Adhuc Petrus, honorum & opum dulcedine inescatus, summam Ecclesiæ potestatē, per summum scelus sibi arrogabat, Regemq; Siciliæ Rogerum, inter omnes principes obedientiam Innocentio detrectantem, suarum partium studiosum habebat. Neq; segniter interim idem Siciliæ Rex, Innocentij Sedem per insidias oppugnabat. Cùm enim de secundo Bernardi in Vrbem aduentu certior factus esset, datis ad Innocentium pariterq; Petrum Leonis literis, vtriusq; legatos sibi mitti postulauit; per speciem vt dissensionis originē profundiùs indagaret, cognitaq; veritate, aut errorem corrigeret, aut sententiam sanciret:

Cantica Canticorū commentatur.

re autem vera, vt Bernardum, simplicitatis amantem, Petri Pisani eloquentia, quemadmodum sperabat, obrueret, & verborum ac rationum pondere silentium ei imponeret. Erat enim is Petrus, Petri Leonis legatus, vir in legũ ac Canonum scientia ac præcipua dicendi facultate nulli secundus. Sed cùm vtraque pars Salernum venisset, mox tãti sceleris machinamentum vltio diuina præuenit, Siciliæque Regem dolos ac fraudem meditantem insigni calamitate oppressit. Produxerat is armatas in campum acies, vt Ducem Rannulphum, iusta aduersus eum bella molientem internecione deleret.

Cumque egregio sanè exercitu, haud dubiã victoriæ spem sibi promitteret, primus eorũ, qui aduocati fuerãt, Abbas sanctus adueniens, Regi denunciauit, si imminentẽ euitare cladẽ vellet, ne certamen iniret. Sed Rex spreta Rannulphi paucitate, certa victoriæ spe, infesta in eum signa intulit; at eo exitu, vt à Rannulpho in fugam versus, castris exutus sit. Nec tamen inflicta cœlitùs plaga resipuit; quanquam & Petrus Leo, lethifero morbo ab Angelo percussus miserabili valde exitu, vitam cum morte permutaret. Eo extincto, & Petro Pisano præter omnium expectationem superato, & ad saniorem mẽtem reducto, vir diuinus Clarauallem lætus repetijt, & ad intermissa sacrarum literarum studia, magno animi ardore redijt. Ibi tunc adeò præclarè, mores suorum, omnibus sanctitatis operibus excoluit, vt ab eius potissimùm discipulis, tota Ecclesiæ fabrica sustineretur. Episcopi diuersarum regionum, ex eius colle-

Antipapa Petrus Leo diuinitùs percussus perit.

Bernardus suis discipulis totam ferè regit Ecclesiam.

collegio mox prodierunt. Et quidem imprimis Roma ipsa, summo ornatur Pontifice Eugenio, eius nominis tertio. Præneste, Stephanum totius modestiæ virum meretur. Ostia, spectatæ sanctitatis Hugonem accipit. In ipsa quoq; curia Romana, Henricus & Bernardus, alter presbyter, diaconus alter, in purpuratorum patrũ collegium honorificè assumuntur. Denique vt verbo concludam, ea fuit Bernardi disciplina, vt meritò Ecclesia gloriari posset, se per eam nouis quotidiè ornamentis decorari.

Cùm verò aliquot iam annos, Christi famulus virtutibus & miraculis clarus, in Claraualle exegisset, fama Hugonis Gratianopolitani & Carthusiensium fratrum (quorum disciplina quanquàm seueriſsima, ad hæc vsq; tempora, cæteris, prô dolor, collapsis, integra perseuerat) excitus, deuotionis ergo ad eos contendit; quorũ vitæ cõsuetudine ac integritate, morumq; candore, adeò delectatus est, vt in eandẽ societatẽ toto animo & corpore migrare vehementer cuperet. Sed nõ passus est Christus, seruum suũ à cõmuni totius Ecclesiæ vtilitate, ad paucorũ consolationem transire, eumq; in abditã solitudinem recedere, qui diuini verbi semina cũ vberrimo fructu adeò alacriter spargebat: vt nunquam pro ijs, oblatas vltrò facultates, stipendiaque admittere voluerit. Pręclarè namque, tanquàm alter Dauid ad bellũ proceſsurus, statuebat, bellicis armis, pecunijs inquàm & muneribus, non esse prægrauandum eum, qui tela in hostem expeditè ac liberè vibrare vellet. Hinc pari virtute & constantia, honores maximos & dignitates amplissimas

S Bernardus quantum dilexerit Carthusianos.

1. Reg. c. 17.

subire recusauit, ne quid impedimento esset, quò minùs alacriter in salute omnium ritè cõstituenda versari posset. Et sanè non dubito, quin maximam cuiuis admirationem moueãt, quas vnus homo moribũdus & languidus virtutes exercuit. Quis enim enumerare valeat, miracula multiplicia & varia, quibus tanquàm Sol quidã inter oẽs diuini verbi ministros coruscauit? Nam frequenter vna die homines viginti, varijs languorib. oppressos, cæcos, claudos, paralyticos, & dæmonio obsessos, verbo virtutis sanitati restituit, aliosq; innumeros, longissimo tempore graui peccatorum sarcina miserè grauatos, & diaboli ad voluntatem captiuos, perfectam in Christi libertatem asseruit. Cùm autẽ stupẽda viri sancti signa magis magisq; crebrescerẽt, prorsus vt vix à diligenti quidem ac sedulo scriptore, cuncta literarum monumentis committi possent, cæpit ipse secum profunda sanè philosophia, cũ animo suo volutare, quidnam tanta miraculorum virtus sibi vellet. Itaque die quodam cogitationum abundantia absorptus, religiosis præcipua sibi familiaritate iunctis referebat, se mirari plurimùm, quidnam Deo visum esset talia actitare per talem. Nam, inquit, in sacris litteris nihil me super hoc signorum genere legisse memini. Si quidem patrata sunt aliquandò signa per sanctos homines, facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim sanctorum mihi nõ suppetere merita, quæ miraculis illustrentur; confido autem nec ad eorum pertinere sortem, qui virtutes multas in nomine Domini operantur,

Miracula innumera patrauit infinita.

& à Do-

& à Domino ignorantur. Hæc cùm crebriùs se- Matth 7.
cretiusque, cum insigni pietate & eruditione viris conferret, nouissimò opportunũ sibimet exitum reperisse visus ait; Scio huiusmodi signa, non ad sanctitatem vnius, sed ad multorum spectare salutem; nec Deum in homine, per quem talia operetur, perfectionem considerare, sed opinionem; vt in eo commẽdet hominibus, quæ illi creditur inesse, virtutem; Neque enim pro eis fiunt hæc, per quos fiunt, sed pro eis magis fiunt, qui vident illa vel sciunt. Nec eo fine Deus per eos ista operatur, vt ipsos probet cæteris sanctiores, sed vt cæteros magis amatores, & æmulatores faciat sanctitatis. Nihil ergò mihi & signis istis; quandoquidẽ meæ illa famæ magis, quàm vitæ, nouerim exhiberi; nec ad meam commendationem, sed ad cõmonitionem potiùs fieri aliorum. Præclarè hæc & prudenter, vir summæ humilitatis amator disserebat; cuius animum, pariterque prudentiam, quisquis hæc diligenti consideratione pensauerit, sat scio mirabitur.

Cæterùm quia infiniti operis foret cuncta per eum patrata referre miracula, cæteris omissis, vnum hoc ad inconcussam Catholicæ fidei veritatem astruendam, prioribus adijcere haud grauabimur. Inter eos, qui dæmonio obsessi à viro sancto mundati sunt, mulier quædã grandæua, ciuis Mediolanensis, & honorata quondam matrona fuit. Cuius in pectore, impurus dæmon, annis pluribus sedem fixerat, eamque ita suffocauerat, vt aurium & oculorum ac linguæ officio priuata, frendens dentibus monstrum veriùs quã fœminam referret.

Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitatoris Satanæ colluuia testabatur. Hanc vir Dei vt adspexit, conuersus ad populum, cuius innumera aderat multitudo, votis precibusque attentiùs incumbere, mulierem verò iuxta altare consistere iubet. Illa verò vi diabolica recalcitrans, non sinè aliorum iniuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum insita mansuetudine ferens, ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties verò eandem hostiam signat, toties ad mulierem conuersus, eodem Crucis signo edito, spiritum nequam fortis athleta impugnat. Nam & ille malignus vim Crucis minimè ferens, acriùs sæuit, & tormentum, quo ex Crucis virtute afficiebatur, prodit inuitus. Expleta autem oratione Dominica, vir sanctus hostem efficaciùs aggressurus, sacrum Christi corpus Patenæ impositum mulieris capiti superponens, ait: Adest, inique spiritus, Iudex tuus; adest summa potestas: iam resiste, si potes. Hic illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum, pro nobis cruci affixum est, quod in tumulo conditum, tertio die surrexit, & glorioso triumpho, videntibus discipulis, in cælum ascendit. In huius igitur Maiestatis terribili potestate, tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hac ancilla eius, egrediens, deinceps eam contingere non præsumas. His dictis, venerandus Christi sacerdos, cum sacris mysterijs ad altare reuersus, fractionem hostiæ salutaris compleuit, pacemque in populo diffundendam ministro dedit; & confestim iniquus ille, viuifica mysteria quantæ sint virtutis, fuga ostendere coactus

De corporali Christi præsentia in Eucharistia, habes hic exēplum memorabile.

coactus est. Itaque fugato diabolo, mulier, quã in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis suæ compos effecta, palàm Deo gratias egit, & Curatoris sui pedibus aduoluta, quanto per eum beneficio affecta esset, profusis lachrymis testata est.

Porrò quanta virtute perfidos hæreticos oppugnauerit, profligaueritque, & quàm firma fide Christi promissis inhæserit, cùm alia multa tum illud inprimis argumẽto est, quod in partibus Tolosanis, Sarlati contigit; Cùm enim ibidem, peracta concione, panes plurimi ei benedicendi de more offerrentur, & ille eleuata manu, edito Crucis signo, Domini benedictionem eis impertiretur, ait; In hoc scietis vera esse, quæ à nobis: falsa quæ ab hæreticis suadẽtur, si infirmi vestri, gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Hæc clara voce dicentem, Carnotensis Episcopus, magnus ille Gaufridus (qui tunc fortè præsens erat) infirma fide subsecutus, ait; Si bona fide sumpserint, sanabuntur. Cui pater sanctus, de Domini virtute nihil hæsitans; Non hoc ego dixerim, ait; sed verè, qui gustauerint, sanitatem consequentur; vt proindè veros nos & veraces Dei nuncios cognoscant. Quid multis? Ingens languentium multitudo gustato pane mox conualuit; quæ totam per prouinciam diffusa, cum gaudio & exultatione eximias viri sancti virtutes celebrauit.

Eximia sancti viri in proximum charitas.

Porrò inter omnes sanctissimi viri virtutes, charitas cùm in Deum tum in proximum præcipua enituit; quæ tanta fuit, vt aduersa omnia

omnia, quibus ad patientiam egregiè exercitus fuit, immensosq; labores, summo illo gaudio, quod ex animarum fructu & peccatorum conuersione percipiebat, facilè leniret. Erat mansuetudinis & pacis summus æmulator; prorsus vt monitis & obsecrationibus potiùs, quàm increpatione, in sanandis suorum animis vteretur. Cæterùm, quæ non medicamenta ad ægras conscientias integritati restituendas adhibuerit, qua vigilantia, quo studio malè affectis mentibus consuluerit, nunquid pro dignitate aliquis explicare poterit? Profectò luculentis ipse verbis, super Cantica Canticorum, quo animi angore torqueretur, explicat: si fortè optatos ex labore suo fructus non referret. Vbi inter cætera: Vtinam, inquit, neminem obiurgare necesse sit: id enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere; magis autem vrget charitas. Quòd si arguero, & fecero quod meum est, illa autem procedés increpatio, minimè quod suum est faciat, neque ad quod misi illam, sed reuertatur ad me vacua, tanquam iaculum feriens & resiliens, quid me animi tũc habere putatis fratres? Nonnè ango? nonnè torqueor? Et vt mihi vsurpem aliquid ex verbis magistri, quia de sapientia non possum, coarctor prorsùs è duobus, & quod eligã nescio; placere nè mihi in eo quod locutus sum, quoniam quod debui feci; an pœnitentiam agere super verbo meo, quia quod volui non recepi. Et infrà; Dicas forsitan mihi, quòd bonum meum ad me reuertatur, & quia liberaui animam meam, & mundus

Iacob 3.

Philip. 2.

Ezech. 18.

sum

sum à sanguine hominis, cui annunciaui & locutus sum, vt auerteretur à via sua mala, & viueret. Sed etsi innumera talia addas, me tamen minimè ista consolabuntur, mortem filij intuentem; quasi verò meam illa reprehensione liberationem quæsierim, & non magis illius. Quæ enim mater, etiam si omnem, quã potuit, curam & diligentiam ægrotanti filio se adhibuisse sciat, si demum se viderit frustratam, & omnes labores suos esse penitùs inefficaces, illo nihilominus moriente, propterea vnquàm à fletibus temperabit? Et hæc quidem breuiter. E quibus tamen, facilè quis pectus illius Apostolica charitate feruẽs cognoscere potest. Cæterùm longè eminentius in suis illa libris apparet, & ex bonis proprijs luce meridiana clarius innotescit.

Quæ charitate omnes prælati suorum saluti inuigilare teneantur.

Et quidem diuisiones gratiarum commendat Apostolus, & quicunque sanctorum mores, vitasque cognoscit, diuersos ab initio Dei famulos diuersis claruisse muneribus nõ ignorat. Legimus enim viros in fide magnificos, multiplicibus coruscasse miraculis; alios prophetiæ spiritu insignes, futura quasi præsentia, occulta velut sub oculis posita mirabiliter cognouisse; alios grauiori abstinentiæ deditos, parsimoniam ad stuporem hominum coluisse; alios excelso animo spretis huius seculi dignitatibus auctori seculi plurimũ placuisse; alios in doctrina verbi ad salutis sciẽtiam plurimos erudisse; vt secundùm promissionem scripturę sacræ, luceant quasi stellæ in perpetuas æternitates; alios denique alijs atque alijs virtutibus ac donis ornatos, egregiã Christi Ecclesiæ, cum

1. Cor. 12.

Diuersa in sanctis gratiarum charismata.

Daniel. 12.

cum sempiterni nominis gloria operâ com liſſe. Huic autem Bernardo, omnibus maxim rum virtutum ornamentis decorato, nihil e rum defuiſſe videtur, in quibus ſinguli exce luerunt. Nos ſi cunctas illius virtutes, ac ſtupe da inprimis miracula, ab eo adhuc in viuis pa trata referre vellemus, nec iuſto volumine cõ plecti poſſemus.

Tempus vitæ eius.

Igitur conſummatis in omni ſanctitate vitæ ſuæ diebus, & annis circiter quatuor & ſexaginta, cũ ampliſſimo animarũ fructu fœliciter expletis, dilectus Domini Bernardus, Clarauallenſis cœnobij primus Abbas, aliorũ quoq

Obitus viri Sancti.

ampliùs quàm centum ſexaginta monaſterio rum pater, tertiodecimo Kalend. Septembris inter ſuorum filiorum (quos in ipſa Clarauallè, Domino ſeruientes, ſeptingẽtos ſeptuagin ta relinquebat) amplexꝰ, & lachrymas, in Do mino obdormiuit; ſepultus in oratorio B. Vir ginis: miraculorum quoque vita functus clari tudine conſpicuus.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Romanum.

VITA S. STEPHANI, PRIMI REGIS Hungarorum; qui eos ad Chriſti religionem traduxit: Ex ea quam Chartuitius Epiſcopus, ad Colomannum Regem, eius iuſſu ſcripſit. Migrauit è corpore, anno Domini milleſimo triceſimoquarto, 18. Kalend. Septemb. Hoc verò die translatum eſt corpus eius.

20. Augu.

EA tempeſtate, qua Hungarorum gens Dei Eccleſiam populabatur, rebuſque omnibus miſerandam valdè vaſtitatem inferebat, fuit in ea princeps quidam, quar tus ab eo, qui Hungaris in Pannoniam ingreſ

ſuris

suris ducem se præbuit. Is Geisa dicebatur; homo ad Imperium natus, ac suos legum seueritate deuinciens: in Christianum aũt nomen, quanquam paganismi adhuc erroribus implicitus, ingenio adeò clementi (occulta Christi gratia pectus eius dubio procul inhabitante) vt edicto proposito omnibus Christi cultoribus, non modò Ducatum suum incolendi liberam potestatem faceret, sed sacerdotes etiam, ac homines cælestis disciplinæ studiosos, quos Monachos vocant, in conspectum suum admissos, propenso animo audiret, ac libenter cum illis de Christi regno sermones cõferret. Quid multa? Suscepto demũ fidei semine, vndisque salutaribus cum suis expiatus, omnes suz ditionis homines ad Christum perducẽdi cogitationes sanè ardentes suscepit. Cumq; anxio admodùm animo de edomãdis rebellibus, & sacrilegis ritibus abolendis, varia cum animo suo agitaret consilia, nocte quadam secundùm quietem iuuenem eximia specie fulgentem conspicatus est: qui blãda voce curas istas & solicitudines depulit; Facessat, inquiens, pia illa quidẽ, sed superuacanea solicitudo. Nã tu q̃ meditaris, propter manus humano sanguine polluras, effectui mãcipare nõ potes. Nascetur autẽ tibi filius, qui Regis titulo & honore decorãdus, diuinæ prouidẽtiæ cõsilio id efficiet, quod tu animo concepisti. Hoc tantum impræsentiarum tibi curæ sit, vt hominem spiritali apud te legatione functurum honorificè excipias; exceptumque reuerenter habeas; eiusque monitis, sincerum pij pectoris assensum adhibeas.

Geisa Dux Hungarorũ.

Eius visio, de nascituro sibi filio.

Exper-

Experrectus Princeps ac visione stupefactus, accitis ilicò præcipua pietate ac religione viris, rem totam exponit; & humi prostratus, seque principatumque suum, cum nascituro filio lachrymabundus Deo commēdat. Admirante autem eo de viro diuinitùs ipsi prædicto, nunciatur illi, beatum Adalbertum, Boëmensis Ecclesiæ antistitem adesse; cuius aduentus non modò ipsi Duci, sed omnibus nouis Christi tyronibus tantam attulit lætitiam, vt læto agmine obuiam illi procederent, multisque honoribus acceptum, in opus Euangelij deducerent. Is verò agrum iam antè subactū, mox lætissimo semine compleuit, vbereſque adeò fructus breui retulit, vt plurimùm sibi de optimè collocatis laboribus meritò gloriari posset. Intereà ne quæ dubietas visioni Duci oblatæ relinqueretur, etiā eius vxor partui iam propinqua, diuina planè meruit consolatione perfundi. Nam protomartyr Stephanus, Leuitici habitûs ornatus insignibus, manifestè apparens, ita eam compellauit; Confide, mulier, in Domino, & certa esto te filium parituram, cui primo huius gentis & regnum & corona debetur. Tu verò nomen illi meum imponito. Ego namque Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine sanguinē profudi, eum meo tutabor patrocinio, & assiduis apud Deum precibus efficiam, vt regnum illius florens, Christiana inprimis re egregiè ditetur.

Adalbertus Pragensis Episcopus Hūgaros cōuertit.

Visio vxoris Geisæ Ducis.

Nascitur Stephanus.

Hac visione, illustris matrona, gaudio pariter & admiratione perfusa, randem expletore pore, in Oppido Strigonienſi filium enixa est;

quem

quem Adelbertus sacro fonte expiatum, & Stephanum appellatum, ad luctam spiritalē strenuè virilitetque obeundam confirmauit. Igitur Stephanus, vt primùm literarū studijs idoneus inuentus est, disciplinis optimis egregiè imbutus, tandem patre sanctissimè defuncto, & Adelberto in Prussia martyrij palma decorato, ad Regni gubernacula principum & plebis fauore admotus est. Nec segniter, quāquàm adolescens admodum, rem aggressus est. Sed prudenter secum statuens, regnum diu stabile firmumque sine diuini numinis cultu esse non posse, mox ad religionem longè lateque propagandam animum adiecit. Et primò quidem cum vicinis gentibus icto pacis fœdere, viam Christi sacerdotibus aperuit, vt liberè sata Euangelij spargerent, & multos ad eum diem agros Christianæ facundiæ vomere proscinderent. Sed totius boni hostis, malignitate & inuidentia plenus, mox bella intestina excitauit, populumque gentilem à Christianis sacris suscipiendis non modò abduxit, sed etiam ad gentem Christianam internecione delendam immani furore concitauit. Itaque vrbibus nō paucis vastatis, prædisque abactis, eò dementię proruperunt, vt Ducis in contumeliam, vrbem Vesprinum præ cæteris illi familiarem obsidione cingere non vererentur. Tunc verò Stephanus, Christi bonitate ac virtute egregiè confisus, collatis cum hoste signis, præclaram de omnibus victoriam reportauit; ea tamē animi modestia & prudētia, vt nihil de rebus eorum in suos vsus cōuerterit: sed ex Dei amantium consilio, quò soli Christo tam præclaram victo-

Christianissimum propagat.

Edomat rebelles.

victoriæ laudem, sanctiq́ue Martini meritis acceptam referendam declararet, iuxta sanctissimi Præsulis fundum, qui sacer mons dicitur, (Pannonia enim beatissimum Martinum apud se natum gloriatur) monasterium insigni opere visendum ex eorum facultatibus construxit; possessionibus reditibusq́ue sufficientibus eidem assignatis.

Monasterium condit Stephanus, in honorem S. Martini.

Ita ergò hostibus sub iugum missis, Christi miles gaudio spiritali perfusus, omnẽ ingenij sui vim, ad Euangelicã veritatem consectandã, pręclarè non minus quàm viriliter cõtulit. Intenta namq; supplicatione die nocteq́; diuinũ fatigabat numen, vt animi sui propositum cum virtutũ incremento ad finem optatum perduceret. Cùm autem religiosorum hominum studia, quã maximè sibi necessaria esse præuideret, per idoneos nuncios, literasq́; amantissimè scriptas, mentis suæ benignitatem, bonorumq́; omnium communionẽ illis proposuit, si vellẽt in eius ditiõe sedes figere. Haud frustrà eximia tanti Principis beneficentia diuulgata est, mox enim presbyteri & alij cęlestis disciplinę amantes quãplurimi, relictis proprijs sedibus, sub tam religioso Principe, in summa rerum inopia viuere satius esse decreuerunt, quàm apud alios in summa bonorum affluentia. Inter alios Astricus Abbas cũ vniuerso cœtu suo eò concessit, extructoq́;, ad radices Montis Ferrei, cœnobio, in honorẽ D. Benedicti tã sãctis disciplinis locũ illũ excoluit, vt Dux eorũ præcipuè familiaritate, omnes militiæ suę comites, ad veri Dei cultũ adduceret. Venerũt etiã duo è Polonia, eremiticę vitę cultores eximij; alter

Astricus Abbas, venit in Pannoniam.

Andreas

Andreas nomine, confessionis merito, choris Angelicis associatus; alter Benedictus; profuso pro Christo sãguine, martyrij palma laureat'.

Cumque hoc modo Christiana res fœlici successu multiplicata esset, ilicò prouinciã in decem Episcopatus distribuit; quorum metropolim Strigoniensem Ecclesiam esse voluit: & Astricum insigni prudentia Abbatem, Colocẽsem Episcopum, Canonica electione creatum constituit. Deindè quarto à patris obitu anno, diuino instinctu permotus, eundem Astricum præsulem, (quem etiam Anastasium quidã appellant) ad sanctorum Apostolorum limina legatũ destinauit, vt à Principis Apostolorũ successore, & recẽs cõuersæ Pãnoniæ benedictionẽ, & Episcopatuum confirmationẽ impetraret: Postremò, vt ipsum Ducem, Põtifex, regio cohonestaret diademate, legatio cõtinebat; vt eo fultus honore ceptũ salutis iter magis magisque promouere & constabilire posset. Eodem tempore Miesca, Poloniæ Dux, Christianam complexus fidem, missis Romam legatis, eadem ferè quæ Stephanus impetrare volebat. Et quidẽ Põtifex Miescæ salute gauisus egregio opere coronam cõfici curârat, quam benedictione de more munitam, eidẽ destinare decreuerat. Sed visione in somnis de Stephani pietate & futura in cœlis gloria admonitus, eadem Hungarorũ Apostolum (sic enim Põtifex eum appellabat) ornari voluit; cunctaque illius postulata non modò largè admodũ & beneficè confirmauit, sed & suas illi vices in ordinandis Ecclesijs concessit.

Decem Hũgariæ Episcopatus.

Miesca Dux Poloniæ fit Christianus.

S. Stephanus à Pontificè Apostolus vocatur, & Hungarorũ primus Rex ordinatur.

Omnibus ergò impetratis, Astricus antistes

ſtes ad ſuos reuerſus eſt; & Stephanus ea dignitate auctus, mox ſobolis propagandæ cau-

Sororem-

Henrici Imperatoris (qui ob morum comitem, Pius dictus eſt) ~~Filiam~~ Gifelam nomine conſortem ſibi regni adſciuit. Fuit ea Regina

Stephanus ducit vxorē filiā Henrici Imperatoris.

Regi in pietatis ac religionis ſtudio non multum inferior. Quæ res omnibus & ſingulis regni totius Eccleſijs, magno ſanè ornamento fuit. Porrè Rex, Præter alia innumera, Chriſtiano populo & Dei miniſtris collata, regia munificentia digna beneficia, in ipſa regiæ ſedis ciuitate, quam Albam vocant, grandem & inſignem & inprimis celebrem, opere ſanctimirifico, celatis Chori parietibus & pauimento marmore ſtrato, Virgini Matri condidit baſilicam.

Mariæ virginis, apud Hungaros quanta veneratio.

Porrò eiuſdem Virginis (cuius in tutelam & ſe & regnum votis precibuſque conferebat) feſtum Aſſumptioni eius ſacrum, adeò celebre in vniuerſo regno reddidit, vt tacito proprio nomine, ſua lingua diem Dominæ appellent.

Cœnobium condit S. Rex, Hieroſolymis.

Neque tamen præclaram adeò beneficentiam, ardentiſſimamque pietatem, regni ſui finibus cōcluſit, ſed in longinquas etiam regiones, vrbeſque celeberrimas diffudit, propagauitque. Nam & Hieroſolymis inſigne monachorum cœnobium extruxit, & prædijs, vineiſque dotauit. Et Romæ duodecim Canonicorum collegium, protomartyris Stephani dicatum honori, condidit, rebus vitæ degendæ neceſſarijs inſtruxit, & domos etiam hoſpitiales Hungaris, orationis ergô Romam confluentibus, ædificauit. Poſtremò nec Conſtantinopo-

Romæ Canonicorum Collegium.

lim

lim quidem regiam vrbẽ, suæ liberalitatis expertem esse voluit; sed eam quoq; mirifici operis Ecclesia, rebus omnibus necessarijs regaliter instructa, honorauit.

Ecclesiam Constantinopoli.

Inter omnia autem cælestis gratiæ munera, beato Regi diuinitus collata, nullum illustrius esse videtur eo, quam quo misericordiæ opera, die nocteque sedulus exercuit. Præter immensam enim pecuniæ vim, & quotidianas expensas recreandis pauperibus destinatas, ipse nocturnis horis alacritate incredibili fidelium abluebat pedes, & eleemosynis in sinu pauperum absconditis, Christum inopem in membris eius consolari gaudebat. Quadam autem nocte, diuino permotus instinctu, cum vellet crumenam nummis egregiè refertam Christi pauperibus distribuere, illi pecuniæ auidissimè inhiantes, beati viri barbam euulserunt; ea improbitate illius meritis testimonium perhibentes. At ille eam iniuriam non modò tulit hilariter, sed gaudio etiam ingenti perfusus, Virgini Mariæ gratias agebat, quòd dulcé adeò contumeliam, pro beneficio retulisset. Cæterùm, quanquàm multa quotidiè per se, plura tamen per Christi seruos & familiares, ac præcipuè Guntherum diuinum eremicolam, & Gerardum ex monacho Episcopum, ac posteà martyrem, erogabat. Nec prætermittendum, quòd multorum inopiam, insita charitate non modò subleuauit, sed etiã varias corporis calamitates morbosque pane, vel pomo, medicinæ loco à se missis, profligauerit.

Admiranda eius in pauperes benignitas.

Multos sanat ægros.

Defuncto autem beati Regis amico, Romanorum Imperatore Henrico, Conradus, vnà

Conradus Imp. molitur bellum in Stephanum.

cum Imperio, immane in sanctum Regem dium susceperit, & viribus totius Germaniæ, pijsque cõtractis, infesta Pannoniæ signa infe re conatus est. Tum verò Rex Stephanus, tius Hungariæ exercitu instructo, antè quàm gna pro patriæ defensione explicaret, suppl ad virginem Matrem abijt, votis precibusq; ab ea cõtendens, vt si culpa pastoris, eã diuini iudicij mereretur iram, ipsius lueret: oues verò insontes ne pateretur affligi. Hæ preces cũ lachrymis non frustrà missæ sunt. Expleta namq; oratione, cũ in hostes fidenter moueret, alter die nuncius, ad singulos quosq; exercitûs Germanorum Duces, cum Imperatoris venit literis, quæ pedem retrò referre iubebant. Illis ergò discedentibus, sanctus Rex diuina se adiutum misericordia sentiẽs, humi se abiecit, gratias agit Deo, & sanctissimæ Genitrici eius, cuius protectioni, seque regnumq; suum assiduis precibus commendare solebat. At Imperator suorum tam repentina defectione perterritus, sciscitatur quidnam rei ipsis accidisset; audiéſque de nuncio, qui eos ipsius nomine redire iussisset, scienſque eum à se haudquaquam missum fuisse, non dubitauit consilio & voluntate omnipotentis Dei rem gestam, ob fidelissimi Regis corroborandam spem; seq; deinceps ab eius inuadendo regno, timore illius Iudicis æterni, cohibuit.

Precibus auertit à se immane bellum.

Porrò Rex pientissimus, quanquàm cunctis adornatus virtutib⁹, & sanctitatis etiã opinione celebris, nequaquam tamẽ tribulationũ expers fuit. Tribus annis admodũ continuis, aduersa valetudine laborauit. Indè nõ sinè diuina

Eius multæ afflictiones.

ope

opę ſanitati reſtitutę, filijs chariſſimis & omni penitùs regni hærede orbatus, grauiora æterni Iudicis flagella perſenſit. Quæ licet acrę ſanè doloris ſenſum ei inurerent, mox tamẽ animũ ad Dei voluntatẽ præclarè admodum compoſuit, & maioribus quoq;, excellẽtioribuſq; pietatis operibus ſtrenuè incubuit. Chriſtũ ſemper in ore, Chriſtum in corde, Chriſtum in cũctis actibus ſuis circumferebat. Politicã regni ſui gubernationẽ ita adminiſtrabat: vt diurnũ quidem tempus colloquijs & cõſultationibus impẽderet; nocturnas verò horas in vigilijs & precibus cũ profuſo lachrymarũ imbre tranſigeret. In rebus autem diſcutiendis ferẽdiſque ſententijs, antè omnia extremũ iudicij diẽ ſibi antè oculos ſtatuebat, & ęternũ illũ omnium Iudicẽ non rarò totus lachrymis infuſus rogabat, vt incorrupta & vera iudicia ferre poſſet.

Hęc aliaque ſanè egregia pietatis & iuſtitiæ opera quanquàm vniuerſo populo eum mirificè charum redderent, non potuêre tamẽ ab inuidia quorũndam vindicare. Erant viri quatuor, præcipua inter omnes nobilitate conſpicui; qui inuidentia & perfidia pleni, iniquum inter ſe conſilium iniêrunt, vt Regem optimũ & pientiſſimum vi morbi, in quem inciderat, lecto affixum è medio tollerent. Iamque tenebris circa veſperũ paulatim ingruẽtibus, vnus ſcelere & audacia antè alios inſignis, nudo ſub chlamide ferro, Regẽ iugulaturus, pedetentim gradum in cubilulum inferebat. Sed cęleſti reuerà impulſu gladius ei excidens, ſimul cũ tinnitu, Regem futurorum haud ignarum excitauit. Cumque voce intrepida cauſam illius ſonitus

Quatuor viri primarij, in eius necem conſpirant.

nitus perquireret Rex, parricida tremebũd agnoscit cõsilium scelere & amentia plenum dolet, accedit propius, procũbit in genua, Regis amplexatur pedes, scelus confitetur, pecu tanti parricidij veniam. Rex pientissimus faciẽ ab eo non auertit, sed propenso animo, cũctis ad tantam Regis clementiam stupentibus, ignoscit; tres verò alios immanes parricidas, omni supplicio dignissimos, mortis sententia damnauit.

Felix obitus S. Regis.

Dignus tandem, qui cælestis regni brauium ex Christi misericordia consequeretur, febre corrept° est; tempusq; migrationis adesse sentiens, dispositis prudenter admodũ in vtroque statu regni sui negotijs sacrã percepit vnctionẽ: ac plenus gaudio & exultatione sanctã animam, corporis & sanguinis Christi viatico recreatam, circunstantibus cum Clero Episcopis, cũ ministris Principibus & Comitibus, in solennitate Assumptionis Beatissimæ Mariæ, vti precibus à Domino contenderat, in manus Creatoris sui tradidit. Corpus eius fuit incredibili omniũ plãctu, ad regiã vrbẽ Albam perductum; ibidemque in æde Virginis ab eo constructa honorificè conditum. Vbi postquàm annos quinque admodum & quadraginta marmoris pondere pressum, & in puluerem redactũ, haud sinè miraculorum gloria quieuisset, Pontifex Romanus, corpora eorum, qui in Pannonia prima Euangelij semina sparsissent, eleuari mandauit. Sedebat tunc ad Reipublicæ gubernacula Rex Ladislaus; omni morum honestate conspicuus & virtutibus illustris; qui vt Pontificis mandatum ad maiorem Dei gloriam,

Ladislaus Rex Hungariæ.

riam, multarumque animarum & corporum salutem exequeretur, habito cum Episcopis & proceribus consilio, triduanum omnibus indixit ieiunium. Cumque totis viribus in id incumberent, & Christi misericordiam pro regnitotius salute votis precibusque expeterent, tandem die tertio ad sacrum Regis corpus eleuandum processerunt. Sed nulla id arte, nullis viribus, nullis hominum cõatibus id loco mouere potuerunt. Erat eo tempore grauis inter Ladislaum & fratrem eius Salomonem orta simultas, & quorundam scelere excitata seditio eò rem deduxerat, vt Ladislaus fratrẽ in custodiam tradere coactus fuerit. Itaque dum in reliquijs sancti Regis eleuandis frustra sudarẽt, quædam sacra virgo, quæ pietatis ergò apud Saluatoris ecclesiam inclusa manebat, (Charitas ea dicebatur) Regi ex diuina reuelatione mandauit, vt, si vellet cæptum irrito conatu opus ad fœlicem exitum deducere, Salomonẽ è custodia liberum dimitteret. Rex Ladislaus Virgini optimè monenti, propter celebrem vitæ eius opinionem ilicò paruit; & Salomone è carcere educto, rursusque triduano ieiunio exacto, grande saxum sarcophago impositum tanta facilitate sublatum est, ac si ponderis omninò nihil haberet. Ibi tum per sanctę ędis amplitudinem, cælitùs, tot tantaque coruscârunt miracula, vt nemo omninò, quouis etiã morbi genere affectus, beneficiorum eius expers abiret. Cæterùm venerandis reliquijs iam eleuatis, sola eius dextera cum annulo integra, & ab omni corruptione aliena inuenta est. Credo equidem diuini consilij altitudinem

Corpus S. Regis monerinũ potest.

Multa miracula in eleuatione corporis eius.

Dextera eius incorrupta.

hac re demonstrare voluisse, eleemosynæ stu-
dium omnes virtutum gradus transcendere.
Meritò namque sancti Regis dextera corrupti-
onis mansit expers, quæ semper misericordiæ
floribus reuiuiscens, ad alendos pauperes nū-
quam muneribus distribuendis vacua fuit.

MARTYRIVM S. PTIVATI, EPIS-copi Gaualitani. Ex ea quæ est apud V. P. Lam. Surium.

21. August. *Cornelium martyrio occubuisse scribit Baron. anno 2. Galli & Volusiani Imp. Vide Tom. 2 Annal an. Christi 255 & 280. Not in Martyr. Romanum.*

QVO tempore Cornelius Romæ, Cypria-
nus verò Carthagine, glorioso martyrio
coronati sunt, repente omnes penè bar-
bari, coniunctis quasi animis infesta Romanis
arma intulerunt. Et quidē cum alij alias horrē-
da sanè strage prouincias popularētur, Alemā-
ni transmisso Rheno, Gallias petierunt; non tā
virtute, quàm numero prævalidi. Qui cùm ob-
uia quæque protererēt; tandem in Gaualitanæ
regionis excidium, animos atque arma cōuer-
terūt. Quo cognito, loci illius incolę in montē
Gredonensem pro rei necessitate confugerūt;
vt mōtis excelsi, natura magis quàm arte muni-
ti præsidio, intolerandā hostis sævitiā euade-
rent. Ei verò regioni siue ecclesiæ tum præerat
sanctus Priuatus Episcopus; qui feruenti reli-
gionis & quietis studio solicitus, in mōte quo-
dam Mimatensis viculi, cryptam sibi grandi
studio & eleganti opere confecerat; in qua vi-
tam in consideratione rerum cælestiū agebat
perpetuam; nisi ad celebranda pro more solē-
nia egrederetur.

Mimet iugiter in crypta S. Priuat. Episcopus.

Interea barbari dum regionem omnem po-

pulā-

populabundi peruagãtur, & Gredonenſis mõtis locũ armis inexpugnabilem comperiũt, ad Epiſcopi receptaculum feroces aduolant: eo conſilio & ſpe, vt incluſos per antiſtitẽ ad deditionem compellerent. Itaque virum ſanctum è crypta abductum, per interpretem monent & vrgent, vt plebem, Dei & loci beneficio eutam, ad ſpõtaneam captiuitatem inuiter, perpellatque. Quibus ille conſtanti & virili animo tale reſponſum dedit, vt intelligere poſſent, illum quæuis potius ad diſcrimina ſuppliciaque paratum eſſe, quam eam in fraudem Dei populum ſcelerato conſilio pulſurum. Qua ſancti viri virtute commoti barbari, fuſtibus ilicò cæſum grauiter, ad vicũ vſque protraxerũt: maioriq; indignatione accẽſi, idolis immolare compulerunt. At ille atrociſſimę mortis cruciatu contẽpto, flagra, flammas, aliaque ſanè atrocia pœnarũ excepit genera, potiùs quàm fracti animi indicium præberet. Itaque barbari, epiſcopo fœdis vulneribus penè exanimi relicto, ad Gredonẽſem locũ ſe retulerunt, pacemq; ab obſeſſis poſtulârũt. Accidit hoc ingẽti omnium admiratione, & miraculo ſanè euidentiſſimo; quod ſancti præſulis meritis Deum præſtitiſſe nemo ambigebat. Igitur plebs egrediendi tandem libertate potita, ilicò ad Epiſcopum & confeſſorem gratulabunda occurrit; alij eius genibus aduoluuntur; alij ſuo ore ſacro eius corpori inflicta lingunt vulnera; alij profuſis lachrymis ſuam, in epiſcopi morte, & libertatem & vitam contemplantur. Beatus verò confeſſor atrocibus illis quaſſatus cruciamentis, inter ſuorum

Comprehenditur ab hoſtibus.

Cæditur fuſtibus, dum non vult præderè ſubditos.

Decedit è vita.

manus & lachrymas beatum Deo non multo post spiritum tradidit.

MARTYRIVM S. SYMPHORIANI

ex eo quod est, apud V. P. L. Surium. Cuius etiam meminit Gregorius Turonensis, de gloria Confessorum cap. 77.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. Anno Domini 273. 22. Aug.

AVRELIANO principe aduersus Christianum nomen diram persecutionis procellam exitante, * Augustodunensium erat Symphorianus, Fausti nobilis viri filius; Christiana familia ortus; literis & moribus probè institutus; adeò vt eximiam bonis omnibus virtutum suarum spem faceret, ac non sinè admiratione eum supernis ciuibus magnum eum consortium habere statuerent. Illustrabat enim eum cælestis sapientiæ spiritalibus gemmis ornata simplicitas, & ipse prudenter male blandientis mundi naufragia vitabat. Per id tempus Heduorum ciuitas Augustodunum, antiquæ nobilitatis titulis & sacrilegæ religionis referta cæremonijs, diuersis gloriabatur idolorum templis, errorique seruiens, Berecynthiæ imprimis, Apollinis, & Dianæ cultum studio propensiori complectebatur. Conuenerat tum ad Berecynthiæ matris dæmonum profanam solennitatem multa populi frequētia. Porrò Heraclius consularis, ea in vrbe ad perquirendos discutiendosq; Christianos cumprimis sagax & curiosus residebat. Adfuit & Symphorianus, & cùm statuam Berecynthiæ, quæ carpento vehebatur, agminibus stipatam populori, per contemptum adorare nollet, publicę sedi-

Patria & Genus Symphoriani.

Berecynthia est, quàm Cybelem vocant.

tionis

tionis prætextu compræhensus tenetur, & Heraclio consulari offertur. Is verò pro tribunali sedens, ait ad eum; Nomen tuum, cõditionemque edicito. Ille respondit; Symphorianus dicor, Christianus sum. Iudex dicit; Christianus es? Nos igitur, vt video, latuisti. Nobis huiꝰ nominis professio, non magni momenti videtur. Sed cur deæ matris effigiem, profana abusione despectam adorare noluisti? Symphorianus respondit; Paulò antè iam dixi, Christianus sum. Deum viuum adoro, qui regnat in cælis. Simulacrum verò dæmonis non solum non adoro, verùm etiam si permittis mihi, malleis illud mea auctoritate comminuam. Tum Iudex; Iste, inquit, non solùm sacrilegus, sed etiam rebellis conatur existere. Sed forsitan decretorum Principum ignarus, nimium sibi de nobili familia & indole glorioſa applaudit. Itaque ab Officio Imperatorum edicta recitentur.

Comprehenditur Symphorianus.

Lectis igitur edictis, Symphorianus, Iudice vrgente vt intenta crimina dilueret, respondit; Nunquam ego hanc statuam aliud, quam diabolicæ persuasionis infaustum simulacrum, & publicæ perditionis dęmonem putabo. His auditis, Iudex præcipiti furore exasperatus, iussit eum flagris cæsum à lictoribus carceri mancipari. Posteà ad certum tempus rursus eum suo tribunali sisti iussit. Producitur ergo è tenebris filius lucis; quem Iudex non minis; sed blanditijs ac promissis aggrediendum ratus; Symphoriane, inquit, sacrifica dijs, vt summis palatij honorib. perfruaris. Sin recusas, hodie te, deos testor, inuitus pœnis omnibus excruciatum capitali sententiæ subijcere cogor. Ad hæc Martyr;

Cæsus mittitur in carcerem.

Præclarum S. Martyris responsum.

Præclarum S. Martyris responsum.

tyr; Quid, inquit, refert, si vitam quam Christo ex debito soluturi sumus, ex voto soluamus? Munera vestra, fucati mellis permixta dulcedine, malè credulis mentibus venena parturiūt. At nostræ opes & diuitiæ semper in Christo sunt: quas nulla vnquã vetustas, nulla temporis diuturnitas corrumpit. Cupiditas vestra, etiã omnia habendo nihil possidet: quãdoquidem diabolicis obnoxia laqueis, infœlicis lucri perpetuis vritur æstibus. Nobis verò nihil in hoc mundo aufert humanæ fragilitatis lapsura conditio. Gaudia vestra, instar vitri ad solis splendorem crepantis dissiliunt. Solus Deus noster beatitudinem vendicat sibi.

Sententia mortis in martyrem.

Hæc aliaque Symphoriano prosequente, Iudex furore percitus, ait: Symphorianus publici criminis reus, qui sacris aris nefarijs vocibus iniuriam irrogauit, gladio vltore feriatur. Ea prolata sententia, cùm vir beatus duceretur ad mortem, Christi victima futurus, venerabilis mater eius, de muro sedula illũ voce & oratione ita exhortabatur; Nate, Nate Symphoriane, memento Dei viui. Concipe fili, concipe animi constantiam. Timere non possumus morte, quæ citra dubium perducit ad vitam. Sursum, fili, erecto corde, aspice illũ qui regnat in cælis. Hodie tibi, nate, vita nõ tollitur, sed mutatur in melius. Si hodie perduraueris, fili, ad cœlestem gloriam & supernam nobilitatem fœliciſſima commutatione migrabis. Ita ergo S. Martyr extra muros eductus, à carnifice cæsus est purpurei sanguinis sui vnda perfusus. Porrò homines religiosi, sacrum eius corpus clam inde sublatum, apud fontem, qui extrà agrum publi-

Mater eius egregiè illum confirmat.

Capite truncatur.

publicum visitur, condiderunt; vbi virtutibus clarus, ipsis quoque gentilibus, ob miracula & sanitatum beneficia stupentibus, maximo in honore ea tempestate est habitus. *Coruscat miraculis post obitum.*

VITA S. SIDONII APOLLINARIS, Aruernorum Episcopi. Ex Gregorij Turonensis Episcopi, histor. Franc. lib. 2. c. 21. Claruit anno Salutis 484. sub Felice Papa, & Zenone Imper.

Vide Tomũ C. Baron. Annal. 6.

EPARCHIO, Aruernorum Episcopo, vita munere functo, Sidonius, prima Galliarum nobilitate illustris, ex Præfecto substituitur. Habebat enim Auiti Imperatoris filiam, sanctissimo matrimonij fœdere sibi sociatam; & propter admirandam facundiæ virtutem, summo patriæ vniuersæ non modò honori, sed etiam saluti erat. Tanta namq; dicendi facultate & gratia pollebat, vt plerunque ex improuiso luculentissimè quæ voluisset, nulla obsistente mora, componeret. Cùm autem esset magnificæ sanctitatis atq; ex Senatoribus primus, non rarò ignorante coniuge, argentea è domo vasa auferebat, & pauperibus summo cum animi gaudio erogabat. Quod illa cùm resciceret, animo haud parum commota crucia batur, & pium sanctissimi viri factum calumniabatur; ablataque, dato tamen egenis precio, domui restituebat. 23. Augu. *Sidonij genus nobilissimum.* *Egregia Sidonij eloquentia.* *Mira eius in pauperes liberalitas.*

Porrò Sidonius in episcopali munere constitutus, de præsentis vitæ bonis parùm aut nihil solicitus, assidua mente & cogitatione æterna pertractabat. Quam animi puritatem, sim-

simplicitatemque, duo presbyteri, nequitia fraude insignes, facilè se decipere posse confidentes, omni antistiti ablata potestate, contumelias insuper varias intulerunt: ac tandem eò dementiæ proruperunt, vt planè ei ecclesiæ limina per fas perque nefas prohibere vellent. Itaque cùm minas ei sub vesperam intendissent statuissentque, si ad nocturnas preces cum reliquis conueniret, è templo eum exturbare: iamque dato signo ad matutinas vocarentur, alter presbyterorum iniquo animo meditata explere cogitans, prius necessitati naturæ satisfacturus, secessum suum ingreditur. Et eccè ventrem purgaturus, eodem quo Arius supplicio diuinitùs mulctatus, intestina effudit.

Duo improbi sacerdotes eum persequuntur.

Horrenda mors presbyteri.

Hinc beatus antistes pristinæ restitutus potestati, paulò post febre correptus, cũ se haud dubijs mortis indicijs vrgeri sentiret, in ecclesiam se suorum manibus deferri curauit; vbi inter suorum lachrymas & ploratus, beatam Deo animã tradit, certo cum vaticinio, Aprunculum post se ecclesiam illam moderaturum. Eo defuncto, presbyter alter nequam protinùs omnes ecclesiæ facultates instar episcopi occupauit; & animi elatione tumidus, altero à transitu viri sancti Dominico, cunctos ecclesiæ suæ ciues ad epulum sanè magnificum inuitauit. Cumque despectis senioribus primus accumberet, vnus famulorum, qui ei à poculis erat, animi valdè anxius, in plena cõuiuantium turba, sic Dominum suum ei scyphum offerens affatus est; Equidem vt maximè vellem, tamen præ nimia quadam animi angustia, quæ superiori

Abit è vita S. Sidonius.

riori nocte secundùm quietem vidi, silere non possum. Videbam hac nocte Dominica, domũ regio splendore insignem; in qua Iudex cunctis potestate præstantior, è sublimi throno omniũ causas incorrupto planè iudicio ventilabat. Porrò inter promiscuam populorum multitudinem vidi B. Sidonium cum illo fortè presbytero tibi charissimo, qui paucos ante hos dies vitam cum morte permutauit. Is cùm nescio quid litigij cum Sidonio haberet, tandem deuictus, Iudicis iussu in imas carceris angustias retrusus est. Eo verò ablato, visus est idem Sidonius tuo nomini litem intentare, dicés te eidem sceleri, propter quod prior ille damnatus fuerat, affinem esse. Verùm vbi Iudex inquirere cœpit, quem potissimùm ad te citandi gratia destinaret, ego pauid' ilicò inter reliquos me abdidi. Sed paulò post amotis omnibus, solus ego inuentus hæc à terribili Iudice tibi nũciãda in mandatis accepi. Quandoquidem Sidonius causam vrget, æquum est vt citatus venias, & iustitiæ subditus sententiam audias. Hæc venerande Domine sub grandi testificatione præcepit mihi Iudex, pessima mulctando morte, si tacerem.

Eo etiam alterius præsbyteri terribilem mortem.

Hæc eo loquente presbyter subito timore perculsus, elapso de manu calice, reddidit spiritum; cum satellite suo infernum possessurus. Tale iudicium verus illo & iustus Iudex Deus, in homines contumaces, & alienarum rerum inuasores exercere solet. Porrò Sidonius pro contumelia & iniurijs, summa patientia ad finem vsque perlatis, & cælestibus in cælo præmijs coronari, & Aprunculum, Lingonicæ Ciuita-

uitatis prius Episcopum; cum à burgundiori ad necem quæreretur, fuga elapsum: vti præd xerat, successorem habere meruit.

MARTYRIVM SS. CLAVDII, ASTERij, & Neonis, itemque Donuinæ & Theonillæ. Ex eo quod V. P. Laur. Surius, à notarijs publicis conscriptum habet. Passi sunt, anno Christi 285. Caij Papæ 2. Diocletiani Imper. 2.

Vide 2. Tomo Annal. C. Baron.

23. Aug.

APVD Aegeam vrbem, Lysiæ Præsidi pro tribunali sedenti, & Christianos acri examine ad supplicia perquirenti, oblati fuêre ab vrbis magistratu pueri tres; fraterno sanguine & eximia pietate inter se coniuncti: fœminæ quoque duæ cum infantulo, vt q̃ de ijs fieri vellet crudelis Præses ilicò præciperet. Primus erat Claudius; qui à Præside dijs sacrificare iussus, animo planè virili & excelso, nefarium facinus detestatus est; seq́ue intrepidè ad virgarũ ictus obtulit, & cõstanter pertulit. Lysias verò cernens pueri constantiam & virtutem admirãdam, iussit eum in eculeo suspensum flammis torreri, partesq́; ex eius calcaneis præcisas illi offerri. Deindè ne tantillũ quidem eo supplicio motum vngulis vexari, testisq́ue asperrimis latera eius radi, & candelas ardentes applicari. Inter ea Claudius spiritu exultans: Tyranne, inquit, ignis ille & tormenta tua, æternam mihi salutem conciliant. Quæ enim propter Christum patior, in magno lucro ponenda mihi sunt; atque adeò mors ipsa Christi causa tolerata, diuitiæ putanda. Tum Lysias victus, præ furore frendens,

Claudius Asterius & Neon fratres offeruntur Iudici.

Horrendè torquetur puer Claudius.

dens, eo in custodiam abducto, iussit adesse Asterium.

Quem Præses blanda voce compellans: Vel tu, inquit, fili, commoda fidem dictis meis, & sacrifica dijs; vt atrocia supplicia rebellibus constituta vitare queas. Ad quæ Asterius; Vnus est, inquit, in cælo & in terra Deus; quem ego à parentibus meis colere sum edoctus. Quos verò tu colis deos, dæmonia sunt, æternum & tibi & tuis omnibus exitium adferentia. Lysias, his auditis, iussit eum in eculeo sublatum, ijsdem ferè, quibus fratrem paulò antè, supplicijs excarnificari. Carpebãt latera eius ferreis vngulis, prunasq; ardentes pedibus substernebant, virgis & neruis dorsum pariter & ventrẽ horrenda sæuitia dilacerabant. Quæ animo adeò excelso & alacri Asterius ferebat, vt ipsi etiam Præsidi victor insultaret. Itaque eo quoque in custodiam recepto, Neon frater eorum tertius adductus fuit; qui dijs sacrificare iussus, tale responsum Præsidi dedit; Si qua virtus est in dijs tuis, ipsi se tueantur, nec tuum patrocinium requirant. Lysias eo pueri respõso vehementer cõmotus: Frangite, inquit, pueri istius ceruicem, & blasphemias sacrilegi oris compescite; Extendite eum, & neruis atrociter cõcisum prunis ardentibus obtegite. Ijs omnibus expletis, Lysias Præses, martyrum constantia se superatum cernens, hanc in eos sententiam tulit; vt foris antè atrium Cruci affixi mortem subirent: & corpora auibus deuoranda relinquerentur. Eo igitur certamine, glorioſi Christi martyres, post varia tormẽta tropheis inclyti, palmam adepti sunt.

Tormenta Asterij.

Certamen Neonis pueri.

Crucifiguntur tres pueri fratres.

Eodem

Donuina martyrium.

Eodem momento, Donuina, insigni pietate matrona, ab Eulalio Commentariensi cõprehensa, iussu Præsidis, cunctis vestibus nudata virgis tamdiu cæsa fuit, donec in Christi confessione beatam Deo animam traderet. Ea

Item Theonillæ.

mox Theonilla, supplicij atrocitatem nihil veritа, constanter secuta est. Cùm enim ab Eulalio, præsente Lysia, ad deorum simulacra sacrificijs honoranda compelleretur, & præcisè ac constanter tantum nefas execraretur, fuit protinùs facies eius liuoribus contusa; indè vestimentis spoliata, & virgis cæsa, è capillis suspensa. Et quidem cruciatus quanquam acerbissimi nihil pudicam frangebant fœminam; tantùm corporis nuditas eam sanè vehementer turbabat; adeò vt pro ea Iudicem deprecaretur. Sed

Horrendi cruciatus Theonillæ.

immanis tyrannus, vt maiore eam pudore afficeret, iussit caput eius nouacula radi; ac postremò campestri cinctam rubo, ad quatuor palos extẽdi; loro totum eius corpus proscindi; prunasque ardentes ventri imponi; ijsque supplicijs tamdiu fatigari, donec de morte triumphans, victrix ad cælos migraret.

Vide eiusdẽ C. Baron. Annal. Tomo 8. & Notat. in Mart. Romanum.

VITA S. AVDOENI, EPISCOPI Rothomagensis 21. Ex ea quam V. P. Laur. Sur. fideliter ex antiquis M. S. Codicibus eruit, teste Baronio. Obijt anno Saluatoris 677. Domi Papæ 2. Theodorici Francorum Regis 6.

24. Aug. Patria Audoeni.

TEMPORIBVS Clotarij clarissimi principis, filij Chilperici Regis Francorum, anno plùs minùs vicesimo regni eius, pago Suessionico, tres viri cùm generis dignitate

tate tum pietate inprimis illustres, patre Authario, matre verò Aiga, orti sunt. Primus Ado, secundus Dado, tertius verò Rado dicebatur; qui vt primos pubertatis attigêre annos, propter eximiam parentum probitatem & generis splendorem, primùm Clotario Regi, deindè Dagoberto, in cunctis inuenti sunt gratissimi. Sed illi ad exemplum parentum, ita vitam moresque cõponebant, vt pestifera inter mundi huius negocia, religiosis sanctorum hominum consortijs plurimùm delectarentur: semperque animum à terrenis ad cælestia reuocarent. Et licèt ordine diuerso, vnum tamen eundemque pietatis scopum, summa cum laude attigerunt.

Parentes eius.

Audoëni fratres.

Nam primogenitus Ado, cælestium rerum contemplatione, tanquàm pennis quibusdam sublatus, mox ad castra Regis æterni, è medijs mundi honoribus se transtulit, ac Lodariense monasterium ad * Matronæ fluuiũ in proprio solo condidit; opibus & rebus necessarijs ditauit; electamq; Christianorum militum manũ, sub signis S. Columbani Deo perpetuò militaturus collegit.

Ado frater Audoëni, relicto mundo cõdit monasterium Lodariense.

** Maternæ.*

Rado verò, qui extremum natiuitatis ordinem tenebat, summis à Rege honoribus auctus, regalium thesaurorum procurator constitutus, ita in ipsis seculi dignitatibus vitam instituit, vt nemo eo religiosior, nemo in prestandis eleemosynis largior appareret. Ordines verò militares ea prouidentia gubernabat, & stipendia iustè, piè ac beneficè adeò persoluebat, vt à cunctis militibus mirificè diligeretur.

Rado frater iunior, in aula regis piè & religiosè viuit.

Porrò Audoënus, cognomento Dado, cùm cæteris virtutibus, tum eloquentiæ laudibus eximiè ornatus, Regi Dagoberto à secretis erat; cuius cõsilio & auctoritate, omnia ferè regni negotia administrabantur. Et quanquàm in medijs regiæ honoribus constitutus, preciosis de more vestibus extrinsecùs ornaretur, subtus tamen, carnem cilicio indutus, strenuè die noctéque precibus & ieiunijs incumbebat, omnémque penè operam in pauperib. & infirmis tractandis collocabat. At verò ijs, quanquàm excellentibus pietatis operibus, nequaquàm cõtentus, in Brigiensis syluæ recessibus Rasbacis fluuioli officinas perlustrans, monasterium in suo patrimonio, quod Hierosolymam dici voluit, construxit; eidemque Abbatem Aglium, patris Columbani discipulum, monasticis disciplinis egregiè excultum, præfecit. Iamque meditabatur, vt, cunctis seculi dignitatibus reiectis, soli Deo intra claustra istius monasterij seruiret; sed Rex & optimates vniuersi reluctabantur, & iniquum esse clamabant, priuatam voluntatem communi plurimorum vtilitati præponere. Itaque cessit eorum ad tempus obtestationibus, atque animum interim diuinarum humanarumque rerum cognitione diligentiùs excoluit.

Audoënus in aula Regis, monachum repræsentat.

Condit monasterium Rasbacense.

Interea defuncto Rege Dagoberto, Clodoueus filius eius regni suscepit gubernacula; cuius in exordio, infanda hæresis totum penè fœdauit Orientem; prorsus vt ipse etiam Cõstantinopolitanus antistes, & Alexandrinus patriarcha, peruerso dogmate corrumperentur. Asserebat enim illa pestis, Dominũ nostrum Iesum Chri-

Hæresis Monothelitarũ.

Christum', nequaquàm veram ex Virgine Maria carnem sumpsisse. Cumque ea de re, Paulus & cæteri infausti dogmatis assertores, cum auctoritate etiam Imperatoris Constantij tertij, Beato Martino, Romano Pontifici scripta dirigerent, ipse mox gustũ mortiferæ suasionis execratus, ad Francorum Regem legatos direxit, vt viros fidei puritate illustres, & diuinarum rerum cognitione apprimè instructos, quamprimùm ad se mittat: quò, cum illis & totius Italiæ præsulibus, aliq; aduersus tantæ prauitatis venena antidotũ adhibere possit. Rex cunctis regni sui sacerdotib. in vnũ coactis qd legati tanti Pontificis afferãt, exponit, iubetque, vt ex semetipsis viros tales eligãt, quos ad suscipiendum tantæ rei munus, puritate fidei & verbi sapientia idoneos norint. Tum illi vno animo beatum Audoënum, cum sancto Eligio ei rei destinandos eligunt. Tanta enim erat in viro Dei Audoëno sapientia, vt quamuis sacris initiatus non esset, tamen penè omnibus eius temporis Galliæ vel Franciæ sacerdotibus sapientia anteferretur. Veruntamen nè Romam mitteretur, aliud impedimento fuit.

Execratur eã hæresim, Rom. Pon. Martinus.

Audoëni insignis prudẽtia & eruditio.

Interim verò Audoënus vna cùm Eligio strenue hæresim profligabat, & quoslibet in cõflictu à se superatos, regni finibus confestim expellebat. Quæ res, ipsum tandẽ Regem, regniq; optimates perpulit, vt eum sacris initiari haud inuiti paterentur. Ea igitur dignitate ornatus, maiori cum auctoritate, non modò nouas hæreses oppugnare cœpit, sed Simoniacam etiam labem, qua totum Francorum regnum fœdè corruptum erat, extinxit. Igitur cùm præcipuè

Fit episcopus S. Audoënus.

illius studio intemerata Ecclesiæ fides conse uaretur, defuncto tandem Rothomagensis vr bis antistite, beatus Audoënus summo omniu consensu ad onus illud, verius quàm honorem subeundum compellitur.

Prædicat verbum Dei in locis longinquis.

Igitur accepta, quanquàm inuitus, pontificia sede, mox curis regiæ penitùs valere iussis, ad verbum Dei gentibus procul positis prædicandum, voluntario se exilio subdidit. Transmissis namque Sequana & Ligeri fluminibus, cunctos ijs in regionibus habitantes, lumine verbi salutaris, quasi Sol quidam illustrauit. Cumque in Hispanias vsque peneträsset, reperit populos illos, terramque, septem annorum siccitate exhaustos, in vltimum ferè rerum omniu periculum veniisse. Itaque ilicò in preces prostratus, ingenti lachrymarum imbre terram rigauit: nec priùs à votis precibusque cessauit, quàm, diu desideratam Dei misericordiam, pacemque populo impetraret.

Septem annorum sterilitatem sanat suis precibus.

Cùm autem, sparso per omnes circa regiones verbi semine, cum amplissimo fructu, Rothomagum redijsset, tum demùm ad Pontificiæ dignitatis consecrationẽ verè humilis accessit. Neq; enim antè se cõsecrari passus est, quàm quid eo in genere posset studiosè explorasset. Itaq; põtificali infula decoratus, q̃ alijs pompæ & fastûs fomenta subministrare solet, huic maioris abiectionis studium attulit; prorsùs vt Pontificio fastu posthabito, populorum agminibus neglectis, principum spreta frequentia, famulãtium obsequijs postpositis, pauperum & captiuorum consortijs semper delectaretur. Cæterùm cũ alios assiduò ad peccati

Humilitas eius.

fugam

fugam hortaretur, tum corpus proprium, rigore penè incredibili domabat. Abstinentiam o- *Vitæ eius austeritas.*
rapallida demonstrabant: maxillæ lachrymis humectæ, cordis contritionem prodebant. Lateri colla ferrei promebant circuli: ventrem & brachia ferrum æquè constringebat. Talia miles Christi in suo corpore stigmata circumferens, voluptatum illecebras & diabolicas persuasiones facilè contemnebat. Lectus non mollibus plumis, pictisve tapetis, sed asperis virgultis stratũ, corpus vigilijs & ieiunijs fessum excipiebat.

Cũm autem probè perspectũ haberet, quanta ex sanctissimis monasticæ vitæ disciplinis, in Ecclesiã bona redundant, summo studio monasteria & sacra loca per omnes Franciæ pro- *Multa cõdit monasteria.*
uincias construxit: & quidẽ cùm alijs in locis, tum verò maximè in propria diœcesi, multa eáque ampla & nobilia condidit monasteria: & xenodochia quoque, aliaq; pia subsidia, pauperibus Christi exstruxit.

Cùm tempore quodam diœcesim suam prędicãdo perlustraret, & muli, currui iuncti (neque enim nimio confectus senio equo vehi poterat) subitò quasi attoniti subsisterent, nec vllo modo aurigæ flagellis incitati, gradum vlterius facere vellent, vir Dei, sublatis in cęlum *Vidit Crucẽ luculentam in aëre.*
oculis, Crucis vexillum multo splendore circumfulum vidit. Quo sanè miraculo variè affectus, tandem intellexit, eum locum diuina prouidentia religionis ac pietatis cultui destinatum esse. Moxque reductis oculis, conspicit hominem terram aratro proscindentem. Accepto ergò eius stimulo, figuram sancte Crucis

terræ infixit, eiq́ue sanctorum impositis reli-
quijs discessit. Sole inde ad occasum tendente,
ignea eo in loco columna ab infinitis totius
prouinciæ hominibus visa est, tanta omniũ ad-
miratione & gaudio, vt ingens hominum mul-
titudo protinùs eò confluueret, & multi diuersis
affecti morbis pristinam sanitatem recupera-
rent. Quo etiam in loco Leutfridus Ecclesiam
S. Cruci sacram, in perpetuam Audoeni Pon-
tificis memoriam condidit; vbi hodiè non
pauci monastica disciplina insignes Deo famu-
lantur.

Itaque post ampliſſima saluberrimę doctrinę
fluenta, varijs regionibus exhibita, post varia
monasteria ædificata, post fundatam in fide Ec-
Romam proficiscitur. clesiam, Romam, sacra sanctorũ Apostolorum
visurus limina, multis egregia pietate & eru-
ditione viris stipatus, abijt. Vbi votis precibus-
q́ue ex animi sententia ritè persolutis, cùm pro-
priam ad sedem reuersus esset, inuenit regni
totius principes sæua discordiæ peste correp-
tos; quos antè quàm in pristinam animorũ cor-
cordiam restituere posset, dictu mirum, quas
non molestias & afflictiões deuorauerit. Adeò
namq́ue pacis & vnitatis studiosus erat, vt eam
libenter, si opus fuisset, vita ipsa profundenda
redemisset. Porrò vt ortam inter Frãcos & Au-
strasios dissensionem componeret, non dubita-
Venit Coloniam, & sanat mutum. uit deuexa tum planè ætate vir Coloniam per-
gere; vbi inter cætera virtutis suæ miracula, vi-
rum quendam annis vndecim linguę beneficio
orbum, Crucis signo capititi eius impresso, lo-
quętem reddidit. Hinc pacis fœdere inter dis-
cordes populos instaurato, domũ reuersus, iã

Nona-

Nonagenarius beatũ Deo ſpiritũ tradidit. Rexit verò Rothomagenſem Eccleſiã ſumma cum laude, & præclara ſanctitatis opinione, annos tres admodum & quadraginta, mẽſes tres, dies decem. Funus fuit multis omnium lachrymis curatum, & à Rege, Reginaque, cęterisque regni optimatibus, Rothomagum honorificè deductum, & in B. Petri baſilica ſepultum; vbi Chriſtus Dominus admirãdis virtutum ſignis, ſancti ſui gloriam celebrare non ceſſat. Menſe autem vltrà trienniũ decimo, Aubertus * ſanctiſſimi viri ſucceſſor, cùm vellet ſacras eius reliquias celebriori monumenti loco honorare, reperit corpus tam ab omni corruptione alienum, quàm fuerat olim virginea integritate conſpicuum.

Tempus in Epiſcopatu ab eo tranſactum. Claret eximijs miraculis poſt obitum.

* *alias Anſbertus.*

VITA ET MARTYRIVM SANCTISſimi Apoſtoli Bartholomæi. *Ex ijs quæ de eo ſcribunt Ioſephus apud Metaphraſten. Euſebius Hiſt. lib. 5. cap. 10. Gregorius Turon. Nicephorus & alij.*

Vide Tom. 1. Annal. C. Baron. & Not. ad Martyr. Roman. de quibuſdam erroribus.

25. Augu.

BARTHOLOMAEVS, humili ac piſcatorio genere è Iudæa oriundus, Tholmai filius, primùm Chriſti diſcipulus, ad ſummũ illud Apoſtolarũs culmen ab ipſo Chriſto euectus fuit. Is, poſtq̃ Chriſtus glorioſa Crucis trophæa in cælum tranſtulit, vnà cum Philippo Euangelium multo tẽpore gentibus prædicauit. Quo poſt varias ærumnas & cruciatus à ſceleratis hominib⁹ in crucẽ acto, & vitæ munere ſanctiſſimè perfuncto, Bartholomæus, aſſumpto ſecum Matthæi Euangelij volumine,

in maiorem Armeniam profectus, Lycaoniæ eius Prouinciæ populos, insuper & Albanos veritatem Euangelicam docuit; ac fide Christiana imbuit: demùm citeriorem Indiam penetrãs, gentẽ illam profundissimis peccatorũ & ignorantiæ tenebris inuolutam, luce veritatis illustrare, & è diaboli seruitute in veram Christi libertatem vindicare studuit. Itaque templum quoddam ingressus, inuenit ibidem idolum, (Incolæ Astarothum nuncupabant) quod homines quouis morbo afflictatos se curaturum profitebatur. Sed, ô fallaciam dæmonis, qui cæcis mortalibus persuadebat se curationem adhibere, eos à se in morbos & calamitates varias cõiectos leuius exagitabat; quo facto, miseri se ingenti beneficio affectos putabant. Primo autem Bartholomæi aduẽtu, simulachrum, aut potiùs dæmon qui in eo latebat, nec responsa dare, nec afflictis vllo modo consulere poterat. Igitur cùm indies maior agrorum multitudo in templum curationis causa cõflueret, neq; tamen eorum quisquam optatũ remedium inueniret, nefarij sacerdotes pleni confusione ad proximum indè oppidum abire coacti sunt, vt à Deo, qui ibi colebatur, tanti silentij causam quærerent. Respõdit Beritus (hoc enim Deo nomen erat) eam ob causam Astarotum penitùs silere, quòd Bartholomæus Dei Apostolus præsens esset. Cumque illi, quisnam ille esset, & qua ex re eũ internoscere possent, rogarent, Respondit; Virum esse iusta statura; Barba prolixa; paucis iam canis distincta; nigro capillitio; carne candida; albo amictum pallio.

Astaroth idolum aduẽtu Bartholomæi humiliat.

Beritus idolum.

Forma & habitus S. Bartholomæi.

Illi,

Illi, his auditis, relicto idolo, magna diligẽtia Apostolum inquirere cœperunt. Cumque hinc indè certis distincti manipulis discurrerent, fortè quidam dæmonio obsessus magno cum eiulatu clamare cœpit, se Bartholomæi precibus mirum in modum excruciari. Quo audito, Apostolus silentium dæmoni verbo imposuit, & dicto citiùs ab homine expulit. Fuit hoc cõtinuò ad aures Polimij regis perlatum; qui mox filiam suam sæuo dæmonio miserè obsessam ad eum misit, rogans vt quemadmodum Eustium (hoc enim viro illi recens curato nomen erat) ab eo morbi genere liberâsset, ita & filiæ, quam chariſſimam haberet, subueniret. Itaque virgo, regis filia, catenis vincta, vt in Apostoli conspectum adducta est: iussit eam, vinculis solui. Pernegârunt ministri se facturos, quòd nemo ad eam accedere, nemo eam attingere auderet. Quos Apostolus primùm obiurgans, monet deindè vt miseram soluant, ac postera luce ad se introducant. Illi tandem dicto audientes ad virginem accedunt; soluunt, quo facto, dæmon ità expulsus, eiectusque est, vt nunquam deindè eam agitauerit. Rex, ne tanto accepto beneficio ingrati animi sceleri obnoxius videretur, confestim camelos auro, argẽto, gemmis, vestibusque onustos ad Apostolũ muneris loco misit; quæ Apostolus constanter reiecit, ac denuò ad regiam referri curauit. Insequenti verò luce Regem ipsum adijt, & solus cùm solo, de humani generis Redemptione, per Christi in terras aduentum facta, lucu-lenter disseruit: indè cuncta ferè Euangelij ac fidei nostræ mysteria ei exposuit, & Regem

Polimius Rex.

Eius filiam à dæmone liberat Apostolus.

Disserit ad Regem Apostolus, de mysterijs fidei Christianæ.

Polimium, vna cum vxore & duobus liberi

Rex cũ vxore & filijs, alijsque baptizatur.

& ingentem denique populi multitudinem aqua salutari expiauit. Quod Astyages Regis frater, pontificum opera vt intellexit, missis continuò militum manu, Apostolum ad se vinctum adduci præcepit, adductum fustibus cædi & excoriari primùm, deindè securi feriri.

Rex autem Polimius, cum populo sacrum corpus magno cum honore in monumentum intulit; vbi cùm multis magnisque clarum miraculis diu quieuisset, barbari inuidia & odio impulsi, clàm è sepulcro sublatum, in plumbeos loculos immiserunt, & in fluctus marinos deiecerunt. Sed diuina prouidentia

Corpus eius in mare protectum venit Liparam.

factum est, vt aquis conuehentibus, ad Siciliæ insulam, quæ Lipara dicitur, præclaro sanè miraculo deferretur. Quò vt delatũ est, Christiani incolæ gaudio incredibili affecti, nouo & magnifico sanè ac mirifici operis templo illud exceperunt.

De translatione S. Bartholomei.

Porrò anno Domini 832. vt vult Sigebertus, in Chron. vel vt Leo Ostiensis lib. 1. cap. 26. 840. indè Beneuentum magna cũ celebritate translatum est. Capto verò Beneuento, Otho a secũdus Romanorum Imp. anno Restauratæ salutis 983. sacra illa Bartholomæi Apostoli ossa Romam asportauit; vt ea in tumba porphyretica honorificè collocata, per Tiberim & mare in terram suam deueheret; sed morte præuentus, sacrum illum reliquiarum thesaurum Romæ reliquit; vbi summo cum honore, ad multorum vtilitatem & consolationem vsque hodie asseruatur.

a *Otho Frisingensis Lib. 6. cap. 25.*

Corpus eius imputiarum Romæ.

CER-

CERTAMEN S. EVSEBII ET SOCIORUM eius Martyrum. Ex S. Vincentij ſpeculo lib. 11. cap. 119. Martyrologia cõſentiunt. Paſſi ſunt anno Domini 192. Eleutheri Papæ 14. Antonini Imperat. 11.

Vide 2. Tom. Annal. C. Baron.

25. Aug.

ANTONINVS Commodus Imperator homo incredibili ſuperbia & flagitioſa in deos ſuperſtitione, die quodam natali ſuo, Herculi & Ioui ſacra facturus, Leonis ſe pelle induit; eo ſymbolo deſignare volẽs, quòd ſicut Leo beſtiarũ omniũ, fortiſſimus, ita & ipſe Rex & caput omniũ populorum eſſet. Cumque ea ſpecie inaniter ſe iactanti & thura dœmonibus offeréti, populus voce maxima acclamaret, eumque lætabundus Romanæ libertatis defenſorem prædicaret, Euſebius, Vincentius, Peregrinus atque Potentianus, qui in vico* Carnario, Chriſtianæ rei die nocteque operam dabant, rei indignitate permoti, ilicò vicos omnes & vrbes, Chriſtum annunciantes perluſtrare, atque omni contentione miſeram plebem, dæmonis artibus circumuentam, à nefando errore reuocare. Neque ſane ſinè fructu lætiſſima Euangelij ſata ſpargebant.

Nota inſanæ mẽtis ſuperbiam in Antonino Imp.

**Lanario iuxtà Baron.*

S. Euſebius cum ſocijs Chriſtum prædicat.

Erat haud contemnendæ auctoritatis Senator quidam Iulius; qui in cordis ſui agro S. Spiritûs gratia iam antè ſubacto ſemẽ excepit, ac protinùs accito Ruffino presbytero, ſe aquis luſtralibus cum vniuerſa familia expiari curauit. Indè animo Chriſti amore mirabiliter accenſo, palàm Chriſtum profiteri, conſtanterque omnes hortari, vt ab infœlici dœmonis ſeruitute, ad veram Chriſti libertatem tranſi-

Iulius Senator cũ tũ omnẽ domo ſua credit.

tranſirent. Quod ad aures Cæſaris celebri ſermone, vt perlatum eſt, iuſſit eum catenis vinctum, Vitellio Iudici examinandum tradi. Vitellius homo ferox & vitijs omnibus turpiter coopertus, cùm eſſet animo in Chriſtianũ nomen admodum iniquo, Iulium, Chriſtum conſtanter confitentẽ fuſtibus atrociter cædi mandauit; quo in ſupplicio beatus martyr ſpiritũ emiſit. Quo cognito, Euſebius cum ſocijs, corpus eius canibus antè amphiteatrum relictum collegit, atque in cœmeterio Calepodij, quartodecimo Kal. Septemb. ſepeliuit.

Iulius martyrio coronatur.

Hæc audiens Vitellius, qui magna animi ægritudine tabeſcens, præreptas ſibi Iulij facultates lugebat, protinus Euſebium eiuſque ſocios apprehendi iuſſit; haud parua ſpe amiſſi lucri per eos recuperandi. Itaque adductis in conſpectum athletis, horrendas minas & ſupplicia intentauit, ni Iulij facultates proderẽt. At verò Euſebius, illo diu multumque inania verborum tonitrua fulminante, Quid, inquit, non minis tuis terrere laboras? Nos nihil ardentiùs in votis habemus, quàm vt eadem cum Iulio gloria potiamur. His auditis, Vitellius iracundiæ ſtimulis inſtigatus, iuſſit eos facie ad faciem in eculeo ſuſpendi, & neruis ac fuſtibus ſinè intermiſſione fatigari. Hæc cùm à carnificibus ſanè ferociter fierẽt, Euſebius ſocijque animis in omni ſupplicio inuictis, dixerunt; Nolite manus remittere: Antè enim vobis tempus, quàm nobis patiendi pro Chriſto animus deficiet. Vitellius ea conſtantia ictus, cum admiratione, En, inquit, iſti de magicarte ſecuri, in tormentis gaudẽt. Cui Vincentius;

Euſebij conſtantia & virtus.

Euſebius cũ ſocijs in eculeo ſuſpenduntur.

Nos

Nos gaudemus & exultamus in Domino nostro Iesu Christo.

Vruntur eorum latera.

Tyrannus tanta eorum virtute turbatus, flammas eorum lateribus applicari iussit; quas illi non modò alacres, sed etiam hymnos & laudes Christo concinentes, perferebant. Inter hæc vnus carnificum, Antoninus nomine, intentis oculis iuuenem nimio fulgore coruscantem, & spongia, latera eorum exergentem conspicatur. Quo ille spectaculo permotus, ingenti cum gaudio protinùs exclamauit; Vnus verus Deus est Christianorum, quem hi euidentissima ratione prædicant. Nec mora, concito gradu ad Ruffinum presbyterum abijt, supplicemque eum illi sacro fonte expiandum obtulit. Expiatus, rursus summa cum festinatione, & alacritate incredibili ad Vitellium reuersus est. Erant tunc Christi martyres de eculeo depositi, & Vitellius multis blanditijs inuictos eorum animos oppugnabat, vt vellent dijs honores deferre. Cumque multo constantius illi Iudicis impietatem arguerent, Vitellius Eusebij linguam præcidi iussit. Tunc verò Antoninus, ô hominum omnium, inquit, crudelissime, nõ te pudet pœnitetque sanctissimis viris supplicia inferre? Vix ea effatus erat, cùm Vitellius diuinam sentiens vindictam, vim sanguinis ingentem cum vomitu eiecit; iusto sanè iudicio, vt qui ad os iusti puniendum exarsit, acri dolore torqueretur in suo. Cęterùm Christi martyr Eusebius, multo clarius Christi laudes extollebat; eius verò linguam Christianus quidam, nomine Faustus, qui spectaculo intererat, exceperat, abditamque in sinu, apud se deinceps in ho-

Antoninus carnifex credit, & baptizatur.

S. Eusebium, præcisa lingua loquitur.

Plectitur capite S. Antoninus.

in honore habuit. Porrò Antoninus iussu Vitellij via Aurelia capite plexus, gloriosam martyrij coronam adeptus est.

Mittuntur in carcerē SS. martyres, & multos conuertunt.

Post hæc Eusebius, socijque, omnibus macerati supplicijs, in ima carceris missi sunt; vbi signis & virtutibus clari, confluentem ad se Christianorum multitudinem assiduò erudiebant: & gentes etiam, dæmonum errore occæcatas, veritatis lumine illustrabant. Inter quos Lupulus quidam Capitolij sacerdos, qui annos admodum quatuor oculis priuatus, frustra ab inanibus simulacris remedium postulauerat, ad eos venit, suppliciter baptismum expetens. Neque enim, dicebat, de corporis salute laboro, tantum me Christi gratiæ & vinculorum vestrorum participem facite. Ea confessione gauisi martyres, accersito protinus Ruffino presbytero, eum lustralibus aquis expiandum curârunt; Qui simul cum baptismate, perfectum oculorum lumē recepit. Quo miraculo & ipse custos carceris permotus, Christo nomen dedit. Indè cùm indies, magis magisque, admirandis signis eorum virtus coruscaret, Vitellius Regis mandato, fecit eos è carcere eductos, antè * amphiteatrum tam diu plumbatis cædi, donec in Christi confessione spiritum exhalarent. Quorum corpora Beatus Ruffinus presbyter, Sexto ab vrbe lapide, in Arenario, inter viam Aureliam & Triumphalem, 8. Kalend. Septembr. sepeliuit.

Lupulus idolorum Sacerdos per fidem & baptismum à duplici cæcitate curatur.

SS. Martyres plumbatis occiduntur.

** al. Petram sceleratam.*

MAR-

MARTYRIVM S. GENESII ARELATENSIS: Ex ea quæ est per B. Paulinum Episcopum Nolanum. Passus est Anno Salutis 303. Marcel. Papæ 7. Dioclet. Imp. 20.

Vide C. Baron Annal. Tom. 2.

SANCTVS Genesius cùm in primæuo iuuentutis flore animo sanè generoso militiæ tyrocinium suscepisset, fuit propter ingenij animique præstantiam, ilicò inter suos honoratus, atq; ad exceptoris officium ad tribunal iudicis assumptus. Cumque eo munere sedulò ac cum laude fungeretur, accidit, vt iniusto atque sacrilego mãdato, persecutionis iussa ederentur; quæ cũ ceris imprimerentur, ipse Deo deuotus, abiectis antè pedes iudicis tabulis, ministerium sacrilegũ, sacrata iam Domino mente refugit. Et vt in nullo à præceptis Euangelicis actus martyris deuiarent (quibus declinare persecutionis impetum vel permittimur, vel iubemur) alijs atque alijs non solùm latebris, sed etiam ciuitate mutata, ab ira se furentis Iudicis paulisper occuluit. Qui cum eum corripi protinùs offerríque iussisset, neque inuestigatio ad procuratas latebras peruenire, crudelissimis pœnæ ministris, vt vbi repertus fuisset, gladio eũ interficerẽt, imperauit. Quod vbi beato Genesio, vel occultis nuncijs, vel rumore compertũ est, diuersa latendi loca, vt exitus docet, nõ infirmitate spiritûs, sed carnis trepidatione mutauit. Atque interim, licet superfluò, de præsumptæ fidei confirmatione solicitus, quoniã nondũ erat ex aqua & Spiritu sancto renatus, per fidos internuncios, à Catholicæ religionis anti-

25. Augu.

S. Genesius exceptoris fungitur officio, nec scribere vult edicta contra Christianos.

Matth. 10.

antistite, donum baptismatis postulauit. S
ille vel tẽporis angustijs impeditus, vel inu
nili ætati diffidens, ardentia vota distulit, acl
deliter indicauit, quòd plenam consummatio
nem etiam huius muneris, daret prompta pa
Christo cruoris effusio. Et hæc quidem cuncta
tio sacerdotis, diuino, vt æstimo, prompta nu-
tu, atque iudicio prouocata, dispositaq; est, vt
circà eius solennem cõsecrationem officia hu-
mana cessarent, cui vnius baptismatis duplex
gratia, ex vtroq; scilicet Christi latere & aqua
& sanguis parabatur.

Cruoris per martyrium effusio, alter est baptismus.

Sed iam Dominus, qui per Spiritum sancti
futuri martyris seruabat arcana, subeundæ cõ
stantiam passionis vel fecerat, vel videbat; ne-
que patiebatur differri coronam, cùm videret
paratam esse victoriam. Itaque percussoribus
suis eum obtulit, & ijs, quorũ in eundem aui-
da crudelitas inhiabat, ostendit. Atque is, vbi
se perspicit deprehensum, instinctu Domini
Rhodanũ petijt, & sancta fluuio mẽbra cõmit-
tit; vt eum illic à contagione mortali, velut al-
terius Iordanis vndis, occultus Baptista purga-
ret: & mutuo alternoq; mysterio, & aquis cor-
pus, & aquas corpore consecraret. Atque hæc
causa profectò extitit, vt natandi adminiculo
perueniret, qui exemplo beatissimi Petri ad
Christum tendens, per summa gurgitum am-
bulare potuit. Transgressum continuò in vl-
teriora fluminis, & subeundi præmij passio-
nis Christo sponsore securum, in eo loco, quẽ
effusione sanguinis glorioſi Dominus elege-
rat, quique nunc oratione assidua & votis nun-
quàm irritis frequẽtatur, percussor assequitur
exop-

exoptatoque gladij ictu festinantem ad Deum animam vinculis corporis, quibus tenebatur, absoluit: & vtraq; substantia propriæ originis eleméta repetente, terrena interim terris mẽbra commendat, & cælestem spiritum emittit ad cælum. Prouiderunt tamen fideles temporis illius Dei serui, vt vtramque fluminis ripam geminatis vrbibus ambiendam, vnius martyris tutela muniret. Nam in ipso beatæ passionis loco, consecrati cruoris vestigia relinquentes, in alterum fluuij latus, honoratas reliquias transtulerunt; vt vtrobique præsens sanctus Genesius, illic sanguine haberetur, hic corpore.

Gladio percussus abit ad Dominũ.

Duæ vrbes, ad vtramq; Rhodani ripam sancti reliquijs celebres.

MARTYRIVM S. GENESII ROMAni: Ex eo quod est apud R.P. Laur. Surium. Est hic Genesius alius ab Arelatensi; quos aliqui imprudenter confundunt. Coronatus est anno Dominici Natalis 303. Marcel. Pap. 7. Diocle. Imperat. 20.

Vide 2. Tomo Annal. C. Baron.

DIOCLETIANO Imperij gubernacula tenente, cùm per annos quatuor omnes Christianorum ecclesiæ clausæ seruarentur, fuit Romæ mimus quidam, Genesius nomine; qui cùm reb. scenicis Christianos frequenter irrideret, vt gratissimũ aliquandò Imperatori, cæterisq; regni primatibus exhiberet spectaculum, multam in scrutandis Christianorum mysterijs operam posuit; ac tandem accuratè instructus, Comœdiam singulari ingenij dexteritate composuit; discipulis partes distribuit; atq; publico in theatro sacra mysteria, magnõ

25. Aug.

Genesius mimus.

Baptismi ritus scrutatur, & palã irridendos exhibet.

magno cum Imperatoris & omnium applausu & cachinnis, ludibundus prodere cœpit.

Cumque ægroti instar lecto decumbens, ad socios diceret, se graui quasi pondere pressum, leuem fieri velle, responderunt socij: Itanè nos fabros arbitraris, qui te ex graui, runcina leuiorem facere possimus? Hæc atque his similia illis dicentibus, & populi risum cõcitantibus, Genesius diuinitùs permotus, ait; Vesani, ego Christianus mori cupio. Collegis verò cunctam percunctantibus respondit Genesius; Vt in illa die ceu fugitiuus, in Deo inueniar. Ijs auditis, Imperator risum tenere non potuit. Illi verò, vt constitutum erat, exorcistam & presbyterũ ironicè repræsentant; quorum ad ingressum Genesius non iam simulatè, sed ex animo, se aquis lustralibus expiari velle, testatus est: vt liber, inquit, à facinorum meorum præcipitio, in Christi gratia lætus exultem. Fit clamor populi; cursores aduolant, adferuntur munera ab Imperatore trãsmissa. Cùm iam autem omnia diuinorum mysteriorum secreta completa essent; Genesius albis indutus vestibus, panemq; & dulciaria cereosque elargiebatur.

Simulatio vertitur ei in rem seria.

Diuinitus ei bona mens præstatur.

Inter ea milites tanquàm ab Imperatore missi, nouum Christianum ad iudicem ducturi accurrunt. Sed ille, dum ad commentitiam & simulatam rapitur perpessionem, ad veram sinceramq; confessionẽ accedit, atq; adeò ad illũ festinus contendit locũ, vbi expectabat Imperator; ascensoq; pulpito, quod statua Veneris cũctis venerabile erat, ita exorsus est; Audi Imperator, vosq; qui adestis sapiẽtes, hodiè dicta meis aurem fidemq; accõmodate. Equidem hactenus

ctenus, intolerabili errore implicatus, omnibus, quibus potui, machinis, Christianum nomen oppugnaui, & execratus sum. Paucis verò ab hinc diebus cùm in perscrutandis eorũ mysterijs multum operæ posuissem, visum fuit, illis in publicum proferẽdis populo risum mouere. At verò simulatq; nudum me in cõspectu vestro aqua illa pfudit, interrogatusq;, respõdi firmiter ea me credere, quæ proponebãtur, vidi supra me manum cælitùs porrectam, atq; Angelos Dei ignea radiãtes facie mihi propius assistentes, flagitiaq; omnia, quæ à primis ætatis initijs vsque in præsens admisissem, è libro recitantes, dicentesque: Aqua hæc diluit omnia, quæ te agnoscis perpetrasse. Cumque vnda baptismatis tinctus essem, simul etiam liber ille perfusus, nitie cãdidior apparuit; ita vt superioris scripturæ nulla prorsus in eo vestigia cernerentur. Iam tu igitur Imperator, vosque alij omnes, quid mihi faciendum sit, decernite. Ego enim dum volo vobis terrenis placere Imperatoribus, ad Regis cælestis gratiam perueni; dumque hominibus risum facere studio, Angelos lætitia affeci. Nunc igitur ab hac ipsa hora, quemadmodũ vos omnes hactenùs hisce mysterijs, perindè vt ego, nullam fidem ignorantia seducti adhibuistis: ita iam vnà mecum credentes, deinceps ea irridere ne velitis; quandò ex me cognoscitis, apertum me vidisse cælum, manumque cælitùs mihi impositam, ea hora, qua aqua perfundebar; conspexisse etiã Angelos peccata omnia prorsus obliterata; cæleste lumen; adhortationesque audiuisse angelicas. Quare vos oro atque obtestor,

Hortatur Genesius Imperatorẽ & principes eius, fieri Christianos.

Vide admirandam baptismi Vim.

vt impio dæmonum cultu, execrabilique errore relicto, veram salutem amplectamini, vosq; Christo Iesu vnà mecum sanandos, saluandosque committatis.

His à Genesio dictis, Diocletianus immodico furore accensus, iubet oēs eius ludi socios, virgis acerrimè cædi, ratus eos Christianam similiter religionem amplexatos esse. At illi eo periculo penè exanimati, Christi nomen blasphemantes, iniquum esse dixêre, sese eius pœnis subdi, qui solus tantum nefas patrasset. Tum verò Imperator incredibili in Genesium furore percitus, iubet fustes virgasque in Genesium, sanguinem eius, ni horrore prohiberetur, bibiturus, cōuerti. Altero verò die, eū Plutiano præfecto, omnibus excarnificādum supplicijs tradidit; qui beatum martyrem in eculeo suspensum vngulis lacerari, lampadibus aduri, ac tandem in Christi cōfessione inuicta animi virtute persistentem, capite puniri iussit. Cæsus igitur vir sanctus, è corporis ergastulo in cælos lętabundus migrauit.

In eculeo suspensus Genesius laceratur, & vritur.

Decollatur.

VITA S. LVDOVICI, REGIS FRANcorum eximij. Ex ea quæ integra fide extat apud V. P. Laurent. Surium.

Migrauit è corpore anno Domini 1270. Hic eius nominis fuit nonus: Regum verò Francorum 43. ponitur.

Vide C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman.

25. Aug.

BEATVS Ludouicus, Francorū Rex pientissimus, patre Ludouico Christianissimo natus, anno ætatis suæ plus minùs duodecimo, Rhemis, ab Episcopo Suessionensi, regni insignitus corona & consecratus fuit. Qui

Parentes eius.

functo pa
tris Blanc
teris mo
prælarè
luit, vt vi
one puri
tati mate
rò filio d
sime fili
obnoxiu
naciter
nes pec
vitabun
Itaqu
centia p
summa
tate &
uinciæ
coniun
popul
Cæter
inuidi
celeb
nunci
quoui
lò pò
festin
admo
cauer
tes vi
cum
doni
gem
An

functo patre, sub tutela & moderatione matris Blanchæ indolis relictus, & pædagogo literis moribusque imbuendus traditus, tam præclarè in vtrisq; præ cæteris omnib. excelluit, vt vitã ab omni mortiferi peccati cõtagione purissimam exegisse dicatur. Cuius sanctitati mater eius Blancha congratulans, non ratò filio dixisse fertur; Equidem malim, charissime fili, te extinctum, quàm lethali peccato obnoxium cernere. Quæ matris verba adeò tenaciter pij iuuenis menti inhærebant, vt omnes peccandi occasiones cane peius & angue vitabundus odisset. *Ludouicus ab omni peccato mortali immunis fuisse putatur.*

Itaque & literis & moribundus vitęq; innocentia præclarè ornatus, anno seculi illius 1234 summa matris & procerum totius regni volũtate & gratulatiõe, Margaretam Comitis Prouinciæ filiam, stabili matrimonij fœdere sibi coniunxit: & regni gubernacula non minori populorum vtilitate, quàm prudentia rexit. *Ducit vxorem.*

Cæterùm Arsacidas Assassinorum senior, diris inuidiæ stimulis concitatus, secundo à nuptijs celebratis anno, misit in Franciam sceleris sui nuncios, qui Regem optimum & pientissimum quouis modo internecione delerent. Sed paulò pòst animi pœnitudine ductus, alios summa festinatione destinauit, qui Ludouicum Regem admonerent, vt à primis legatis diligenter sibi caueret. Itaque priores per idoneos & prudentes viros examinati, Regi oblati sunt; qui vnà cum secundis, ingenti omnium admiratione, donis & muneribus liberaliter affecti, ad Regem Arsacidam remissi sunt. *En Regis clementiam in occisores eius.*

Anno 1243. suscepit ex coniuge filium, cui Ludoui-

douici nomen imposuit; & altero deindè anno natus est illi Philippus; quo ferè tempore Rex sanctissimus apud Pontisaram ex morbo decumbens, oppressis corporis sensibus aliquandiu mansit: prorsùs vt multi eum extinctũ putarent. Sed mox sensibus restitutus, cælesti oraculo; vt creditur, admonitus, transmarinæ militiæ Crucem petijt, accepitque. Anno deindè seculi illius 48. cum iussu & auctoritate summi Pontificis, ampliſſima sacræ militiæ stipendia ijs omnib⁹ proponerẽtur, qui Cruci cõtra Saracenos militare vellent, in diœcesis Colonienſis pago, quem vulgò Bedonfriſiũ vocãt, visæ sunt mense Maio, sexta antè Pentecosten feria, tres in aẽre Cruces; vna candida Aquilonem versùs, altera eiusdẽ coloris ad Austrum; tertia colore medio; in qua effigies Christi, pro nobis ligno affixi cernebatur. Alio verò tempore in Enchusen Phrysiæ oppido, alia Crucis forma cæruleo Solem iuxtà colore apparuit. In Traiectẽsi quoq; diœcesi in Doccum, qui locus S. Bonifacij martyris sanguine cõsecratus est, Crux visa est in eiusdem martyris festo die. Hæc autem tam admirãda portenta, cùm alias vrbes atque populos, tum inprimis Colonienſis diœcesis incolas permouerunt, vt naues trecentas rebus omnibus ad bellum instructiſſimas apparārent. Cæterùm pius Rex cùm Christi magis gratiæ quàm humanis viribus inniteretur, anno 1247. magnam Dominicæ Crucis portionem Constantinopoli accepit; qua egregiè confisus, proximò indè anno trãsmarinam expeditionem suscepit.

Ludouicus & Philippus ei nascuntur filij.

Tres Cruces in aëre.

Magna S. Crucis portio Lutetiam venit.

Et quidem prospero ventorum flatu, rebusq; secun-

secundis, Cyprũ, paulò ante ferias B. Matthiæ, appulit; vbi hyeme trãsacta, sabbatho post Dominũ ascensionẽ infesta signa Damiatæ intulit. Cumq; sublatis ancoris in AEgypti conspectũ naues delatæ essent, cerneretque Rex in ipso portu magna Turcarũ præsidia, quæ humanis viribus haud facilè expugnari possent, iussit vt insequẽti luce, præsidio relicto, in terrã descẽderẽt. Sed cùm hostes ingentem telorũ vim in eos torquerẽt, Ludouicus Crucis beneficio cõfisus (quam nudam apertamque in cymba suis perpetuò ostentabat, hortabaturq; vt eius virtute constanter pugnam inirent) cunctas suas copias, nullo prorsus (haud sine miraculo) è suis desiderato, in terram exposuit; cùm interim, inter Saracenos alios, tres quoq; proceres magno illorum damno ac luctu occumberẽt. Eodem successu ac Crucis virtute, profligatis Saracenorum triremibus, Christianorũ triremes fluuij ostia occupârunt; quarum primo cõspectu, ciuitatis defensores nimio terrore cõpleti, per aduersas portas in effusam fugam conuersi sunt. Ad hũc modum Damiata, quam alij Heliopolim vocant, diuino miraculo, sinè vllo Christianorum sanguine, expugnata fuit anno Salutis humanæ 1249.

Rex sanctus nauigat in Syriam.

En insignem S. Crucis virtutem.

Damiata capitur à Christianis.

Quam sanè expugnationẽ, vt alia multa bellorum trophæa, multi haud dubitârunt Clarissimi Regis fidei, & eximiæ eius in Deum pietati asscribere. Erat enim is Rex apud omnes propter vitæ austeritatẽ innocentiamq; sanctitatis opinione celebris. Corporis domitor egregius, sextis quibuslibet ferijs, in ieiunijs & lachrymis precibusque, Christi pro nobis in Crucem

Nota magnâ vitæ austeritatem in tanto Rege.

sancti memoriam recolebat. Sacro verò Quadrageſimali & Aduentûs tempore, omni penitùs non modò piſcium, ſed & frugum eſu ſibi interdicto, vitam ſanctiſſimè tranſigebat. Multò tempore intima veſte vtebatur cilicina; quâ cùm mandato Cõfeſſarij propter nimiam corporis exhauſti imbecillitatem deponere cogeretur, libens diebus ſingulis, quadraginta ſolidos Pariſienſes clanculũ in pauperes erogabat.

Vtitur cilicio.

Humilitas eius.

Quolibet ſabbatho, aliquot pauperum ſuis ipſe manibus in loco ſecretiſſimo pedes abluebat; lotos tergebat, terſos exoſculabatur. Crebrò etiã 120. pauperibus, q̃ eius beneficio quotidianam in aula annonam percipiebant, atque certis quibuſdam diebus & ſolennibus vigilijs, ducentis pauperibus ieiunus ipſe cibos miniſtrabat. Præterea ſemper tres cõfecta ætate inopes menſæ ſuæ conuiuas habebat, quibus & de appoſitis ſibi ferculis humaniſſimè trãſmittebat, & eorum viciſſim ſcutellas cibosq; (offas præſertim quibus libentiſſime veſcebatur) ad ſe reportari iubebat. Ex ea verò pauperum conſuetudine ac familiaritate, præcipuam animi voluptatem hauriebat; præclarè illud Chriſti ſecum reputans. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Nec ijs, tamen beneficijs in pauperes contentus, decreuit ipſe ſummam ſanctæ paupertatis formam ſuſcipere, & ſeptennio peregrini inſtar loca ſancta inuiſere. Venit igitur Peruſium ad S. AEgidium, inſignem Franciſci ſectatorem; pauperis inſtar peregrini, & ignoti. Sed ianitore monaſterij, AEgidio indicante, peregrinum quendam ipſius expetere colloquium, ille diuinitùs de Regis

Multos alit pauperes.

Mira eius benignitas in pauperes.

Is S. AEgidius fuit ex primis ſo-

aduen-

aduentu edoctus properè accurrit; pariterque flexibus genibus in mutuos ruunt amplexus, neutro interim vel verbulum proferente, vtpotè, quòd vtrique alterius cor pateret.

cijs S. Francisci; Vitam habet Lector tom. 2. 23. Aprilis.

Sed vt res ab eo Christi auspicio & virtute gestas prosequamur, non erit abs re animadvertere, nunquàm pijs vel sanctis hominibus exercendæ virtutis & patientiæ materiem deesse. Scilicet Christus milites suos, quos ad ardua virtutum maximarum opera, gratiæ diuinæ præsidio & liberæ voluntatis arbitrio exercet, vel otio torpere, vel rebus nimiũ secundis efferri non patitur; ne partam semel de hoste victoriam, virtutesque multo sudore congestas, vitio suo amittant. Itaque Rex sanctus, vt virtus eius & patientia illustrior appareret, paulò pòst, copijs grassante morbi contagio absumptis, hostium armis vehementer affligi cœpit, expugnarique; prorsus vt valida impressione facta, ipsum Ludouicum Regẽ sanctissimum, simulque duos eius fratres Alphonsum & Carolum, fusis fugatisq; & multis ferro concisis Christianis, captiuos abducerent. Et quidem potuisset facilè pius Rex fuga elabi, sed suorum ac Christiani maximè sanguinis amantissimus, sponte se vinculis obtulit, vt captiuos Christianos, quorum ingens erat numerus, secùm vnà facilius è vinculis eriperet.

Notet prudens Lector.

S. Rex capitur à Saracenis.

Nec eum fefellit expectatio. Nam Sulthanus non multò pòst, minacibus apud Regem verbis, de pacisc endis egit inducijs; quæ decennales hisce ferè conditionibus concessæ sunt; nimirum vt Sulthanus Regem Ludouicum &

captiuos Christianos omnes è suis ditionib liberos à se dimittat : vt Christiani aliquo terræ sanctæ loca retineant. Porrò Rex Ludouicus, vt missis similiter factis captiuis Saracenis, Damiatam restituat: proque factis in illud bellum expẽsis, octo millia Bizantiorũ restituat. Hisce conditionibus pace inter eos sancita, pius Rex pedẽ nò prius è Sulthani finib' efferre volebat, quàm captiuos omnes reciperet. Sed inter ea Sulthanus cum exercitu Damiatã profecturus, à quibusdam è suis frustratim gladijs cõciditur; moxq; grãdi numero Saraceni ad Regis Ludouici tentoriũ, eum cũ reliquis Christianis eodẽ furore iugulaturi aduolant. Sed vt intelligi posset, nihil hominũ furorẽ infidiasq; aduersus eũ valere, qui in protectione Dei cæli commoratur, repentè vt in Regis cõspectum venêre, mutata scelerata volũtate, vt pactis conuentis stare velit postulant. Nec abnuit Rex; quin ad certum diem Damiata eis restituta, aureorum summam persoluit; sed nequaquã captiuos suos pari fide ab impijs recepit. Itaque Rex pientissimus, ne res Christianorum & ipsius Christi tãto in discrimine ac desperatione relinqueret, maluit maiori etiã cũ capitis sui periculo in Syria hærere, quàm dulcem patriam & libertatem gratissimam repetere. Acta sunt hæc anno Christi 1250. Quis verè hîc non agnoscat stupendũ præpotentis Dei miraculum, gentem illam ferocissimam tanto Regi parcere? gentem cupidissimam, Regem opulentissimum pro longè minori precio captiuitate soluere, quàm nullo negotio obtinere potuissent?

Aemili' habent octo millia auripõdo.

Vide verè animum regiũ ergà subditos.

Rex

Rex sanctus multos in Syria ad Christum conuertit.

Rex autem annos admodùm quinque, in Syria nequaquàm ociosus residens, multos Saracenorum ad sanctissima Christi sacra traducere, multos captiuos precio redimere, castra & urbes egregiè contra perfidos communire, potentia cæsorum Christianorum corpora, & non pauca à feris belluis lacerata, suis ipse manibus, famulis etiam fœtorem horrentibus, sepulturæ mandare. Quotidiè quoque primo diluculo flexis genibus Dauidicum recitabat Psalterium, & precibus ac lachrymis, optimã regni gubernandi rationem à Domino postulabat. Postquàm verò, annis iam quinque omni sanctitatis studio in Syria transactis, matris suæ Blanchæ obitũ cognouit, Gallias repetijt; vbi summa omnium gratulatione exceptus, ad virtutum suarum cumulum magnas laudes adiecit; Nam vt Christi pauperibus, cæcis, claudis, alijsque debilibus ac seuerioris disciplinæ cultoribus benignè cõsuleret, cœnobia multa Dominicanorũ ac Franciscanorum præcipuè, xenodochia, aliaq; ædificia plurima ægris & calamitosis hominibus opportuna cõdidit. Hoc studium, hic labor sanctissimi Regis erat præcipuus, vt Christi se humilitati charitatique conformaret; quæ quàm grata Deo essent, clarissimo miraculo nõ erit abs re explicare. Geldriæ Comes cùm aliquandò cum literis suum Parisios nuncium destinasset, ex eoque reuerso scisciteretur, num Regem Franciæ Ludouicum vidisset; & ille, contorto per contemptum collo, subsannando responderet, Vidi miserum illum papilardum Regem, ad scapulas capitium

Reuertitur in Gallias.

Multa condit cœnobia & xenodochia.

Vltio diuina in eius Iyri-sorem.

tium gestantem; facies eius retrorsum acta, i contorta permansit.

Sanctarum reliquiarum veneratio.

Sacrarum reliquiarum fuit obseruantissimus; adeò vt immenso labore & magnis impó dijs, sacrosanctam Domini Iesu coronam spineam, magnam S. Crucis portionem, ferrumq; lanceæ qua Christi latus confossum fuit, à Cõstantinopolitano Imperatore impetrauerit, eaquo omnia cum multis alijs Sanctorum reliquijs, in Regio sacello, Parisijs elegantissimè extructo, reposuerit. In regni verò administratione singularem prudentiam & auctoritatem adhibuit; prorsus vt omnes regni proceres sincerè & ex animo (quod rarum esse solet) illum diligerent, & haud mediocriter vererentur. Atque vt causis pauperum, quas formidabat non magnæ illis curæ esse, quàm optimè prospiceret, bis hebdomadibus singulis, publico in loco residens, querelis eorum benignas præbebat aures: causasq; cùm iustitia, tum misericordia expendens, celeriter expediebat.

Tandem post multorum annorum curricula, quibus se in omni virtute exercuit sanctus Rex, certa ad eum fama, de vastatione & periculis terræ sanctæ allata, instàr Matathiæ, cum filijs suis mala gentis Christianę & sanctorum, ferre non sustinens, alteram cum tribus filijs comitibus, Philippo, Ioanne, & Petro, suscepit nauigationem; nec quicquàm superiorum tẽporum vel expensis vel laboribus fractus, regnum Tunetanum, quòd magna id in Syriam nauigantibus obijceret impedimenta, expugnandum, censuit. Iamque felici ausu Carthaginis portum, qui haud procul à Tuneto abest,

1. Matth. 11.

Alteram expeditionem suscipit in Syriam.

suam

suam in potestatem redegerat, cùm eccè morbus, qui illo anno ijs in locis mirè grassabatur, Christianorum exercitum inuadit, & cũ alijs regni proceribus, è Regis filijs Ioannem tollit; eundem etiam Regem sanctissimũ, vitæ munere, magno Christianorum luctu, sed maiori Saracenorum gaudio, spoliat. Quàm multis magnisq; eximiæ sanctitatis indicijs è vita migrauerit, gener eius Nauarrę rex, Tusculano antistiti perscripsit. *Moritur Rex sanctus cum multis alijs.*

Eius obitu animis vehementer consternati Christiani, consilia de fuga inire videbantur, nisi subitò Carolus Siciliæ Rex, cum instructo milite superueniens, barbarorum ferociam repressisset. Qui in bellis strenuus tã arcta eos obsidione pressit, vt pacem ab eo petere omnes in eo regno captiuos Christianos liberis dimittere, liberam prædicandi Euangelij facultatem concedere atque annuum tributum 40. millium aureorum persoluere coacti fuerint. Obijt verò Rex pientissimus, cùm in vita tum post obitum multis clarus miraculis, 25. Augusti; quem Bonifacius Pontifex, eius nominis octauus, Sanctorum catalogo dignissimum cẽsuit.

MARTYRIVM S. ALEXANDRI, Militis è legione Thebæorum: Per Adonem Archiepiscopum Treuirensem collectum. Coronatus est circà Ann. Christi 297. Sedente Marcellino Papa. *Vide 2. Tom. Annal. C. Baron.*

APVD vrbem Italiæ, quæ Bergomũ dicitur, Alexander, sub Maximiano Cęsare, præclara militiæ stipẽdia faciebat. Qui 26. Augu.

cùm

cùm esset è Thebęorũ legione vnus, Christianis initiatus sacris, palã Christi nomen profes sus est, alioſque summo conatu tantæ gratiæ participes facere laborauit. Quæ vt à quintodecimo à perceptis sacris die ad Maximiani aures peruenerunt, ilicò eum accersiri, strataque mensa, dijs sacrificare iussit. Sanctus verò Alexander tantum impietatis facinus execratus, sublatis ad cælum cum insita pietate oculis, Vtinam, inquit, tãtam mihi Deus gratiam conferre dignaretur, vt, pulsis errorum tuorũ tenebris, veriſſima Christi cognitione te illustrare possem. Sed tu mente in omni scelere obdurata, ad veritatis agnitionem venire recusas: Me verò Christi gratia à tenebris ad admirabile lumen vocatum, rursus pristinæ impietatis, perfidiæque tenebris inuoluere cogitas; Sed parce quæso diabolicis consilijs, parce fraudibus istis, & scelerum tuorum abominationes tandem aliquandò cognosce & plange. Tunc Maximianus, tanta eius fiducia commotus, iussit astantibus, vt vel inuito, applicitis è contrà armatis qui terrorem inferrent, de appoſito sacrificio obtruderent.

Præclara vox Alexãdri.

At ille beatissimus, fide cõtra Regis iniquitatem armatus, calce mensam percutiens, cum omnibus appoſitis euertit. Vndè iracundia repletus Maximianus, astãti sibi militi, vt euaginato gladio sanctũ feriret, imperauit. At miles stricto ense repentè stupore oppressus, non modò ferire non valuit, sed increpãte nequicquã Maximiano totus intremuit. Tunc Imperator nec iræ nec voci parcens, alijs eum plectendum tradidit. Gaudio itaq; repletus martyr,

Mensam idololatrarum calce percutiens euertit.

Stupẽdum miraculum.

tyr, aqua faciem ac manus lauit; fixisq; in terrã genibus extensa alacriter ceruice martyrij palmam percepit. Cuius sacrum corpus, paucis post diebus, insigni castitate matrona, Gratia nomine, in suo prædiolo, non longè ab vrbis Bergomensis mœnibus sepeliuit.

Decollatur.

VITA S. CAESARII, EPISCOPI Arelatensis: Ex ea quæ est per Cyprianum eius discipulum conscripta. Floruit autem anno Dominici natalis 508. Symmachi Papæ 10. Anastasij Imperator. 18. Theodorici Italiæ Regis 16,

Vide C. Baron. Annal. Tom. 6.

BEATISSIMVS Cæsarius, Arelatẽsis antistes, illustri inprimis prosapia è territorio Cabilonensi oriundus, septẽ admodùm annorum puer, haud vulgari virtutis opinione florere cœpit. Nam pauperum adeô studiosus erat, vt non rarò, cũ nihil quod ijs largiretur ad manus haberet, proprijs se vestib⁹ nudaret, ac domum semiũdus rediret. Cumq; parẽtes minabũdi, vbi vestes reliquisset inquirerent, à prætereuntibus sibi ablatas fuisse respõdebat. Porrò vt indies egregia in pio ei⁹ pectore virtus crescebat, ita inscijs parentib⁹, familiaque, magna vi precum, à Syluestro egregio illius temporis Episcopo, in sacram disciplinam admissus est; vbi tribus admodùm annis in diuino seruitio præclarè exactis, maiori regni cælestis amore, Lirinense monasterium tyro expetijt.

27. Augu.

Patria eius.

Cæsarius puer, dat vestes suas pauperibus.

Fit monachus in Lirinensi monasterio.

Præerat tunc illi cœnobio Porcharius Abbas; qui benignè eum in disciplinæ regularis initijs instituendum suscipiens, perfectum se inue-

inueniſſe, in totius inſtitutionis augmentis v hementer gauiſus eſt. Hinc Paulò pòſt œcono miæ prępoſitus fuit. Verùm cum attentè & ſtu dioſè indigentibus fratribus, quanquàm nihil petentibus, neceſſaria largiretur; ceteris aut tametſi optaſſent accipere, nihil daret: ma leuoli, quibus inuiſa erat ſancta eius diſcretio & moderatio, Abbatem adeunt; nec importuni ſupplicare deſiſtunt, donec Cęſarium à Cellarij functione remoueãt. Tum ille ea curà liberatus vſque adeò ſeſe optata legendi, orãdi, vigilãdi aliorumq; ſpiritalium exercitiorum aſſiduitate macerauit, vt immodica afflictatione planè fractus, Arelatem ſe valetudinis curandę cauſa conferre compulſus ſit. Erant tum ea in vrbe Firminus & Gregoria; cùm generis dignitate, tum verò pietatis operibus admodũ illuſtres; qui Cęſarium beneuolè exceptum, & ſumma vigilantia, breui priſtinæ valetudini reſtitutum, Pomerio cuidam, artis Rhetoricæ laudibus valdè præſtanti, humanæ ſcientiæ diſciplinis excolendum tradiderunt; vt monaſtica eius ſimplicitas, humanarum artium ſtudijs egregiè exculta, & ipſi ornamento & cæteris vtilitati eſſet. Sed quem diuina gratia ſibi per ſe inſtituendum ſeruauerat, humanæ eruditionis figmenta non recepit. Cùm enim codicem, quem ei magiſter legendum obtulerat, caſu vigilijs delaſſatus ſub ſcapula repoſuiſſet, mox sõno correptus, diuinit' terribili viſione percellitur; Nam & ſcapulã & brachiũ, quo codici innitebatur, vidit dracone colligãte, arrodi. Itaque ipſo viſu territus, è ſomno exilit, ſeque ſuamque demẽtiam caſtigat, quòd

Fit Oeconomus, quem alij Cellariũ vocant.

Immodica abſtinentia penè ſe confitii.

Viſio C. Cæſarij.

lumen

lumen cæleſtis ſapientiæ, ſtultæ huius mundi doctrinæ voluerit copulare.

Eonius Episcopus Arelatenſis Cæſarium presbyterum ordinat.

Iadè paucis admodùm interiectis diebus, homines illi, quos diximus, illuſtres, eũ ad Eonium ciuitatis eius epiſcopum adduxerunt; cui Cæſarium ipſo vultu ſanè venerabilem & omni laude digniſſimum, ſuam in familiam adoptauit; moxque ſacris omnibus initiatum, in partem dignitatis ſuæ & muneris aſſumpſit. Defuncto autem in ſuburbana ciuitatis inſula Abbate, ab Epiſcopo Eonio eo Cæſarius confeſtim deſtinatus eſt, vt monaſterium illud rectore deſtitutum, ipſe Abbas monaſtica diſciplina informaret. Libens ille magnoque cum gaudio eam vitæ rationem exprofeſſo amplexus eſt; quam etiam intrà vrbem quotidianis ſemper ſtudijs, quantum quidem licebat, ſemper coluit. Cæterùm vt ea in inſula vltrà triennium Abbatis munere functus fuit, Eonius antiſtes, viſa viri ſanctitate ſanè eximia, petijt à Clero ciuibuſque, vt Cæſarium laudibus prudentiæ & manſuetudinis ornatiſſimum, ſibi poſt mortem ſucceſſorem eligant. Itaque his omnibus diuina prouidentia fideliter conſtitutis, ſecurus de ſucceſſore, beatus Eonius migrauit ad Dominum.

Fit Abbas Cæſarius.

Tũ Clerus populuſq; certatim Cęſarium antiſtitẽ expetere, templa domoſq; adornare, vt eum cum honore tanto viro digno exciperent. Quæ ad beati patris vt peruenêre notitiã, feſtinus ad ſepulcra quædam ibidẽ latiturus abijt. Sed quem gratiæ ſplẽdor latere nõ patiebatur, viuus nõ mortuus, è ſepulchro ad honoris faſtigium inuitus ſublatus fuit. Itaque Epiſcopatũs

Fit Epiſcopus Arelatenſis.

patûs sarcinã sustipere coactus, mox omni cura & solicitudine terrestri, ad Diaconos alioque Ecclesiæ ministros reiecta, ipse, Apostolorum instar, totũ se verbo Dei, lectioni ac sacris addixit concionibus; tanto animarũ fructu & auditorum profectu ac gaudio, vt non boni tãtùm, sed improbi etiam homines, quanquàm verborum eius flagellis seuerè castigati, libenter suas ei conscientias, tanquã optimo & peritissimò animarum medico, curandas cõmitterẽt. Aduentantes ad se Episcopos, presbyteros, aliosque diuini Ordinis ministros, ciues etiam & extraneos, summa quadam beneuolentiæ significatione excipiebat, & post datam acceptamque salutationem prudenter sanè de rebus communibus vel eorum priuatis primũ verba faciebat; indè mira dexteritate arreptis armis spiritalibus, de vmbris & vanitate præsentium differebat; & peccatores quidẽ, quanquàm in sceleribus valdè obduratos, ità emolliebat, vt non rarò profusis lachrymis animi sui labes detestarentur; probos verò piosque homines dulcedine cælestis vitæ ita fouebat recreabatque, vt ardentibus animis ad ardua quæque pro Christi gloria tẽtanda, se promptos paratosque ostenderent.

Actor. 4.

Prudentia & moderatio eius in exhortando.

Porrò pauperibus & calamitosis hominibus quanta benignitate consuluerit, explicatu est difficile. Nam & ædes illis amplissimas, sumptusque regia munificentia dignos assignauit. Domi residens, frequenter accito ministro dicere solebat; Vide, num qui pauperes præforibus sint, ne trepida & verecunda, pro nostra for-

fortassis quiete, paupertas expectans, iniuria afficiatur. Frequenter etiam illud in ore habebat; Reuera nostris cumulandis profectibus, pauperes in hoc seculo donati sunt; vt ijs, Christo fideiussore, commendemus in terris, quæ postea nobis restituantur in cælis.

Nota quid nobis conferãt pauperes.

Sed ne tanta viri in summa tranquillitate perfectio, vel nimia securitate, vt fieri solet, vel satanæ malignitate solueretur, permisit Deus, vt Licumannus (qui beato viro à secretis erat) exercendæ nimirum virtutis ergô, ei tanquàm alter Iudas insidias strueret. Is igitur apud Alaricum Regem, Cæsarium per summũ scelus proditionis insimulare non est veritus. Eatam fœda sceleris nota Rex vehementer offensus, eum confestim barbara quadam ferocitate apud Burdegalenses exulare coëgit. Sed ne Christi gratia, quę eius in pectore summum sibi locum vendicauerat, obscuritate aliqua inuolueretur, accidit vt nocte quadam ea ciuitas voracibus flammis vastaretur; Cumque ciues periculi magnitudine perculsi pauidique, ad Cæsarium confluerent, is dolore pariter & pietate commotus, furẽtibus flammis obuiam processit, humique prostratus, precibus, dictu mirum, igneos globos extinxit. Ea res miraculi & stuporis plena, tanta eum apud ciues admiratione extulit, vt ea in vrbe non modò vt Pontifex, sed instar Apostoli haberetur. Hinc Rex nefari[i] cõperta beati viri innocẽtia ilicò sententiam, mutauit, & oratione humili ab exilio reuocauit; delatorẽ verò dictum factum lapidibus obrui iussit. Nec mora. Populus præcipiti furore ad lapides concurrens, proditorẽ

Proditionis accusatur apud Regem.

Suis precibus incendiũ compescit.

nefarium è medio tollere festinabat; cùm ec-
Proditorem suum seruat à morte. Antistes benignissimus, magis de inimici quàm de sua solicitus salute, se medium in furentis populi agmen infert; orat obsecratque, vt mortis reum sibi donent. Populus tam insigni Pontificis charitate permotus, represso confestim furore, Licinmannum tradidit; quem ille non modo à corporis, sed quod præclaris est, ab animæ sempiterno interitu liberauit.

Eo verò periculo Christi gratia repulso, illico animum ad Ecclesiam virginum choris exornandam adiecit. Sed hac in re rursus hostis antiquus, pios eius conatus haud parùm retardauit. Nam cùm eo tempore Franci & Burgundiones, vrbem obsidione premerent, & Alarico Rege à Clodoueo Rege fortissimo in conflictu perempto, infesta signa audaciùs inferrent, quidam Clericus ciuis & cognatus Cæsarij captiuitatē formidans, iuuenili temeritate permotus, noctu ad hostium castra trāsfugit. Quo comperto, Gotthi qui intra oppidum erant facto concursu, motaque seditione, Iudæis facilè se eis agglomerantibus, vociferantur, antistitem vrbis prodendæ causa conciuem & cognatum suum ad hostes noctu ablegasse. Nullus hic fidei, nullus probationi, nullus denique puræ conscientiæ relinquitur locus. Itaq; nequicquàm obtestans Episcopus, ex Ecclesiæ domo ad vincula & carceres rapitur; Rhodanumq; in fluuiū mergendus condemnatur. Sed perpetuis hostium excubijs, quæ in fluuio agebantur, prohibiti, in Regis palatium clam eum reduxerunt. Intereà Iudæis & * hæreticis de morte Episcopi inaniter exultantibus,

S. Cæsarius traditur in custodiam.

** Arianis.*

nocte

nocte quadam vnus ex illis, de vitæ ſuæ bonorumque ſalute mire ſolicitus, pro muris excubias agens, ligatam ſaxo epiſtolam, in hoſtium caſtra vibrauit; in qua nomen ſuum religionēque exprimens, hortabatur, vt eo loco noctu ſcalas admouerent, ea conditione vrbē ingreſſuri, vt ludæis omnibus, vitam bonorumque omnium conſeruationem cōcederent. Manè verò, digreſſis nōnihil à muro hoſtibus, quidam è propugnaculo viſa epiſtola egrediūtur, eamq; ſecū intra vrbē illatam, cunctis in foro publicitus oſtendunt. Mox auctor epiſtolæ producitur, conuictusque proditionis punitur: & ſæua Iudæorum immanitas Deo & hominibus inuiſa, quæ viro ſancto per calumniam vincula iniecerat, confunditur; Cæſarius verò tanquam alter Daniel, è lacu leonum, ſumma cum gloria educitur; priſtinumque in gradum dignitatis reſtituitur. Porrò reſtitutus, ilicò abditos Eccleſiæ theſauros, ad captiuorum redemptionem protulit: & cuncta quæ B. Eonius in vſus Eccleſiæ longo tempore corraſerat, ipſe vtraque manu in captiuos & pauperes liberaliter erogauit. Iis verò diſtractis, vir Dei totus charitate feruens, calices etiam & patenas, aliaq; aurea & argentea eccleſiæ ornamenta protulit, ac cancellorum inſuper columnas excidit, vt Chriſti famulos graui hæreticorum ſeruitute oppreſſos in libertatem vindicaret. Ornauit igitur defenditque, nō deformauit eccleſiam, dum terrena Chriſti bona alacriter diſtrahit; quò animas, precioſo illius ſanguine redemptas, in libertatem aſſerat.

Iudæi dum inſultāt Chriſtianis pudefiunt.

Daniel. 6.

Eccleſiæ opibus & ſacris vaſis alijſq; ornamentis captiuos redimit.

Nec dubitandū, illius potiſſimū virtuti, me-

ritisq; tribuendũ esse, & Arelatẽsis ciuitas hostium prædæ nõ patuerit. Nam, soluta obsidione, à Visigotthis in Ostrogotthorũ ditioné peruenit: hodieque in Christi nomine clarissimo Regi *Childeberto paret. Igitur rebus vtcunq; cõpositis, Cæsarius ad strata cælestis disciplinæ domicilia & cœnobia animũ cõuertit, atq; inter alia præcipuum illud monasteriũ, quod sorori suæ condere cœperat, instar prioris instaurauit; euocataq; è Massilienſi cœnobio venerabili sorore sua Cæsaria, in præparata domicilia, cũ duabus aut tribus sodalibus eá introduxit. Mox verò multæ virginum cateruæ ad illam confluxerunt; quæ dulcissimis parẽtibus & ampliſſimis facultatib⁹ libẽter relictis, Christi iugum multò suauius amplexatæ sunt.

* *Clodorei filio.*

Condit cœnobium Virginum.

Iamque fugatis procellis & tempestatibus, cuncta pietatis ornamẽta mirabiliter reflorescere incipiebant; cùm ecce Satan inuidiæ facibus inflammatus, denuò viro sanctissimo apud Theodoricum Italiæ Regem calumniã struit. Itaque Rauennam vsque, causam dicturus, sub custodia pertrahitur. Venit ergo in palatiũ ad Theodoricum Regem, eumque intrepidè salutat. Cernens eũ Rex nihil non modò formidãtem, sed aspectu valdè venerabilem, reuerenter ei assurgit, eumque depositis capitis ornamentis clementer resalutat. Deinde placidè ex eo de itineris labore, de Gotthis suis & Arelatensibus scisciatur. Postea egresso Pontifice, Rex ad suos ait; Nõ parcat illis Deus, qui tantæ sanctitatis & innocentiæ virum, frustrà compulerunt tam prolixum iter facere. Quantus enim ille sit, vel hoc solùm argumento est, quod

Apud Italiæ Regẽ Theodoricum iniquè accusatur.

Theodorici Regis ergà eum reuerẽtia.

quod primum ad illius ingressum totus cõtremuit; vidique in eo Angelicum vultum; vidi virum Apostolicum; prorsusque nefas puto de tam venerabili viro sinistrè aliquid suspicari. Deindè beato viro in hospitium ingresso, misit argenteum sexaginta plùs minus librarum discum, solidosque cum eo admodum trecentos; rogans vt vasculum illud pro ipsius memoria suis perpetuò vsibus reseruare dignaretur. At vir sanctus, munere, summa cum gratiarum actione accepto, tertio indè die discum iusto precio vendi, & ingentem captiuorum numerum eo redimi curauit. Trecentos verò solidos, dubium nõ est, quin pari benignitate pauperibus distribuerit; nam ingens adeò pauperum multitudo ad hospitium eius indies confluebat, vt præ miserorum, suas ei calamitates exponentium, densitate, vix ad salutandum eũ pateret accessus.

Multos captiuos redimit.

Postquam autem rem ab eo gestam comperit Theodoricus Rex, tanta eum laude & admiratione prosecutus est, vt in eius palatio seruiẽtes senatores ac proceres, certatim beato viro offerrẽt munera, eius manibus dispẽsanda; magno Dei beneficio se affectos existimãtes, quòd talem antistitem conspicere digni fuissent. Et quia nihil fama velocius est, cùm in eiusmodi sanctissimo opere frequẽs esset vir Dei, Romæ celebris eius extitit opinio; tantoque eius visendi desiderio arsêre omnes, Pontifex, Clerus Senatus, proceres & populus, vt prius eũ iam animo complecterentur, quam oculis cõspexissent.

Cæsarij magnum nomen.

Erat tùm Rauennæ vidua quædam; cuius filius

lius subitò correptus morbo, iacebat exanimis. Ea cum vnicum illum vitæ suæ haberet solatium, (alebatur namq; eius stipendijs, quæ sub vrbis præfecto faciebat) ilicò ad virũ Dei properauit, ac lachrymis infusa, sancti Episcopi amplectitur genua, exclamatq́ue; Credo equidem diuina benignitate te huc adductum, sancte pater, vt filium reddas matri. Recusat paulisper vir pius; sed tamen solita protinus miseratione permotus, occultè ad mulieris accedit tugurium: ibidemq́; fusis more suo ad Deũ precibus, statim vt sensit diuinã virtutem suæ vocationi adesse, abscessit. Interim adolescens, vix horæ vnius spatio elapso, à mortis tenebris ad lucem reuocatur, moxque explicatis oculorum orbibus matrem ita cõpellat; Curre mater mea ad seruum Dei, cuius orationibus, & tibi & vitæ sum redditus; eiq́ue gratias, vt par est, age quod meritis & virtutibus eius, Deus effectum largitus est. Hoc tã illustre miraculum non modo ciuitatem illam, sed prouinciam omnem, fidelium deuota relatione peruagatum est.

Sentiunt sancti, in operatione miraculorũ, diuinam sibi adesse virtutem.

Excitat mortuum S. Cæsarius.

Post hæc vir, Riuinus Romam veniens, tanto B. Symmachi Pontificis ac Senatorum omnium gaudio exceptus fuit, vt è duodecim Apostolis vnum se videre putarent, Atque Pontifex ipse, præclara eius meritorum dignitate permotus, speciali quodam priuilegio, pallij vsum ei permisit, sacrorumq́ue eius ministros perindè vt Romanæ Ecclesiæ diaconos dalmaticis vti voluit. His ita gestis, vir sanctissimus, qui in Italiam exulatum ierat, confecta captiuorum redemptione, cum octo solidorum milli-

Venit Romã ad Symmachum Papã.

millibus ab Italia Arelatem reuersus est.

Porrò inter alia omnia, maximè ei studio & curæ fuit captiuorum redemptio; cui sanè tam præclaram & illustrem nauauit operam, vt nulla vis orationis pro dignitate id explicare queat. Cùm quodam tempore sanctis manibus aurum & argentum deesset, rogaretur q; stipem à paupere quodam, confestim ingressus cubiculum, casulam qua diebus solennioribus sanè preciosa vtebatur, & albam, vt vocat, Paschalem indè protulit, datque egeno, iubetque vt vendat vni ex Clero, & earum precio captiuum suum redimat. Nos sanè si cunctas illius virtutes & gratias, quas manu pleniſſima Deus in eum congessit, explicare vellemus, profectò obscuritatem potius quàm lucem ijs adferre videremur. *Magnũ studium ergà captiuos redimendos.*

Hominem eius interiorem prodebat exterior. Nam vultu semper erat placido & Angelico, ita vt conuenienter diuinæ scripturæ corde lætante vultus floreret. Vt autem nunquam in risu plus æquo remissior, ita nunquam mœrore nimio oppressus fuit, nisi fortè aliena peccata lugeret. Nullam diei horam absque diuinorum eloquiorũ meditatione abire passus est. Cum aliquandò circà Alpes, vna cum Lugdunensi antistite Eucherio, vir sanctus ageret, accidit vt mulier infelix planè & morbida, manibus pedibusque reptans occurreret. Quam cùm esset intuitus beatus Cæsarius, sanctum interrogauit Eucherium, quid hoc esset, quod mulier per terram quadrupedis instar ita graderetur. Eucherius interrogat fœminam: illa respondet, se multis annis mem- *Prouerb. 15. & 17.* *Eucherium Lugdunensis episcopum.*

bris omnibus fuisse cõtractam. B. Cæsarius d
cit Eucherio: Descẽde, & cõsigna eam. Illo qu
si trepidante & excusante sese, Cæsarius inst
& vrget. Tandem Eucherius descendens, cons
gnat, aitque; Eccè quod iussisti, feci. Dicit e
Cæsarius: Extẽsa manu apprehẽde manũ illius,
& erige eam. Ille respondet. Quicquid aliud
iusseris, non recusabit Eucherius tuus: illud ve
faciam, adduci non potero. Tuum est hoc, qui
præstitit Deus gratiam & animas & corpor
languentium curandi. Cæsarius ait; Tu interim
quod dico, facito. Illo planè renitente, & mul-
ta cum modestia & lachrymis sese excusante,
Cæsarius dicit; Tunè obedientiæ causa in ignẽ
ingressurus es, qui nec misericordia adduci po-
Aliud mira- tes, vt facias quod charitas iubet? Mitte in no-
culum. mine Domini manum tuam, & erige eam. Tum
ille obediens, porrecta manu fœminam subleuat, & integræ mox sanitati restitutam, ad hospitiolum dimittit.

Multa quidẽ alia admirandæ virtutis edidit miracula, q̃ nos breuitatis gratia omittere cogimur. Vnum hoc quod illi frequens admodũ in ore erat, quodq́ue clarissimis sanè exemplis exprimebat, ad imitationẽ addidisse sufficiat: vt inimicos (nempè) vera & syncera dilectione prosequeremur. Biennio antè quàm è vita excederet, mercedem, cõronamq́; iustitiæ in cælis sibi repositã cælesti visione cognoscere meruit; qua eius animus tanto Christum videndi
Obitus eius. desiderio inflammatus est, vt rerum terrenarũ planè pertæsus, ad corporis dissolutionem vehementer aspiraret; ac tandem lætus, è corporis ergastulo in cælum immigrauit.

VITA

VITA S. AVGVSTINI, HIPPONENSIS Episcopi; Præstantissimi Ecclesiæ Doctoris: ex ea quæ est à Possidio primùm eius discipulo, in dem Episcopo Calamensi edita. Migrauit è corpore anno Christi 430. Cælestini Papæ 7. Theodosij Imperat. 23.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 5. & Not. in Martyr. Roman.

28. Aug.

DIVINVS Augustinus, præclarum Catholicæ Ecclesiæ ornamentum, ex prouincia Aphricana, ciuitate Thagastensi oriundus, parentes habuit omni morum honestate, & Catholica religione cõspicuos quorum cura & diligentia, & impensis, humanarum disciplinarum cognitione apprimè eruditus, & suis & patriæ ornamento fuit. Nam & Grammaticam prius in sua ciuitate, & Rhetoricam posteà Carthagine, summa cum laude professus fuit. Consequenti dein tempore, Romæ similiter & Mediolani, haud exiguam optimi bonarum artium professoris laudem promeruit atque ita munere suæ professionis functus est, vt ab omnibus palmam eruditorum omnium haud immeritò reportaret. Sed cum adolescens, aliquando apud Carthaginem Manichæorum fraudibus seductus fuisset, eorumque erroribus miserabiliter implicitus, sanam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam mordicus respueret, accidit diuina, procul dubiò, prouidentia, vt Ambrosius Mediolanensis antistes vir multis magnisque, & sanctitatis & eruditionis ornamentis decoratus, Manichæorum hæresim impugnaret, & incidentes legis quæstiones, multis dicendi luminibus illustraret, erro-

Patria eius.

Augustinus Manichæus.

erroremque pestiferum egregiè profligare. Cuius sermonibus perquàm luculentis, semel iterumque auditis, Augustinus animo deinde suspenso atque affixo interfuit, vt ingenij sui, quo multum valebat, acumine, sancti antistitis argumenta refelleret. Sed qui ingenij & eruditionis suæ magnitudine nixus, victoriam sibi forsan de Ambrosio promittebat, fuit ipsius Ambrosij, vel potius Christi gratia ita expugnatus, vt, agnita paulatim nefaria hæresi, tandem planè ex animo pulsa, supplex ipse à beato antistite regenerationis lauacrũ postularet: & diuina Ecclesiæ sacramenta, mira Catholicorum omnium gratulatione acciperet.

Conuertitur concionibus S. Ambrosij & baptizatur ab eodẽ.

Itaque accepta baptismi gratia, annis quidẽ maior triginta, sola matre, Monica nomine, superstite, (pater namque Patritius, vita functus erat) quæ eius profectui incredibili gaudio gratulabatur, cum alijs quibusdam ciuibus & amicis suis, ad Aphricam, propriamque domum Christo deinceps militaturus remeauit. Ibi mox omnibus seculi huius curis valere iussis, ieiunijs, orationibus bonisque operibus, & lucrandis etiam animabus iugiter vacabat; tãto cum fructu ac fidelium gratulatione, vt Hipponensis Ecclesiæ ciues, à beato Valerio, qui Episcopatum eius administrabat ac flagitante ecclesiastica necessitate, eos de prouidendo & ordinando ciuitatis presbytero allocutus & exhortatus fuerat, Augustinum sacerdotij dignitate initiari vno consensu & desiderio postularent; quô maiori cum libertate & auctoritate, diuini verbi pabulum omnibus administrare posset.

Pater & Mater eius.

Proficiscitur in patriam, Vbi ieiunijs, orationibus ac pijs vacat operibus.

Igitur

Igitur presbyterij honore decoratus, monasterium intrà Ecclesiam instituit; ibidemq; ad exactissimũ Apostolorum canonem cum Christianis vitam instituit, & sibi suisque, rei cuiuslibet proprietate interdicta, primam illam Apostolorum innocentiam & paupertatem egregiè sectatus est. Porrò Valerius antistes, qui multis sæpè precibus eiusmodi virum à Domino flagitauerat, cernens se præter spem & expectationem virum non modo omni eruditione, sed sanctitatis etiam laudibus ornatissimũ nactum esse, ilicò contra vsum & consuetudinem Ecclesiæ Aphricanæ, Augustinum publicũ diuini verbi ministrum instituit: & quanquàm alijs Episcopis indignè ferentibus, primarijs concionibus à solo Episcopo fieri solitis, cum auctoritate præfecit.

Construit monasteriũ, in quo secundùm Regulã Apostolicam cũ suis vivit.

Erant tunc in vrbe Hipponensi, plurimi pestifera Manichæorum infecti hæresi, & auctore quodam Fortunato presbytero, dogmatum suorum prauitatem tuebantur. Qua re nõ modò Catholici, sed & Donatistæ permoti, Augustinum adeunt; orant obsecrantque;, vt hominem illum Manichæorum presbyterum, scientiæ opinione tumidum, erroris conuincat, & doctrinam nefariam ex vrbe profliget. Non recusauit Augustinus; sed Fortunatus, qui virum sanctum quondam Carthagine erroris sui socium habuerat, primò disputationis congressum vehementer formidauit; sed pedem conferre coactus, ab Augustino nõ modò prostratus, sed tanto insuper pudore, spectante & audiente populo, affectus fuit, vt egressus nunquam deindè eò remare ausus fuerit.

Disputat cũ Fortunato Manichæo Augustinus.

Ita-

Oppugnat Donatistas & Pelagianos.

Itaque hæresi illa ex vrbe profligata, mox ciem in Donatistas & Pelagianos cõuertit, eorumque fraudes & praua dogmata, & scriptis & sermonibus detexit, refutauitque. Quo tam insigni doctrinę genere Valerius antistes vehementer gauisus, statuit sanctum virũ in locum suum deposcere Episcopũ. Timebat enim, ne paulò pòst, tã excellens viri virtus ab alia aliqua Ecclesia ad Episcopale mun° expeteretur. Itaque datis ad Archipræsulem Carthaginensem literis, & corporis sui imbecillitatem & exhaustas ætate vires allegans, obsecrabat, vt suæ cathedræ, non quidẽ successorem, sed consortem habere mereretur. Fuit eius postulato protinùs satisfactum: & Augustinus, cõtra morem Ecclesiæ, viuente suo Episcopo, maioris loci ordinationẽ susceptt. Quod posteà tamen, in seipso fieri minimè debuisse, cùm verbo tũ scripto docuit; nec quod sibi factũ esse doluit, alijs fieri voluit.

Cogitur esse Episcopus Valerio viuente.

Igitur Episcopali munere susceptο, multo feruentiùs & summa cum auctoritate, in opus Euãgelij incubuit; neq; vna tantum in regione, sed vbicunque rogatus veniisset, verbum salutis æternæ populo prædicabat; & poscentibus præclaram sanè de fide & spe, quę in Deum est, rationem reddebat: Vnus ille inter oẽs, hæreticorũ perfidiam strenuè oppugnabat, sectasq; Aphricanas extirpabat, & Catholicam Ecclesiam, quæ multo tẽpore oppressa iacebat, egregiè erexit. Publicè, priuatim, diebus ac noctibus, in refellendis extirpandisque errorib. desudabat, & hæreticorum Episcopos in scelere obstinatos, ad certamen fidei vltrò prouocabat.

bat. Illi verò fidei suæ sinceritati diffisi, certamen detrectabant, & furore ac amentia pleni, Augustinum seductorẽ, animarumq; deceptorem esse, & priuatim & publicè conclamabãt; eumque velut lupum occidẽdum, in defensionem gregis, scilicet sui, dicebant; omniaque peccata, dubio procùl, ijs à Deo dimittenda asserebant, qui tam præclarum facinus Deo gratissimum perpetrarent.

Nota sæuitiã Donatistarũ.

Habebant ijdem Donatistę, per omnes penè Ecclesias suas, inauditum quoddam genus hominum peruersum ac violẽtum, velut sub professione cõtinentium ambulantes, qui circumcelliones dicebantur; homines audacia & temeritate præcipites; qui ingenti numero per agros villasque bacchantes, diuersis armati telis, Christi sacerdotibus clades valdè miserabiles inferebant; alios obtruncabant; alijs verò calcem cum aceto, acerbissimum tormenti genus, in oculos ingerebant, modisque omnibus per vim perque fraudes Catholicæ veritatis defensores opprimere nitebantur. Sed Augustinus cum suis in monasterio delitescens, illorum fraudibus & impijs conatibus, excellenti & diuino planè doctrinę genere præclarè obuiam ibat: multosque è suo grege, & eruditionis & sanctitatis opinione celebres, laboranti Ecclesiæ Episcopos suppeditabat.

Circũcellionum immanitas.

Multos suppeditat Ecclesiæ Episcopos è suo grege Augustinus.

Eares cùm Donatistarum inuidiam acrius concitaret, tum illi Circuncelliones, vt tam insignem athletam, & Catholicorum antesignanum è medio tollerent, vias omnes armati obsederunt, dum fortè ad visitandas confirman-

firmandasque in sana doctrina Ecclesias va-
loca peragrabat. Sed vir sanctus, qui in adiu-
rio altissimi securus habitabat, Deo protecto
re, ita eorum insidias vitabat, vt cum illi viam
aliquam, illi necessariò peruiam occupâssent,
ipse mirabili Dei prouidentia, ignarus peri-
culi, aliam plerunque capesseret, & inuitis ho-
stibus amplissimos Euangelij fructus domum
reportaret. Tot enim & tanta, eruditionis &
ingenij sui edidit monumenta, & tam multa,
variæ ac multiplicis doctrinæ aduersus diuer-
sos hæreticos in Ecclesia reliquit scripta, vt
vix cũcta à studiosissimo quolibet volui & co-
gnosci queant.

Audit causas omnium accuratè & piè.

Cæterùm ita die nocteque sanctis studijs af-
fixus erat, vt nequaquam tamen vel minimum
fraternæ charitatis officium negligeret. Si in-
terpellatus à Christianis, vel cuiuscunque se-
ctæ hominibus esset, causas eorum piè ac dili-
genter audiebat, ac singulorum querelis non
rarò toto die ieiunus ita aures præbebat, vt
partes hostili odio dissidentes, summa animo-
rum concordia vniret.

Eius victus & vestitus.

Vestis ei aliaque & corporis & cubiculi or-
namenta, nec nitida nimium, nec abiecta plu-
rimùm erant; quia his plerunque vel iactare se
insolenter homines solent, vel abijcere: ex v-
troque non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt,
ijdem quærentes. At iste beatus Philosophiam
palliotenùs detestans, veste honesta, & nequa-
quam à vulgari consuetudine temporis illius
abhorrente vtebatur. Mensa frugalis & parca,
oleribus & leguminibus instructa, tum demũ
carnes suppeditabat, cùm vel infirmitas suorũ,

vel

veliduentantium dignitas eas postulare videretur. Semper autem vino, quamuis modicè & temperanter vtebatur; timebatque vir sanctus (quemadmodum in suis Confessionum libris testatur) nō immunditiam obsonij, sed immūditiam cupiditatis. Cochlearibus tantùm argenteis, cæteris vasibus, quibus mensæ inferebantur cibi, vel testeis, vel ligneis, vel marmoreis; hospitalitatis amantissimus, vtebatur. Enimuerò ideò potissimùm conuiuis delectabatur, vt cum ijs de rebus salutaribus verba faceret, difficilioresq; sacræ scripturæ quæstiones proponeret, enodaretque. Et ne quis à salutari colloquio, pestilenti consuetudine, vt fieri solet, abreptus, sermonem ad vitia moresque aliorum referendos conuerteret, huiusmodi symbolo mensam suam consignatam habebat. *Lib. 10. c. 31.*

Leges mensæ ipsius.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam:
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Hinc conuiuas suos interdum monebat, vt à noxijs & superfluis fabulis abstinerent, & animum mentemq; inter corporales epulas diuini verbi pabulo pascerent. Si autã intemperantis linguæ vitio, scripturæ illius obliti, in detractionis scopulos vel leuiter impingerent, mox vir diuinus haud parũ cõmotus, aut versus illos deledos esse, aut se de media refectione surrecturũ, pronunciabat. Pauperum verò prima illi semper cura erat, eisq; abundè vel ex fideliũ oblationibus, vel ex redditibus Ecclesiæ, vndè & sibi suisque erogabat, succurrebat. Cæterùm ipse rebus tãtùm diuinis die noctuq; intentus, curam rerum temporalium ad

Eius in pauperes liberalitas.

prudentiores Clericos reijciebat. Cumque animarum saluti sedulò inuigilans, se pecuniam quam pauperibus erogabat, exhaustum cernaret, confidenter non suam, sed pauperum necessitatem populo explicabat: & vasa Dominica frangi conflariq́ue, vt vel captiuos redimeret, vel inopes recrearet, iubebat.

Fœminarũ colloquia vt vitarit.

Cùm autem aliorum saluti, corporumq́; necessitatibus tanta cura ac studio inuigilaret, sũ nequaquàm sui oblitus, vias omnes aditusq́; ad peccatum diligenter sepiebat. Fœminarum intra domum eius nulla, nè germana quidem soror, conuersata est. Et si fortassis de rebus necessarijs cum aliquibus fœminis sermo illi cõferendus esset, nunquam sine Clericis testibus ad eas intrare vel colloquia miscere voluit. Tria verò potissimũ, quæ in Institutis Ambrosij compererat, sacratis Christo hominibus seruanda asserebat. Ne cuiquam vxorem vnquam poscerent; Ne militare volentes ad hoc commendarent, ne, postremò, in patria sua ad conuiuium vocati accederent.

Scribit libros Retractationum.

Antè proximum infirmitatis obitus sui diẽ, dictatos editosq́ue à se recensuit libros, correxitq́ue. Indè diuina voluntate, ingens hostium Vandalorum, Alanorum, Gotthorũ, aliarumq́ue diuersarum gẽtium manus diuersis armata telis, ex transmarinis Hispaniæ partibus, nauibus Aphricæ influxit, irruitq́ue: & vniuersa loca, incendijs, cædibus, alijsq́ue innumerabilibus infandis malis depopulata est. Hæc autẽ ferocissima hostium grassatio, amarissimam illi, lugubremq́ue admodùm peperit vitã; prorsus vt lucis huius pertęsus, ad ęternam patriam arden-

Barbarorum irruptiones.

ardentiùs aſpiraret,& corporis diſſolutionem &precibus & lachrymis à Domino expeteret. Tertiò verò ab obſidione ciuitatis menſe, vir ſanctiſſimus febribus correptus, vltima paulatim ægritudine exerceri cœpit. Qua inualente,Pſalmos Dauidicos, quos Pœnitentiales vocant,multis cum lachrymis ſæpiùs recitabat: dicere ſiquidem conſueuerat, poſt perceptum baptiſmum etiam laudatos Chriſtianos & ſacerdotes abſque digna & competenti pœnitẽtia exire de corpore non debere. Et ne quo impedimento, mens illius Deo perfectè intenta, ad inanes cogitationes abduceretur, ante dies fermè decem, quàm è corporis ergaſtulo migraret,omnem ſibi humani ſermonis vſum ac hominum conuentum interdictum voluit: ijs exceptis horis, quibus medici ad inſpiciendũ intrarent,vel domeſtici refectionem ei inferrent.Itaque ad extremum vſque ſpiritum orationi deditus,ſana mente, vultu hilari & iucundo,cunctis in circuitu fatribus aſtantibus, eiusque exceſſum precibus pariter ac lachrymis proſequentibus,è corpore exceſſit, annos natus ſex admodùm & ſeptuaginta, è quibus ferè quadraginta cum ſumma totius Eccleſiæ vtilitate in Clericatu exegit: pro cuius commendanda corporis depoſitione cum Sacrificium Deo oblatum eſſet, terræ mandatum eſt.Teſtamentum autem nullum fecit: quia vnde faceret,pauper Chriſti non habebat.

Migrat ad Dominum: & Sacrificium pro eo offertur.

MARTYRIVM S. IVLIANI, COMtis beati Ferreoli Tribuni. Ex eo quod Gregor. Turonensis integro libro conscripsit. Passus est anno Domini 303. Marcel. Papæ 7. Diocletiani Imper. 20.

Teste C. Baron Tom. 2. Annal.

28. Augu. Patria S. Iuliani.

IVLIANVS martyrij gloria inclytus, Viennensi vrbe oriundus, Aruernis, glorioso certamine præclarum de hoste triumphum egit. Nam cum beatissimo Ferreolo adhæreret, tam ardenti martyrij desiderio flagrabat, vt diuitijs & propinquis ilicò relictis, Aruernas contenderit, quò ibidem cupitum cum hoste certamen iniret. Quanquam enim Viennæ

Ardor martyrij.

persecutio nequaquàm deesset, sanctus tamen martyr, blanditias parentum, suorumque lachrymas veritus, eò concessit, nè quo insidiarum metu ab ea martyrij palma retardaretur. Igitur instante persecutione; ad Briuatensem vicum in quo fanatici erroris næniæ colebantur, aduenit. Cumque aduersarios rabie quadam agitatos Christianorum sanguinem vehementer sitire cerneret, ad viduæ cuiusdã ædes occultè diuertit; facileque eorum furorem ac imminens periculũ euitare potuisset, ni Christi athleta sua religione ac virtute indignum iudicasset, diutius latitare. Itaque è latebris vltrò prodiens, tali fertur oratione persecu-

Sitit tota auiditate Christum.

tores allocutus; Equidem diutiùs in hoc seculo commorari nolo, quia tota auiditate Christum sitio.

At illi, educto vibranti dextera gladio, dejecto gutture crudeliter eum obtruncarunt; ca-

Caput ei amputatur.

put verò amputatum in fonte ibidem splendi-

do,

do,aquisq; dulcibus vberrimo abluerunt: quibus cæci,alijsque infirmitatibus oppressi cum aspersuntur,diuina virtute sanitatē assequuntur.Porrò in tres (vt ita dicam) partes gloriosus martyr diuisus est.Nam caput Viennæ defertur;artus Briuate reconduntur; fœlix anima à Christi conditore susciptur. Senes quoq; qui sacrum corpus mancipauerant sepulturæ, diuino prorsus miraculo ita reintegrati sunt, vt de exacta ætate viri,iuuenili robore præditi haberentur. Caput quoq; eius Ferreolus martyr accepit: completoque certamine, tam illius membra,quā istius caput, in vnius tumuli receptaculo collocantur. Postea verò à fidelib. in beati Iuliani honorem,Briuate, insignis fabricata est Basilica: in qua paralyticorū,claudorum,cæcorum, & aliorum quoque morborum sæpiùs petita remedia conquiruntur.

Præclara miracula.

Nota miraculum.

Ecclesia S. Iuliani Briuate.

DECOLLATIO S. IOANNIS BAptistæ, *quam contigisse dubium non est imminente festiuitate Paschali. Transfertur autem eius solennitas (sicut & dies natalis Iacobi Apostoli) tum quia Paschali tempore festa martyrum agi vetitum erat, tum quod venerandū Sancti Præcursoris caput, hoc die, secundò inuentum, postea translatum fuit.*

Vide Tom. 1. Annal. C. Baron. & Notat. ad Martyrol. Roman.

QVANQVAM & vita & Res gestæ Sanctissimi Præcursoris, omnibus ex Euangelica veritate notissima sint, tamen quia earum narratio magnam habet cum voluptate cōiunctam vtilitatem, nō grauabimur in ijs commorandis, aliquid & temporis & laboris

29. Augu.

Lucæ 1.

laboris collocare. Igitur temporibus Herodis qui fuit Rex Iudææ, diuinus Lucas sacerdotem fuisse refert nomine Zachariam, ex vice Abiz quæ in sorte Sacerdotum octaua erat. Ei sacro-

S. Ioannis Parentes.

sancto matrimonij vinculo vxor è filiabus Aaron Elisabeth copulata erat; qui cùm alijs virtutibus, tum Dei ipsius testimonio, insigni iu-

Carere liberis, patribus veteris testamēti maximo fuit probro.

stitiæ laude ornati, vitam diuinis oculis gratissimam ducebant. Quanquam autem tot tantisque prediti essent virtutibus, vno tamen sterilitatis probro omnium grauissimo laborabant: quod ijs magno debet esse solatio, quicúque bonæ vitæ sibi conscij, aduersis casibus in hoc mundo agitantur.

Porrò Zachariæ, dum sacerdotali munere ex ordine fungeretur, subitò Angelus Domini cœlesti splendore coruscans adfuit, & eum quidē tanto spectaculo vehementer perterritum bono animo esse iussit. Nam & preces illius à Deo exauditas, & sterilitatis probrum natiuitate admirandi filij tollendum esse dixit. Neque enim putandum est, Zachariam in illa publici muneris sui functione, filium à Deo postulasse, sed pro communi totius populi salute preces votaque fecisse. Quæ dum sedulo exequitur, Deus ei filium largitur, qui & salutem nunciaret, & cunctis veras iustitiæ semitas demonstraret. Nam Angelus præclaram eius sanctitatem mirifico sanè extulit præconio, dum ait; illum coram Domino & magnum futurum, & in vtero matris sanctificandum & sancto spiritu replendum.

Hæc verò aliaque admirandæ virtutis & sanctitatis præconia, tantam Zachariæ admiratio-

nem

eiectum commouebant, vt ægrè admodum ijs fidem accommodaret. Vnde Angelus fidei eius imbecillitatem corripiens, ea propter, vocis eum beneficio ilicò priuauit, & ad natiuitatis vsque diem silentio obnoxium reddidit. Expletoautem partus tempore, Elisabeth infantem enixa est; cui ex mente diuina, cognatis & vicinis stupentibus, Ioannis nomen, pari consensu parentum, inditum fuit. Indè mox soluto linguæ vinculo, Zacharias non modò loqui, sed futura quoque Vates prædicere, & multa de eximia filij sanctitate atque virtute concinere. Ioannes verò adultis nonnihil viribus, protinùs in vastam eremi solitudinem cõcessit, ne vitam purissimam, vel leuissima aliqua peccati contagione macularet.

Zacharias silentio castigatur.

Adit eremũ S. Ioannes.

Verùm enimuerò Zacharias deuecta planè ætate sacerdos, cùm natum Saluatorem maternis vlnis in templum inferri sœpius videret, minimeque ignoraret eum rerum omniũ conditorem esse, Sancta sanctorũ ei semper aperta esse voluit; libereq; concessit, vt Deipara, sanctiora templi adita ingrederetur. Quę res cùm Iudæis inuidiæ fomitem administraret, pariterq; metum, ne Regi aliquando parêre cogerétur, incuteret, vna nocte in templum irrumpentes, Zachariam templũ inter & altare trucidant: eiusque corpus effossa humo, nefarij parricidæ absondunt. Hæc quidam de obitu Zachariæ monumentis consignata posteris reliquerunt.

Cædes Zachariæ.

Cæterùm sanctissimum Sacerdotem ab impio Herode neci traditum fuisse alij confirmant; quòd filium suum Ioãnem, qui ab herode

cum alijs infantibus ad mortem inquirebatu prodere noluisset. Postquàm enim sæuo & crudeli edicto Herodes pueros omnes Bethleemiticos neci destinasset, Ioannemque, quanquàm in montanis degentem, propter famæ tamen & virtutis celebritatem pari crudelitate interfici mandasset, Zacharias de salute filij solicitus, cõiugem suam Elisabeth cum filio, alterũ cum dimidio annum nato, ad quandam speluncam confestim transmisit. Cumque impij Herodis satellites infantem expeditum minimè inuenirent, totam mẽtis suæ rabiem in Zachariam conuertunt: eumque in templo rebus diuinis operam nauantem, antè altare incẽsi ferro interimunt.

His ita constitutis, pia sanctissimi pueri genitrix Elisabeth, quadragesimo deindè die eadem in spelunca diem obijt; Ioannes verò Angeli curæ custodiq; relictus, & solitarijs in locis libenter versari solitus, Angelo duce vsus, in remotiores siluarum recessus secessit. Quod sanè de Ioanne nequaquàm mirum videri debet, præsertim si mente recolamus, Ismaëli à matre proiecto Angelum adstitisse. Itaque Ioannes, annis plus minùs triginta, in eremo, in omni sanctitate & admiranda vitæ austeritate exactis, vt primùm, tempus à Deo constitutum adfuit, quo Iudaicæ perfidiæ scelus arguere, & pœnitentiæ viam prædicare debebat, ex latebris in publicũ prodijt, tanta cum auctoritate ac sanctitatis opinione, vt cuncti eum Christũ esse existimarent. Ipse verò summæ humilitatis amator, non modò Christum se esse negabat, sed ne dignum quidem, qui Christi calcea-

Hæc apud Baronium in Annal. Tom. 1.

Genes. 21.

S. Ioannes prodit in publicum.

calceamenti corigiam solueret, publica voce confitebatur. Neque perfidis tantùm Iudæis, sed ipsi etiam Herodi, insigniter impio, & multis sceleribus nefariè inquinato, admodum veneranda erat Baptista; prorsus vt non solùm pudorem, sed metum etiam scelerato Regi, cõspectu suo inferret. Timebat enim & sanctitatem, & iustitiam Ioannis, eiusque sermone delectabatur, nec non plurima Ioannis doctrinæ conformia præstabat opera. *Marc. 6.*

Libido certissima animæ ruina.

Sed quo non mortalium corda rapit, quò nõ impudentiæ & sceleris abducit intemperans libido? Quæ hunc ipsum Herodem in sempiternæ miseriæ barathrum præcipitem egit. Is enim facibus libidinis suæ incensus, despecta legitima coniuge, quæ erat filia Aretæ Regis Arabum, impuris Herodiadis amoribus se implicauit. Eam enim, cùm esset Philippi fratris eius vxor, per summum scelus duxit vxorem, nihilque Ioannis monita veritus, tam arctè complexus est, vt ipsum tetro potius ergastulo (prò nefas) manciparet, quàm impudentissimam meretricem à se dimitteret.

Ioannes mittitur in carcerem.

Verùm Ioannes, qui perpetuum & fatale aduersus peccatum bellum susceperat, constanti animo ergastulum subijt, Regisque nefariũ facinus arguere non destitit. Contigit autem dum ille in vinculis tenetur, Herodem in die natali suo, proceribus & tribunis ac Galilææ primatibus cœnam instruere, eaque omni deliciarum genere peracta, tripudia, aliasq; parum honestas animi oblectationes adhibere, vt suos ab omni cura ad hilaritatem quam maximè inuitaret: cum Reginæ filia à matre eo dire-

directa in medium prodiens, tripudio delicatissimo, & regi & conuiuis omnibus, spectaculum (pudicis profectò oculis indignissimũ) exhiberet gratissimum, iucundissimumque. Nec fuit intentione sua frustrata. Nam Rex cincinnis impudici corporis saltatricis, & specie fuco ornata meretricio captus, tantam ex eo spectaculo voluptatem hausit; vt protinus iureiurãdo, vel dimidiam totius regni sui partem ei offerret. Peteret tantum quidquid animo luberet, (ô regiam munificentiam) se postulatis satis facturum plenissimè.

Filia Herodiadis tripudiat.

Hisce Regis promissis vltrò exhibitis, laudis & gloriæ cupiditate mota, rem regno toto petit longè maiorem. Nec mirum sanè. Fœtus enim viperæ, consulta matre, caput illius petijt; quo maior, veri Dei testimonio, inter natos mulierum non surrexit. Illius, inquam, caput, qui non homo, sed Angelus, vtpotè angelica puritate præditus, appellari meruit.

Herodiadis filia, Fœtus Viperæ.

Malach 3.

Igitur Herodes, audita saltatricis petitione, confestim misso in carcerem, lictore, caput illud sanctissimum sanguine plenũ inferri iussit. Tetrũ profectò, & horrendũ inuitatis omnibus spectaculũ; sed soli puellæ matri longè iucundissimum; quæ præciso capiti petulanter etiã insultauit, atque acu discriminali, sanctissimam illã linguam perforauit. Existimabat enim; eo iã extincto, liberè se per omnia libidinum genera posse vagari; neq; quenquam futurum: qui ea libertate nefarium illius scelus argueret. Sed probata virtus, quæ vinci non potest, post mortem eius qui eam possidet,

Decollatur S. Ioannes Baptista.

longè

longè efficacius præclariusque dominatur. Nã Herodes Rex, qui tanta audacia ac facilitate, Sanctissimum Præcursorem capite spoliauerat, quantis, post mortẽ eius, cœpit terroribus agitari? Cùm enim multa paulò post de Christi virtutibus & miraculis audisset, timore percussus, Ioannẽ à mortuis excitatũ palàm pronunciabat. Cęterùm mater debacchantis iuuẽculæ verita, ne, si caput corpori rursus coniungi, & cum eo sepulturæ mandari pateretur, Ioannes protinùs resurgeret, maiorique virtute nefanda scelera oppugnaret, terræ illud quã profundissimè defodi, tutoque apud se in regię loco, remotis arbitris abscondi curauit. Et hic quidem glorioſus Sanctissimi Præcursoris & Martyris exitus fuit; qui postquàm annos triginta duos & menses admodum sex in terris exegisset: tali fine ad cælestia habitacula migrare debuit.

Virtus semper inuicta.

Matth. 14.

Caput S. Ioannis defoditur.

Interea Herodes, conscientiæ angore fraudisque cruciatu, tanquam domesticis furijs assiduè vexatus, tandem acriorem Dei vindictam licet serò persensit. Nam repudiata vxor, Aretæ Arabũ Regis filia, tantã contumeliã & ignominię notam non ferens, ad patrem suum abijt: eumque ad vltionem sceleris incitauit. Ille verò satis per se vindictæ cupiditate inflammatus, bellum aduersus Herodem mouit; illatisque in regionem eius armis, subiectis flammis loca omnia longè lateque populatus est; & alijs ferro cõcisis, alijs in seruitutem abductis, exulceratum iniuria animum nonnihil sanauit. Quis verò exitus tandẽ saltatricis fœminæ scelestissimæ fuerit; & quod

Vltio diuina in Herodem.

sup-

supplicium acceperit feralis impietas, relat digniſſimum eſſe arbitror.

Nicep. hiſt. lib. 1. cap. 20. De morte filiæ Herodiadis.

Furibunda, & adultera, inceſtaque adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniunx, vita longius acta, cùm prius filiam & ſaltatricem acerbo fato ſublatam vidiſſet, deinde ipſa quoque deceſſit; futuri ſæculi iudicio & ſupplicio reſeruata: meras ibi quàm citiſſimè, diuinæ iræ fœces, intolerabiliſque indignationis Domini calicem hauſtura. Filiæ autē eius (dignus eſt enim qui memoriæ, commendetur) talis fuit obitus. Eundum ei quoquā, brumali tempore erat: & fluuius traijciendus. Qui cum glacie cōſtrictus coagmentatuſque eſſet, pedes eum tranſibat: glacie autem rupta, (idque non ſinè Dei numine) demergitur illa ſtatim capite tenus, & inferioribus corporis partibus laſciuiens, molliuſque ſe mouens ſaltat; non in terra, ſed in vndis: caput verò ſceleſtum, frigore & glacie concretum, deindè etiam conuulneratum, & à reliquo corpore, non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum, in glacie ipſa ſaltationem lethalem exhibet; eoque ſpectaculo omnibus prębito, in memoriam ea quæ fecerat, ſpectantibus reuocat.

Horrendus interitus filiæ Herodiadis.

De inuentione Capitis S. Præcurſoris.

Porrò quemadmodum ſacroſanctum illud, & omni veneratione dignum caput Ioannis, è latebris terræ in lucem prodierit, non erit abs re deinceps explicare. Duo religioſæ vitæ cultores, magno ſacra loca viſendi deſiderio inflammati, Hieroſolymam venerunt. Alteri verò eorum, fortè in ſomnis, Sanctus Præcurſor apparuit, eumque monuit, vt reconditum in regia

regia Herodis domo caput eius tolleret, secũ-
que asportaret. Sed ea visio alteri narrata, nõ
modò fidem non fecit, sed etiam tanquã quod-
dam sommij phantasma risum commouit. Se-
cuenti ergo nocte, S Baptista rursus vtrumque
singulatim accedens, mandat eadem, vrgetque
vt alacriter iter conficiant, & è terris thesaurũ
eruere diutius non negligant. Tunc illi, omni
incredulitate deposita & socordia, locũ sum-
ma cum festinatione adeunt, & sacrum caput
effodiunt: effossumque sacco è pilis confecto
immissum, in reditu figulo cuidam, paupertatis
malum errabundo fugienti, deferendum
tradunt. Is thesauri, quem ferebat, ignarus, ab
ipso Præcursore in somnis admonitus est: vt
relictis monachis, cum tradito sibi sacculo fu-
gam arriperet. Creditum est, Præcursorem
monachorum socordiam frigiditatemq; dete-
statum, figulo hanc præbuisse occasionem, vt
per eam ad melioris vitæ frugem veniret. Nã
cum ille voci Præcursoris obediens, cum tali
thesauro domum venisset, cœpit paulatim fu-
gato paupertatis malo opibus florescere, ac tã-
dem tantis vndique bonis affluere: vt haud ob-
scurè S. Baptistæ virtutem gratiamque sibi a-
desse cognosceret. Itaque ne in ingrati animi
scelus aliquando laberetur, summo in honore
venerandum illud caput habuit, summaque
contentione operam dedit, vt cunctis similiter
virtutibus florens, veteris vitæ delictis pœni-
tentiæ nitro ritè purgatis, Deo gratissimum
die noctéque famulatum exhiberet. Cùm autẽ
tempus adesse cerneret, quo ex hac vita ad me-
liorem à Deo vocabatur, preciosum illũ the-

Ditescit figulus asseruans Sanctũ caput.

saurum

saurum hydriæ impositũ, & arca affabrè fact incluſum, ſorori ſuæ pari veneratione & cultu proſequendum tradidit: eidemq; mandauit, vt appropinquante mortis hora, eaſdem reliquias alij cuidam ſpectatæ probitatis ac fidei viro reſignaret. Curauit illa ſummo ſtudio ac pietate fratris mandata, traditq; eas cuidam non modò fide & pietate, ſed caſtimonia ornatiſſimo: qui deindè morti vicinus, eaſdem cuidam Euſtachio ſacerdoti quidem & monacho, ſed hæretica prauitate contaminato, cuſtodiendas commiſit. Is verè non multò poſt hæreſeos conuictus, exilio damnatus fuit. Qui cùm iam ante non ſemel admirandas ex ſacro illo theſauro ſenſiſtet virtutes, eaſque (prô ſcelus) impiè ſibi ſuęque fidei aſcriberet, ſummo ſtudio ſanctiſſimas reliquias exilij ſui ſolatium habere nitebatur. Sed dictum factum exilio mulctatus, relicto in monaſterio capite abſceſſit. Intereà precioſus ille theſaurus cunctis ignotus, ad tempora vſque Valētis Imperatoris delituit; qui cum eum Conſtantinopolim transferre vehementer cuperet, diuinitus ab eo facto prohibitus, quod homini Ariana hæreſi cōtaminato ſancta tractare minus liceret, hoc ipſum pientiſſimo ſucceſſori, Theodoſio Auguſto, religioſiſſimè adimplendum reliquit; qui venerabile Baptiſtæ caput ex vico Coslai Conſtantinopolim deportans, ſeptimo ab Vrbe lapide, in baſilica, quam magno ſumptu erexerat, recōdidit: quod poſtea Romam translatum, in Eccleſia S. Syluestri ad Campum Martium: ſumma populi deuotione aſſeruatur.

Sanctum caput traditur cuidam hæretico.

Hìc videat & conſulat prudens Lector Baron. tam in Notat. quam Annal. Tom. 1. è quibus hæc deſumpſimus.

Caput S. Ioannis Baptiſtæ, Romæ aſſeruatur.

Mar-

MARTYRIVM S. SABINAE, ILLVSTRISSIMAE Matronae: Ex eo quod est per Adonem Treuirorum Archiepiscopum. Passa est Anno Christi 122. Alexandri Pap. 2. Adriani Imp. 3.

Vide Tom 2. Annal. C. Baron.

29. Augu.

ILLVSTRISSIMA fœmina Sabina, vxor præclarissimi quondã Valẽtini, & filia Herodis Metallarij, egregiũ pro Christo certamen sub præfecto Elpidio, Adriano imperãte, confecit. Ea cum Serapiæ virgini intima esset familiaritate cõiuncta, fuit pijs eiusdẽ Virginis monitis atq; exẽplis ab errore ad Christi cognitionẽ adducta: tantaq; eidẽ deinceps cõstãtia in omni opere sanctitatis adhæsit, vt nec ad martyrij palmam properantẽ deserere voluerit. Nam cum Serapia virgo à Beryllo præfecto ad martyrij gloriam vocaretur, Sabina indissolubili amicitiæ vinculo ei connexa, ad locum certaminis cum ea concessit; Beryllumque præfectum nequicquàm eam terrere conãtem spreuit, ac responsis sanè prudentissimis adeò retudit vt quanquam vindictę vehemẽter cupidus, manus tamen in illam mittere non præsumeret.

S. Sabina cõuertitur à S. Serapia, virgine Antiochena.

Porrò beata Serapia glorioſissimo coronata martyrio, illustrissima Sabina venerandas reliquias: suum in monumentum insigni cum celebritate intulit. Deindè paucis admodum pòst diebus comprehensa, Elpidio Iudici oblata fuit. Qua visa, Elpidius ingẽti quasi admiratione defixus: Tunè es, inquit, Sabina, vxor quondam Valentini illustrissimæ memoriæ, & Herodis filia? Cui sancta matrona: Ego sum, & gratias ago Domino meo Iesu Christo, qui

Sistitur corã Elpidio præfecto.

Confessio Virginis Sabinæ.

qui me peccatricem famulam suam opera, studio sanctissimę Serapiæ è tenebris ad lucem, è sordibus ad puritatem, è dæmonum seruitute: ad veram libertatem traducere dignatus est.

Commotus eo matronę responso Præfectus, visaque ipsius in Christi confessione constantia, capitis eam sententia damnauit, & omnibus eius facultatibus ad Fiscum redactis: dictū factum beatam martyrem gladio feriri præcepit. Passa est autem 4. Kal. Septembr. Cuius corpus à Christianis sublatum, eodem in monumento, vbi ipsa fidei suæ magistram honorificè collocauerat, ad arcum Faustini, iuxta aream Vindiciani, in oppido Vindinensi, conditum est. Vetus extat Romæ titulus S. Sabinæ in Auentino; cuius est mentio in Concil. primo Romano sub Symmacho, & apud Gregor. in regist. lib. 9. cap. 22. & lib. 11. cap. 2. quam quidem ecclesiam Eugenius Papa, eius nominis secundus, exornauit auxitque: vt cōstat ex lib. de Roma: Pontif: in Eugenio.

Percutitur gladio.

Hæc Baron. in Notat. ad Martyr. Rom.

VITA S. FIACRII, CONFESSORIS & Eremitæ: Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Surium.

30. Augu. Patria Fiacrij.

BEATVS Fiacrius ex Hybernia nobilibus ortus parentibus, vitæ solitariæ allectus dulcedine, relicta domo & amplissima spreta hæreditate, Meldis, ad Faronem antistitem sanctitatis opinione celebrem concessit. Cuius desiderio Pontifex mirè gauisus, ei loci quendam in nemore sui patrimonij, nomine

Brodo-

Pedolium, assignauit. Vbi Fiacrius ilicò extirpatis vepribus, monasterium Virginì Mariæ sacrum construxit, & publicum aduentãtibus hospitium, vbi peregrinos & pauperes, rigidus sui corporis domitor, incredibili charitate suscipiebat. Fama igitur sanctitatis & admirãdæ benignitatis opinione longè lateque crescente, mox ingens languentium turba indies magis magisque eo confluere; quibus vir sanctus non modò consueta charitatis exhibebat officia, sed precibus & manûs suæ cõtactu pristinam reddebat sanitatem.

Monasterium construit & hospitale.

Claret miraculis.

Post hæc, cùm ex nimia liberalitate annona deficeret, nec haberet quo deinceps aduentiũ inopiam subleuaret, supplex ad antistitem adijt, petens vt tantũ ei nemoris euellere liceret, quantum nutriẽdis oleribus sibi suisq; satis esset. Cui Pontifex benignè annuit, tantumque concessit, quantum vna die fodiendo manu propria, fossa posset circundare. Quo audito, ad solitudinem reuersus, facta oratione, baculum quem manu tenebat per terram trahere cœpit; quo, (dictu mirabile) nemus hinc indè funditus corruit, terraque dehiscens, ad baculi tractum fossam præbuit.

Cum summo omnium stupore terram baculo aperit ad modum fossæ.

Interea mulier quędam aduenies, viso terræ dehiscẽtis miraculo, stuporis plena ilicò ad Episcopum festina currens, Eremicolam, magum, maleficum, & incantatorem appellauit. Deindè eadẽ rursus mentis temeritate ad eremum festinans, multis conuicijs in virum sanctum iuuecta est; præcepitque ei auctoritate Episcopi, ab incepto opere vt cessaret: donec mox affuturus antistes debitas de tãto maleficio

Mulier accusat eum maleficij apud Episcopum.

cio(vt illa dicebat)pœnas expeteret. His auditis, Fiacrius manũ ab opere reuocauit, & mœroris ac triſtitiæ plenus ſuper petram reſedit.

Ingens miraculum.

Ibi tũc mirabilibus ſuccedũt mirabiliora. Petra namq; Duriſſima, nutu Dei, vt ſeſſioni ſancti eſſet habilior, ſub ipſo concauũ eidem præſtitit locum. Quæ petra, eodem in monaſterio ad hæc vſque tempora aſſeruata, nõ rarò tactu ſuo debiles ſanitati reſtituit.

Igitur Põtifex inuidiæ mulieris prouocatus verbis, aduenit; videnſq; vtraq; miracula, intellexit Eremitam ſummum Dei amicum eſſe: vndè ſanè & amore & honore pariter eũ proſecutus eſt. Porrò Fiacrius mulieris iſtius malitia admonitus, voluit deinceps omnib. fœminis monaſterij aditum interdictũ eſſe, & ſupplicibus à Deo precibus contendit, vt quęcunque pedem per vim inferre conaretur: vltione protinus diuina repulſam pateretur. Qua re cognita, mulier quædam & generis & diuitiarum gloria præſtans, ancillã ſuis ipſa manibus in Fiacrij monaſterium impellere voluit, vt quid futurum eſſet, alieno periculo diſceret.

Caſtigatur diuinitus mulier, temerè monaſterium ingredi volẽs. Item alia. Obitus eius.

Sed eccè ancilla, dominæ ſuæ ſcelere impulſa, illæſa quidem permãſit, ipſa verò altero orbata lumine vindictæ ſubiacuit. Sed & alia quædam de Latiniaco mulier, alterum pedem in monaſteriũ inferre conata, ilicò horribili tumore eum correptum retraxit: qui deindè tumor, tibiam, genu & crus occupauit. Beatus itaque Fiacrius eodem in loco, ſignis & virtutibus clarus, vitæ curſum fœliciter conſummauit. Cuius ad tumulum, glorioſa continuo coruſcant miracula.

Claret miraculis poſt obitum.

Mar-

MARTYRIVM SS. FELICIS ET ADAUCTI: ex eo quod extat apud V. P. Laur. Sur. Cui omnia suffragãtur martyrologia. Coronati sunt Anno Salutis 302. Marcel. Papæ. 6.

Vide Tom. 2. Annal. Cæ. Baron.

CVM feruor Diocletiani & a Maximiani in sanctos Dei acerrimè sæuiret, duo fratres nomine & opere Felices, Romanæ Ecclesiæ presbyteri à Draco Vrbis præfecto vel dijs sacrificare, vel supplicia excipere cogebantur. Interea Felix senior, ad fanum Serapis ducebatur, vt imminens supplicium, sacrificio (quemadmodum Dracus sperabat) redimeret. Sed is vt statuæ æreæ propinquior est factus, mox sacri oris sui flatu simulacrum subuertit. Inde verò ductus in aliam ædiculam, quæ statua Mercurij honoratior habebatur, pari modo atque virtute statuam prostrauit. Deinde ad tertiam deductus ædiculam, cùm Dianæ simulacro thura incendere cogeretur, simili modo inhabitantem expulit dæmonem, & simulacrum humi deiecit, Tunc reductus ad præfectum, protinus in eculeum sublatus fuit; adhibitisq; cruciatibus, quæsitus, quibus maleficijs deos superasset. Qui in tormentis inuictus respondit; Non ego hoc diaboli maleficijs; sed omnipotentis Dei beneficijs egi. Tunc furore repletus præfectus, iussit eum iuxta murum vrbis, via Ostiensi, duci ad locum qui secundo ab Vrbe erat miliario, vt ibidem apud arborem præcelsam vel sacrificium compleret, vel eodem in loco capitalem sententiam subiret. Igitur Felix, cùm ad præfatam arborem

30. Augu.

a *Anno eorũ Imperij 19.*

Duo Felices fratres.

S. Felix tres comminuit statuas.

Torquetur.

nefandis sacrificijs inquinandus à carnificibus deductus esset, statim impietatem execratus, in arborē sufflauit, & ait; Præcipio tibi in nomine Domini mei Iesu Christi, vt radicitus corruens & templum cum ara, eiusq; simulacrum ita comminuas, vt amplius per te animę nullatenus in tātum scelus impellantur. Ad hoc seruii Dei verbū, horrendo fragore arbor corruit, & fanum cum simulacro penitùs comminuit. Quo cognito, Dracus, furore & amentia plenus, sententiam sinè mora executioni mandari, & truncum corpus lupis ac canibus deuorādum relinqui præcepit.

Subuertit simulacrum.

Intereà sanctus Christi athleta, multis trophęis inclytus, cùm Ostiensi via ad locum certaminis duceretur, quidam fidei Christianæ ardore mirificè incensus, hominibus quidem ignotus, sed Deo præclarè cognitus, voce magna clamare cœpit; Et ego ex eadem lege sum, & ipsum, quem hic sanctus prędicat presbyter, cōfiteor Dominum Iesum Christū, pariq; sententiæ subiacebo. Elegi enim cum eo, breuissimi temporis potius sustinere tormentum, & in æternum deindè cum Christo Iesu in cælesti gloria exultare, quàm vestris nefandissimis cum principibus, impuris ad tempus affluere delicijs, & æternis deindè subdi cruciatibus. Hæc maxima voce & admiranda constantia ac alacritate vociferantem lictores corripiunt, vinctumque vnà cum Felice ad locum supplicij perducunt. Ibi tunc Felix, fusis præ gaudio lachrymis, socium suauissimè amplexatur, figit oscula; gratulatur vtrique. Deindè peracta pariter oratione, lati capitalem sub-

Ardor fidei in S. Adauctō.

subeunt sententiam. Christiani, qui spectaculo intererant, ignorantes nomen huius, eum Adauctum appellârunt; quòd beato Felici auctus esset ad coronam. Corpora eorum feris & canibus relicta, fuêre à Christianis noctu sepulturæ tradita, eo in loco, vbi nefandæ arboris euersio nimiam telluris altitudinem aperuerat, Altera verò die, pagani rabie efferati humata corpora rursus effodere voluerunt: sed impius eorum conatus parũ fœliciter ad gloriam successit. Nam quotquot erant operi intenti, arrepti à diabolo, lymphati amentesque hinc indè fugerunt. Fuit deindè, cessante persecutionis procella, insignis eis eodem in loco constructa basilica: in qua Christi beneficia in hodiernum vsque diem exuberant.

Felix & Adauctus gladio feriuntur.

VITA S. BONONII, ABBATIS MONASTERIJ Locedensis, quod est in agro Vercellensi: Ex ea quam Illustriss. & Reuerendiss. Cardinalis & Episcopus Bononiensis, Gabriel Palæotus, ad V. P. Laur. Surium transmisit. Migrauit è corpore anno Domini 1026. eiusq; sanctitatem probauit Ioannes Papa vigesimus.

Vide Notãt. C. Baron. in Martyrolog. Rom.

BEATVS Bononius, Bononia oriundus, vir haud vulgari prudentiæ laude cõspicuus, cùm vitam sapientis, assiduam mortis meditationem esse legendo didicisset; illicò à primis annis, repudiatis mũdi huius delicijs, in S. Stephani monasteriũ, quod est Bononiæ, se abdidit; vt interim mundo mortuus, saluberrimã mortis philosophiam, altiùs suo pectori imprimeret. Nec reuocare poterant à salutari instituto prudentem adolescentem

30. Aug.

Secedit in monasteriũ S. Stephani.

Prima virtus monachi, hominũ inania iudicia contemnere. Gal. 1.

varia vulgi de eo iudicia; vtpotè qui iam ante cognouerat, primã monachi virtutẽ esse, temeraria hominum iudicia contemnere, iugique memoria illud Apostoli repetere: Si adhuc hominibus placerẽ, Christi seruus non essem. In illo autem S. Stephani monasterio, cùm haud exiguos in diuinæ contemplationis studio per aliquod annos fecisset processus; perfectioris vitæ desiderio inflãmatus, patria, amicis, domo, vrbisq; frequentia desertis, Babylonis AEgypti solitudinem adijt: vt antiquam illam patrum in eremo degentium virtutem quàm acerrimè æmularetur. Accidit autem, vt AEgyptij proceres, fama eius, (quæ cum admiratiõe regiones illas peruagabatur) & virtutũ fragrantia capti ac deliniti, singulari amore ac beneuolentia eum complecterentur; adeò quidem, vt potestatem ei facerent, cuncta religionis ac pietatis domicilia, quæ barbarica feritate conculcata iacebant, restaurandi. Quod cùm frequenter vrgerent, pius pater vehementer gauisus, & Deo, qui feroces barbarorum mentes mitigasset, gratiam, vt parerat, referens, arrepta auidè rei benè gerendæ occasione, operi, sedulè institit; primùm diruta multis in locis templa restaurans, & post iactum hoc virtutum suarum quasi spiritale fundamentum, monasteria deindè plurima reparans; per quæ cœtus monachorum distribuit; Abbates constituit; eosque ex præscripto D. Benedicti, vitam religiosè traducere iussit.

Secedit in AEgypti solitudinem.

Templa per AEgyptum & monasteria restaurat.

AEgyptijs Christum annunciat.

Ipse autem sedulus diuini verbi sator AEgyptum peragrabat, & indies nouos credentium

eium manipulos in horrea Domini lætus inferebat; & nunc quidem doctrina, nunc miraculis infrugiferos agros subigebat, optimisque frugibus breui mirificè florentes reddebat. Sic cùm fortè, in naui, AEgyptij mercatoribus quibuscum Alexandriam vnà nauigabat, Christum annunciaret, & subita tempestas exorta, in certum omnes vitæ discrimẽ conijceret, illique attoniti, & omni alia salutis spe destituti, Deum, quem ipsis annunciabat, se credere professi, ad eius opem confugerent, obtestãtes vt pro salute omniũ, Deum suum deprecaretur, nuncupato insuper voto, Christiana sacra se suscepturos, si præsens eius numẽ experti, salui euaderent; postquàm ad precum præsidia sanctus se conuertit Bononius, tempestas repètè discussa & serenitas reddita est: & Alexandriam incolumes ad portum omnes applicuerunt. Nec mora, quos ad ipsius preces ex mortis quasi faucibus Deus eripuerat, in eis, per baptismi gratiam, ipse nouam vitam restauraut.

Precibus suis sedat tempestatẽ.

Hæc aliaque eiusdem generis admiranda opera, Bononium valdè celebrem per Alexandriam reddiderunt: quorum ciuium ne fauor eum nimiùm extolleret ac transuersum ageret, clam indè egressus, Babylonis ad amicam solitudinem iterum secessit: vbi vigilijs, ieiunijs, orationibus, pijsque alijs bonorum operum exercitijs, cùm ipse sedulò operam daret, tùm alijs vitæ viam præibat, præmonastrabatque: neque potentibus blanditus, & eorum per turpem adulationem amicitiam ac fauorem nimis abiectè appetens; neque

En præclarã Bononij discretionem.

tamen eos quamuis superbos & insolentes pe-
nimiam austeritatem negligendos, aspernan-
dosq; ac fastidiendos sibi ducens: hoc quidem,
1. Corint. 9. vt omnibus omnia factus, omnes lucrifaceret;
illud autem, diuinę illius non immemor com-
Ezech. 13. minationis. Væ vobis qui cõsuitis puluillos &
ceruicalia sub omni cubito, ad decipiẽdas ani-
mas. Non ille prosperis nimiùm efferebatur,
non aduersa eum deijcere poterãt. Pauperum
ei cura præcipua, peneq; assidua: quos & per se
fouebat, & diuites solicitabat, vt ad opem illis
ferendam beneuoli essent. Et quidem cùm pro
aliorũ cura sedulus die nocteq; excubaret, ip-
se in suscepta semel vitæ austeritate persene-
Vitæ auste-ritas. rans, quasi proprij corporis oblitus, pro molli
lecto duram humum, pro delicatis linteamini-
bus asperum cilicium, pro ceruicali lapidẽ cõ-
mutabat: & sic demùm post ingentes labores
quiescere solebat, si quies dicenda est, quæ iu-
gibus orationibus fatigabatur: ita quidem, vt
Dauidis illud sibi vsurpare potuerit. Lauabo
Psalm. 6. per singulas noctes lectum meum, lachrymis
meis stratum meum rigabo.

Cùm graues per illa tempora procellæ, vni-
uersam Aegyptum concuterẽt, & Romani pa-
rum fœlici marte infesta signa in Aegyptũ in-
ferrent, commissoque prælio ingens vtrinque
strages fieret, Aegyptij tãdem superiores præ-
ter aliam Christianorum turbam, ipsum etiam
Vercellensem antistitem Petrum, in captiuita-
tem abduxerunt. Is verò in illam abreptus
miseriam, diligenter inquirere cœpit, num
qui Christianis iniati sacris, in ea regione de-
gerẽt. Tandem post varia suspiria, post mul-
tas preces

preces & lachrimas Deo suppliciter fusas, eximia illi Bononij innotuit sanctitas. Qui accersitos confestim adfuit; & carceris custodibus muneribus delinitis, egregiam inprimis operā infouendis ac consolandis vinctis collocauit. Postremo verò concepta fiducia, regiam familiam, ipsamque Regis coniugem adijt, suasque in partes omnes pertraxit; vt pro captiuis suis fratribus apud Regem intercedere vellēt. Adfuit cœptis Bononij omnipotens Deus: Nam Regem quodam die hortos odorarissimis balsamis consitos animi causa inambulantem, accedit Regina: quam mox proceres subsequuti orant obsecrantque Regem, vt vinctos Christianos Bononio viro optimo & regijs negotijs enixè fauenti donet. Annuit nutu planè diuino Rex; cunctosque vinculis & ergastulo solutos summæ Bononij voluntati permittit. Is fratrū suorum libertate vehementer gauisus, confestim naui impositos Hierosolymam transmittit: indè eos in montem Sinai perducit: quibus locis summa animi veneratiõe lustratis, Constantinopolim contendit: vbi ab Imperatore insidiarum metu, custodię mancipati sunt. Sed protinus, vt eorum innocentia luce meridiana clariùs omnibus perspicua facta est, non modò honorificè, sed muneribus insuper ac vestibus ex fisco donati, dimissi sunt. Igitur conscensa naui, vt singulos proprijs sedibus restituit Bononius, ita mox ad montem Sinai reuersus, totum se illic diuinæ legi mancipauit; tantis maximarum omnium virtutum signis, vt gratissimo sanctitatis suæ odore, Hierosolymam & vicina omnia loca repleret.

Bononij benignitas in captiuos.

Viuit in monte Sinai Sanctissimè.

Petrus Vercellensis Episcopus, S. Bononium ad Locedensis monasterij præfecturam vocat.

Intereà defuncto Locedensis monasterij Abbate in diœcesi Vercellensi, Petrus Vercellensium Pontifex, qui iam antè Bononij beneficio è miseranda valdè captiuitate in sedem suam restitutus fuerat, ilicò virũ sanctum accersendum statuit; vt is monasterij eius curam susciperet, suisque virtutibus per Aegyptum clarissimis, totam quoque diœcesim istam quà maximè illustraret. Et quidem Bononius cùm aliquandiu onus illud à se reijcere conatus esset, victus tandem importunis Pontificis precibus, cessit; humerosque oneri subiecit: & virtutibus virtutes cumulans; nouum quendam pietatis splendorem de se præbuit. Quem antiquus humani generis hostis non ferens, mox aduersus sanctum pastorem ingentem excitauit procellam; ita vt per summam humilitatẽ, in Hetruriam secedere coactus sit; Vbi veteri

In Hetruria monasteriũ restaurat.

ad plenum instaurato monasterio, fratres sanctissimis instituit disciplinis; & ipse miraculis celebris, cum insigni gloria ad Locedense monasterium, sedata tandem tempestate reuersus

Fœlix obitus eius.

est. Vbi post varia deindè virtutum *insignia*, suis totique Ecclesiæ exhibita, beatum Creatori suo spiritum reddit.

Præclarum miraculum.

Inter alia, quæ post mortem edidit miracula, vnum hoc ad confirmanda sanctorum patrocinia, contra hæreticorum perfidiam, haud abs re erit explicare. Quidam immani in fratrẽ suum odio incensus, tandem illi necem intulit, ferroque peremptum obscondit. Ingens & scelestum facinus, ęternis supplicijs expiandum. Veruntamẽ fratricida, paulò pòst incredibili animi dolore saucius, commissum scelus

Ius pura oris confessione & vera pœnitudine expiare constituit. Exposuit igitur crimen sacerdoti; multisque cum lachrymis medicinam postulauit. Exhibuit is se medicum per omnia prudentem, & hominem iusto animi dolore fractum, septennali nihilominùs pœnitentia damnauit. Nec recusauit ille amaros pœnitentiæ dolores, modò ab assiduo conscientiæ angore, & admissi flagitij cruciatu liberari posset. Itaque ex eo quo fratrem peremerat mucrone, circulum brachio dextero circundedit; totumque se lamentis & varijs corporis afflictionibus dedidit. Sed cùm domesticæ furiæ, quæ eum die nocteque persequebantur, vix vllas ab æternæ damnationis metu inducias concederent, tandem ille Sanctorũ statuit implorare patrocinia; vt quod suis lachrymis meritisque non poterat, illorum aliquando precibus à Deo obtinere mereretur. Itaque post alia atque alia Sãctorum limina piè obita, ipso natali S. Bononij ad eius etiam sepulcrum venit supplex: Deumq; flens atq; eiulans precabatur, vt tanti sui famuli intercessione sibi propitius esse dignaretur. Dumq; orationi feruenter insistit, & S. Bononium interuentorem solicitat, eccè in magna virorum atq; mulierum circũstante turba, circulus qui cute atque carne iam penè contectus erat, per Christi clementiam dissilijt; omnesque illæ conscientiæ furiæ fusæ fugatæque, summam conscientiæ tranquillitatem & incredile animi gaudium reddiderunt. Tunc is in lætitia salutaris Christi mirabiliter exultans, ferreum illum nexum ad Sancti altare suspendit; & voce maxima, quan-

quanto à S. Bononio affectus esset beneficii contestatus est.

VITA S. AIDANI, EPISCOPI LINDISFARNENSIS.

Ex ea quæ est per Venerabilem Bedam lib. 3. cap. 3. & sequent. Historiæ Ecclesiast. Gentis Anglorum. Migrauit è mundo anno Domini 651.

Vide S. Tomũ Annal. C. Baron.

Bl. Augu.

SANCTVS Aidanus ex Insula Hu ex monasterio ibidem, ad prouinciam Anglorũ fide & pietate imbuendam destinatus est Episcopus; qui omnibus admirandæ sanctitatis ornatus insignibus, haud exiguos in vinea Domini faciebat fructus. Nam vt exemplo magis quàm verbo, Christianæ vitæ præstantiam cùm fidelibus tùm infidelibus declararet, pedes loca cuncta peragrans, antè omnia strenuâ misericordiæ operibus nauabat operam, ac plena manu, quidquid à Regibus alijsque dynastis accipiebat, in pauperes erogabat; aliosque similiter ad misericordiæ æmulationem prouocabat. Vbicunque verò locorum degebat, tam ille quàm qui ei socij adhærebant, assiduò cælestium rerum meditationi dediti erant, suauissimeque ex sacris scripturis in itinere commentabantur; quò mentes eorum sinè intermissione pabulo diuini verbi pascerentur. In redimendis verò captiuis præcipuum eius eluxit studium: quos deindè disciplinis sanctioribus imbuebat, ac in discipulos suscipiens, ad sacerdotalem gradum prouehebat: ratus parùm esse si vinculis soluerentur corporeis, nisi etiam veram integramque animæ libertatem con-

Benignitas Aidani in pauperes.

Studiũ eius in captiuos.

consequerentur. Fertur autem quòd cum Osvvaldus Rex de prouincia Scotorum postulasset antistitem, missus ei fuerit primò austerioris animi vir: cuius doctrinam paulò seueriorem cùm populus egrè ad aures animosque admitteret, & is oleum & operam docendo mandoque perderet, rediit in patriam; gentem duræ ac barbaræ mentis, cælestis doctrinæ minimè capacem esse asserens. Quo audito, Aidanus in concilio vbi hæc tractabantur iurgens ait: Equidem frater existimo te minùs illius Apostoli obseruantem fuisse; vbi docet, indoctis auditorib. primò lac doctrinæ mollioris porrigendum esse, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad solidiora diuini verbi pabula, sumendaq; idonei inueniuntur. Huic Aidani dicto mox ab omnibus acclamatum, & communi consilio decretum est, vt ipse antistes ad gentem illam Christianæ disciplinæ rudimentis imbuēdam mitteretur. 1. Cor. 3.

Discretio omnium virtutum mater.

Huius igitur reuerendissimi Antistitis disciplina Rex Osvvaldus, cum ea, cui præerat, Anglorum gente, præclarè institutus, admirandos sane breui in fide ac pietate fecit processus: vndè & multis maioribus honorum & regni titulis, etiam in hac vita à Deo decorari meruit. Quo ad cælestia regna deindè translato, Osvvinus frater eius haud minore pietate vir, regni suscepit gubernacula. Qui die quodam, vt animum suum amoris & beneuolentiæ plenū Aidano declararet, equum optimum & regalibus stratū phaleris donauit; vt eo deinceps vectus, varios itinerum labores faciliùs superaret. Accidit autē, vt paruo interiecto tempore Aida-

Vide egregiam Aidani in paupere liberalitatem.

Aidanus antistes pauperem quendam infirmi precibus stipitem postulantem obuiam haberet: cui cùm nihil, quod tribueret, ad manus haberet, ilicô desiliens, equum cum regijs ornamentis prompta manu ac hilari vultu tradidit. Erat enim antistes mirificus pauperum cultor, & beneficus admodùm miserorum pater. Hoc verò vt fama ad regias aures est perlatum, visus Rex aliqua animi affici ægritudine; accitoque ad prandium Episcopo ait: Ecquid est hoc Domine antistes, quòd equum regium, quem te proprium habere conueniebat, pauperi largitus es? Nunquid non habemus equos viliores plurimos, aliaque quibus pauperibus consuli benignè poterat, quòd donum regium speciali amore tibi traditum, alteri dares? Cui statim Antistes: Quid, inquit, loquitur Rex? Num tibi charior est iste filius equi, quàm filius Dei.

Nota quantus honos Episcopo ab rege deferatur.

Quibus dictis, Episcopus quidem suo resedit loco: Rex verò, quod è recenti venatu veniisset, ad focum concessit; moxque altius verba antistitis menti infigens, festinus accedens ad pedes sè Episcopi abiecit; suppliciter postulás, vt sibi placatus esset: quia nunquam, inquit, deinceps præscribam, quantum de nostra pecunia filijs Dei tribuas. Episcopus, visa tanta Regis humilitate, pio quodam horrore perfusus eum leuauit; verbisque suauissimis ab omni tristitia ad hilaritatem reuocauit. Indè paulò post, Rege omni hilaritate perfuso, sanctus antistes profusis lachrymis ex imo pectore gemitus trahere cœpit. Quem cùm presbyter eius, patria lingua Regi & domesticis eius ig-

nota, causam tantarum lachrymarum gemitumque interrogaret, respondit antistes: scio, inquit, hanc gentem pio & sancto hoc rege indignam; ideoque breui ex hac misera vita, ad regna cœlestia transferendum. Nec multò post, dira Antistitis præsagia; tristi Regis funere impleta sunt: Sed & ipse Aidanus antistes, non plùs quàm duodecim post occisionem Regis, quem amabat, dies, id est pridie Kalend. Septembris, de seculo ablatus, perpetua laborũ suorum à Domino præmia recepit. Qui cuius fuerit meriti, etiam miraculorum signis internus arbiter edocuit.

Præclara Aidani prophetia & miracula.

Presbyter quidem Vtta nomine, admirandæ grauitatis & prudentiæ vir; ideoque apud principes omnes cumprimis honoratus, cùm Cantuam (adducturus indè Regi Osvvino coniugem, filiam Eduini Regis Eanfledam) mitteretur, accessit ad Episcopum, preces eius & benedictionem, vt prospero itinere legationem obiret, petitur[9]. Cui Antistes benedictionem impartiens, vasculum olei consecrati tradidit dicens Scio quanta vos in mari tempestas quassabit; quantisque fluctibus nauim inuoluet; sed tu memento hoc oleum sequentibus obijcere vndis: quo ilicò sedatis ventis, optata redibit tranquillitas; vosque cupito itinere domum remittet. Quæ cuncta, vt prædixerat antistes, ex ordine completa sunt. Et quidem inprimis cùm furentibus vndis pelagi nauis fluctuaret, frustraque vim tempestatis euigilante magistro, cum ipso iam penè interitu luctarentur; presbyter memor olei sibi traditi, assumpta ampulla, ex eo in põtum

Obserua hic vim rerum benedictarum.

misit;

misit, & statim, vt prædictum erat, immanis pelagi furor quieuit.

Virtus orationis S. Aidani.

Fertur etiam, huius Antistitis virtute atque oratione, regiam vrbem, quæ ex Bebbæ Reginæ quondam vocabulo cognominatur; neque obsidione, neque armis hostilibus capi potuisse. Nam cùm Merciorum exercitus, Penda Duce, vrbem longa obsidione pressam, opportunum nactus ventum illato igne comburere niteretur, Aidanus qui tunc haud procul ab vrbe in Insula Farne morabatur, ventis furentibus, globum ignis ac fumum supra muros vrbis exhalare conspiciens, eleuatis ad cælum oculis, manibusque, cum lachymis dixit: Vide Domine, quanta mala facit Penda. Quo dicto, statim, mutati ab vrbe venti, in eos qui accenderant, flammarum incendia retorserunt: ita vt aliqui læsi, omnes territi, ab vrbis, quam diuinitùs inuari cognouerant, oppugnatione cessarent.

S. Cuthberti vitam habet lector 20. Mart. Tom. 1.

Obijt autem vir sanctissimus, septimodecimo Episcopatus sui anno, in Insula Lindisfarnensi, in fratrum cœmeterio sepultus: cuius animam S. Cuthbertus ab angelis in cælum deferri vidit.

SEPTEM-

SEPTEMBER.

MARTYRIVM DVODECIM FRATRUM Afrorum: Ex eo quod a Alfanus, Episcopus Salernitanus, hexametro versu conscripsit.

FVIT in Aphrica a Valeriani temporibus, Bonifacius quidam, vir illustri genere natus: qui ducta in vxorem Tecla, æquè illustri genere fœmina, duodecim ex ea suscepit liberos: quorum hæc dicuntur fuisse nomina Donatus, Felix, Arontius, Honoratus, Fortunatus, Sabinianus, Septiminius, Ianuarius, Felix alter, Vitalis, Satyrus, & Repositus. Hos pij parentes, præclaram sanè sobolem, literis & Christi cognitione perfectissima imbuendos suscepêre, tanto studio atque diligentia, vt non rarò pias Christo lachrymas funderent; quò eorum filij vitam ab omni sceleris contagione, ac præcipuè ab infandis simulacrorum sacrificijs puram perpetuò ducerent. Hæc cùm verbo & doctrina, die nocteque apud eos agerent, & assiduis precibus à Diuino numine flagitarent, illi ad vnum omnes dociles inprimis se parentibus præbuêre; annosq; pueriles prudentia & virtute longè superârunt. Indè crescente paulatim ætate, adeò feruor fidei in pectoribus eorum exarsit, vt spretis possessionibus, domo ac familia cõtempta, totos se ad debellandum Satanæ regnum conferrent, multosque mortales miserè errantes, ad Christi ouile traducere gauderent. Et quidem vt suis à ciuibus exitialem deorum culturam antè

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Roman.

a *al. Alphanus.*

1. Septem.

a *Anno eius Imperij 6. qui fuit Christi Domini 260. Sixti Papæ 1. cæpta est eius persecutio in Africa. Teste C. Baron. Tom. 2. Annal.*

Patria & Parentes.

Nomina duodecim martyrum fratrum.

In fide à parentib. instituuntur.

Profectus egregius.

omnia pellerent, patriamque Adrumeti nam, à fœdis Iouis & Herculis sacrificijs repurgarent, pari virtute & constantia omnes Florentium Herculis sacerdotem (eo die quo cum ciuibus solenni maximè ritu thura offerebat) aggressi sunt; & luculenta ratione impium facinus confutarunt. Stupebat ad martyrum constantiam & grauitatem admirandam, quæ ex vultu oculisque mirificè relucebat, plebs vniuersa; arrectisque auribus orationis facundiam excipiebat; ac tandem, nequicquam obtestante Florentio, se Christi sacra percipere velle conclamabat. Differebant enim martyres primùm de cruciatibus & horrendis tormentis apud inferos deorum cultoribus & impijs omnibus constitutis; indè verbis suauissimis, præmia & cælestis regni gaudia in omni æternitate Christi fidelibus & pijs omnibus reposita ob oculos ponebant; tanta virtute ac gratia, vt cuncti certatim sua capita lustralibus aquis subderent, animasque cum summo gaudio expiandas committerent.

Multos conuertunt ad Christum.

Intereà Cyprianus Carthaginensis antistes, vt primùm de tam insigni & admiranda planè fratrum virtute certior est factus, accitos ilicò ad se, ad virtutis constantiam & martyrij gloriam eos animauit accenditque; & Donatum quidem natu maximum, sacerdotio, Felicem verò in ordine secundum, Hypodiaconatu initiauit. Indè pleni gaudio & exultatione animarum curationem se conferre; cunctosque morbos & ægritudines, inuocato Christi nomine, ab vrbe pellere. Erat eo tempore in vrbe

S. Cyprianus Carthaginēsis Episcopus Donatum creat presbyterum, & Felicem hypodiaconum.

vrbe nobilis admodùm matrona, Restituta nomine; quæ præter viduitatis malum, incredibili animi dolore, propter filium vnicum sæuo dæmonio obsessum, affligebatur. Nam puer immanes dæmonis patiebatur cruciatus, tetrosque admodùm edebat clamores: qui matri dolores quouis mortis aculeo acerbiores adferebant. Cùm verò sacer ille fratrum cętus in vrbe degeret, dæmon ab ore pueri clamare cœpit, se nullatenùs recessurum, nisi Donatus & Felix, cæteriq; fratres aduenirent, & fidei suę, quam profitebantur, rationem redderent.

Eo clamore excita mater, ilicò missis legatis, fratrum pręsentiam supplex postulauit: qui quanquàm itineri iam iam accincti, insita tamen pietate commoti, ad domũ matronæ conuenerunt. Quæ mox victa supplicij filij atrocitate, ad eorum se pedes humi postrauit; & miserando valdè eiulatu, vt extremis filij miseriis succurrerent, obtestata est. Cui sancti: Quid, inquiunt, ô mulier, dij tui huic puero tibique non subueniunt? An non æquum esse putas, vt Iupiter & Apollo, quos tãtis honoribus ac muneribus cumulatis, hanc vobis vicissim præstent gratiam, vt filius tuus illorum beneficio sospitatem consequatur? Ad hæc Deodatus Tribunus: O inquit, vtinam vestra medicamina huic misero prodesse queant: spondeo vos hodiè donis & muneribus amplissimis ornandos; & summo apud Carthaginenses in honore futuros.

Talia spondentem martyres modesto risu sic affati sunt: Ecquæ sunt quæ tu promittis

Christi seruis, qui cuncta munda huius boni stercora arbitrantur, vt Christum lucrifaciãt. Nos neque opes, neque honores, ne tãtilli quidem facimus, sed tota auiditate animarum salutem, pro qua Christus noster IESVS suum effundere sanguinem non dubitauit, sitimus: proq; ea pręter opes & facultates amplissimas quas spõtè reliquimus, hæc etiam corpora expendere parati sumus. Quare si huius infœlicis pueri mater, à teterrimo dæmonum cultu recedere, & filium pariter Christo consecrare velit, cedet ilicò dæmon, & puer integra sanitate subsistet. Mater ad hæc, vix mentis præ dolore compos, protinùs exclamans, ait: Si hoc modo optata salus filio redire potest, tum & ego & filius & tota denique familia libentes Christi sacra amplectimur; ipsumq́ue verum Deum confitemur. Tunc Donatus Christi numen ardẽtissimis precibus aliquamdiu precatus, dæmonem egredi compulit: qui mox relicto habitaculo, horrendo cum rugitu fugam capessiuit, & puerum Christi potentiam ac bonitatem prædicantem sanum & incolumen reliquit.

Donatus filium Restitutæ, illustris matronæ, à dæmone liberat, & illa cum tota familia credit.

Nec mora: Mater incredibili perfusa gaudio, cum lætabunda familia Christi sanctissima sacra suscepit; & fratres non minori affecti lætitia, suam ad Vrbem cœpto itinere perrexerunt. Intereà fama rei gestæ magna cum celebritate Romam peruenit; ipsumq́; inprimis Valerianum perpulit, vt antè omnia in martyres acri supplicio vindicaret. Itaque Roma Carthaginem summa cum festinatione contendit, & ilicò Restitutæ, quæ cum suis Deo

vaca-

vocabat, domum ingressus, minacibus admodum verbis eam inuasit, iurans & obtestans per capita deorum suorum, quòd eam, ni communio sanguinis obstaret, gladio conficeret. At vero Restituta, admiranda animi tranquillitate minas excipiens, placido sermone tale fertur responsum dedisse: Equidem, vt nosti, hactenùs quod ad deorum cultum quàm maximè faceret neglexi nihil: opes ingentes obtuli, die noctéque precibus ac lachrymis pro filij salute numina eorum fatigaui: supplex ad eorum limina iacui; sacrificia infinita obtuli: sed prô pudor, eorum nemo miseræ opem postulanti conferre potuit. Nec mirum sanè: Dij enim, qui à me hactenus tanto in honore sunt habiti, flagitijs innumeris cooperti fuêre; eaque propter infernalibus nunc ignibus addicti, æternum cruciantur. Solus Christus IESVS æterni Dei filius, qui sanguine suo nostra expiauit scelera, veram mihi meoque filio salutem contulit, dæmonem fugauit; & viam denique, per salutare lauacrum, ad cæleste regnum aperuit.

Restituta Valeriani cognata.

Præclara Restitutæ confessio.

His auditis, Imperator quæsiuit, quorum opera vel studio, ad eam cęlestis regni cognitionem venisset. Cui matrona: Studio, inquit, fratrum duodecim; quorum excellens & eruditio & virtus, haud dubito quin tibi quoque eadem facilè persuadere poterit. Tunc Valerianus, missso confestim Victore militium tribuno, Adiumentum, iussit Christi confessores vinctos adduci. Abijt confestim Victor furoris & minarum plenus: quem fratres orationi pariter intenti venientem placidè exceperunt. Indè

Victor Tribunus à Valeriano mittitur ad capiendos fratres.

mox Donatus sermonem de dijs instituens, prudẽter per ambages, ad vnius & summi Dei potentiam deflexit. Præbebat attẽtas aures Victor, scilicet eximia viri facundia delinitus: ac tandem, mirabili Christi gratia adiutus, deos omnes deasque repudians, ab vno Christo veram salutem sperandam esse didicit. Sequuti sunt protinùs Ducem suum milites; ac pariter omnes lustralibus aquis expiati, indissolubili amoris vinculo Christo adhæsêre.

Victor cum suis à Donato conuertitur & baptizatur.

Intereà Imperator, moræ impatiens, missa alia militum caterua fratres recepit, ac ilicò catenis vinctos tetro carcere condemnauit. Altera verò die tribunali oblatos minis terribilibus aggressus est; indignum facinus clamitans, deos omnes deasque, vni homini in Crucem sublato postponere. Ad quæ Donatus pio admodum & sereno vultu respondit: Tu, qui hominem illum Deumque simul in Crucem actum, tanta animi superbia contemnis, experire num eius potentiam superare potes. Experire, inquam, vtrum plebs Christi dæmonibus cedet; an verò nos Christi virtute, dæmonũ potentiam frãgere poterimus. Mihi crede, potes olida hæc nostra corpora internecione delere, animæ verò victrices de tua dæmonumq; tyrannide, in omni æternitate triumphum agent. Nostra enim virtus, noster triumphus, Crux Christi est; quam tu polluto ore spernere non horruisti.

Præclarè respondet Donatus Valeriano.

Infremuit ad hæc Valerianus, eamque (vt ille putabat) contumeliam fustibus vindicare præcepit. Fuêre ilicò martyres vestibus nudati, ac multiplici confusione fatigati: adeò vt fre-

Cædũtur fustib. martyres.

fractis ossibus, ac visceribus nudatis, vix spiritū ducerent. Sed quibus dulcia Christi præmia ob oculos perpetuò versabantur, in omni supplicio inuicti perstabant: ipsumque tyrannum sua constantia vehementiùs turbabant. Indè in tetrum abducti carcerem, cælesti protinus consolatione recreati fuêre. Nam nocte concubia Angelus Domini adfuit mirabili splendore coruscans: qui, solutis vinculis & catenis confractis, iussit martyres illæsos abire. Illi gaudio & exultatione pleni egressi sunt; totāque Carthaginem in maximam admirationem pertraxerūt. Populus enim cum cerneret duodecim illos fratres omnibus vinculis solutos mediam inambulare ciuitatem, aliud sanè, quam id quod res erat, sibi persuadere non potuit: nempè eos Christi virtute è vinculis ereptos, ad plurimorum curandam salutem missos esse. Vndè cuncti inter se Imperatoris tyrānidem execrari, eumque potius supplicio, quod in martyres statuerat, dignum esse clamare.

Mittuntur in carcerem, sed liberantur ab Angelo.

Quo populi murmure perculsus Tyrannus, turpi fuga per medias noctis tenebras, assumptis fratribus, salutem quæsiuit. Sed qui terræ pericula euasisse se gaudebat, mox ab ipso mari vindictam sensit. Nam sęua tempestate coorta, vltimum in periculum carina impellitur: prorsus vt nautæ omni salutis spe abiecta, ad impia deorum numina confugerent, & ab ijs solis salutem sperandam esse decernerent. Perculit ea vox nautarum Tyranni animum grauiter; ipseque sceleris conscientia fractus, non à dijs, sed à sanctis, quibus tot tantasque iniu-

Fugit Tyrānus cum sanctis martyribus.

iniurias intulerat, opem postulandam esse sta-
tuebat. Igitur cùm diu frustrà nautę omnes cla-
moribus & sacrificijs dæmonum simulacra fa-
tigassent: Valerianus mortis periculo exani-
matus, fratrum nomina cum gemitu inclama-
uit, orans supplicansque, vt virtute superna,
quam profitebantur, procellas fugarent.
Hæc anxiè postulantem, occulta Donati feli-
cisque virtus, vel potius testis conscientia
eum admonuit, vt primùm ab impio deo-
rum cultu pura cõfessione ad Christum tran-
siret, eiusque numen cum fide implorare:
ac tum demùm certam salutis rationem expe-
ctaret.

Poscit impi Præfectus sanctorum suffragia.

Dum hisce cogitationibus anxiè fluctuat, &
vota precesque diuino Christi Numini spon-
det, ac etiam promittit se sanctissima Christia-
næ fidei sacra susceptum, si sanctorum ora-
tionibus præsens mortis periculum euaderet,
eccè mox furẽtis pelagi vndæ quieuêre: ac prę-
ter spem omnem nauis incolumis portum ap-
pulit. Tunc Tyrannus, optata salutę gauisus,
nouo scelere impietatem cumulauit. Nam vo-
ti oblitus, Christi virtutem Ioui asscripsit: eiq;
soli salutem omnem acceptã referendam cla-
mauit. Indè iterum martyres aggressus, blandi-
tijs à Christo auellere conat⁹ est; spondẽs pro-
mittensq; eos primis honoribus extollendos,
& muneribus diuitijsque afficiendos, si Ioui
sacrificare vellent. Negarunt martyres, ac im-
piam tyranni vocem execrantes, se occidi pos-
se, vinci verò non posse, constanter respon-
derunt. Hoc tam constanti responso commo-
tus Tyrannus, omissa deinceps verborum con-
certa-

Votifragus tyrannus, acceptam salutem Ioui asscribit.

cutione, sanctos martyres vna secum in Italiam perduxit: ibidemque post varios cruciatus, diuersis diebus inuictos Christi athletas martyrio coronauit.

In Italia iidem SS. martyres certamen absoluunt. Vide Tom. 8. Annal. C. Baron. & Notat. in Martyr. Rom. 1. Septem.

VITA S. LVPI, EPISCOPI SENONENSIS. *Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Numeratur hic inter Senonenses antistites in ordine vicesimus. Claruit præcipuè Anno Salutis 614. sub Clotario Francorum Rege.*

BEATISSIMVS Lupus, inclytus parentibus, quadam ex parte regio stemmate illustratis, patre Bettone, matre verò Austregilde natus est. Territorium Aurelianense ad Ligerim flumen situm, tali progenie nobilitatum fuit. Cùm autem pij parentes diuino quodam præsagio, futurā prolis suæ sanctitatem cognouissent, mox, vt literarum studijs idoneus inuentus est, prædagogo commissus, tantos in disciplinis breui fecit processus, vt haud mediocrem ex eo cognati omnes ac Parentes præcipuè haurirent voluptatem. Erāt matri eius fratres duo; Austrenus & Aunarius, venerandi antistites; ille Aurelianēsis, hic Antisidorensis: qui visa morum grauitate in Lupo, & animi religione sanè admiranda, eum in Clerum adoptārunt. Itaq; sacris omnibus initiatus, tanta indies magis magisque gratia pollet vt Senonenses, defuncto Arthemio, eum sibi antistitem à Rege postularent. Annuit benignè Rex; vtpotè fama sanctitatis eius, quæ longè lateque increbuerat, probè instructus, eum, non illo modo, sed longè quoque maiore honore dignum esse.

Parētes eius.

Duo eius auunculi Episcopi.

Initiatur sacris S. Lupus.

Fit Episcopus.

Itaque Pontificali infusa decoratus, gregem sibi commissum summo studio ac vigilãtia regere tueriq́ue; admirandis quoque virtutum signis claresc̃ere: die quidem semina diuini verbi spargendo, nocte verò precibus & lachrymis in conspectu Dei fusis, dæmonis insidias auertendo. Cum autem quadam nocte ad limina basilicæ Beati [a] Aniani peruigil in precibus staret, & fores custodum diligẽtiãmiter obseratæ eum ab ingressu arcerent, & ipse prostratus in limine pias Domini aures precibus pulsaret, eccè derepentè, amotis cęlitùs repagulis, patescunt valuæ, templiq́ue adita sanctum virum roseo vultu nitentem accipiunt. Inter omnia verò virtutum eius studia, charitas, ac præcipuè præclara in obtrectatores eius eluxit benignitas: quæ tanta fuit, vt eos non tantùm beneuolentia, sed donis etiam muneribusq́ue prosequeretur; vt se vel inprimis pacis maximè studiosum ostenderet. Cæterùm vno conscientiæ teste contentus, nihil maleuolorum hominum linguis mouebatur.

a *Habetur istius Aniani vita 17. Nouembris.*

Diuinitus ei patescunt fores Ecclesiæ.

Egregia eius benignitas in inuidos.

Per id tempus Theodoricus Rex cum Brunichilde auia, Burgũdiæ regnum administrabat. Ex eius aula venit ad sanctum Episcopum Fulcarius vir illustris & Aurelianorũ Comes: ea de causa beato viro præcipuè addictus, quòd pater eius Betto ipsum è sacro fonte suscepisset: indicauitq́; illi, quòd in regia honestos parùm rumores de illo audijsset, tanquam qui ancillam Dei Verosiam, antecessoris eius Arthemij filiã, immoderatiùs amare videretur. Cui vir sanctus aduersum illa obtrectationũ tela, Euangelici sermonis scutum opposuit, cõmemorans

morans illam Saluatoris sententiam: Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. *Matth. 5.*

Contemnit hominũ obtrectatones.

Mortuo autem Theodorico principe, Rex Clotarius in Burgundiam veniens, hostili manu armatũ Blidebodem ducẽ misit in Senones. Illo ergo tela atrociter in oppidũ vibrãte, sanctus Episcopus in protomartyris æde ad orationum præsidia cõfugiens, dato ecclesiæ a signo, imbellem, turbã pariter conuocare decreuit. Et eccè hostes, audito signo, tanto sunt terrore correpti, vt in sola fuga oẽm salutis spem collocandã putarent Ita vir sanctissimus, dum instãr Moysi ad cælũ tollit manũ, hostes profligat. Postquã verò Clotarius Burgũdiæ regnm obtinuit, Farulphũ, virũ diuitijs & potẽtia celebrẽ; ob regia negocia curãda eò ablegauit. Is vehementer indignatus, quod parum honorificè ab antistite exceptus fuisset, quodq; muneribus ei obuiã non venisset, Regi deindè multa de sancto viro falsa retulit, & mendacijs Medegisili viri nequissimi eiꝰ æmuli, artificio cõflatis persuasit, vt S. Lupũ exilio damnaret. Nihil ea turbatus iniuria sanctus, in villam Andesaginã, ad flumen Auciam mãdato Ducis Bosonis Landegisili, pagani, Christianis inprimis infesti, profectus est. Ibi verò constitutus, ad solatium sui exilij gentem illam Christianis sacris imbuendam suscepit. Adfuit cœptis virtus diuina. Nam cùm verbis duræ ceruicis populum, ægrè mollire posset; miraculis rem aggressus est; cæcumq; inprimis, spectante Duce, Christi gratia & vir-

a *Fuit illud prægrande tintinnabulum, quod Campanam vocant.*

Oratione hostes in fugã vertit.

Exodi 17.

Mittitur in exilium.

Cæcum illuminat, & multos conuertit.

& virtute illustrauit. Eo miraculo, expugnat protinùs Ducis perfidia fuit:: ipseque aquis salutaribus expiatus, cęteram plebem suo exemplo ad parem gratiam ritè percipiendam inuitauit.

Restituitur Ecclesiæ suæ S. Lupus.

Intereà ciues Senonenses, ablatum sibi impia crudelitate pastorem dolentes, Medegesilum in Basilica S. Remigij acerba morte interimunt; & summis infimisque precibus, ab ipso Rege per VVinebaudum Abbatem, pastorem sibi restitui postulant. Flectitur VVinebaudi precibus Rex; mutatoque in beneuolentiam odio, Episcopum reduci imperat. Reuocatur ab exilio vir diuinus, & Regis vultui summo procerum gaudio præsentatur. Rex verò venientem episcopum contemplatus, pietate flexus, ad pedes eius humi prosterniur, veniamque ab illo deprecatur. Cernens verò antistitem macie & squalore confectum; conscientia tactus, magno cum gemitu eius se miseriæ reum fatetur; & sancti viri delatoribus diras imprecans, iubet eum honorificè tractari: & coma barbaque tonsis, regio cõuiuio, vnà cum eius Clero excipi. Ibi tum Rex ex persecutore factus beati viri minister, suis manibus ei cibos porrigit; & rursus in media conuiuantium turba humi prostratus, sui facinoris veniam petit: Tandem magno omnium gaudio & exultatione coniuio celebrato, donis muneribusque affectus, Senones vnà cum VVinebaudo concessit. Porrò cùm Lutetia iter haberent, ingens reorum turba vinculis carceribusque inclusa eorum virtute mortem eusit; festiuoque cum gaudio obuiam procedens, diui-

Rex eius pedibus se prosternit.

Magna Regis humilitas.

Captiui multi virtute S. Lupi liberantur.

dinum beneficium sanctorum istorum meritis acceptum, publica confessione retulit. Indè ad castrum Miledunum progressus, horreum immani flamma correptum vidit; populoque frustrà incendium sopire conante, ipse mox in oratione prostratus non prius è terræ puluere faciem leuauit; quàm flammis fugatis, horreũ nulla ex parte læsum à ciuibus inuentum fuit. Ijs clarus miraculis à Senonico populo cum hymnis & canticis exceptus fuit; & summo cũ honore in sedem restitutus.

Precibus incendium restinguit.

Cæterùm quanta virtute ac charitate dignitatem illam administrauerit, cùm alia multa, tum præclarum illud, quod in *Obordòne prædio contigit miraculum; abundè testatur. Cũm enim diuinis mysterijs intẽtus, effusi pro nobis Christi sanguinis cõsecrationem perageret, sacerdotibus Leuitisque præsentibus, gemma radio micante pulcherrima, cælitùs in calicem delapsa est; quæ diu apud Senones conseruata, iubente Rege, inter reliqua Sanctorũ pignora reposita est.

* *Bardone.*

Gemma cælitus labitur in eius calicem.

Nocte quadam inter sacras vigilias, vir sanctus insolita quadam siti se vehementius vrgeri sensit. Admirans verò sitis causam, faciumq; ardorem, frigidam adferri iussit. Qua allata, gulæ cupiditatem acrius adhuc dæmonis profectò fraude tentari animaduertit. Tum verò insidias hostis antiqui probè intelligens, (qui per gulam in corporis eius domicilium aditũ quærebat) signatum suum puluinar, ad vasculi os strictim applicari iussit. Res mira, dæmon vasi inclusus, tota nocte miserandos edens eiulatus, fraudes suas inuitus patefecit; ac orto demùm

Notarem miram.

mum Sole pudebundus abſceſſit. Vir ſanctus vt erat vigiliarum patientiſſimus, ita ſingulis ferè noctibus, vno contentus comite, vicina ſanctorũ loca venerabundus obibat. Cùm autem quadam nocte hoc pietatis ſtudium perageret, duos inter ſe Clericos de concubitu fœminæ vnius corrixantes audiuit. Quo facinore quanquâm haud mediocriter turbatus, prudenter tamen ſe continuit: ſtatuens, ſanctis potiùs precibus, quàm iracundo iurgio miſerandum eorũ caſum ſubleuare. Feſtinus igitur ad eccleſiã abijt; fuſisq́; pro eis breuiter precibus, ſuis ipſe manibus inſonuit: omniq́ue illo ſæuæ libidinis ardore extincto, cum alijs ad Eccleſiã properârunt; debitumq́ue officium ritè perſoluerunt. Inde prudens antiſtes, accito vtroque, in ſpiritu lenitatis correptionem inſtituit; eaq́ue cum prudentia teterrimum facinus ob oculos eis propoſuit, vt vltrò proſtrati veniam peterent, & melioris vitæ propoſitum integrè conciperent. Et vt multis animarum cæcitate laborantibus lumen reſtituit, ita miſeros quoslibet, corporeo viſu, aliove ſenſu priuatos, nequaquam diuini beneficij expertes reliquit: ſed quouis tẽpore, ac quouis loco, languidos curauit, ægros inuiſit, pauperib. larga manu ſubuenit; ac omnibus deniq; omnia factus, ſingulis debitam conſolationem exhibuit.

Precibus ardorem libidinis extinguit.

Miraculis claret.

Obitus eius.

Tandem verò ætate deuexa, plenus bonorũ operum, in prædio Briennonenſi ſpiritũ ſuum Creatori tradidit; ea cum odoris fragrantia, vt nihil aromatibus ad corpus condiendum ſeruandumq́ue opus eſſet. Funus fuit multorum lachrymis ad pedes S. Columbæ in baſilica

filiæ, sepulturæ mandatum. Vbi multis clarum miraculis aliquamdiu cùm quieuisset, Episcopus quidam, improbus ille, inuidiæ stimulis concitatus, quasi ea miraculorum gloria S. Lupi meritis precibusq; minimè tribuendi foret, sepulchrum eius proteruè conculcauit; sed mox contractis neruis, caduco morbo, sceleris sui pœnam persensit. Qui deindè, admissi sceleris pœnitudine ductus, supplex à sancto remedium postulauit; percepitque.

Pœna Episcopi petulanter eius sepulchrum cõculcantis.

VITA S. AEGIDII ABBATIS, EX antiquis M.S. Codicibus. Quo tempore claruerit, patet infra: Ex Cæsarij nempe Arelatensis Episcopi.

Vide Tom. 6. Annal. C. Baron. & Not. in Martyr. Rom.

SANCTVS Aegidius Athenis oriundus, præclaris admodũ & regia stirpe illustribus natus parẽtibus, patre videlicet Theodoro, matre verò Pelagia, egregiam parentum pietatem, suis ipse virtutibus sempiternã reddidit. Vt primùm tenera illius ætas disciplinis idonea extitit, fuit à parentibus, quibus erat vnicus vniceque charus, literis adhibitus: quibus ita deditus fuit, vt cætera præ illarum amore contemnere videretur. Veruntamen ita mẽtem liberalibus artibus imbuebat, vt maioretamen ardore charitatis officijs deseruiret: nullamque de omnibus benemerendi occasionem negligeret. Hinc cum die quodam ad ecclesiam pergens, ægrum quendam humi stratum miserandis vocibus alimoniam à prætereuntibus petentem audiret, sanctus puer, misericordia motus, confestim propria se tunica exuens,

1. Septem. *Patria & parẽtes eius.*

Studiũ eius & egregia pietas in tenera ætate.

exuens, eam egeno tribuit : Nam aliud quod daret, ad manus non habebat. Ea verò indutus æger, ilicò se à graui corporis afflictatione liberatum sensit; lætusque exiliens, magis de salute quàm de veste gauisus est. AEgidius verò domum reuersus, & à parentibus vbi vestem reliquisset interrogatus, respondit, quendam haud satis sibi notum eam abstulisse.

Patrimoniũ suum pauperibus distribuit.

Non multum verò post parentibus eius vita munere sanctè perfunctis; patrimonium suum lautum atque opulentum in pauperes erogauit; suarumque possessionum lætabũdus Christum fecit hæredem: vt à Christo vicissim vberiores diuinæ gratiæ, cui totus inhærebat, opes acciperet. Nec est sua spe frustratus iuuenis.

Pro terrenis accipit cælestia.

Nam præter admirabilem conscientiæ tranquillitatem, & gaudium illud Spiritûs sancti, quod omnem sensum & intellectum superat, multis magnisque miraculorum gratijs à Deo mirificè ditatus fuit; adeò vt ex summa nominis celebritate animæ suæ periculum vehementer timeret. Itaque cùm in patria maximarum laudum præconia se diutius declinare posse diffideret, solitudinem vltrà mare petere decreuit. Cumq; clam omnibus solus matris litus inambularet, & fusis precibus opem transmittendi à Deo postularet, vidit procul quandam nauim horrenda quassatam tempestate, certum iam ad exitium deferri. Tum ille humi confestim stratus, supplices pro vectorum salute cum lachrymis Deo obtulit preces: quarũ virtute, lacera nauis, sedata tempestate, ad portum appulit. Videntes autem nautæ virũ sanctum adhuc orationi & lachrymis & intenti-

Nauem periclitantem suis precibus liberat.

quis

quis & cuiàs esset, interrogârunt. Quibus ille, se Christianum esse, Romamque, si facultas daretur, pergere respondit. Illi, visa viri sanctitate, eius mox pedibus prouoluti, & nauim, & commeatum, aliaque vitæ degendæ necessaria obtulerunt; si placeret ea facultate vti. Eo beneficio vir sanctus gauisus, nauim conscendit, panisque velis, post dies quatuor totidemque noctes cuidam insulæ applicuerunt. Ibi verò nautæ cùm humana vestigia littoris saburræ impressa cernerent, ijs prudenter insistentes, Aegidio comite, ad tugurium quoddam inter veprium densitates situm peruenerunt. Vbi AEgidius hominem lectioni librorum intentum conspiciés, cum gaudio irrumpit, hominemque arctissimè amplexans, de institutione & tempore ibidem exacto studiosè inquirit. Respõdit ille, se duodennem ibidem pœnitentiam egisse, crudisque herbarum radicibus & âqua sustentatũ, cunctas corporis molestias & dæmonum insidias, facilè cælestium rerum delicijs superasse. His auditis, AEgidius similis vitæ cupidine mirabiliter exarsit; nec persuaderi à nautis potuit, quin saltem triduum cum viro Dei ibidem exigeret.

Petit Romã S. AEgidius.

Triduo apud quendã eremicolam manet.

Inde verò ab inuicem non sinè acri dolore diuulsi, sublatis ancoris, prospero cursu Marsiliæ vrbi illabuntur. Præerat tunc Arelatẽsi Ecclesiæ magna cum opinione sanctitatis Cæsarius: cuius virtutum præconio prouocatus AEgidius, Arelatem contendit; vt tanti præsulis colloquio instrueretur. Eum autem Arelatis vidua quædam cumprimis locupletes hospicio

Cæsarium Arelatensem Episcopum inuisit; qui floruit anno Domini 508.

&c. sub Clodoueo Francorum Rege; vt patet Tom. 6. Annal. C. Baron. Item in appendice Tom. 7. vbi & fit mentio eiusdem AEgidij.

ſpicio officioſiſſimè excepit; & omni qua potuit humanitate tractauit. Intereà dum cœna præpararetur, vir ſanctus audiens in ſecretiori domûs parte quandam luctuoſa ſuſpiria & gemitus ducere, matronã interrogat, quid ſibi ſuſpiria illa vellent. Cui illa: Eſt, inquit, filia mea Theocrita, quæ triennio & amplius cum febribus miſerabiliter conflictata, nullum ſuæ miſeriæ remediũ inuenire potuit. Equidem opes plurimas pro ſalute eius in medicos erogando diſtraxi; ſed nullo hactenus tãtæ operæ precio: tu ſi quid medicaminis noſti, quod huic opitulari poteſt, multis magniſque ditatus muneribus hinc abibis. At ille nihil terrenæ medicinæ ſe ſcire faſſus, ſolito precũ antidoto, optatæ eam ſoſpitati reſtituit: Iſtius autem miraculi fama breui diuulgata, ad Cæſarij Præſulis aures peruenit. Mox igitur miſſo archidiacono ſuo Aurelio, AEgidium accerſit; venientem ſumma cum reuerentia ſuſcipit, ac biennio multis obſecrationibus apud ſe detinet.

Sanat precibus puellam triennio febricitantem.

Biennio manet apud Cæſarium.

Sed vir Domini tranſacto biennio, ſolitãriæ vitæ amore clàm inde receſſit; tranſitoque Rhodano: ſecus ripam Guardanis fluuij aliquod latibulum ſuo propoſito aptum quærés, haud ſinè numine Veredemiũ inuenit eremicolam; ſanctitate & miraculis inſignem. Is in cuiuſdam rupis concauo morabatur: quo ſaxorum aſperis anfractibus ſatis difficilis erat aſcenſus. Cuius vitæ inſtitutum ſanè ſanctiſſimum AEgidius æmulatus, eidem aliquamdiu adhæſit; ſeque inter alia mirabilium effectorem exhibuit. Nam morbidos (quorum ingens

Clam petit eremum.

Veredemius eremita.

gens numerus ad eos confluebat) quoſque ſanabat, & terræ ſterilitatẽ, orationibus fretus, fugaſſe perhibetur. Quę aliaq́; plurima cùm rurſus celebrem de eo rumorem lõgè lateq; ſpargerent, veritus ne aliquandò conſcientiæ puritatem ijs miraculorum ſignis turpiter fœdaret; relicto Veredemio, fuga ſalutari interiorẽ eremum penetrauit.

Petit interiorem eremũ.

Peruenit autem ad locum quendam, cui Septimania nomen, haud longè à Rhodani fluuij in mare decurſu, frutetis arboribuſq́ue obſitum, ſoliſq́ue ferarum luſtris frequentatum. Ibi reperto quodam antro, pellucido quodam fonticulo gratiſſimo, manſionem conſtituit; & tanquam regio apparatu diues in ſumma tranquillitate, pro ſalute totius populi ſanctiſſimas Deo preces obtulit. Cibum ei herbarum radices, potum aqua ſuppeditabant: ſed vt clarius innoteſceret, quàm grata acceptaq́ue Deo eius vitæ ratio eſſet, cerua quędam certis horis ſuorum ei vberum poteſtatem faciebat; lactiſq́ue alimoniam abundè præbebat.

Moratur in antro iuxta fonticulum.

Cerua ei ſua præbet vbera.

Triennio ibidẽ cæleſtibus fruitus erat delicijs, cum [a] Regis familia ſyluas illas ſaltuſq́ue venando peragrãs, ceruam illam corpore ſpecieq́ue præſtantem conſpicit. Nec mora: præda tam ſpecioſa ineſcati, ſolutis canibus eam inſequuntur. Illa verò vitæ ſuæ diffiſa, ad alumni ſui confugit auxilium; queruliſq́ue mugitibus à ſancto viro præſidium flagitat. At ille ceruæ ſuæ præter ſolitum admirans mugitus, foras egreſſus, canum audit latratus, & venatorum clamores. Tum protinùs, cognita re,

a *Fuit is Clodoueus Frãcorum Rex; nullus etenim Carolus nomine, ijs temporibus ac multis poſt, regnaſſe reperitur.*

Ceruam suã precibus cõtra canes defendit.

flexis genibus pro nutricis suæ salute Deum precatur. Deindè surgens innuit ceruæ, vt mugitibus parceret. Illa voce repressa, pedibus illius accubuit. Canes verò infrà lapidis vnius iactum, cum vlulatu substiterunt; ac nox denique superueniens, venatorum conatus irritos reddidit. Manè autem facto, omnis familia Regis ceruam venatura in syluam properat; sed eodem ordine ac modo, oleum & operam perdidit.

Eares vt Regi relata est, admiratione, vt par erat, defixus, accito Nemausensi episcopo; proxima luce cum multitudine venatorum & canum, syluam eam ingressus est. Cumque speluncæ appropinquantes canes cum vlulatu retrocederent, vnus venatorũ; vt latentẽ in spelunca ceruam expelleret, eo sagittam direxit; quæ oranti pro nutrice viro Dei, graue vulnus inflixit. Inter ea verò milites acrius insistentes, & ferro semitas aperientes, tandem ad speluncam peruenêre. Sed vbi senem canicie & ętate venerabilem, & horrida tectum veste, recentique ex vulnere cruore aspersum, & ceruam illius pedibus accumbentem conspiciũt, religione tacti, pedem referunt; soluseque Rex cum antistite, cæteris retro stare iussis, antrum subintrant. Ibi tum data acceptaque mutua salutatione, vt nomen patriamque viri, & instituti rationem probè cognôrunt, pedibus eius prouoluti, tantæ molestiæ veniam postulantes, medicos & impensas sanando vulneri spoponderunt. At ille, qua erat animi mansuetudine vir, flexis genibus prolorum erratis Deum precatus, negauit vllum sibi

Vulneratur vir S. sagitta.

sibi suoque corpori vnquam medicamentum adhibendum. Obtulit deindè opes & numera ei Rex ampliſſima: quæ vir ſanctus auerſatus, monuit Regem, vt ea potius egenis conferret, vel monaſterium conderet; in quo ſeruos Dei cœleſtibus ornandos diſciplinis congregaret. Paruit lætus & alacer Rex: duaſque eccleſias, alteram Apoſtolorum principi ſacram, conſtruxit; Priuato martyri alteram: in qua vir diuinus crebris intentus vigilijs, deindè pernoctare ſolitus fuit. Conceſſit verò ijſdem monaſterijs Rex ſpacium terræ quinque miliariorũ, quod S. Abbas (nam flagitante Rege id oneris inuitus ſuſceperat) tanto interuallo à ſpelunca ſua digreſſus, Regi occurriſſe dicatur.

Rex duas eccleſias & monaſteriũ conſtruit, cogitque Aegidium Abbatem eſſe.

Interea vir Domini, Abbatis munere ſanctiſſimè fungens, inſtanti monachorum ſuorũ ſupplicijque precatu, ad Sacerdotij honorem euectus fuit: quod ille munus cùm inuitus ſuſciperet, tum maiore ſanctitate adminiſtrandũ exiſtimauit. Itaque cum illud Pauli, Virtus in infirmitate perficitur, animo reputaret, petijt à Domino ne vnquam ab inflicti vulneris dolore in hac vita ſanaretur. Cæterùm commiſſum ſibi gregem tanta prudentia tantoque moderamine inſtituit, vt Clodoueus Franciæ rex fama virtutum eius commotus, miſſis legatis, eius cõſpectu colloquioq; frui voluerit. Aegidius, cognita Regis voluntate, eum adijt; & ſermonem de mundi contemptu familiariter, haud ſinè fructu inſtituit. Nam Rex cùm occulti ſceleris cuiuſdam conſcientia ligatus, ad illum vſque diem Dei iudicium non extimeſceret, tunc ſubito horrore perculſus, ſupplex

Fit Sacerdos.

2. Cor. 12.

Adit Clodoueum Francorũ Regem.

AEgidium rogauit; vt iratum suis sceleribus numen, precibus pacatum reddere dignaretur. Ea Regis supplicatione motus AEgidius, proxima deindè Dominica, Agni oblaturus sacrificium; intentiùs pro Rege Deum precatus est: & eccè sub ipso (vt vocant) Canone, angelus Domini in altari scedulam deposuit, quæ Regem voti sui compotem fecit. Eam scedulam sanctus Abbas Regi legendam tradidit, eumq; seueris monitis ab omni peccato absterruit; & sic demum donis muneribusque ad pauperum cõsolationem affectus, monasterium repetijt. Antè verò quàm tecta monasterij subiret; fertur defunctum principis filium, in Nemausensi vrbe ad vitam reuocasse. Monasteriũ deindè ingressus, prophetico spiritu nunciauit fratribus, euersionem monasterij ab hostibus breui affuturam. Itaque vt & suo desiderio faceret satis, & monasterij bona iuri subderet Apostolico, Romam profectus est: vbi cuncta à Christi vicario ex animi sententia obtinuit; & duobus insuper ostijs cypressinis, ad ornamentum sui monasterij donatus est. Ea verò ostia vir diuinus in Tyberim demitti præcepit: omnibus interim stultitiæ & insaniæ virum sanctum arguentibus.

Miraculum.

Proficiscitur Romam S. AEgidius.

At ille, peractis itineris sui negotijs, vt primùm monasterium est ingressus, nunciatum est, duo miræ sculpturæ in portu fluminis adesse ostia. Eo nuncio gauisus, immensas Deo gratias egit, qui eas per tot vndarum vertigines, per tot scopulorum collisiones, per tot etiã portuum applicationes, sibi illæsa gubernare dignatus esset. Tunc ea deferrad mona-

Aliud miraculum.

monasterium, & in templi liminibus ad decus pariter, & Romani pacti monumentum posteris constitui iussit. Confirmatis igitur in Dei militia fratribus, monasterijque rebus conuenienter dispositis, vir sanctus, vt potè miles emeritus, de transitûs sui die diuinitus certior factus, è præsenti ergastulo ad cælos migrauit: cuius animam, multi qui aderant, cum hymnis angelicis & odore suauissimo, ad beatas illas mansiones delatam testantur. *Fœlix obitus eius.*

VITA S. IVSTI DECIMI TERTII Lugdunensis Episcopi; Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Claruit autem Anno Domini 381. &c. sub Damaso Papa & Gratiano Imperatore.

Vide Tom. 4. Annal. & Notat. ad Martyr. Rom.

BEATVS Iustus Antistes Lugdunēsis quāquàm compertum non sit, quo sanguine, quibusve parentibus in lucem prodierit, præclaris tamen & generosis planè natalibus eum ortum fuisse crediderim: vt potè qui tam excelso animo arduam virtutis semitam à teneris est aggressus, vt martyribus haud inferior meritò haberi possit. Nam vt inexpugnabilē eius in operibus fidem prætereamus, præcipuus in victu rigor & parsimonia, diuturna in solitudine habitatio, cæteraq; inuictæ virtutis & patiētiæ certamina tanta fuêre, vt martyrij sinè sanguine palma iure ei tribuatur. Itaque primùm Viennensis Diaconus, posteà Lugdunensis Ecclesię antistes, populum sibi creditum tāta virtute & integritate gubernauit, vt magnificos & præstantes quoslibet

2. Septem.

S. Iustus à scriptoribus martyribus æquatur.

Domini Sacerdotes omni virtutum gratia anteiret. Sed cùm ita intentus functioni suæ, & plebis profectui, illi Ecclesiæ præsideret, ad eum expellendum frementis diaboli exarsit inuidia. Nam cum in ea vrbe quidam subito mentis furore correptus, in publicum se proripiens, obuios ignarosque confodisset, atque atrocitate rei excitato tumultu, hinc atque indè premeretur ab infesta multitudine, eodem quo in scelere vsus fuerat, telo se defendens, in Ecclesiam, nonnihil iam sibi restitutus, confugit; obseratisque sacrarum ædium valuis, diu reuerentia loci, insanientis populi furorem à se amouit.

Sed cùm seditio increscens, iam etiam templo Domini ignes minaretur, beatus Iustus Episcopus, necessitate cõpulsus, accepta à quodam viro primario sacramentali fide, quòd nihil homini illi periculi intentarent, sed tantisper duntaxat in custodia asseruarent, donec populo esset factum satis; reum extrà Ecclesiæ claustra dimisit. Eũ verò turba, quæ in tumultu nihil alicuius pensi habet, pedibus colligatum trahens, vltimo mortis supplicio affecit. Tum ille vir Dei, sanctitate memorabilis, admissum facinus adscribit sibi; alienum crimen sibi imputat. Peccauit incondita plebs; & quidem Satanæ instinctu peccauit; Iustus autem quid fecit? Confidebat ille in Domino, & dicebatur animæ eius, Transmigra in mõtem sicut passer. Nam Iustus ille, qui fuerat magnus Sacerdotio, factus est maior voluntario exilio, officio scilicet Sacerdotali se statim abdicare, & loca peregrina animo latitanti expe-

Alienum peccatũ sibi imputat.

Psalm. 10.

expetere. Reuersus igitur ex quadam Italiæ Syrtido, non Lugdunum venit, nè totius plebis amore obstrictus, liberam non haberet discedẽdi facultatem; sed apud Torrentem residens, si qui amici ad valedicendum ipsi eò excurrerent, sustinuit. Multis verò turbis luctu & lachrymis oppletis eò accurrentibus, veritus ne multitudine oppressus retineretur, clã solus, & præter omnem expectationem recessit; nec quisquam ei se adiunxit comitem, præter vnum Viatorem, egregiæ indolis puerum; quitum in Ecclesia Lectoris munere fungebatur. Is solus inquam, beatissimi senis latere cupientis vestigijs inhęsit; & iam Arelate & Massiliæ agenti, nauemque cõscendere volenti, nõ sinè admiratione se ei obtulit. Illo ergò in peregrinationis solatium recepto, eremũ sitiens, in AEgyptum nauigauit; soli ac vni illi adhærens, qui est spes omnium finium terræ, & in mari longè. Et cùm à facie furoris satanici, instar Eliæ Iezabelis minas fugientis, se subducere vellet, in deserta secessit; AEgyptijs illi alimoniam suppeditantibus: imò vt planiùs dicam, coruis illi, vt Eliæ, escas ministrantibus. Quoties enim per manus peccatorum sanctis victus affertur, toties suos Dominus coruorum opera pascit; quorum sanè atrum colorem, iniqui non immeritò à suis vitijs induunt.

Hic ille Iustus est, qui pro omnib. Gallicanis Episcopis interfuit legatus concilio Aquileiensi.

Vir sanctus clam deserit Episcopatũ, & fugit in Aegyptum.

Psalm. 64.

3. Reg. 19.

3. Reg. 17.

Postquàm autẽ Episcopus, & nomine & meritis Iustus, eò peruenit, inter sanctos illos eremitas degens, diu se celauit; vt tum nomine, tũ dignitate suppressa, sũmæ humilitatis opus exercere posset; non iam Clericis duntaxat, sed

etiam monachis & laicis sè inferiorem exhibens. Cumque non breui tempore ita tectus latuisset, accidit aliquandò, vt in præcipuo monachorum sanctorum cõuentu, à quodam fratre, qui ex hac prouincia eò tum peregrinus

Agnoscitur à monachis.

aduenerat, agnosceretur: isque ad eius genua prouolutus, cunctis stupentibus, & quid id rei esset scisscitantibus, sanctum Episcopum Iustũ illum esse confiteretur. Quod vbi cognitum est ab illis, omnes tantæ humilitatis virum admirantes, culpantesque ignorantiæ suæ temeritatem, quod pontifici sese quamuis nescij præposuissent, superiorem erga illum negligentiam recenti honoris exhibitione compensarunt.

Precibus suis pascit relictas oues.

Horum itaque vitæ particeps Iustus noster, noctes atque dies precibus & ieiunijs transigens, in conspectu Dómini perpetuus erat pro suis Lugdunensibus deprecator. Nam tametsi corpore ab illis aberat, at precibus aderat: neque illos reliquisse censendus est, ad quos suas preces referebat. Expetierat lachrymis opportuna loca, vt soli Deo vacans, quæ pro illis peteret, efficaciùs impetraret. Eo autem tempore, quo sanctus antistes in eremo morabatur, Antiochus tunc presbyter Lugdunẽsis, pio incitatus officio, ad visendum præsulem suũ peregrè proficisci deliberabat, vir sanè vitæ seueritate præcipuus, & qui nõ immeritò posteà in

Antiochus Iusti successor.

ea sede beato Iusto successerit. Cùm igitur tanti Præsulis desiderio terras ac maria transmitteret, beatus Iustus aduentum eius adeò prænunciasse fertur, vt etiam, quibus diebus, quæ loca adiret, exprimeret; ita dicés: Charissimus

Anto-

Antiochus noster hodiè illic moratur. Immò verò illumipsum diem, quo venturus esset ad eum, indicauit. Porrò cùm annis aliquot in eremo angelis proximam egisset vitam, & tantorum laborum dignus adesset finis, regna cælorum scandenti, & in extremis agenti, flens & animo consternatus dixit Viator: Cui me Domine relinquis? Beatus Iustus respondit: Ne turberis fili, tanquam solatio destitutus, non ita diu pòst tu me sequeris. Quam eius prædictionem, à diuina reuelatione manantem, veram fuisse sanctissimi iuuenis obitus declarauit.

Prophetia S. Iusti.

S. Iusti obitus.

Itemque Viatoris eius ministri.

Hoc autem silentio premere nolim, Lugdunensium ciuium erga sanctissimum antistitem suum, studium & amorem tantum fuisse, vt nó dubitauerit in AEgyptum proficisci, & penè inaccessas præ ardoribus scrutari solitudines, vt sacrum eius corpus indè in patriam asportarent. Nouerant illum eius fugæ cupidum fuisse, nec quod ipsos deseruisset, ei imputare voluerunt. Neque enim discesserat ab eis aliquo illorum contemptu, sed compunctione animi, ob eam, quam suprà diximus, culpam suscepta. Et certò ostenderunt Lugdunenses se tam præclaro non indignos antistite; cùm gratiæ eius magnitudinem officij gloria æquiparârunt: cùm egregij sacerdotis & sancti senis ossa reuerenda, fidelissima plebs à longinquis regionibus cum multa alacritate & religione reduxit; & cum lachrymis præ gaudio fusis ea exceperunt: dederuntque operam, vt qui spiritu cum ipsis erat, esset & corpore: in honorem Domini nostri Iesu Christi; cui est pote-

Nota studiũ Lugdunensium, erga sacrum eius corpus.

Transfertur eius corpus ex AEgypto Lugdunum.

potestas & gloria, cum patre & S. Spiritu, in secula seculorum.

VITA ET MARTYRIVM S. AIGVLphi, Abbatis Lirinensis, & Sociorum eius: Ex ea, quam optima Fide refert V. P. Laur. Surius. Passi sunt circa annum Domini 660. regnante Clodoueo eius nomine 2. Francorum Rege.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron. & Notat. in Martyr. Rom. 3. Septem.

BLESENSE castrum ad montis cuiusdam latus situm est; quē Liger fluuius praeterfluit: eo loco sanè piscosus inprimis, & magnam illi adferens vini atque frumenti, caeterarumque rerum, homini nutriendo, necessariarum, fertilitatē. Huius pagi & castri incolas fuisse Beati Aigulphi parentes, certissima relatione didicimus; non quidē superbo stemmate valdè insignes, nec opibus affluentes, sed tanta prole beatos. Poterat enim & de Aigulpho dici: Infirma mundi & contemptibilia, & ea quae non sunt, elegit Deus. Vt verò pueritiae annos exegerit, quanta animi puritate nocte dieque diuinis officijs haud rarò interfuerit, qua cura & studio pauperes pro viribus adiuuerit, explicatu est difficile.

S. Aigulphi humilis admodum prosapia.

1. Cor. 1.

Postquàm autem adolescentiae annos attigit, taedio rerum praeterlabentium affectus, multo vehementiùs in studia aeternitatis exarsit; adeò vt enixè cuperet suos pedes, ruptis seculi nexibus, in suaues Christi compedes inijcere. Itaq; celebri admodùm fama Mummoli Abbatis Floriacēsis prouocatus, ad eum profectus, animi sui aestum ei aperuit; arduamque virtutis semitam, gratulante Abbate, viriliter est ingressus.

fusque à beato Mummolo laudatissimo, regularis disciplinæ genere aliquãdiu probatus, eodem in sanctæ societatis contubernium admissus est. Tùm ille, qui summa quæque animo sibi proposuerat, nè laruam potiùs virtutum vel vmbras, per imprudentiam, quàm veras solidasque virtutes sectaretur; antè omnia indefesso studio è sacris literis perspicuam dilucidamque omnis boni & mali cognitionem (quã discretionem vocant) sibi comparauit. Qua in re vsq; adeò profecit, vt non solùm ei⁹ prouinciæ hominibus, sed etiam exteris doctrina eius haud vulgari admirationi esset.

Fit Monach⁹ Floriacensis S. Aigulphus.

Voluit autem Deus, quàm ei gratus esset, euidenter demonstrare. Iampridem vir sanctissimus & toto orbe celeberrimus, Benedictus, in Cassinensi cœnobio vita functus & sepultus erat: & vt ipse prædixerat, diu posteà à Longobardis illud cœnobium in solitudinem redactum est. Volens autem diuina prouidentia sacris beatissimi viri reliquias eo, quo par erat, honore affici, & Gallias earum aduentu consolari, per visum præcepit beato Mummolo Abbati, vt Aigulphum, Cassinum mittat, sanctissimi Benedicti ossa inde deportatum. Facit ita Abbas; & Aigulphus diuina ope fretus admirabiliter Cassinum peruenit: quod quærebat, nullo negocio reperit, & ad Patrem Mummolum lætissimus adducit. Extat hac de re libellus conscriptus. Hinc verò, licet nihil tale curaret, magna apud Regem & aulicos sanctitatis opinio beato Aigulpho comparata fuit. Cumque ea fama increbresceret, & per id tempus monachi Lirinenses, pastore destituti, à Rege

S. Aigulph⁹ S. Benedicti ossa quidem adducit in Gallias: remansisse verò in Cassinẽsi Cœnobio, redactas in puluerẽ carnes, ibidemque pro corpore integro,

piè ac sanctè à fidelibus venerari; cõprobat C. Baron. Tom. 8. Annal. anno Christi 644.

Rege Abbatem postularent, Rex, habito cum suis consilio, beatum Aigulphum præ cæteris omnibus maximè idoneum ei functioni iudicauit.

Fit Abbas Lirinensis.

Itaque vir beatus à Rege accitus, Abbatis munus susciperè cogitur. Is verò, quanquàm silentio & quiete propter sacrarum literarum amorem vehementer delectaretur, æquo tamè animo illud sibi onus imponi est passus: ea lege vt morum suauitate locum illum florentissimum redderet Et quidem fuit primùm magna cum charitatis ac lætitiæ significatione à fratribus exceptus: quibus ipse tanta discretione salutaria animarum fercula administrabat, vt cuncti se talem pastorem nactos esse mirificè gratularentur. Aderat omnibus ipsius conatibus Deus, eiusque verbis tantam vim & efficaciam præstabat, vt non modò præsentes eum cupidè audirent, sed illi etiam, quia à monasterio recesserant, magno cum desiderio redirent. Prætereà multi quotidiè ad tam eximij pastoris ouile & sacram disciplinam confluebant: & viri potentes donis amplissimis eum honorabant; vt nihil obstaret, quò minùs quoslibet sacri illius instituti cupidos admitteret.

Sed his mirè torquebatur tortuosus ille serpens, qui inuidia tabescebat, cùm se ab ijs, quos dudum sibi obsequentes habuerat, excludi cernebat. Itaque ad suas veterator artes conuersus, singulorum pectora sedulò explorat; num per aliquos, inter summè pacificos discordiæ incendium excitare posset. Tandem reperit duos egregios suæ nequitiæ administros,

Arca-

Arcadium & Columbũ; quorum opera sparso inter fratres pestiferæ discordiæ semine, totus in id incubuit, vt Aigulphũ monasterio exturbaret: quo, pastore sublato, liberius in oues lupus sæuire posset. Tandem verò duo isti dæmonis satellites, cùm iam & numero confiderent, & sui pectoris rabiem diutiùs celare non possent, instar flammæ diù pressę subitò erumpũt; & ægrè à cæde beati viri, eorumque qui illi adhærebant, manus abstinent. Et quidèm cæteris fuga ad Ecclesiam S. Ioannis periculum declinantibus, solus Aigulphus pro sua singulari mansuetudine verbis blandissimis rabiem eorum lenire studuit; ac tandem post multa: Si, inquit, me propter, hæc fiunt; dico vobis Ionæ verbis: Tollite me, & mittite in mare. Satius enim mihi est à vobis corpore separari, quàm vestra dissensione apud vos discruciari.

Arcadius & Columbus pseudomonachi persequuntur S. Aigulphum.

Ion. 1.

Hæc ille oratione visus est quidèm ad tempus illorum turbulentos animi motus cõpressisse, & sedasse furorem; adeò vt omnem melioris vitæ frugem promittere viderentur. Sed latebat in pectorum illorum latebris serpẽs antiquus; nec poterat vllis sancti viri monitis vel adhortamentis indè extrahi. Cumque per multorum ora impium facinus volitaret, & ad regias vsq; aures perueniret, veriti conspirationis auctores, ne Regis seueritas in ipsos animaduerteret, statuunt inter se vt alter ipsorum nempè Arcadius, relicto monasterio, ad Clerum ciuitatis populumque se adiungeret: alter verò, nempè Columbº, in ipso monasterio, eorum qui à sancto viro defciuerant animos, in suscepta perfidia confirmaret.

Inter-

Intereà Aigulpho, die nocteq́ue precibus & doctrinis insistente, Arcadius tandèm ad monasterium redit; fictis verbis & simulata humilitate, locum sibi restitui postulans. Cuius pestilentem animum vir Dei sentiens, præcisè non modò negauit, sed fratribus annitentibus, cœnobio expulit. Qua ille ignominia prouocatus, summa cum festinatione ad Nuceriæ ciuitatis principem Mummolum nomine abiit: eumq́ue hortatur, vt festinus ad monasterium, multas illic reperturus pecunias, se conferat. Princeps cupiditatis flãma incensus, incunctãter capessit iter, venitq́ue ad virum Dei: qui eũ quòd sæpè cum illo de rebus animæ salutarib. colloqui consueuisset, lauto satis excepit conuiuio; tametsi ex Audoëno Episcopo, iam antè insidias cognouisset. Mummolo igitur cum cõspirationis socijs prandente, subitò instar Iudę turbis stipatus aduolat Arcadius; manusq́; beato viro inijciẽs ligari ac fustib⁹ cędi iubet. Vinctus ille grauiterq́ue cæsus, exultat in Domino, hortaturq́ue suos qui arctiùs ei adhærebãt, vt præsentes tribulationes summum & maximum Dei donum animis reputarent. Et quidẽ cùm varijs iniurijs ad solis vsque occasum affecti essent, tandem è monasterij claustris quasi ad mortem abripiuntur: vbi sanè mirificis se mutuò verbis ad necem subeundam confirmabant. Ruebant in mutuos amplexus; gratulantes sibi inuicem, quòd non tantùm cõtumelias sed & mortem pro Christi nomine pati mererentur. Cumq́ue suauissimis sermonibus, è sacra ferè scriptura depromptis, & noctis tenebras, & ærumnas suas solarentur, accidit vt pręmœro-

S. Aigulphus captus verberatur.

En viri sancti & ei adhærentium constantiam.

mærore, quæ est humanę naturæ imbecillitas, vincti & custodes arctiori somno corripiuntur. Vnus verò è custodibus misericordia permotus, tectum carceris aperit, eosque ad fugam capessendam hortatur. At sanctus Aigulphus, gratijs quidem humanitati illius datis, consilio parêre recusans, ait: Siue viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur: cuius prouidentiæ cùm semel nos permiserimus; eius voluntati haudquaquà reluctabimur. Fiat de nobis, quod vult ille. *Rom. 14.*

His dictis, Arcadius totius mali huius caput aduenit; blandis verbis sanctorum dolores lenire volens. At vnus ex illis, Truchárius nomine, iusto dolore commotus, quod suggerebat animus, in faciem ei obijcit: Doleo, inquit, te imitatione filium esse Satanæ, qui cùm in exitium omnes impellat, etiam consolator vult videri. Doleo te fratrem esse Iudæ proditoris, qui instar illi' pro ficto osculo, sermones profers blanditijs quidem mellitos, sed succis venenatis refertos. Sed perfricta frons, cum animi crudelitate coniuncta, obiurgatione non retunditur: immò importunè perstat in sententia, se consolatorem simulans. Vtque magis etiam fidem faceret, se non fecisse, quæ fecerat, ad horam tertiam sanctis viris cibos & pocula offert, & tanquam illorum dolores miserans, hortatur vt se reficiant. At illi respondent, sibi fas non esse statutam refectionis horã præuenire, quæ hoc tempore in horam vsq; nonam producenda erat. Itaque amotis escis, ad canonicam horam dilata refectio est. Quę cùm

Arcadij simulatio.

En veros monachos.

aduenissent, fusis primùm pro Arcadio precibus oblatum cibum cum gratiarum actione pariter perceperunt.

Porrò Mummolus, simulans se illis, quæ fiebant, offensum, à monasterio iam recesserat, sed tertia die rediens, præda inescatus, cœpit singulis instãtissimè pecunias extorquere. Negant illi quidquam sibi pecuniarum esse, vpotè qui ex vitæ instituto, quod professi fuerant, nihil omninò proprij, ne ipsam quidem propriam voluntatem, possiderent. Itaque Mummolus sua spe frustratus, ne inanis omninò domum rediret, publica monasterij bona diripit, cunctaque quæ impia & scelerata cupiditas suadebat secum auehit. Eo verò cum præda dein recedente, beatus Aigulphus & cæteri, pro voluntate Arcadij & Columbi ergastulo concluſi, decem admodùm diebus squalore vexabantur. Quibus exactis, Arcadius & Columbus omnes naui impositos vnà secum, (incertum quò) per marinos fluctus abripere constituunt. Vbi autem longiùs euecti fuêre, subitò venti contrarij in nauis exitium conspirare visi sunt: sed nè sancti cum impijs pœnas luerent, nauis ita in medijs tempestatibus conseruata fuit; vt tamen diebus quadraginta, toto illo freto oberraret, nec vllo modo littus attingeret.

Mummolus princeps diripit res monasterij.

Videns verò Columbus mare sibi negare exitum, simulque metuens, si terram appræhendant, & sanctorum innocentiam, & suam crudelitatem patefactum iri, illorum linguas præcidi iubet: ne quo modo impium facinus indicti proderent. Sed illi præcisis linguis non minùs

Sanctorum linguæ præciduntur.

rus quam integris, Domino psallunt. At miser Columbus, nihil tanto motus miraculo, præcipit linguas eorum radicitùs excindi: sed nihil efficis, nihil proficis sæua crudelitas. Edunt verba sancti, sinè linguis perfectissimè. Audiēs id Columbus, addit scelus sceleri, viam omnē modumque inquirens, vt sanctos tanti facinoris prodendi facultate priuaret. Igitur nihil à diuinis laudib, cessantibus oculos erui iubet. Orbati luminibus corporis, interioris hominis oculos habentes cantabant: Ad te Domine leuauimus oculos nostros, qui habitas in cœlis. Atqui nec sic quidem immanitas Columbi & Arcadij repressa, suis eos vestibus nudari iubet, & alijs sordidis vilissimisque indui, ne externus religiosæ vitæ habitus, internam sanctorum proderet innocentiam.

Sinè linguis loquuntur.

Oculis orbātur.

Psalm. 122.

Cùm sic autem varijs atrocibusque affecti supplicijs per multos dies in mari iactati essent, tandem ad insulam Caprariam, die illo, qui totum per orbem institutæ à Christo Eucharistiæ memoria celebratur, appellunt. Ibi cùm ingens degeret monachorum numerus, fuêre incredibili humanitate ab illis excepti, & à diuturnis maris molestijs mirificè recreati. In ipso autem sacratissimo Paschatis die sub Missæ sacrificio, flagitiosissimus mortalium omnium Columbus, Diaconi functus est ministerio: & cùm ad id loci ventum esset, quo corporis & sanguinis CHRISTI sacramenta percepturi se inuicem osculabantur, ille impurus non dubitauit tam crudeliter à se mulctatis oscula præbere. At beatus Aigulphus eiusque socij pro acceptis iniurijs gratias Deo

Appellunt Caprariam insulam.

Olim moris erat in Ecclesia, vt fideles se inuicem pacis osculo exciperent, antè quàm sacrā communionē perciperent.

agebant: suosque hostes haud aliter quàm i timos fratres, incredibili charitate comple ctebantur.

Expleta verò solennitate, Columbus Ephe sum seculi negotijs operam daturus, proficiscitur: Aigulphus verò cum socijs illo in monasterio reditum eius operiri iussi, exercitijs maximarum virtutum sedulò incumbebant. Et quidem Aigulphus, absente æmulo, diuinæ verbi pabula monachis suppeditare aggressus, ita ta oris facundia de rebus cælestibus disserebat, vt cuncti ab illius ore pendentes, vix ad momentum quidē indè auelli possent. Deus namque, qui homini elingui sermonem cōferebat, tantam pariter gratiam addebat, vt humanæ mentis intelligentiam ferè superaret. Reuersus autem Epheso Columbus, sanctos viros monasterio abstractos rursus naui imponit: & à portu deindè sublatos aliam in nauim ab Africa illis obuiam factam transponi à satellitibus iubet; cum mandato vt eos ad insulam * Amaritinam venientes, internecione delere non differrent. Igitur vt ad insulam (quæ Corsicam inter & Sardiniam sita est) peruētum est, carnifices prompta manu ad cædem se parant; sancti orant, paulisper vt precari ipsis liceat: post preces, quibus suas animas Domino commendârunt, surgunt; & cum omni fiducia & alacritate inter verba oratiōis & Domini laudes capite cæsi, spiritum reddunt, tertio Nonas Septemb.

Aigulphus elinguis præclarè de rebus diuinis disserit.

**al. Amatinam.*

Capite cæduntur.

Apparet sanè, maligniſſimum dæmonem id molitum esse, vt martyrum certamen perpetuis tenebris inuolueretur: nè haberent homi-

nes

nes è propinquo exempla, quibus ad patientiæ capessendas coronas animarẽtur. Sed cùm truces illi carnifices in sanctorum nece occuparẽtur, vn' ex sanctis illis, Briconius nomine, scaphã nactus, indè se subducit. Fas est eum credere fraterna nequaquàm gloria priuatum, quem non timor à martyrio retraxit, sed DEVS ob tantam vtilitatem seruauit. Itaque is ad monasterium rediens, iam beato Aigulpho substitutum reperit virum venerandæ vitæ Rigomirum; cui nuncius tam atrocis cædis, itemque fratribus magnum attulit luctum & mœrorem. Simul autem eius rei certiorem faciunt Abbatissam Angarismam, à viro sancto ab ineunte ætate tam in scripturis diuinis, quã disciplina monastica probè institutam. Itaque communi consilio & ope naues parant, & per fideles ministros pręclaras martyrum exuuias, hominum quidem custodia destitutas, sed diuinitùs conseruatas, ad monasterium reuocãt. Et quidem Abbatissæ, caput cum brachio dextero, totum corpus S. Aigulphi obnixè petenti, concessa fuêre: reliquum verò cum aliorum fratrum reliquijs, monachi suum intrà monasterium condiderunt.

Briconius euadit cædẽ.

Rigomirus Abbas S. Aigulphi Successor.

Sanctorum corpora reducuntur ad monasteriũ Lirinense.

Porrò sanctæ Abbatissæ deuotio, suo nequaquàm caruit fructu. Nam eius in monasterio soror quędam omni videndi facultate priuata, cum plena fide ad sacras reliquias tota nocte in precibus excubasset, manè redditam sibi lucem sensit, iucundoque animo orbem solis radijs illustratum vidit. Nec modò deuotis sibi & diuina per ipsum beneficia poscentibus. patrocinatus est sanctus, sed & ipsi suo persecu-

Cæca monialis lumen recepit.

Visio terribilis Columbo offertur.

tori opem tulit. Columbus enim auctor cædis eius, cùm ea nocte, quæ diem martyrij eius sequitur, in lectulo se quietis causa reposuisset, mox ei astitit vir Dei, seuera cum obiurgatione, cur tantis immeritum se malis affeciisset, & innoxium sanguinem fudisset: atque ijs dictis, guttam fusi sanguinis tulit, eaque in pectore & dorso eius circulum pinxit. Tum miser illetre mebundus ad pedes eius corruens, rogauit inuictam & solitam eius mansuetudinem, ne ipsum tanti sceleri obnoxium, diuino iudicio reseruaret. Eius precibus flexus vir beatus, alterum expungit circulum, alterũ abolere noluit, dicens id fieri non posse, donec apud Clodoueum regem & Ebroinum maiorẽ domũs, publicumque Francorum iudicium ei remediũ afferretur, quod etiam factum est. Nam iussu Regis quæsitus & comprehensus, in vincula coniectus est; lataque in eum sententia diris pœnis affectus, & tandem interfectus est.

Columbus dat pœnas atrocitatis.

MARTYRIVM PRAECLARAE VIRginis S. Seraphiæ. Ex eo quod est apud V. P. Laurent. Surium. Coronata est anno Christi 122. Alexandri Papæ 2. Hadriani verò imperat. 3.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron.

CVM terribilis persecutionis dies Christianis innotuisset, & multi per orbem terrarum pro Christo cæderentur, sancta Virgo Seraphia, ciuis Antiochena, apud oppidum Vindinense in domo illustrissimæ Sabinæ, quam etiam ab impio simulacrorũ cultu ad sanctissima Christi sacra pertraxit, morabitur. Eò Beryllus præses promptã militum de-

3. Septem. *Eius passio 3. Iulij.*

Seraphia Sabinam conuertit.

stina-

stinuit manum, qui eam ad ipsi⁹ tribunal vinctam adducerent. Sed cùm ei se comitem adiũxisset Sabina, Præses eam reueritus (erat enim claris admodum natalibus orta) dimisit vnà cũ illa etiam S. Seraphiam. Post triduũ verò Præfect extructo trans pontem tribunali supra aram Albini, vbi solebãt iudicia exerceri, præcepit adduci Seraphiam, toto illo triduo martyrij desiderio vehementer ardentem. Eam igitur ab officiarijs ex ædibus raptam, sequitur rursus Sabina. Sed cùm cerneret se illam eripere non posse, iusto animi dolore cõmota, exclamans ait ad Præsidem: Canis rabide Asiatice, poli tuam in perniciem, sanctam Dei virginem & dominam tuam iniurijs afficere. Propè est enim Christus Deus noster, qui te & Imperatores tuos pœnis afficiet sempiternis, propter maleficia quæ in seruos Dei viui, crudeli & impia mente expromitis. His dictis, abijt lachrymans in domum suam.

Trahitur ad tribunal Berilli Præsidis.

Sabina Præsidem obiurgat.

Tum verò Præses ad Seraphiam conuersus, Sacrifica, inquit, dijs immortalibus, per totum orbem à cunctis honoratis. Cui Seraphia respondit: Ego Christiana sum, & omnipotentem Deum, cæli terræque conditorem timeo, & veneror: vestri verò dij, quos me adorare præcipis, dœmones sunt. Tunc Præses: Accede igitur, inquit, & Christo tuo sacrifica. Ego verò, ait Seraphia, quotidiè illi offero sacrificium. Et vbi, inquit Præses, est templũ Christi tui? vbi sacrificiũ q; illi offers? Dixit Seraphia: Hoc est illud sacrificium, vt meipsam mundã illi exhibeam studio castitatis, & alios quamplurimos, eius gratia adiuta, à morte ad vitam,

Constantia S. Seraphiæ.

à tenebris ad lucem, à cultu dæmonis ad eius seruitutem, in qua vera salus & vita consistit, adducam. Præses ait: Hoccinè est ergo templũ & sacrificium Christi tui? Hoc ipsum, inquit Sabina; quo nullum præstabilius est, quàm verum Deum nosse, illiq́ue tota mente atque virtute, piè viuendo, seruire. Ergò, inquit Præses, Tu ipsa es templum Dei tui? Respondit Sabina: Si eius freta auxilio mundam me conseruauero, illius vtiq́ue templum ego sum, cùm dicat scriptura: Vos estis templum Dei viui, & Spiritus Dei habitat in vobis. Præses ait: Si ergo violata fueris, desines esse templum Dei tui? S. Seraphia respondit: Si quis tẽplum Dei violauerit, disperdet illum Deus.

2. Cor. 3.

Ibidem.

At Præses id haud intelligens, iussit eam duobus lasciuis AEgyptijs iuuenibus tradi, vt ea tota nocte abuterentur. Accipiunt ergò illã impuri iuuenes, abductamq́ue in cubiculum valdè obscurum, ad fœdas voluptates allicere cogitabant. Illa verò primò ingressu ad preces conuersa, Christi IESV sponsi sui implorauit opem, ea virtute atque animi fiducia, vt sub prima noctis hora, qua impudici ad eam accedere tentabant, terribilis terræmotus & sonus subito excitatus totum oppidum concuteret; & iuuenes metu & horrore penè exanimes, humi deijceret. Cernens autem virgo sanctissima diuinum sibi adesse auxilium, gaudio incredibili perfusa, totam illam noctem, extensis ad cælum manibus, in laudibus & gratiarum actionibus Domino exegit.

Traditur duobus iuuenibus desloranda.

Lasciui iuuenes diuinitùs puniuntur.

Manè verò facto, missi adsunt à Præside satellites: qui visis iuuenibus humi miserabiliter

stratis

ſtris, & virgine in Chriſti laudibus mirabi-
liter exultante, renunciant Præſidi, iuuenes,
membris omnibus diſſolutis, neque loquendi
neque exurgendi vires habere. Fit protinus
magnus hominum concurſus; paratur, tribu-
nal, & virgo eximia pulchritudine prædita, ad
tribunal adducitur. Tunc Præſes per ludibriũ
ait ad eadem: Quid eſt Seraphia? Satiſne factũ
eſt deſiderio, an adhuc ferues libidine? Cui Se-
raphia: Tu quidem, inquit, pro peruerſitate
mentis tuæ, quam occupat diabolus, irridens
hæc loqueris: ego verò eos, quos tu dicis iuue-
nes, nec ſenſi, nec apud me fuiſſe ſcio. Tũ Præ-
ſes: Dic, ait, quibus maleficijs iuuenes eneruа-
ſti? Reſpondit Seraphia: Nobis Chriſtianis
magicas exercere artes fas non eſt. Quos autẽ
vos per maleficia veſtra interficitis, eos noſter
& omnium Dominus Chriſtus Ieſus inuoca-
tus vitæ reſtituit. Præſes ait: Si ergo Chriſtus
tuus maleficas omnes artes ſuperat, inuoca il-
lum, vt his iuuenibus priſtinas reddat vires: ex
quibus tum diſcere poterimus, quid tota apud
te nocte egerint. Ego verò certiſſimè ſic ſen-
tio, idcircò quibuſdã malis artibus te illos de-
mentaſſe, ne tuam turpitudinem proderẽt. Fac
igitur, vt iuuenes reſumptis viribus loquãtur,
vt tui corporis integritas, quam prædicas, no-
bis innoteſcat.

Tum Seraphia, adductis ad tribunal iuueni-
bus, prolixas Dòmino preces fudit; ijſque ex-
pleris, fide plena acceſſit; & iuuenes omnibus
membris deſtitutos ac planè languidos, in no-
mine Chriſti Ieſu ſurgere præcepit. Exilierunt
illi dicto citius, & populo non immeritò ad-

*Sanat iuue-
nes peßimè
mulctatos.*

mirante; Præses pariter stupore confixus, iubet edicere iuuenes, quo pacto fœmina & métis & membrorum eos officio priuasset. Respondent illi, iuuenem quédam præstanti corporis forma, & mirabili splendore adueniſſe; qui se medium puellam inter & eos interposuit: cuius splendor tremorem & caliginem & defectionem intuliſſet; atque ex eo tempore in præsens vsque, mentis compotes non fuiſſe. Vnde, inquiunt, necessario, concludimus, eam aut magam esse; aut certè, eius Deum reuera magnum esse. His auditis, Præses, Dic, inquit, Seraphia quibus artibus isthuc effeceris, & quamprimùm te missam faciam. Respondit virgo; Ego malas artes odi: immò Christiani omnes expresso Christi nomine incantationes omnes profligabũt, nec quicquam eis officient.

Lampades ei admotæ extinguuntur.

Tunc Præses ardentes ei lampades admoueri præcepit: quæ protinùs extinctæ sunt; & qui eas applicabant, resupini in terram cecidère. Sancta verò Seraphia, sublatis ad cælum oculis gratias Deo agẽs, Præsidem sua virtute & constantia pudore afficiebat. Is vero dedecoris impatiens, fustibus eam cẽdi iussit, Quod cùm fieret, ingens terræmotus vindictam de Præsidis scelere expetere videbatur: namq; fragmentũ quoddà è fuste, quo virgo cædebatur, in præsidis oculum insiliens, triduò pòst lumẽ oppressit. Tum ille furore correptus, capitis eã damnauit: quam illa sententiam cum gaudio excipiens niueam virgineamq; ceruicem iuxta aream Vindiciani trans arcum Faustini, lictori feriendam præbuit; quarto Kal. Augusti: cuius sacra-

Cæditur fustibus.

Capite punitur.

ſanctiſſimas reliquias illuſtriſſima Sabina colligens, ſuo in monumento repoſuit, quod ipſa ſibi magno ſtudio parauerat.

VITA S. REMACLI, EPISCOPI TRAIectenſis (qui Epiſcopatus poſtea à Leodium trãslatus eſt) Ex ea quam Notgerus antiſtes Leodienſis vir doctiſſimus conſcripſit. Quo verò tempore hic ſanctus floruerit, patet infra.

Claruit is Notgerus anno Domini 850.

QVo tempore Clotarius Rex, Franciæ regnum ſub Dominicæ fidei iugo florentiſſimum adminiſtrabat, & inclytum filium ſuum Dagobertum Auſtraſianis præficiebat, is erat regni illi⁹ Chriſtianiſſimi ſtatus, vt innumeros penè vtriuſq; ſexus homines meritis & vitæ ſanctitate ornatiſſimos ſuppeditaret. Vix enim vel hoc ipſo tempore vlla aut rara intrà regni iſtius limites eccleſia inuenitur, quę non alicuius eius tempeſtatis ſancti illuſtretur patrocinijs. Atq; vt innumeros prætermittamus, Eligius & Audoënus viri ſancti, regiæ miniſterijs fungebantur; beatus item Arnulphus & Romaricus, Regi à cõſilijs haud cõtemnendam toti regno operã præſtabant: S. Amãdus & beatiſſimus Remaclus, ſanctuſq; Goar, Aquitaniam ortu ſuo illuſtrabãt. Habet ea, præter caſtra & loca munita, vrbes quatuordecim prægrandes; eaſq; populoſas & celeberrimas, è quib⁹ duæ sũt metropoles; vna Burdegalenſis, magnis sẽper viris cõſpicua, altera Biturices, cuius tum Archiepiſcopus, ſanctus fuit Auſtregiſilus; & B. Sulpitius Archidiaconus; B. Auſtregeſili in epiſcopatu ſucceſſor. In quorũ paroe-

3. Septem.

En ſtatum Gallicanæ Eccleſiæ florentiſſimũ.

S. Remacli patria & parentes.

parœcia per id tempus beatus Remaclus in hanc lucem est editus, patre Albutio, Matrima matre: stirpe cùm opibus & generis nobilitate, tum moribus & pietate sanè illustri.

Instituitur à S. Sulpitio.

Igitur pientissimi parentes, vt filium suum pari virtute ac pietate ornatissimum haberẽt, eum B. Sulpitio literis moribusque imbuendũ tradiderunt. Apud quem primis pueritiæ annis præclarè exactis, indè fuit beato Eligio, vn

Commendatur S. Eligio.

inter eius ætatis homines meritorum gratia facilè primo, commendatus. Is verò generosę indolis adolescentem in Solenniacẽsi monasterio, quod suo in fundo construebat, sacris monasticæ disciplinæ institutionibus exactè imbuit: præclarè prudenterque secum statuens, magna ingenia ad res maximas nata, nũquam in dignitatibus fœliciter versari posse, nisi primò profundam numinis diuini cognitionem, ac salutarem timorem hauserint. Cæterũ Remaclus in illa palæstra tam sedulò strenueque diem ac nocte sese exercuit, vt stemmatis sui nobilissimi & opum maximarum oblitus, totum suum amorem Christo consecraret: nihilque ardentius in votis haberet, quam toeũ tum vitæ decursum in ea spiritali lucta exigere. Interim B. Eligius mandato Regis ad regni quædam negocia prudentia sua administranda euocatus, non dubitauit curam totius monasterij Remaclo committere; eumq; sibi substituere.

Præficitur monasterio.

Remaclus ea cura tanquàm stimulis quibusnam ad omnem perfectionem multo ardẽtius sectandam incitatus, tanta contentione ad picem virtutum omnium annisus est; vt fama sancti-

sanctitatis eius longè lateque sparsa, ad ipsos etiam aulæ proceres peruenirent. Quid igitur? Clamant certatim omnes, tantum virum, tam illustribus meritorum insignibus decoratum, Regis præsentiæ haud deesse debere; vt eius prudentia difficillima quæque regni negocia disponantur. Euocatur ergo, & honorificè, vt par erat, in regiam deducitur; magno deinceps omnibus solatio futurus. Per id tempus defuncto Ioanne Tungrensium vel Traiectensiũ antistite, inclytus Rex Dagobertus beatum Amãdum in ea cathedra collocare nitebatur. Et quia cum iniuria eum expulerat, ab illo ob quædã facinora reprehensus, vt arctius eum sibi deuinciret, obtulit ei filium suum Sigebertum è sacro fonte suscipiendum: quem etiam vir sanctus disciplinis erudijt. Inde inuitum & planè reluctantem, Traiectensium sedi præfecit: quã ille quidem toto admodũ triennio multis magnisque laboribus, sed nullo penè tantæ operæ fructu, regendam suscepit: prorsus vt incolarũ scelere offensus, excusso pedum puluere, indè recesserit. Incompertum verò est, quanto tempore plebs Traiectensis deindè pastore caruerit.

Cogitur in Regis aulæ versari.

S. Amandus fit Episcopus Traiectẽsis.

Verùm enim verò cum [a] Sigebertum pater Austrasianis Regem dedisset, & in Mediomatricum vrbe sedem constituisset, Traiectenses ex communi Sacerdotum electione, magnatũ multa frequẽtia, & omnium Ordinum postulatione, eiusmodi preces offerunt, neminem ipsis nisi beatum Remaclum Episcopum præfici debere. Commemorârunt deindè plurima de insigni eius & prudẽtia & sanctitate: eximia verò

[a] *Claruit anno 647. &c. teste C. Baron. Tom. 8. Annal. De eiusdem Regis virtutibus laudatis, vide anno Christi 658. vbi &*

verò charitatem, & promptum de omnibus benemerendi ſtudium, laudibus in cælum extulerunt. Illis eorum ſermonibus permotus Rex, accerſit ad ſe beatum Remaclum, eumque modis omnibus reluctantem, ea ſede dignißimum pronunciat. Tum Remaclus, veritus ne diuinæ reſiſteret voluntati, inuitus quidem ſeptimus & viceſimus Tungrenſi vel Traiectenſi eccleſiæ antiſtes datur: vt verbi diuini lumina, quæ hactenus apud ſe celauerat, pluribus impertiret. Qua verò religione, qua integritate, illud munus executus ſit, non opis eſt noſtrę explicare.

Sedem Traiectenſem inuitus obtinet S. Remaclus.

Multorum ille cœnobiorum, & fundator & rector, diſcipulos habuit admiranda ſanctitatis opinione celebres. In quibus beatus Theodardus, illius etiã in dignitate ſucceſſor, martyrij gloria decoratus è vita abijt. Itemque S. Lambertus, qui itidem ſua tempeſtate egregium ſe martyrem exhibuit. Beatus quoque Adelinus, in Aquitania natus, & peregrinationis eius (vt fertur) comes; poſt obitũ etiamnũ miraculis clarus. Quin & S. Trudo; cuius vitæ inſtitutum, & futuræ ſanctitatis excellentiam, ordinemq́ue diſciplinæ, diuinitus multo antè cognoſcere meruit: quę in ipſius Trudonis vita latius ibidẽ explicãtur. Interim beatus Remaclus cùm die ac nocte in cõmiſſo ſibi grege paſcẽdo ſedulus incũberet, cœpit maiori pariter ardere deſiderio liberiùs Deo vacãdi: vt poſſit quàm ſuauis ſit Dominus, vberiùs guſtare. Porrò per id tempus Sigebertus inter alia à ſe cõdita monaſteria, in loco quẽ Caſæcongidunũ vocant, ad Seſmarum fluuiũ, procerũ conſilio, cæ-

Præclari alii, quot Sancti eius diſcipuli.

Sigebertus Rex multa condidit monaſteria.

cœnobium Apostolis Petro & Paulo sacrum construxit: idque (sua liberalitate ditatum, & optimis spiritalis militiæ habitatoribus instructum, beato Remaclo regendum tradidit. Nec recusauit vir beatus; & maximè desiderio illectus, vt se totum ibidem vni soliq; Deo offerret. Itaque rupem orationis studio aptissimam, ferramentis excindi & aptari curauit: in qua tam egregiam cælestibus disciplinis nauauit operam, vt eadem posteà & dæmonibus terribilis, & hominibus supernorum virtute beneficiorũ maximè salutaris esset. At eius tandem loci pertæsus, (nimirum quod potẽtiores quidam magnas ei molestias inferrent) petijt obtinuitque à Rege, vt liceret in Arduenna, quæ sola cœnobiorũ expers erat, cælestе quoque domicilium construere.

Rogat Regẽ vt monasteria construat in Arduẽna.

Itaq; regia auctoritate & necessarijs munitus comitibus, Arduennam syluam, paludibus & montibus impeditã, petijt: atque Vvarchinnam fluuium adiens, inuenit illic certa indicia, loca illa quondam idololatriæ fuisse mancipata. Erant enim ibi lapides Dianę nominibus & effigie insculpti: fontes etiam hominum quidem vsibus apti, sed dæmonum infestatione obnoxij. Quæ vt adhibita adiuratione per Christi nomen & S. Crucis signum ritè expiauit, locum Malmundariũm appellari voluit; quasi à malo mundatum. Extruxit autem ibi oratoriũ, cellulis & domicilijs in vsus seruorũ Dei distinctum Et quia is locus in Agrippinensi diœcesi situs erat, cœnobium suscepit construendum, quod suæ diœcesis limitibus contineretur. Procedens ergò indè quasi ad duo

Malmundarium cur sic dictum, eiusque origo.

duo milliaria Occidentem versus, Callam riuulum, qui parochijs conterminus est, transijt, & ad Amblauam fluuium in cuiusdam montis confinio substitit: vbi aliquamdiu commoratus, multa de se sanctæ cõuersationis exempla dedit. Etsi autem locus ille fontibus diues esset, tamen quia angustior, eo relicto, ad Orientem gressus reflexit: vbi locum proposito suo futuroque operi accommodatiorem inuenit. Porrò quod feræ eo vndique ceu ad stabulum vel potûs vel pastûs causa confluerent, antiquitus ille locus Stabulaus dictus fuit. Quod nomen vir sanctus minimè immutandum censuit, sed & dici & esse voluit fidelium animarum stabulum. At verò fratribus, studio viri Dei illic congregatis, non paruum sæpe terrorem attulit strepitus ferarum; eo cateruatim accurrentium: ita vt cum horrore quodam frequenter ad Beatum Remaclum confugerent: eiusque opem contra diaboli machinas terroremque anxij implorarẽt. Quibus vir diuinus, præter alia monita, remediũ sacrosanctæ Crucis signum fronti impressum dare solebat: ipse non rarò expertus, impotentem dæmonis vim sola Crucis virtute concidisse.

Stabulense monasteriũ conditur, & eius nominis etymologia.

Virtus Crucis contrà insidias dæmonum.

Tandem vtriusque monasterij structura ad culmen perfectionemque fœliciter perducta, Remaclus remotioris vitæ sectandæ & captandæ solitudinis occasionem adeptus, Regem adijt, petijrque vt sibi desideratam diu eremum inhabitare cupienti, Theodardum in munere episcopali substituere dignaretur. Perculit ea vox Regem inprimis, tum subditos omnes: itaque mœrore affecit, vt omnis ætas abeuntem eum

S. Remaclus monasticam sectaturus vitã, Theodardum sibi petit substitui.

lachrymis prosequeretur: At ille perrexit itinere suo, & permultos sanè suo exemplo ad imitationem pertraxit. Quis enim apud illum tristitiam non mutauit in gaudium? Quis tum animi tranquillitate & pace non depulit? Quis laborum onere prægrauatus, eius non est adhortatione erectus? Quis adolescens sæuientis libidinis igne succensus, non confestim ad eius admonitionem saluberrimam pudicitiæ cultor extitit? Curabat vexatos à dæmonio: illicitis cogitationibus æstuantes, ab opere malo retrahebat; docens eas ad petram Christũ allidere. Nouerat quo quisque laboraret morbo; & ex vitæ meritis singulos existimãs, pro ratione morborum adhibebat medicamina.

Proficiscitur Romam.

Interea verò vt vidit vtrumque monasterium Stabulense & Malmundariense, optimis sanctissimisque disciplinis egregiè constitutum, Romam, S. Petri aliorumque sanctorum suffragia imploraturus, profectus est. Vbi tamdiu in vota precesque incubuit, donec diuina & angelica consolatione fretus, quantam reliquiarum eiusdem beatissimi Apostoli partem meruit obtinere; quæ quidem apud nos auro gemmisque ornatæ, præcipuo cum honore asseruantur. Eandem verò pòst diuturnam Christo exhibitam seruitutẽ, leui correptus morbo, cum se sacrosancti Corporis & sanguinis Domini viatico confirmasset, inter suorũ lachrymas & singultus, animã Creatori reddidit. Corpus fuit, sũmo quo par erat honore, in beati Martini oratorio sepultum. Successit autem ei Dominus Papolenus; atque illi Sigolinus;

Fœlix obitus eius.

Primi Abbates Stabulenses & Malmundarien.

limus;& deindè Sigolino Guoduinus; qui sancti viri corpus in Ecclesiam S. Petri transtulit; ubi per eius merita Dominus multa miraculorum signa effecit.

MARTYRIVM S. MARCELLI, QVO apud Cabilonem pro Christo coronatus est anno Salutis 179. Soteris Papæ 5. Marci Aurelii Imperat. 17. Ex eo quod extat apud V. P. L. Sur.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron.

4: Septem. * Marco Aurelio. Lugduni 50: martyres.

CVM sub * Antonino Imperatore per omnes prouincias & ciuitates sæua persecutionis flamma in Christianos sæuiret, Lugduni quinquaginta viri, sacræ religionis cultui dediti, diuersis suppliciorum generibus cruciãdi, in ergastulis detinebãtur. E quibus duo primarij, beatissimi Marcellus & Valerianus, patefacto diuinitùs carcere, vt habet doctrina Euangelica, ad aliam ciuitatem clam aufugerunt. Quod quidem diuina prouidẽtia factũ nemo ambigit; vt ad illa properarent loca, vbi gentiles, & doctrina eorum & martyrio, ab impio idolorum cultu ad Chtistum adducendi erant. Porrò cùm sic persecutionis turbinem declinarent, non mente, sed flumine, non fide sed itinere separati sunt. Valerianus enim Augustodunum petiit. Marcellus Sequanæ territorium: vt vtriusque ripę accolas ad verum Dei cultum diuinis sermonibus conuerterent: vt non solùm proprij sanguinis effusione, sed etiam multorum ad Christianam religionem traductione, de diabolo triumpharent.

Matth. 10. Marcellus & Valerianus è carcere clam fugiunt.

Cumque Marcellus latendi studio viamoc-

culti

ulti itineris conficeret Dominus noster Iesus Christus confessorem suum diutiùs latere passus non est. Quidam enim Lationus ab improuiso eum hospitio accepit: qui statuam Martis equestrem, Mercurij etiam & Mineruę simulacra, ex quodā metallo fabrefacta, in ipso vestibulo collocata, peculiari cultu prosequebatur. Cuius prophanæ superstitionis errorē cū sanctus Dei nō sinè multo animi dolore vidisset, admonet hospitē, vt ab hac miserabili superstitione discedat: asserēs saxa carētia sensu, nō posse cuiquā opitulari: & illos aut brutis pecudibus cōparandos, aut nō multum à saxis distare, qui deos crederent, quos humana manus ad dæmonum similitudinem effinxisset. Ea obiurgatio tantam apud Lationum vim habuisse fertur, vt breui tempore tota eius domus, contempto errore, ad fidem Christi conuersa sit. Cùm autem non irrito labore aliquamdiu illic Marcellus hæsisset, audit feruere locis omnibus persecutionis procellam Itaque relicta vrbe Cabilonensi, Argentomagēsis aggeris vicum petit; vbi in Priscum præsidem solenni epularum apparatu profana sacrificia numinibus suis immolantem incurrit; & ab illo hospitalitatis studio ad conuiuiū inuitatur.

Marcellus hospitem suū ad Christum conuertit.

Sed sanctus Dei martyr ab illis epulis abhorrens, cōuiuas obiurgandos potius censuit, quam vitādos. Ea verò repræhensione vt Christianum se esse declarauit, omnium ea sententia fuit, nostis eum supplicijs excruciandum, & ad arboris ramos natura diffusos toto corpore duris restibus alligandū, atq; ita vi adductis ramis & posteà laxatis, membris omnibus

Obiurgat Priscum Præsidem & conuiuas eius ob idololatriam.

discerpendũ. Sed sancto martyre fidei constãtia in cõfessionis suæ proposito fortissimè perdurante, cruento persecutori nequissimæ crudelitatis cõsilio illud atrocius visum est, vt sub populi cõspectu, diuersis pœnarum generibus conficeretur. Iubet itaq; eum ad Saturni statuã duci, quæ Araris ripę imminebat; & ad Solis simulacrũ, quod ab alia fluminis parte colebatur: quibus si nolit sacrificium offerre, glacia caput eius amputari. At fides martyris, cælesti virtute confirmata, frangi nõ potuit: sic verò quoties esset interrogatus respondit: Quisquis Deum viuũ totis animi viribus, & perfecta cordis fide complexus est, insensibilibus idolis nunquam sacrificabit: quæ cùm sint ex ære & saxis confecta, nefas planè est, animã cælitùs datam, vitę suę auctore neglecto, ea colere: quod quidem diabolus in humani generis certissimam perniciem hortatur. Se verò nunquam eo adductum iri, vt tam prophanis sacrificijs contaminetur: vtpotè qui Christo quotidie hostiam synceram offerat: potius verò præcedentium sociorum exempla secuturum: cum quibus se speret æternę beatitudinis præmia adepturum.

Inuicta S. Marcelli constantia.

Cernens igitur Præses eum nec minas, nec supplicia reformidantem, furentis iracundiæ stimulis incitatus, inaudito crudelitatis genere defodi eum cingulotenus & rectũ stare iubet: vt sepultura viuo esset ad pœnam, quæ vita functis impenditur ad requiem. Atque in hunc modum inuictus Dei martyr secundo Cabilone milliario viuens in Christo sepelitur: & in tertium diem in Dei amore & laudibus

Nota insolens immanis supplicij genus.

perseuerans, impollutum Domino reddit spiritum; sancti corporis exuuias, nobis ad patrocinium derelinquens.

VITA SANCTISSIMAE IDAE CONIugatæ. *Ex ea quæ est per Vffingum, monachum VVertinensem S. Ludgeri. Quo tempore claruerit patet infrà.*

EO a tẽpore quo Carolus Imperator multis victorijs inclytus, Saxonum & Frãcorum sceptra, multarumque gentium frena fœliciter gubernabat, fuit inter alios Oritis proceres, qui exercitum propter Galliarum seditionem in Occidentem dirigebant, quidam Præfectus Egbertus nomine; qui grauissima in itinere correptus infirmitate, ab ea quam administrabat præfectura, secedere coactus fuit. Porrò cũ esset prædicto Augusto, præinuictæ constantię & prudentię opinione, eximiè acceptus, fuit eiusdem cura & studio insigni cuidam Comiti, laudibus humanitatis præ cæteris ornatissimo, commissus: vt quibuscunque posset beneficijs eum foueret, & medicorũ opera ad sanitatem reuocaret. Erat autem Comiti filia vnica, egregia sanè forma commodis moribus virgo; quæ ab insita humanitate ęgrotanti die noctęque sedulo seruiebat, & cõgrua doloribus adhibebat medicamina; tanto ipsius præfecti solatio ac gaudio, vt eam si optata salute potiretur, sibi coniugem expetere apud se deterneret.

4. Septem. a *Circa annum Christi 804. iuxtà C. Baron. Tom. 9.*

Egbertus Præfectus Caroli Magni grauissimè infirmatur.

Humanissimè à S. Ida tractatur.

Intereà Imperator, rebus in tutũ compositis, victor reuersus, haud immemor amici apud

Carolus Imp. eum visitat.

Comitem relicti, ciuitatem, in qua decumbebat, visitandi gratia adijt; eumq; viribus nõnihil restitutũ, magno animi sui gaudio reperit. Dumque mutuo aliquamdiu colloquio fruerẽtur, illustris vir Egbertꝰ, post multa humanitatis officia, ab Ida sibi exhibita, Imperatori relata, ait se præfatæ virginis nuptias vehemẽter expetere: quapropter se Augustum obnixe orare, vt eius consilio, imò Dei auxilio, tã insigni & chara consorte potiri mereretur. Princeps ea postulatione gauisus, ilicò parentum virginis tentata voluntate, haud grauatè eorum adeptus est fauorem: quem vt magis etiam magisque incenderet, Præfectum amicum, quanquam potentia & diuitijs inclytum, multis insuper possessionibus locupletauit, ornauitque muneribus: quatenus viciniori potentia soceris acceptior factus, nõ minori apud illos, quã in genitali solo præcelleret dignitate. Insuper etiam cunctis Saxonibus, qui Rhenum inter & VVisurgim maxima flumina inhabitant, ducem præfecit. Post hæc sponsam suam Christianissimam ipse admodũm religiosus, cum Dei timore suscepit, secumque deindè in patriam auexit.

Egbertus petit S. Idam sibi vxorem.

Porrò dum itineri insistẽtes perpetuas Deo laudes iubilãt, seseq; mutuo dulcissimis colloquijs ad castũ Dei amorem & pietatem inflammant, venerunt ad locum quendam iuxta Lupiã flumen, qui Saxonica lingua Hirutfelt nuncupatur; amœnis consitum nemoribus; ibique inuenta non magna planitie, fixis tentoriis, noctem illam exegerũt. Interea, omnibus alto sopore depressis, venerabilis matrona angelica

Visio S. Idæ.

visio-

ctione monita est, fore vt ibidem oratorium suis sumptibus construeret: in quo Domino liberius deseruiret, postq; vitę huius cursum cõsummatum, eodẽ in loco sepulturam vnà cum marito haberet. Hæc vt ab angelo acceperat, mox facto, marito exponit, scisciturq; gratabũda, quomodò ea animo illius cederent. Accommodat ille verbis fidem, hortaturq; cõiugem, vt pijs operibus insistere, & cæleste numen propitium illis reddere pergat. Nec multò post eodẽ in loco Basilica polito opere construitur; quæ Virgini Matri & S. Germano Episcopo consecrata fuit.

Constraitur Ecclesia in honorem S. Virginis Matris & S. Germani.

Non paucis verò post hæc annis, Egbertus Deo hominibusq; charus, ex hac vita in cælum migrauit. Quo defuncto, beata Ida totum suũ amorem in Christum transtulit: deditque operam vt cunctis ornata virtutibus, eius oculis quam maximè placeret, cuius amore incredibili ardebat. Itaque vt Christum in eius membris foueret, congestas ex annuis redditibus opes mox in cælestes apothecas transtulit: & pauperes admirandis beneficijs affecit. Construxerat sibi marmoreum sarcophagum longè ante supremum diem; quem duabus quotidiè vicibus, diuersis alimentorum aliarumve rerum impensis summotenus impleuit: eaque deindè pauperibus & afflictis hilariter distribuit. Excubiarum mirè patiens orationi diu noctuque insistebat: eratque ei summa inprimis cura, vt mens cælestibus rebus assiduò intenta, nullum terrenæ conuersationis puluerem attraheret. Hinc extrà cellæ, quam incolebat, ianuam, nunquam pedem extulisse fertur:

Obit Egbertus.

Benignitas eius in pauperes.

Eccè quàm fuerit solitaria.

nisi dum inopum stipendijs deseruiret. Talibus virtutum insignibus sacrosanctum suum adornauit velamen. Nec non inter agendũ cautissimè studuit popularem vitare fauorem: firmissimam in cælis spei anchoram figens, vt ad plenam perfectionis (quæ Deus est) pertingeret charitatem.

His ad desiderabilem finẽ perductis, molesta vitalium valetudine acriter pulsata, horã præsensit vltimam. Itaque accito presbytero suo Bertgero nomine, sibi iustis ex causis fidissimo, pluribusq́ue seruis Dei, preces eorũ expostulat, vtq; in ipso vltimo diri certaminis conflictu victoriam sibi à Domino impetrẽt, profusis lachrymis precatur. Factum est; oratum est; de cælis auditum est; quod iam olim prædestinatum est: sicque illa carnali fasce leuata,

Obdormit fœliciter.

spiritum amatori suo Christo transmisit. Corpus eius fuit cum pijs laudibus in arcam saxeam, quàm suprà retulimus, illatum, & in ipsa porticu, qua se diuino cultui mancipauit, honorificè tumulatum: vbi eius sanctitas & in cœlesti regno gloria, maximis virtutum miraculis coruscat.

Bertgerus presbyter qualis fuerit.

Porrò Bertgerus (neque enim eximia illius viri sanctitas silentio præteriri debet) ex illorum erat contubernio, quos beata Ida primũ de Gallijs secum aduexerat, vir religiosæ conuersationis & probatæ castitatis. Inter cætera namque grauitatis eius insignia, fertur nunquam suis in tectis muliebrem personam commorari aut domesticis vsibus inseruire passus fuisse. Cui etiam ob tantam cordis innocentiam à Deo collatum est, vt extremam

tamam vitæ horam præsciret. Nam eo ipso quo obiturus erat die, Missarum ex more sacramenta consummauit, ac mox Dominico consignatus viatico, in ipsis vestibus sacerdotalibus antè sanctum altare animam reddidit Creatori: cuius corpus ob egregium iustitiæ meritum, propè Idæ tumbam dignè humatum est.

Posthæc autem cùm ipse locus ab alijs hæreditaria successione possideretur, & ob præsidentium incuriam vilitatibus obsolescere cœpisset, continuò benignus Dominus sanctæ famulæ suæ merita ad castigationem improborum terribili patefecit euentu. Nam præclari Comitis Ludolphi amabilis soboles, dum adhuc in albis ab hac luce raperetur, ad eandem Ecclesiam defertur. Et quia sanctæ Dei opinio necdum in aperto emicuit, penes eam pusionem sepelierunt: qui die sequenti de tumulo extractus antè ianuam vestibuli inuenitur, in quo erat inclusus. Stupefacti, quibus res erat commissa, corpusculum denuò pristino loco abdiderunt; quod nihilominùs inuisibili iterum violentia diuinitùs proiectum reperemunt. Obstinatis ergò animis incassum laborem præstigijs imputantes, tertia vice vagâ ossa recondunt. Sed in vanum vires expenderunt, quia quod hesterno labore fuerat oppilatum, tunc in extremo atrij angulo viderunt euulsum. Quo demùm pudore mulctati, ibidem terræ commiserunt. Hoc prorsus formidabili portento claruit, quanta prouectione beata Ida in cælis vtatur, cuius sepulchrum DEVS nullo carnalis corruptelæ fœtore

Quantæ sanctitatis hæc matrona extiterit, effossio ipsius pueri protestatur.

in terris zelatus est maculari. Quin & anno Dominicæ Incarnationis 980. cum huius benedictæ Dei matronæ sacra ossa de tumulo in ecclesiam essent transferenda, amoto marmoris operculo, suauissima mox fragrantia de monumento eructans, tam odorifera adstantes omnes iucunditate respersit, vt liquidò vniuersi sentirent, ob innotificanda sanctissimæ huius merita, illam cælitùs esse destinatam.

Item præclarum hoc miraculum.

MARTYRIVM S. VICTORINI EPIscopi vrbis Amiterninæ. Ex eo quod est apud R. P. Laur. Surium, in Actis SS. Nerei & Achillei, 12. Maij. Tom. 3. Passus est anno Salutis 100 Clementis Papæ 8. Neruæ Traiani Imp. 1.

Vide C. Baron. Tom. 2. Annal.

5. Septem. CVM Aurelianus Memmij Rufi Consularis filius, Flauiæ Domitillæ Virginis illustrissimæ ac Christianissimæ sponsus, Christiani nominis inimicus, Nereum atque Achilleum eius cubicularios eunuchos (tùm quòd eam virginitatem suam illibatam Christo conseruare consecrareque essent adhortati ac persuasissent eoque is ab eadem iam contemneretur; cùm quòd Christiana cumprimis religione spectati, dijs libamina offerre recusarent) varijs cruciatuum exagitatos generibus, Neruæ Traiani Imperatoris quidem assensu, capitis demùm obtruncatione immani feritate peremisset; inter alios insuper, aliquanto pòst tempore, ex præmemoratæ sacratæ virginis domesticis specialibus, & Victorinum moribus sanè ac generis nobilitate præclarum comprehendit; vt eum si simulacra nefandis sacri-

S. Victorinus vnus fuit ex præcipuis domesticis S. Domitillæ.

ſanctis honorare abnueret, crudeli interne-
cione deleret. Cùm verò inuictus Chriſti ath-
leta, in fide ſolidatus viriliter pro veritate cer-
taret, ac eius minas contemnens nulla ratione
idolis immolandũ induci poſſet, tãquam vi-
lissimum mãcipium in vnum prædiorum eius,
lapidibus ab vrbe milliario via Salaria rele-
gatur; vt ibidẽ tota die terram foderet, & qui-
dem ad veſperam poſt immenſum diei pondus
tolerarum & æſtus, vna Cantabrica herba di-
ram famem ſolaretur.

En duram ſeruitutem.

At Deus omnipotens qui dat iumentis eſcam
ipſorum & pullis coruorum inuocantibus eũ;
qui aperit manum ſuam & implet omne ani-
mal benedictione; poſt tranſactam aliquantu-
lo temporis curriculo calamitoſam vitam, in-
uocantem ſe in veritate non dereliquit, verùm
fecit illũ gratioſum in loco peregrino, ac mi-
raculorum gratia illuſtrauit. Et primò quidẽ
eiuſdem loci vicedominum triennio ex para-
lyſi decumbentem ſola oratione ſanauit; alijſ-
que dein admirandis admodùm eximiæ ſancti-
tatis ſignis coruſcauit. Vndè & breui ſummam
inuenit gratiam coram incolarũ oculis; quo-
rum inculta, occæcataque corda, vir ſanctus, e-
uangelica iugiter erudiebat expolibatque do-
ctrina; tanta virtute ac dexteritate, vt copio-
ſam populi multitudinem ab execrando dæ-
moniorum cultu ad Chriſti caſtra gratulabun-
dam traduxerit. Cuius vnanimi paulò poſt ele-
ctione ac ſuffragiorum collatione, ornatus pri-
mùm ſacro presbyterio, Amiterninę vrbis Ca-
thedram Pontificalem inuitus plane aſcẽdere
cogitur. Quanta verò animi ſollicitudine ac
pieta-

Pſal. 144. & 146.

Claret miraculis.

Incumbit ſedulò infidelium conuerſioni.

Conſecratur epiſcopus Amiternienſis, ac optimè præeſt ſuis.

pietatis significatione nouellam plãtationem ipsi à Domino concreditam, diligens pastor, sub suaui mandatorũ Dei, ac S. Matris Ecclesiæ præceptorum iugo conseruârit, quæ vis orationis dignè explicare queat?

Ceterùm cum assidua Diuini verbi dissemi-natione, credentium indies numerus egregiè augeretur, famaque excellentium virtutũ eius longè lateq; sese diffundens, ad aures tandem tyranni peruenisset; exagitante eum omnis boni inuido satana, ac animum eius acri ira inflammante, confestim eò quosdam è suis destinauit, qui multiplici pœnarum genere Christi sectatores exterminarent. Et quidem sacrum Antistitem apud eum locum, qui Cutilias appellatur, in agro Reatino, vbi putentes & sulphureæ emanant aquæ, in ipsas aquas capite deorsum verso, trium horarum spatio deprimi mandauit, iterumque sustolli. Quod cum triduo vir sanctus pro Christi nomine pertulisset, ad regna cælorum solutis mortalitatis vinculis emigrauit.

Martyrij palmam adipiscitur.

Porrò tametsi Aurelianus strictè vetuisset, ne quis sacrum corpus eius terra conderet; vt fieret esca volatilibus cœli, vel bestijs terræ; pio attamen zelo accensi Amiternenses, postridiè venientes, illud inde velociter raptum in suum territorium gemebundi transtulêre, ac honorificè multis cum lachrymis sepulturæ mandârunt; Nonis Septembris.

En pietatem Amiternensium.

VITA

VITA S. BERTINI, ABBATIS. EX aquæ extat apud V. P. Laur. Surium, quibusdam ex vita S. Audomari, ritè superadditis. Migrauit ex humanis, anno Domini sexcentesimo nonagesimo octauo.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron. & Notat. Martyr. Rom. 5. Septem.

QVo tempore beatus Audomarus diuini verbi semina vberrimo cũ fructu spargebat, tres viri eruditione præclari, Mummolinus, Bertramnus, & Bertinus, contempto paterno solo, & cunctis vitæ oblectamentis excelso admodùm animo spretis, ad eum venêre: vt pariter verbo vitæ fruerentur, & nudi rerumque omnium egeni Christum sequerentur. Accepit eos multa cum animi exultatione Audomarus a Morinensis antistes; Domino profusis lachrymis gratias agens, quod tales ipsi misisset adiutores, qui subditis ei populis æternæ vitæ pabula administrarent. Cùm verbo omni studio atque diligentia in opus Euangelij incumberet, inter alios, cùm vitę innocentia, tum Christianæ facundiæ laude, Adroaldum quendam, virum non minus potentem quàm generis dignitate clarum, ab infœlici dæmonum cultu ad Christi sacra fœliciter traduxit: atq; sacris expiatum aquis sanctioribus quibusdam disciplinis egregiè instruxit. Is verò paulatim cupiditate æternę vitę incẽsus, rerumque mundanarum pertæsus, omnes suas facultates & villam Sithiu Christo & S. Audomaro transcripsit. Ijs oblatis vltrò, acceptisque possessionibus, Audomarus ilicò cuncta ad Domini vineam multò diligentiùs colendam conseruandamque applicuit. Et primò qui-

Mummolin⁹ Bertramnus & Bertinus veniunt ad S. Audomarum.

a *Eius vitã habet lector infrà 9. Septembris.*

Nunc est oppidum S. Audomari.

Exstruxit S. Bertinus cũ socijs cœnobium, quod Vetus templum dicitur.

quidem extirpatis spinis ac vepribus, egregiũ in Sithiu templũ magnis extruxit sumptibus: cui protinùs tres illi sancti diuinæ religionis cultores, Mummolinus, Bertramnus & Bertinus, cœnobium pari magnificentia, quod Vetus templum dicitur, adiunxerunt.

Sed cùm animaduerterent locum illum monasticæ quieti minùs accõmodum, explorare statuũt, habeantnè vicina loca monasticæ disciplinæ situm opportuniorem. Est illic stagnũ, quod flante Euro, ab æstu marino parũ differt. Eò se conferentes tres illi Christi milites, nauim sine remige intrant; vt eò solo ventorum flatu tendant, quò Spiritui sancto visum sit. Itaque cùm nauis neque remigio, neque vlla remigis arte instructa, neque ventorum acta flatibus in gurgite hæreret, & illi fiducia pleni locum sibi cælitùs monstrandum expectarent, psalmisque decãtandis intenti ad eum versum

Psalm. 131.

perueniissent; Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam; nauicula, dictu mirum, mira celeritate ad littus appellitur. Tum verò sancti ab inhospita excepti tellure, gratijs antè omnia Deo prolixè admodum persolutis, miro feruore ad construendũ illic monasterium sese componunt. Congratulatur pijs eorum conatibus studijsque antistes Audomarus; vrget opus, instat per se perq; artifices, vt prima monasterij fundamenta ad

Construunt monasteriũ in loco diuinitùs illis exhibito, nũc celebertimum.

* *Agnoum.*

* Agmonem fluuium iaciantur. Necdum operi suprema erat imposita manus, & iam monastico structa apparatu, fortissima castra religiosorum virorum implet multitudo. Itaque Sacerdos Domini Audomarus, tam fœlici rerum

suc-

successu sibi suisque congratulans, Mummolinum illi cœnobio præficit. Qui cùm aliquamdiu magna cum laude ac maiore cũ fructu concredita sibi gubernacula administrasset, tandẽ post decessum Aicharij in Nouiomensis Ecclesiæ cathedra illi successit: quo in pontificatu sex & viginti admodùm annis strenuè se gerẽs, in vltima ætate angelicis est fœliciter sociatus ciuibus.

Porrò in Episcopum electo Mummolino, S. Audomarus Sithiẽsis monasterij curam beato demandauit Bertino: qui illo ministerio probè fungens, talem se omnibus exhibuit, vt excluso timore seruili, incredibili eum amore cuncti complecterentur. Seruabat sacrum monachorum cœtum sub districto instituti sui iugo, eo moderamine ac paterna solicitudine, vt non inuito sed alacri sanè animo colla subderent, eiusque correptiones, ab insigni mansuetudine prodeuntes, ipsi pariter mansuetè perferrent. Cernens autem benignissimus bonorum operum compensator Deus, indefessam militis sui aduersus diaboli tentationes pugnã & certamen, tum etiam erga gregem ipsi commissum curam egregiam, admirandis eum signis & virtutibus illustrauit, è quibus nos pauca duntaxat annotabimus.

S. Bertinus fit Abbas Sithiensis.

Egregiè pascit gregem sibi creditũ.

Fuit quidam Comes spectata probitate ac pietate vir VValtbertus nomine, qui, ducta in vxorem Rogentrude nobili æquè fœmina, vitæ suæ cursum ex consilio ferè Bertini moderabatur. Delicta namque sua apud eũ oris confessione expiabat: eratq; vtrique à sacris confessionibus beatus pater: immò etiam cõpater,

vt vo-

vt vocant, ex laudabili Christianorum more quo inter se fraterni amoris fœdera quædam ineunt. Qua de causa vir pius VValtbertus crebrò ad eum ventitabat, & salubres admodùm de æterna salute sermones conferebat, eiusque deinde potitus benedictione, domum cum gaudio redibat. Quodam verò die in Eccleſia S. Audomari reliquijs inclita, precibus absolutis festinus domum contendit, neglectaque consueta Bertini benedictione, equum cóscendit, sed medio in itinere ex equo in petrosam collapsus humum, omnibus penè membris grauiter quassatus, & femore penitùs confracto, in vltimum vitæ discrimen venit. Eundem illum casum beatus Bertinus prophetico planè spiritu Dodoni discipulo suo prædixerat futurum. Interim mittitur à VValtberto nuncius velox beati viri opem imploraturus. Tunc Bertinus repositũ in sacrario, VValtberto proferri iubet vinum: sed Dodo, cui hoc muneris committebatur, negabat in eo vasculo quidquam vel certè parum admodùm vini esse: Cui rursus vir beatus charitate feruens & fide perfectus, Abi, inquit, fili mi ad vasculum illud. Credo enim clementissimum Deum, cui nihil impossibile est: qui propè est omnibus inuocantibus eum, nostro tam malè affecto amico salutarem indè potum præbiturum. Paret Dodo; ingressusque sacrariũ, inuenit vas optimo vino plenum: cuius etiam odore admirabili totam domum completam sensit. Eo deindè ad VValbertum delato, eiusque faucibus penè moribundis ingesto, optata protinùs sanitas rediit. Permouit hoc tam insigne miraculum Comitem

Præclaro miraculo sanat Comitẽ VValberiũ.

Psal. 144.

ro VValtbertum, vt bonam possessionum suum partem Deo & beato Bertino largire-

Tandem verò, post vitę curriculum in omni sanctitate fœliciter exactum, plenus operibonis & Spiritu sancto, Nonis Septembris ab hoc mundo migrauit: corpore in monasterio Sithin quod ipse in honorem beatissimæ matris Dei & Principis Apostol. Petri construxerat, ad sepulturam relicto. Ad eius tumulum, multa Dominus orantibus beneficia largiri dignatus est.

Obdormit fœliciter S. Bertinus.

Clarus miraculis post obitum.

MARTYRIVM SS. EVDOXII, ROMVli, Zenonis & Macarij. Ex eo quod est apud Metaphrasten Passi verò sunt diuersis temporibus vt patet infra.

TRAIANVS Imperator cùm execranda simulacrorum superstitione vehemẽter conflictaretur, antè omnes per fas per nefas milites suos Christianis initiatos sacris, dæmonibus sacrificare cogebat. Erant illi (præcipuum sanè totiùs exercitus, qui in Oriente erat, robur) numero vndecim admodum millia, qui ijs ipsis diebus inclytam de hoste victoriam Imperatori retulerant. Tyrannus nulla vel victoriæ, vel communis boni habita ratione, fortes, adeò & multis trophæis illustres viros, exilio Melitenæ in Armenia damnauit: iurans & obtestans per deos suos deasque, tetro cunctos supplicio mulctandos, ni ad cultum dæmoniorum supplices redirẽt. At illi, quanquàm animis & viribus coniuncti, Imperij

5. Septem.

Vndecim millia Christianorum in exercitu Traiani.

Damnat eos exilio.

C. Baronius existimat hos ikos ipsos esse 1000. præstantissimos martyres, qui in syluis montis Ararat, in Armenia sunt crucifixi Tom. 2. Annal. anno Domini 108

Imperij finibus vastitatem horrendam inferre potuissent, Christianæ tamen disciplinæ ac præcipuè mansuetudinis memores, ab omni iniuria manus continuere: parati pro Christi nomine necem potiùs glorioſam excipere, quàm hostibus suis cladem omninò alsquam inferre.

Romuli, Præfecti palatij egregia virtus.

Romulus autem aulæ Imperatoriæ tũc præpositus, tam insigni iniuria contumeliaq; Christianis illata vehemẽter cõmotus, intrepidè ipsum Imperatorem sceleris redarguit, tyrannidisq;, ni protin⁹ iniquo exilio mulctatos Christianos, cum honore in pristinum militiæ & dignitatis gradum reuocaret. Ille autem Romuli audacia sanè exasperatus, post maledicta sacrilego ore in eum congesta, mortem illi minabatur, ni protinùs supplici corpore & mente tantæ audaciæ veniam peteret. At Romulus, despectis Tyranni maledictis, ac morte contempta, mox probris deos insectans, Christum mirifico præconio extulit: eumque solum & verum Deum confessus est. Tum verò magis iritatus Imperator, Christi cõfessorem extendi & virgis cædi iussit. Is verò magno & inuicto animo plagas accipiens, Traiano insultabat: maximo se beneficio affici exclamás, quod ruber ille sanguis, qui ex corpore vndique defluebat, cõtractas ex nidore simulacrorum sordes ablueret. Non tulit hæc Traianus, sed maiori ira percitus, celerem ei mortem, capitis absciſſione per carnificem intulit. Atque ille quidem lætabuntus martyrij stadium ingressus, glorioso triumpho palmam accepit.

Capite plectitur, anno Christi 108 Traiani Imp. 9. teste C. Baron. Tom. 2. Annal.

Indè

Indè post multum temporis Diocletianus, occupato per tyrannidem Imperio, crebris edictis statuit omnes vel suæ impietatis facere participes, vel horrendis supplicijs in Christi fide constantes internecione delere. Christiani itaque tam sæua & immani prorsus illius ira exterriti, in solitudines & ferarum habitacula fugiebant: satius esse statuentes cum feris bestijs in speluncis, quàm cum hominibus, quauis bellua crudelioribus, in ædibus splendidis ac tectis magnificis degere. Eo a verò tempore, Eudoxius aut Marianus, (vtrumque enim ei nomen erat proprium) vir non minore pietate quàm generis dignitate clarus, Christianæ religionis, apud Melitenæ Præsidem accusatus est: qui Præses lucri, quod ex præda adeò opulenta haud dubiè sperabat, auidus, misso confestim milite, eum adduci præcepit. Fuerat autem Eudoxius anteà Primicerius, & ab ea dignitate, propter Christianæ religionis professionem, ad inferiorem Comitum dignitatem translatus erat. Cæterùm cùm egregius Christi amator de aduentu militum certior factus fuisset, ilicò mutata veste, venientem ignotus excepit hostem: quærensque ab eis quæ causa aduentus esset, respondent illi, se à Præside missos Eudoxium velle. Quibus ille optimè sperare iussis, conuiuium protinùs lautum instrui iussit. Deindè illis epulantibus, & vino hilariter indulgentibus, ac tandem promissum exigentibus, vt eum ostenderet quem quærebant, ille continuò mira hilaritate perfusus; En, inquit, Eudoxius. Ego sum quem quæritis. Bono animo

Magna Diocletiani immanitas.

a *Anno forsan Maximiani & Diocletiani Impp. 19. quo (iuxtà Baron. Tom. 2. Annal.) sæuain Melitinæ Christianos, generatim viguit persecutio.*

Eudoxius insignis Christianus, primò Primicerius, indè Comes.

Excipit hostes suos lauto conuiuio.

estote: ego me vnà vobiscũ Præsidi sistam. Hac voce illi sanè animis prostrati, cum admiratione responderunt: Nunquam eo nos scelere astringemus, vt eum, à quo tam insigni excepti fuimus conuiuio, prodamus. Absit à nobis tam immane scelus, vt pro hospitalitate tam malè gratiam referamus.

Basilissa vxor eius.

Illis hæc dicentibus, Eudoxius martyrij gloriæ auidus, vxorem suam Basilissam, aut si uis Mandanem, (vtroque enim nomine appellabatur) ad se vocauit: eique cura vniuersæ familiæ cõmendata, dixit se ad desideratam diu martyrij gloriam pergere, quare orare atque obsecrare, vt decessum suum non lachrymis, sed omni potius lætitia prosequeretur. His supremis mandatis vxori traditis, rectà ad Præsidem contendit: qui egregia animi alacritate venientem vultu pariter hilari excepit, monuitque protinùs, vt Ioui magno deo ex Imperatorum edicto sacrificium offerret. Ad quæ Eudoxius ita respondit, vt intelligere posset Præses, illum ad quæuis potiùs supplicia sustinenda, quàm ad tantùm scelus patrandum paratum esse.

Abit ad Præsidem martyr.

Interim Præses cogitabundus aliquamdiu subsistens, toruo tandem & feroci intuitu ad circunsistentẽ ait militem. Quicunq; ex vobis iussa regia sequi detrectat, protinùs se insignibus exuat dignitatis. Hæc illo dicente, Eudoxius ilicò ornamentis se spolians, ea in faciem proiecit Præsidis, suoque exemplo cæteros, vt idem facerent, Christianos hortatus est. Nec mora. Mille admodum centum & quatuor pueri alacritate exemplum eius sequuti, milita-

Eudoxius proijcit in faciem Præsidis dignitatis suæ ornamenta.

Idem faciũt 1104. Christiani milites.

Verberatur loru & dirè torquetur S. martyr.

Nota has S. martyris preces.

Venit ad eã coniunx stipata proli-bus.

ta insignia Præsidis antè pedes proiecerunt. Præses multitudine à supplicio inferendo deterritus, rem ad Diocletianum detulit: qui in auctores tantæ audaciæ acri vindicta animadverti præcepit: reliquorum verò sententiam ad Senatum reiecit. Hac accepta potestate, Præses inuictum Christi athletam varia supplitiorum genera antè oculos posita contemnentem, loris verberari crudeliter iussit: indè in carcerē abripi, & membratim torqueri. Adhibita igitur noua & insolita tormentorum machinatio: ceruicem quippè martyris ferreis globis conterit, articulosque suo loco dimouit: sed nequaquàm erectam inuicti martyris virtutem deiecit. Stabat ille, oculis perpetuò ad cælum sublatis, sanctissimum Christi numen inuocans, vt quicunque eius post mortem imploraret patrocinium, beneficia diuina abundè cõsequeretur. Hæc illo profusis lachrymis orante, charissima coniunx dulcissimis stipata prolibus aduenit: quam ille intuitus; Nosti, inquit, chara coniunx, quæ tibi suprema discedens mandata dederim. Nil te hęc tormenta nostra conturbent, sed potiùs gaudio afficiant. Age & fossam in loco Amimna huic meo corpori ad sepulturam præpara. Vix hæc effatus, conspicatus est Zenonem, intima sibi familiaritate coniunctum, ingenti lachrymarum imbre mortē illius deplorantem. Cui ille: Tu quidem, inquit, chare Zeno nostram desines separationem, sed Deus, sat scio, nequaquam nos separari permittet; quos idem amor eademque fides præclarè coniunxit. His zeno inflammatus, in medium prosilijt, seque, cunctis

Egregia virtus Zenonis.

ctis stupentibus, eiusdem gloriæ pro Christi nomine consortem fieri velle protestatus est. Hæc voce libera clamantem lictores iussu Tyranni comprehendunt, & dictum factum capitis supplicio afficiunt. Eum protinùs Eudoxius, amici gloriæ congratulans, est sequutus, eandemque coronam eodem certamine est adeptus.

Zeno decollatur.

Item Eudoxius.

Eius vxor excipit sanguinem è collo profluentem.

Porrò coniunx eius quæ spectaculo interat, vt vidit maritum martyrio coronatum, animo virili accurrit, eiusque sanguinem è collo profluentem lanæ vellere excepit; ac truncum cum capite corpus colligens honorificè sepeliuit. Vndè mox à Traiano accersita, pari constantia ac virtute adfuit; & deos deasque, minitante nequicquam Tyranno, ludibrio habens, ad glorioſam mortem inferendam diu multumque eum prouocauit. Sed recusauit Tyrannus virilis animi fœminæ eam cõferre gloriam, qua suo nomini ignominiam inuri cernebat.

Macrio cõfesto martyrium. Hæc Baron. in Notat. ad Martyrol. Roman.

Vix septem à glorioso martyris certamine dies transierant, cùm in somnis coniugi apparens iubet, vt Macarium familiarem suũ & amicum ad prætorium mittat. Ea verò vt Macario visionem retulit, ita ille prompto animo ad martyrij contendit gloriam: seque in prætorio intrepidè sistens, Præsidi Christianam religionem professus est. Præses autem audiens eum Eudoxij discipulum, omni ope victoriæ abiecta, certamen nullum tentare præsumpsit; sed capitis eum sententia damnauit; quam ille lætabundus excepit. Ex horum militum numero, qui Melitenæ in Armenia coronati sunt, qui-

quatuor sacra corpora delata Constantinopolim, reperta sunt temporibus Iustiniani Imperatoris; quorum beneficio idem Imp. lethali morbo curatus est. Rem gestam perpetuis diuum monumentis conscripsit Procopius Lib. 1. de ædif. Iustiniani Imperatoris.

VITA S. ELEVTHERII, ABBATIS: Ex ea quæ est per Gregorium Papam. Lib. 3. Dialog. cap. 33. cuius & temporibus claruit.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Roman.

ELEVTHERIVS pater monasterij beati Euangelistæ Marci, quod in Spolitanæ vrbis Pomœrijs situm est, diu mecũ hac in vrbe in meo monasterio conuersatus, ibiq; defunctus est. Quem discipuli eius mortuum plorando suscitasse referebant. Vir autem tantæ simplicitatis erat & compunctionis, vt dubium non esset, quòd illæ lachrymæ ex ea humili simpliciq́ue mente editæ, apud Omnipotentem Deum multã obtinere potuissent. Huius ergò aliquod narrabo miraculum, quod inquisitus mihi simpliciter & ipse fatebatur. 6. Septẽ.

Eleutherius mortuum excitat.

Quadam die dum iter carperet, facto vespere cum hospitium deesset, ad quoddam virginum deuenit monasterium; in quo paruulus quidã dæmonio obsessus, singulis noctibus miserè torquebatur. Eum itaq; puerum sanctimoniales fœminæ ea nocte venerando seni detulerunt; cuius innocentia dubio procul & precib', illa nocte sæu' dæmon repressus est. Manè facto, vt sanctæ virgines à pio sene intellexerũt, nihil ea nocte puerũ ab hoste mali passum,

Puer quidã grauiter à dæmonio vexatur.

eum obnixè rogarunt, vt puerum indè secum ad monasterium assumeret. Consensit senex, eumq; suum ad monasteriũ perduxit: vbi cùm multo tempore ab omni infestatione dæmonis liber degisset, pius senex de salute pueri immoderatius exultare & fratribus dicere: Diabolus cum illis sororibus iocabatur: at verò vbi ad seruos Dei ventum est, ad hunc puerum accedere non præsumpsit. Vix hæc effatus est, cum eccè misellus puer à dæmone correptus terræ alliditur. Quo viso, senex se totum lamentis dedit, fratribusque eum consolari volentibus dixit, neminem antè panem gustaturum, quàm puer ille à dæmonio liberatus integra salute frueretur. Tunc se in oratione cùm omnibus strauit; nec prius à precibus cessatum est, quàm dæmon fugatus puerum sanum planè & incolumem derelinqueret.

Vide vim narrationis communis.

Huius viri oratio quantæ virtutis esset, in memetipso expertus sum. Nam cùm die quodam animi deliquium præ nimia stomachi infirmitate paterer, & frequentiori refectione indigerem, Paschalis superuenit dies. Cumque sacratissimo Sabbatho, in quo & paruuli quilibet ieiunio vacãt, ego ieiunare nó possem, cœpi plus mœrore quam infirmitate deficere. Itaque immodica affectus tristitia, adij virũ Dei, eumque, vt suis precibus ieiunandi virtutem à Domino impetraret, rogaui. Fecit ille quod rogauera, & post paululum expleta oratione, ad vocem benedictionis illius, tantam stomachi sensi virtutem, vt cibi omnis & ægritudinis oblitus, ieiunium ad alterum vsque diem transferre potuissem.

Nota de ieiunio Sabbathi Sancti.

Precum S. viri mira virtus.

Porrò

Postrò S. Gregorius præclarum hoc acceptũ sibi per huius sancti preces beneficium, non tam scriptione, sed & pictura exprimi voluit; quemadmodum Hadrianus Papa, ad Carolum Magnum scribens, testatur his verbis: S. Gregorius Papa in monasterio suo pulchrum fecit oratoriũ; & ipsum diuersis historijs pingi fecit; atque sacras ibidem erexit imagines: vt cùm ipse cum beato Eleutherio pro ægritudine stomachi ingressus, in oratione pariter exauditi sunt. Et ille vir S. Eleutherius, quem dicunt & mortuum suscitasse, antè ipsas sacras imagines se prosternens, diuinam exorare clementiam, cum S. Gregorio non dubitauit; sed eadem ferẽtes perfectam, pariter exauditi sunt: & vsque hactenùs apud nos venerantur. Hæc Hadrianus.

VITA S. HVMBERTI CONFESSORIS, in Hannonia quiescentis: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium a Natalis eius incidit in Annunciationis Dominicæ diem; Eleuatio verò in sextum Septembris: quo die Cameracensis Ecclesia eius festum celebrat. Quo tempore claruerit patet infrà.

a *Teste Iohan. Molano in Indiculo SS. Belgij.*

S Humbertus claris Francorum proceribus patre Eurardo, matre Popita natus, villam cui de Macerijs nomen est, ortu suo illustrauit. Nam ab ipsis puerilibus annis egregia futuræ sanctitatis dedit indicia: adeo vt parentes, mundanarum rerum fastidio laborantem puerum, Lauduni viris peritissimis sacris literis imbuendum traderent. Vbi miri-

6. Septem. *Patria & parẽtes eius.*

ficè in cognitione rerum diuinarum proficiés in monasterio sese recluſit: donec cunctis virtutibus egregiè ornatus, dignus habitus est, qui sacerdotio initiatus ad aliorum quoque salutem procurandam mitteretur. Multi interim eius prouocati exemplo, ab aduersa vitiorum tempestate ad tutissimas salutis semitas confugiebant. Euoluto deindè aliquandiu tempore, accepta ab Episcopo benedictione, ad possessiones sibi à parẽtibus relictas perrexit, vt eas Christi famulis die noctéque pro salute omnium excubantibus, sola adductus liberalitate, traderet. Cùm autem ad quendam suæ ditionis locum peruenisset, obuiam habuit sanctum Amandum antistitem, cum Nicasio viro venerabili, peregrinationis ergò ad Apostolorum limina pergentem. Eos Humbertus peramanter hospitio excepit, seque illis peregrinationis comitem adiunxit.

Recludit se in monasterio & initiatur sacerdotio.

Cũ S. Amando & Nicasio Romã it.

Hæc peregrinatio S. Amandi, Romam versus, contigit (teste C. Baron. Tom. 8. Annal. anno Christi 650. Martini Papæ. 2.

Illis ergò pariter iter agentibus, dum quadam die fatigati ex itinere resideret, eccè subitò ex sylua, quæ fortè cõtigua erat, miræ magnitudinis vrsus prosiliens, equum eorum, quo ad vehendas sarcinas vtebantur, momẽto prostrauit, eumq; suffocans, summa auiditate viscera inuasit. Interim sancti diuinis fortè rebus intenti, familiare damnũ ignorabant. Cũ verò tempus ad cæptũ iter prosequendũ vrgeret, & Amandus, famulũ ad equũ educendũ, qué gramina pascere existimabat, misisset, & is nimio pauore correptus moram traheret, accurrens mox Humbertus inuenit equum euisceratum, vrsumque sanguine cruentatũ iuxtà consistentem. Quem magna apprehendens securitate,

Qua

Quid tu, inquit, iumẽtum ad ſolatium nobis à Deo conceſſum inuadere non dubitaſti, oportet nobis deinceps hoc obſequiũ ſuppleas; ſarcinaſque ſarcinulas toto peregrinationis itinere feras. Res mira: Fera beſtia ouis inſtar mãſueta ſubſiſtens, onus patienter ſuſcipit; ſeſeq; per illo itinere ſanctorum mandatis per omnia obedientem præbet. Illis cœnantibus, illa ſummamanſuetudine ſubſiſtebat, ſuæque portionis ſtipẽdia de manu porrigentis humiliter ſumebat. Dehinc ad ſarcinas rediẽs, eas, ſanctis quieſcentibus, officiosè ſeruabat. Verùm illis per vrbes iter agẽtibus, ingens omnes admiratio tenebat, cùm cernerent ferum animal tãta promptitudine humanis vſibus famulari. Sed ne forte ſancti iactantiæ vitio tentarẽtur, ipſis Romæ propinquantibus, eiuſdem ſedis Pontificem admonuit per Angelum Dominus, vt homines ab occiduis finibus meritis ſublimes aduentãtes præmiſſo in occurſum nuncio, blãdis verbis induceret, vt feram agreſtem, quę ad obſequium comitabatur, in ſyluas dimitterẽt; ne tumultuoſæ plebis in ſe admiratione excitarent. Qua Pontificis iuſſione audita, ſancti monitis obedientes, feram in latebras dimiſerunt.

Imperat Vrſo, vt ſarcinas ſuas Romam vſque ferat.

In præſentibus locis poſteà fuerunt extructa monaſteria.

Viſitatis igitur locis ſacris, Amandus cũ Nicaſio Helnonenſe territorium, Humbertus verò Maricolas petiuit. Verum elapſo aliquanto tempore, beatus Humbertus eandẽ peregrinationem ſecundò ſolus arripuit: vbi cùm in B. Petri oratorio precib⁹ inſiſteret, Angelus Dei, cunctis cernẽtibus, ei aſtitit, & Dominicę Crucis ſignum in vertice illius expreſſit. Cumque viſen-

viſendi beatum Amãdum cupidus rurſus Gallias cogitaret, ferunt eũdem Amandum ab angelo admonitum, vt in fronte properantis ad eum Humberti expreſſam Crucis formam cõtemplaretur. Nec mora: Beatus Dei ſacerdos procedens in occurſum Humberti, vidit ſuper caput illius radiantem Dominicæ Crucis ſpeciem fulgore incredibili: adeò vt pio eum amore correptus, ad eius ſe genua venerabilis abijceret, eumque mira feſtiuitate hoſpitio ciperet.

Poſt hæc vir ſanctus magnis virtutum meritis illuſtris, ad aliorum ſimiliter ſalutem omni ſtudio procurandam promouendámq; adiecit animum. Et primò quidem monaſterium, ſuper alueum Helpræ Maricolis conſtruxit: in quo rem Chriſtianam in ea regione egregiè multiplicauit. Aliud itẽ haud indè procul condidit cœnobium, quod triginta inſigni pietate & eruditione clericos Eccleſiæ alebat. Accidit verò res, quæ ſtuporis & miraculi plena, nomẽ illius famamque ſanctitatis mirificè illuſtrauit. Quodam die vir ſanctus colendo agro ſtrenuam nauabat operam, vt fratrum habitacula conſtrueret: atque quo expeditius operi incũberet, pallium fortè, vt fit, procul abiecerat. Illo interim ad ſudorem vſq; manibus laborãte & tota mente ac cogitatione cæleſtibus rebus intendente, venatoris cuiuſdam canes ceruum inter ſyluas inſequebantur. Cumque venatores tubis perſtrepentibus feram curſu & clamore vrgerent, iamque victa penè nullũ pẽnè refugium haberet, ſaltum in agrum viridẽ dedit, ſeſeque ſub ipſo pallio anhela cõpoſuit.

Conſtruit monaſteria.

Quid

Quid ultra? Canes prædam antè oculos positã attingere quidem ausi fuêre; immò nequicquam agitantibus venatoribus, timidi potiùs recedebant. Quo viso, venatores tela deponunt, beati viri meritum agnoscere, sanctitatẽ glorificare: denique eorum vnus cumprimis locupletes ac potens, patrimonium suum B. Humberto ad vsus fratrum offerre. Sanctus verò oblata cuncta repudiare: sed nimia importunitate, victus vnicam tantùm ex omnibus amplissimisque viri bonis villam admittere: quæ Limitas dicta, stipendiaria in vsus fratrum cessit.

Canes non audent inuadere ceruam sub pallio viri Dei latitantem.

Interea longè lateque fama viri sancti promulgata, beata Aldegundis mira eius visendi cupiditate incensa, ad monasterium venit. Cumque spiritales inter delicias & pia sanctaque colloquia, circumiacentia monasteria rura lustrarent, contigit beatam virginem æstu & labore itineris fatigatam intolerabili siti cruciari: prorsus vt paulatim violenta siti victa, animo se deficere clamaret. Eius molestia motus vir sanctus, cùm aliud nullũ superesset refugium, ad preces conuersus, aquam à Domino in arenti loco petere non dubitauit. Integræ plus minus horæ spatio orationi inciterat; cum eccè sensim ab arenti & arenoso solo scatentis aquæ vena prosiliens, largum satè fontem protulit. Patet in hodiernum vsque diem: nec deficit fons ille suauis ad gustum, vtilis ad vsum.

S. Aldegundis eum inuisit: eius vitam habet lector 30. Ianuarij.

Sitienti Aldegundi fontem precibus excitat.

Adueniente obitûs sui tempore, misit ipse sanctus ad beatam Aldegundem, vt lintea in vsus exequiarum virgineis texta manibus mittere

tere sibi dignaretur. Sed antè quam missus ab eo nuncius medium iter expleuisset, virgo lõgè dissita, diuinitus (vt creditur) de transitu sancti viri præmonita, vestes funebres, quibus defuncti corpus inuolueretur, misit. Ijs vixdũ allatis, beatus ille è corporis ergastulo in cælos migrauit: cuius funus non minus luctuosè quam honorificè à discipulis in oratorio, quod ipse construxerat, curatum fuit.

Miracula in Translatione corporis eius.

Centesimo quinquagesimo tertio ab obitu eius anno, Abbas Rodin⁹, angelico admonitus oraculo, sacrũ eius corpus de tumulo leuauit. Quo aperto, tanta odoris suauitas omnium repleuit nares, vt haud dubiè diuinũ quid ibi abditũ crederẽt: & ecce quod magis stupendũ, sacrũ corpus ab omni corruptione ita alienũ inuentũ est, ac si eodẽ die spirit⁹ ex eo migrasset. Dixisses hominẽ in lectulo, compositũ, somnũ carpere; nã & ipsa linteamina, quibus inuolut⁹ erat, nihil in se corruptionis habebant. Sed & herbæ, quæ sepulturæ eius die appositæ fuerãt, quas nullas pro temporis antiquitate putares, adeò virides sunt repertæ, ac si terræ radicitus inhærentes, irriguis aquis virescerent.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron.

MARTYRIVM S. SOZONTIS: EX eo quod est apud Metaphrasten. Coronatus est anno Christi 305. Marcelli Papæ 2.

Septem. *Galerius Maximia-Imperator in Oriente.*

TEMPORE quo *Maximianus Ciliciæ Præses impietatem augeret extolleretque, & in ipsa pręcipuè Pompeiopoli ciuitate insana nimis simulacri cuiusdã superstitione conflictaretur, Tarasius quidam, patrij

Lycao-

Lycaonia oriundus, Christi gratia à nefando dæmonum cultu ereptus, ad veri Dei castra confugit: & pro Tarasij nomine in fonte sacro renatis sibi nomen assumpsit. Erat is optimindolis adolescens, & pascendis pecoribus assuesque præcipuè operam dabat: ita tamen, vt rudis ouium pastor pabulũ diuini verbi hominibus etiam frequẽter administraret. Cùm autem aliquandò iuxta fontem amæniſſimo in circuitu gramine gratiſſimũ, gregem pascere, eum valdè opportunus & suauis admodum inuasit somnus: qui visione quadam illustratus, magnum ei ad omnem pietatem addebat animum. Cùm verò insolito quodam perfusus gaudio egregius ille pastor indè Põpeiopolim abijsset, cerneretque in ea ciuitate rebus Christianorum humi deiectis, summeque neglectis, solam impietatem florere, cultumque dæmonum in pretio esse, ille magno pietatis zelo cõcitatus ad fanum venit, dexteramq; aureæ statuæ confregit: eaque diuendita, pauperum multitudinem aliquamdiu sustinuit. Non poterat ea res diu latere ædituos: qui confestim plurimos, ad quos fortè suspicio pertingebat, in vincula cõijci, & quæstionibus acerbè exerceri curârunt: sacrilegum illum maleficorum omnium sceleratissimum clamantes, qui Dei manum surripere veritus non fuisset.

Sozon anteà Tarasius dictus.

Sozon pastor ouium.

Visio eius.

Nota egregium Sozontis zelum.

Interea miseri illi cũ sinè causa pessimè haberentur, nec quisquam esset, qui innoxijs opẽ ferret, Sozõ generosi animi iuuenis, intrepidè ædituos accessit, seque vnum esse dixit, qui statuæ manum surripuit, eamq; egenis distribuit: quarè

Magna animi fortitudo.

quarè se rogare & petere, vt innoxia capiti missa faciant, & furorem in se vnum conuertant. Eam animi magnitudinem admirati dæmonum cultores, hominem protinùs ad Maximianum adducũt; qui pro tribunali, maximo, quo potuit, fastu sedens, generosum iuuenem de nomine, religione, & patria interrogat. Ad quæ cùm prudenti non minus quam magno animo respondisset Sozon, tandem ait: Tu es: Et qua audacia tu Dei dexteram furari præsumis.

Prudentissimum pastoris responsum.

Ea Præsidis verba excipiens Sozon, prudenter sanè constanterque respondit: Quod nec audaciæ, neque peccato hoc meum factum ascribi debeat, testis mihi inprimis est tuus ipse Deus: qui neque ea iniuria motus fuit, neque asperè quicquam dixit. Veruntamen si vox aliqua ei foret, credo equidem quòd vestram ille dementiam potius argueret, quòd, relicto omnium opifice, inane simulacrum tanta superstitione colitis. His ægrè in aures admissis, Præses; Si vis, inquit, delicti tui veniam consequi, confestim Deo, cui te sacrilegij reum fecisti, sacrifica; & nostram insuper gratiam cum amplissimo munere consequeris. Cui Sozon: Ne ego, inquit, quouis simulacro stolidior forem, si eum statuerem colere, qui nullo sensu præditus, neque illatam iniuriam vlcisci, neque in periculis constitutus aliorum opem implorare, neque qualia patiatur, protestari potest.

Immanissimè laniatur.

Maximianus his ad iram furoremque prouocatus, præcepit martyrem ferreis laniari vngulis: indè ad ipsa vique ossa carne nudari,

calceis

ceis acutis clauis confixis indui, ijsque cùm dolorem, tùm ad ludibrium ambulare. Sed inictus athleta Tyranni ludibrium suas laus reputabat, seque purpureo tinctum sanguine circumspiciebat lætus. Cæterùm Præses animi fastu victoriam metiens, & Christi martyrem à vili abiectoque, sancto tamen, pudoris officio despiciens, Tibia, inquit, cane Sozon, tras magna procedente dea: & per illam iuro, quòd ab omni cruciatu protinùs liberaberis. Martyr autem: Tu quidem ludibrio me habens, à maligno dæmone instructus, hæc loqueris. Ego autem & prius quidem tibia in agrorectè, cecini, measque oues ad læta deduxi pascua & reduxi: nũc verò cano Domino Deo meo canticum nouum, eius salutare omnibus annuncians. Tua autem dea fuerit omninò, vt est in prouerbio, asinus ad tibiam, vtpotè inanimã, nulloque sensu prædita.

His magis in eum accensus Præses, plagas multiplicari iubet tanta crudelitate, vt dissoluta corporis compage, pia martyris viscera instar aquę diffluerent. Deindè copioso accenso rogo, minabatur se reliquias flãmis absumpturum, ne vlla omninò nominis eius memoria extaret. Desudabãt interea in inferẽdis martyri supplicijs carnifices; cũ ille in medijs tormẽtis tanquam in molli strato beatam Deo animã reddidit. Porrò cùm flamma ignis in altũ subiaciam iam reliquias expectaret, subitò horrẽda tonitrua mixtis fulgetris & crebro imbre ac grandine, lictores in effusam fugam compulere. Amici autem martyris nihil terroribus è cælo immissis commoti, secure martyris

Horrendis afficitur pœnis.

Reddit Deo spiritum.

collegêre reliquias : Cumque ingruentibus noctis tenebris à studio sepulturæ tardarentur, cælestis quidam splendor ilicò adfuit, discussisque tenebris, præclaram facultatem

Miraculum tempore sepulturæ eius.

sepeliendi martyris reliquias ijs præstitit. Lux enim illa ad ipsum vsque comitata sepulchrum adfuit : nec prius densas noctis tenebras dominari permisit, quàm sepulturæ officio honorificè peracto, suam quisque domum reuersus esset.

Vide 3. & 4. Tom Annal. C. Baron.

VITA S. EVORTII, EPISCOPI Aurelianensis; Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium: Interfuit Concilio Valentino 4. celebrato in Gallijs, anno Domini 374. Damasi Papæ 8. Valentiniani Imp. 11. Reperitur sedisse vitæ 39. annos.

7. Septem. *Desinianus Episcopus Aurelianensis.*

SDesiniano Aurelianensi antistite vitæ munere sanctè perfuncto, cũ denuo eligẽdo episcopo in conciliũ itũ esset, tãta inter omnes & proceres & plebem orta est dissensio, vt à lõga concertatione ad arma curreretur, & teter admodũ luctus & horror, fuso sanguine, vrbẽ vniuersam inuaderet. Cumque eæ cedes & seditiones Cõstantinum Imperat. latêre non possent, ille subditis volés cõsulere populis, Prophyrium quendam Præfectũ eò misit, qui compresso protinùs tumultu, prudenti concilio, ad pertractandum Dei negocium, Galliarum Episcopos aduocaut. Ij accersiti vt primum ingressi vrbem, cõperta populi discordia, ad funestum exitium cunctãtẽdere viderunt, communi omnium sententia tri-

Triduanum ieiunium indicitur ob Episcopi electionem.

triduanum vniuersæ plebis indixêre ieiunium; vt Deus mentem suam in episcopi electione certis quibusdam signis declarare dignaretur.

Cumq; triduo illo omnes in ecclesia conuenirent, & ieiunijs precibusque diuinam mentẽ consulerẽt, accidit fortè, vt Euortius captiuorũ perquirendorũ causa ab vrbe Roma altero ieiunij die Aureliã veniret. Fungebatur tũc in Ecclesia Subdiaconi officio. Porrò vrbẽ ingressus, peracta primùm de more in templo precatione, cùm hinc indè circumspiciens præ templi foribus expectaret aliquem, qui eũ hospitio excipere dignaretur, accessit demùm ecclesiæ ostiarius, salutat eum humaniter, percunctatur quis sit, vndè veniat, & quo iter intẽdat. Respõdit Euortius, se Romanæ Ecclesię Clericũs prouincias peragrare, vt fratres suos Eumorphiũ & Cassium, vi hostium in captiuitatem abductos, requirat. Ostiarius, qua erat humanitate præditus, peramanter eum ad hospitiũ inuitat; benignè accipit; pedes pro religiosa consuetudine lauat; abluit; simulq; tenui victu, pro facultate, reficit. Altera luce Euortius ostiario gratijs, vt par erat, actis, ceptum iter prosequi instituit. Cumq; domo egressus ouãs pergeret, ostiarius diuinitùs, vt verisimile est, permotus eum reuocat: asserẽs se habere quod ei indicatum vellet. Redit ille, & attentas præbet ostiario aures; qui cõcitatæ in vrbe seditionis causam & seriem explicans, tandẽ ait: Obsecro te, vt tertium indicti ieiunij diẽ præstoleris, quo rem tantã omnibus deindè certò explicare possis. Acquieuit ostiario Euortius, & si-

Euortius Subdiaconus Romam Aureliam venit.

Excipit hospitio Euortium Ostiarius.

Permouit Deus Ostiarium ad reuocandum suum hospitem.

mul cum eo ad ecclesiam pergens, cunctabundus finem præstolabatur. Erãt, obseratis ecclesiæ foribus, congregati episcopi: & omnes pariter humi prostrati, multis cum lachrymis diuini numinis mentem explorabant, quem vellet vrbis eius episcopum constitui.

Illis ergò hoc modo orãtibus, & Euortio ad fores ecclesiæ procul, precibus similiter incumbente, eccè Columba per fenestrã diuinitus in ecclesiam dilapsa, totam ẽdem semel iterum alarum strepitu peruagatur: ac tandem, cũctis admiratione & stupore defixis, placidè capiti ipsius Euortij illabitur. Ille verò manibus eã abigit: Stupet interim populus, perquiritque quisnã ille sit, cuius innocentiæ Columba cœlitùs missa testimoniũ perhibuisse videatur. Ibi tum rursus & hominum & sermonum exitit concertatio; alijs ostiarium esse, alijs alium esse contendentibus: Iterum ergo & Episcopi & ordines ad preces redeunt; rogantq́ne Dominum, vt iubeat denuò redire columbam. Non spernit Deus illorum preces; columba redijt; per omnem ferè ecclesiam circumuolitat; & tandem in capite B. Euortij quiescit. Ille rei nouitate perterritus, rursus eam repellit; eaq; repulsa, exit templo. Exoritur populi strepitus iubent Episcopi hominem tanto miraculo celebrem ad se accedere, rogant ab eo, quibus ex locis eo venerit, aut quo proficisci velit. Respondet ille eadem quæ iam antè retulerat ostiario. Illi se exauditos à Domino sentientes, præcipiunt Euortio, vt cùm ipsis ad orationem se submittat. Paret ille: & eccè tertiò columba in supplicantis Euortij insidet caput.

Columba in capite S. Euortij residet, sed ab eo repellitur.

Rursus eius capiti insidet colũba.

Tertiò in eius capite quiescit columba.

Tum

in vno ore ab omnibus acclamatum est, eũ
iam dignum esse sacerdotio, quem cæleste
men stupendis adeò signis eligere visum est.
Ac mora: Episcopi silentium indicentes, vota
multisque gradûs & ordinis inquirũt, omnibus-
que in Euortium sua suffragia conferentibus,
pro illius ciuitatis more, ab episcopis solenni
pompa ad Marci deducitur basilicam; primo-
que Leuita, indè Sacerdos, postremo episcopus
consecratur.

Ordinatur Diaconus, Sacerdos & Episcopus.

Porrò quẽ diuinũ numen eò dignitatis pro-
uexerat, mox alijs atq; alijs virtutibus miracu-
lis ornare non destitit. Curabat ille solo ver-
bo morbos; dæmones ab obsessis fugabat cor-
poribus; deniq; quauis calamitate pressos di-
uinis beneficijs afficiebat. Et quidẽ, vt reliqua
silentio prætereamus, vnum hoc nõ minùs ad-
mirandum, quàm toti ciuitati salutare refera-
mus. Vrbs penè vniuersa casu, incertum quo,
flammis correpta, ciuibus extremum excidiũ
vastitatemq; rerum omnium minitabatur. Ac-
currunt illi pauidi ad Præsidem, orant vt vrbi
cum ignibus colluctãti succurrat. Abit ille ad
ecclesiam; fundit preces; restinguit incendiũ;
populumque de accepta salute exultantẽ hor-
tatur, vt collati diuinitùs beneficij memores
aliquam pecuniæ summam cõferant, qua tem-
pli angustiæ ampliori structura dilatari pos-
sint. Nihil illi recusant; alacres quidquid erat
necessariũ spondẽt. Vbi autẽ adfuit dies operi
inchoando indictus, Episcopus, pro quarundã
prouinciarum consuetudine, arrepto sarculo
fodere cœpit. Cumque ad tres ferè pedes ter-
ram egessisset, eccè cernit ollam bitumine ex

Claret multis miraculis.

Precibus extinguit vrbis incendium.

Inuenit multam pecuniam construendæ Ecclesiæ asseruatam.

arte oblinitam. Miratur; referit clausam; videt aceruum nummorum pulcherrima Neronis effigie insignitorum. Nec mora: Gratijs Deo antè omnia actis, mittit eodem cum thesauro Archidiaconum Romam, qui Imperatori & gesta Aureliæ, & inuenti thesauri seriem exponat.

Imperator Constantinus mittit pecuniam, qua Ecclesia construatur Aureliæ.

At verò Imperator, audita Archidiaconi legatione, non modò thesaurũ illum ædificandæ ecclesiæ benignè concessit, sed duplo insuper maiorẽ addidit pecuniã; censumq; vrbis illius incolis triennio remisit, vt egregia magnificẽtia templum conderetur, quod donis quoq; auri & argẽti præclarè ornauit. Legatione igitur fœliciter peracta, Archidiaconus ingenti cum lætitia domũ redijt: quo tempore sanctus antistes lætissimum pariter nuncium de inuentis fratribus meruit accipere; quod qua ratione contigerit, non erit alienum explicare. Anni iam quadraginta à primo captiuitatis tempore elapsi erant, cùm Suessionensis episcopus ad tumulos martyrum Crispini & Crispiniani orandi causa profectus est; cumque in preces prostratus longa ab imo pectore traheret suspiria, audiuit duos ibidem cõsistentes religioso indutos habitu martyrum implorare patrocinium, vt tandem aliquando fratris conspectu frui possent. Quorum precibus lachrymisq; excitatus antistes, percũctari cœpit, qui essent quave oriundi patria; & quæ deniq; tantarum lachrymarum causa. Respondent illi, se ciues Romanos esse; tres fuisse fratres: duos in prædã cessisse hostibus; tertiũ in vrbe mansisse: cuius videndi miro tenerentur desiderio.

Orare ad tumulos martyrum quam pium.

Hæc

Hæc autem omnia adeò lachrymabundi Episcopo referebãt, vt ipse quoque vim lachrymarum profunderet, ac si eadem captiuitate premeretur. Interea cuncta ex fide Euortio nũciantur, qui protinus misso redemptionis precio, frugo seruitutis fratres extraxit, ac pristina libertate donatos, ingenti cum animi lætitia ac ciuitatis totius exultatione recepit.

S. Euortius recipit captiuos fratres suos.

Cæterùm Ecclesiæ structura ad fastigiũ perducta, ritè consecrata, ac varijs sanctorum reliquijs, ex diuersis locis procuratis decorata, vir diuinus ad populi salutem omnibus modis promouẽdam cogitationes conuertit. Nec fuit eius finè fructu conatus. Nã & miraculis clarus, & doctrina celebris, triduo, septẽ ferè paganorum millia cælestis gratiæ illustrauit lumine, cunctosque sacro fonte ritè expiatos in S. Matris Ecclesiæ gremiũ lætabundus accepit. His alijsque rebus præclarè gestis, cùm plenus dierum de imminenti obitûs sui die diuinitùs cognouisset, suprema suis subditis monita traderedecreuit.

7000. conuertit & baptizat.

Erat per id tempus in Aurelianensi ciuitate, tam in Clero quàm in populo magna nobilium copia: & dum plerique suis vel propinquis, vel amicis cuperent gratificari, non ignorabat vir sanctus, quin iterum pestifera dissensionis semina ob eligendum antistitem pullularent. Igitur vt omni conatu nefariam adeò & exitialem prorsus pestem opprimeret, orationem ad Clerum & ad quosdam è præcipua nobilitate proceres instituit: qua sereno prorsus animo docebat, nullum sibi episcopali munere digniorem Aniano Abbate videri: quare

se rogatos omnes velle, vt eum, cuius & vita & eruditio cunctis esset notissima, in sedē collocare dignarētur, antè quā fomes altercationū vires acciperet, totamq; ciuitatē pristinis discordiæ flammis inuolueret. Hanc eius orationem presbyteri quidam, natalium splendore inflati, & laici quoque eodem morbo laborantes, haud ita benignis accepêre auribus; quòd ij ad eam inprimis sedem vel aspirarent, vel suos cognatos ad illum dignitatis gradum quā maximè euectos cuperent.

Iterum exoritur discordia pro electione noui Antistitis.

Sed antistes, comperto nouo dissensionis incendio, rursus Clerum procereſq; cōuocat, & huiusmodi ferè oratione dissidētes animos in concordiā vocat: Charissimi & vnanimes fratres, vosq; excellentissimi filij: Cum animo æquissimo è vita discedam, vna tamē cura vehemētius me solicitat, quā vos oro atq; obtestor, vt pro vestra prudētia lenire dignemini. Proposui vobis Anianū in antistitē eligendū, non humano affectu; (testor numē diuinū) sed solo Dei adductus timore. Vos si meis parere monitis haud æquum putatis, hoc vnū igitur precibus à vobis obtinere contendo, vt saltem Dei mentem, quæ falli fallereq; nō potest; vna mecum exploretis. Tres vt audio, ad hūc dignitatis gradum pertinaci contentione aspirāt. Sed cùm tres, vt nostis, vna hac dignitate potiri nō queant, reliquum est, vt vnum ex mēte diuinā hoc munere digniſſimū eligatis. Quod vt fiat, tres chartulas singulorū nomine inscriptas in altare mittamus, peractisq; cras legitimo tempore sacrificijs, innocentem puerum adducamus, qui vnam è tribus in medium producat;

Oratio S. Euortij ad Clerum & proceres, vt discordiam sopiat.

ne

ne id quidem sufficere videtur, Psalteria Euangelia pariter proponantur; vt per sortē ctus scripturis confirmetur. Placuit cunctis mo prudentiæ ac pacis plenus. Peraguntur gilliæ; vota precesq; tota nocte Deo nuncu-tur; Missæ celebrantur; innocens adducitur er; per quem Dei mens atq; volūtas demon-tretur. Is ad extrahendas chartulas dexteram extendens, vnamq; digitis cōprehendens, tan-quàm prophetans exclamat: Anianus, Anianus, Anianus, solus dignus est huius vrbis Episco-patu. Aperitur deindè Psalterium, statimq; of-fert se versus ille; Beatus quē elegisti & assum-psisti Domine; inhabitabit in tabernaculo tuo. Denique in Euangelijs hic textus occurrit: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ec-clesiam meam.

Psalm. 64.

Matt. 16.

His igitur euidentissimis admoniti docu-mentis, cuncti Anianum designant Episcopum; eumque amplectuntur, quem diuino testimo-nio cōprobatum cernebāt. Cæterùm Euortius plenus gaudio & exultatione domum se rece-pit vbi febribus correptus, die illo, qui diuini-tùs ei indicatus fuerat, corpus terræ, animam cęlo reddidit. Corpus eius fuit multis ciuium lachrymis à Tetradio præfecto in agro ipsius ad Orientem sito sepultum; & exigua cellula desuper extructa honoratum; non paupertate sed necessitate; quod gentiles populabūdi Gal-lias vastarent, nec cuiquā tuto vno in loco diu morandi facultatem concederent. In eo autē sepulturæ eius loco, diuersa fiūt, eaq; creberri-ma miracula, Diuina assiduò operante virtute.

Anianus Euortio diuinitus substituitur.

Fœlix obitus S. Euortij.

Miracula fiunt ad tumulum eius.

VITA STEPHANI PRIMO CARthusiani, inde Episcopi Diensis : Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Claruit, vt patet infra, anno Dominici Natalis 1208. & seq.

7. Septēb. *Patria & Parentes Stephani.*

STEPHANVS, Lugduno præclara & celebri cumprimis Galliarum vrbe, oriundus, parentes habuit de Castellione dominos; & sanguinis & religionis nobilitate fœdè eximios. Porrò optimæ indolis puer, ab ipsis incunabulis egregia futuræ sanctitatis dabat indicia; prorsùs vt & parentes & cognati admiratione interdum defixi gesta moresque infantis contemplarentur; & signis minimè dubijs diuinam in eo gratiam copiosè infusam faterentur. Nunquam enim (vt cætera taceam) *Sextis ferijs infans abstinet ab vberibus.* sextis ferijs, vel vbera nutricis vel quidquam alimoniæ admittere voluit; sed eum diem infans planè ieiunus transmittebat. Inde verò ab vberibus abstractus, in ipsa pueritia literis disciplinisq; imbuēdus pedagogo est traditus, cui dictu mirum, quàm se modestū, quàm docilem quàm deniq; amabilem præbuerit. Omnis lasciuiæ puerilis ignarus, annos morib⁹ trāscendebat; suumq; doctoré ipse & maturitate morum, & vnctione Spiritus sancti, quæ ex vultu oculisque mirificè relucebat, puer docebat.

Hisce moribus pueritia ad adolescentiam transmissa, manifestiùs apparere cœpit, quàm firmas Dei gratia in eius animo radices ageret. Nam nobilis adolescens cùm tota mente fontem veræ sapientiæ sitiret, antè omnia acerrimum, cum vētre, sapientiæ & religionis hoste infestissimo, suscepit bellum: prorsus vt omni esu

a carnium penitùs sibi interdicto, turrim il- *Abstinet à carnibus.*
m cuius in ipsis cunis fundamenta iecerat,
relare non minùs quàm constanter, ad sum-
um perduceret. Neq; segnius interim, quan-
m licebat, misericordiæ operibus officijsq;
umbebat; virtutes cõtinuò virtutibus adij-
ens, totisque animi medullis ad apicem per-
fectionis aspirans. Itaque adolescentia in iu-
uentutem abeunte, cœpit vehementi contem-
plationis desiderio & amore flagrare, ac tacita
cogitatione locum exquirere, in quo Dauidis *1. Reg. 17.*
ibar cum tartareo Golia singulare posset
ione certamen: vt eo deuicto penitusque pro-
ratus, liberè quò tendebat, sine vlla offensione
peueniret. Agebat tunc annum sextum suprà
vigesimum cùm ad palestræ campum prope-
ans studiuit Portarum Carthusiam, huic cer-
amini aptissimam, multisque trophæis incly-
am, inter cæteros, duos habuisse athletas for-
tissimos, eosdẽ eius loci Priores; qui de Golia
illustribus aucti victorijs, sempiternæ fœlici-
tatis ampliſſima præmia reportassent. Ex ijs *Bernardus & Anthelmus viri sancti, Carthusiani.*
alter fuit Bernardus, cuius hortatu beatus Ber-
nardus, Claræuallensis Abbas, Cantica Can-
ticorum exposuit: quique post suum obitum in
ea Carthusia sepultus, multis claruit miracu-
lis. Alter verò non imparis meriti, sanctus fuit
Anthelmus; qui ex Carthusię Portarum Priore,
Bellicensis factus antistes, vitæ sanctitatem &
uens & defunctus præclaris adornauit mira-
culis. Horum igitur precipuè exemplis anima-
tus Stephanus, haud difficilem sibi de antiquo
hoste victoriam pollicebatur. Itaq; magna ani-
mi fiducia loci Præfectũ, cæterosq; fratres ibi-
dem

dem degentes adit; orat maiore instantia, vt in album sacrorum istorum militum conscribi posset. Ostendit se ad quæuis subeunda paratú certamina. Nullis terretur difficultatibus. Offert se prompto hilariq́ue animo omnium seruum. Illi, visa iuuenis alacritate, propensis animis assentiuntur, ac peramanter acceptum hortantur, vt expeditis rebus omnibus adeptum se terminum denuò sistat: quo & externis internisq́ue sacræ militiæ armis ritè instrui, & cum hoste in certamen descendere posset.

Induitur Stephanus monastico Carthusianorum habitu.

Nec mora: euoluto præfixo temporis spatio, adest pugil fortissimus, cominùs cum hoste terrimo præliaturus. Igitur monastico indutus habitu, cum ingenti feruore id vitæ genus auspicatur: ita vt breui regularibus eius instituti disciplinis & exercitijs imbutus, præclarum de seipso cunctis viuendi præberet specimen. Nam tametsi cõplures illic inuenit miræ sanctitatis & pœnitẽtiæ viros, attamen breui per multa sanctitatis opera seipsum exhibuit religionis exemplum; adeò vt præter communem monasticæ disciplinæ austeritatem, antiquam illam Sãctorum in eremo patrum sanctitatem præclarè æmulari videretur. Nam vt de cibi potûsq́ue parcitate (quæ in studio perfectionis sudantibus, plurimum sanè confert adiumẽti) aliquid dicamus, cum cæteri singulis hebdomadibus, ex Canonis sui præscripto, Carthusiani, tribus diebus solo pane & aqua victitẽt, ille pro maiori temporis parte vix quidquam præter panem & aquam ad mensam suam admittebat. Cæterùm mentem quibus putandum

Eius abstinentia.

est

leum pauisse delicijs? Nam vt panis ab vna parte, & codex ab altera, vtrique homini alimoniam præbebant: ita sanè, latrantis stomachi murmur sæpè non attendebat; cùm spiritus eius diuino amore ebrius suauissimè epularetur.

Magna eius erga Eucharistiam deuotio.

Porrò cùm diuinis assisteret mysterijs, & cœlestem illud epulũ à Christo nobis in vltima illa cœna relictum contemplaretur, mox lachrymarum imber ex oculis fluebat dulcissimus; adeò vt præ ima cordis cõpunctione & attritione, cum ipso Christo cruci affixus videretur. Sed nimirùm hæc, quanquàm eximia, nõ tamen inter solidas virtutes numerãda. Maius hoc & omni admiratione dignũ in nostro Stephano, quòd ita suam ipse voluntatem damnauerit, protriuerit quę, vt vix vnquam vel minimus rebellis animi motus exsurgere potuerit, qui eum de statu mentis dijceret. Studebat porrò otium animæ inimicũ exitiosum, omni conatu vitare; orationi, meditationi, contemplationi, sacrorum psalmorum perscrutationi diu noctuque vacare; labori quoque manuario, & corporalibus exercitijs debitis horis incumbere: denique nullum omninò prætermittere tempus, quo non vt bonus agricola in Dominico agro laboraret. Indè verò indies augebatur eius amor & feruor ergà Deum; & sanctitatis eius inter fratres creuit opinio; nomenq; eius & intus & foris celeberrimum reddidit. Et vt de interiori eius homine taceamus (cuius pulchritudinem, puritatem, constantiã & fortitudinem, satis indicabant mores:) semper exteriorem hominem tanta componebat modestia,

Varia pia eius exercitia.

stia, tanta suauitate, vt cunctos inspectantium animos in sui amorem protinùs accenderet. Nec mirum sanè quòd mortales eius conspectu dulciqúe alloquio libenter fruerentur, cuius puritate ipsos angelos constat mirificè delectatos fuisse. Cùm die quodam coram Crucifixi imagine contemplationi inhæreret, subitò Angelus Domini in humana effigie ei astitisse visus est: nimirum pijs eius operibus & sancta delectatus studijs, quibus die nocteq; sedulus incumbebat.

Angelica inter orandum fruitur præsentia.

Præficitur Carthusiæ Portarum.

Cùm verò multis annis hoc pacto vitam in solitudine transegisset, defuncto tandem Carthusiæ illius pastore, vnus præ cæteris omnibus maximè idoneus visus est, qui aliorum regimini præficeretur. Qua verò prudentia, qua discretione, qua strenuitate, commissum sibi munus administrauerit, profectò haud facilè foret, debita oratione explicare. Neque enim subditum sibi gregem tantùm ad æternæ vitæ pascua deducere conabatur, sed exteros etiam odore virtutum suarum suauissimo, ad suaue Christi iugum amplexandum alliciebat: prorsus vt multi aduẽtantes, quorum erat ad illam domum frequens concursus, è mundi vanitate in sacra familias commigrarent.

Multos suis monitis ad viam salutis reducit.

Intereà accidit, vt Diensis Ecclesia, suo destituta pastore, de nouo eligendo anxiè laboraret. Quid multis? Alijs hunc, alijs illum, eo munere dignũ asserentibus, prudentiores quidam magnũ illum Carthusianum Stephanũ ea functione vnũ omnium dignissimum clamant. Concurrunt protinùs omniũ vota: & quia probè nouerant virũ sanctum à solitudinis dulce-

Eligitur in Episcopum Diensem.

dine

ne difficulter auellendum, missis clàm ad Pontificem Romanum nuncijs, confirmationem impetrant. Ea obtenta, Stephanum adeũt; ut dignitatis istius sarcinam humeris suscipiat: & subditis sibi populis diuini verbi pabula cum auctoritate ministret. At ille perlectis Pontificis literis, stupore quodam perculsus post plura demum respondit, se monachum esse, & alterius voluntati subiectum; nempè Prioris Carthusiæ: cui ad mortem vsq; obediendi necessitas incumbat. Hoc illi respõso accepto, cùm nihil obsecrando proficerent, alijs à Pontifice literis impetratis, quibus Carthusiæ Priori mandabatur, vt eum obedire cõpelleret, Stephanum è latebris, in quas se abdiderat, eiusdem iussu euocatum, & electioni cõsentire coactum, multo cum gaudio & honore Viennam deducunt: vbi à tribus Archiepiscopis solenni ritu est consecratus, anno restauratæ salutis 1028. Redditus deindè Diensi Ecclesiæ, multaq́ue cum celebritate & exultatione in cathedra collocatus, monastica instituta nõ solum non omisit, sed eadem maiori vitæ austeritate & virtutum splendore illustrauit.

Intellige Carthusiam primariam.

En quàm inuitus pastoralem curam suscipiat.

Cùm autem iam concionando, hortãdo, visitando cœpisset exercere munus suum, & cõperisset gentem miseram & execrabili consuetudine cæcam, diem Dominicum luxui, tabernis, choreis, & perniciosis denique spectaculis consecrare, statuit blandis & mellitis verbis, apertissimisq́ue rationibus peccati illius enormitatem eis ostendere. Sed gens belluina & cæca, non modò non ad aures, saluberrimos eius admisit sermones, sed etiam, vt fit in deplo-

Prophanatio Dominicæ diei.

deploratæ salutis hominibus, sannis ludibrijsque eos excipiens, contemptim deindè proiecit. Quorum scelere & impudentia commotus sanè vir Dei, opportunè & importunè insistendum sibi putauit, vt si verbis tã impios ac barbaros mores expugnare non posset, virtutibus & miraculis corrigeret. Nec mora: Cùm surdas illorum aures diu frustrà pulsaret, ad extremum, virum referens Apostolicum, & hũ Apostolatûs signa euidenter ostendens, præcepit dæmonibus, qui ad ea, quæ diximus, facinora eos incitabant, & quorum voluntati parebant, vt sine vlla cuiusquam lęsione palàm se eis visendos exhiberent. Mox parent illi dæmones, quem homines peruicaces audire nolebant. Horrendum sanè & terribile tum videre licebat spectaculum; dæmones procera & immani statura, nigerrimos; cornutos; fœtorem & flammas per nares, oculos, & ora spirãtes, ad viri imperium apparere cũctis; rursumque recedere; nec quenquam lædere posse. Cæpit ergò occæcata gens aperire oculos; vitã & mores corrigere; & se totam viro Dei sanandam committere.

Cogit dæmones se visibiles exhibere populo quem deceperant.

Quàm verò ergà peccatores humanus, benignus & misericors fuerit, vno exemplo, cæteris prætermissis, satis sit declarasse. Quidam ex subditis eius ægrotans, sæuo obsessus dęmonio, vultu, voce, alijsq; signis, omni salutis spe abiecta, haud dubiè ad exitialem exitum tẽdere videbatur. Iacebat miser humi ab omnibus destitutus; quia ad detestanda & cõfitenda crimina nullis omninò monitis induci poterat. Id vbi cognouit vir Dei, è faucibus tartari, si quà

Hominem desperantem reuocat ad salutem.

là posset, eum eripere statuit. Sed diabolo
tus illius tenacius occupāte, salutaria san-
viri monita furibundus repellebat. Videns
tur alijs vtendum armis ; ad solitas preces
in lachrymis se conuertit. Et eccè æger ho-
dæmone purgatus, cōfestim ad se redit, &
ccata Stephano ritè cōfessus, magna cum sa-
tis æternæ spe, omnibus munitus sacramen-
tis è vitā excedit. Alium quendam ægrotū, diu- *Ægrotum sanat.*
turno morbo oppressum, manus suæ contactu
sanum integræ restituit sanitati.

Ortam quandoque immanem grandinis tempestatem, quæ regioni exitium minitari vi *Tempestatē sedat.*
debatur, Crucis signo contrà eam edito, re-
pressit. Quædam mulier ob sua, vt videbatur,
maleficia à diabolo præfocata, subitò expira-
uit. Eius rei rumor ad virum Dei peruenit. Is
miseratus casum tam acerbum infaustæ mulie-
ris, venit ad locum vbi iacebat exanimis; ma-
gnam fundit lachrymarum vim ; orat pro ea
Dominum; implorat eius misericordiam. Po- *Excitat mortuam.*
stilla velut à graui somno euigilans, surgit:
narrat Christi erga se misericordiam ob meri-
ta viri Dei, sibique restituta, exiliens & exul-
tans laudat Deum.

Nec minor eius fuit erga viuos, quàm defun- *Benignitas eius in pau-*
ctos misericordia. Præter victum enim mode- *peres.*
ratum, quo se suamque familiam sustentabat,
omnia in pauperes erogabat. Imminente autē
vitæ huius termino, cùm Ecclesiæ suæ filij, vt
testamentum conderet, eum vrgerēt; ille veræ
paupertatis amator, nihil se habere, nihil pos-
sidere, sed cuncta sponsæ suæ esse respōdit. Cę-
terum benedictionem & consilium petentibus

Sanat benedictione sua infirmam.

non negabat. In ijs mulier quædam longa tabe exhausta, & omni medicorum arte destituta, pro recuperanda salute eius benedictionem supplex expetijt. Tandem admittitur; ab eo benedicitur: & sana recedit. Postremò cùm suos multis sermonibus ad concordiam & mutuam charitatem hortatus esset, & inter discordes hostiliq́ue odio dissidentes pacem conciliasset, inter verba orationis migrauit ad Dominum; Septemb. die 7. anno Restauratæ Salutis 1213. ætatis suæ 58. Episcopatus sexto. Corpus eius fuit multorum lachrymis & omnium luctu in Ecclesia Virgini matri sacra (vti viuens mandarat) sepultum: vbi multis miraculorum signis illustre, fœliciter requiescit.

Felix eius obitus.

Claret miraculis post obitum.

DE SOLENNITATE NATIVITATIS *Beatissimæ Virginis Deiparæ: deq́; eius laudibus & Commendatione: Ex Sermone beati Ioannis Damasceni, lib. 4. de Orthodoxa fide, cap. 15. Et Sermone 2. B. Petri Damiani de Natiuitate eiusdem.*

8. Septem.

SANCTA atque omni laude sublimior semperq́ue Virgo ac Dei Genitrix Maria, omni quidem æuo antiquiore, ac præscienti Dei consilio prædestinata, varijsq; Prophetarum imaginibus, ac sermonibus per Spiritũ sanctum adumbrata, certo tandem atque præfinito tempore ex Dauidica radice orta est. Enimuerò quòd Ioseph ex Dauidica tribu originem duxerit, sanctissimi Euangelistę Matthęus & Lucas liquido demonstrarunt. Verùm hic inter eos discriminis est, quod Matthæus ex Dauide per Salomonem Iosephũ deducit, Lu-

Isaiæ 11.
Psalm. 88.
Psalm. 131.

Matth. 1.
Luc. 3.

autem per Nathan: At verò sanctæ Virgi-
portum vterq; silentio pręterijt. Quocirca
æ operæprecium est, nec apud Hebræos, nec
ud Scripturam sacram, hoc in more positum
sse, vt mulierum genus recęseretur. Verùm
ic demùm lege cautum erat, nè tribus vlla,
ores ex altera tribu accęrseret. Ac proinde
Ioseph, qui lex tribu Dauidica ortum trahe-
bat, iustitiamque colebat, (hanc enim lau-
dem ei tribuit diuinum Euangelium) san-
ctam Virginem haudquaquàm præter legis
præscriptum despondisset, nisi ex eodem sce-
pto genus duxisset. Ob idque satis habuit Eu-
angelista demõstrasse vnde Ioseph ortum tra-
xerit.

Mulierum genus in scriptura recenseri non solet.

Num. 36.

Matth. 1.

Quin illud quoque sciendum est, quòd Lege
ncitum erat, vt si quispiam sinè liberis è vita
decessisset, ipsius frater vxorem mortui in ma-
trimonium acciperet, ac fratri semen excita-
ret. Ita, quòd in lucem edebatur, natura quidẽ
secundi erat, hoc est, eius qui genuerat; si au-
tem Legem spectes, eius qui mortem obierat: I-
gitur ex stirpe Nathan, filij Dauid, Leui genuit
Melchi & Pantherem. Panther autem genuit
Barpantherem, (nam ita vocabatur.) Barpan-
ther rursus genuit Ioachim, Ioachim denique
genuit sanctã Dei Genitricem. Rursus ex stir-
pe Salomonis filij Dauid, Mathan ex vxore sua
genuit Iacob. Mortuo autem Mathan, Melchi
ex tribu Nathan, filius Leui, ac frater Panthe-
ri, vxorẽ ipsius Mathan, quæ etiam Iacobi ma-
ter erat, matrimonio sibi copulauit, atq; ex ea
genuit Heli. Ita vterini fratres erant Iacob &
Heli, ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex

Deut. 25.

tribu Nathan oriundus. Porrò Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis susceptis è vita migrauit; eaque de causa Iacob ipsius frater, qui ex tribu Salomonis fluxerat, ipsius vxorem accepit, fratrique suo semen excitauit, ac Iosephum progenuit. Ioseph itaque natura quidem filius Iacob erat, à Salomone oriundus: *Legis* autem ratione, patrem habebat Heli, ex Nathan oriundum. Quæ cùm ita sint, Ioachim lectissimam illam ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulauit. Verùm quemadmodum prisca illa Anna cùm sterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promissionem Samuelem procreauit: eodem modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem, Dei genitricem à Deo accepit, vt nè hic quoque cuiquam ex illustribus matronis cederet.

1. Reg. 1.

Itaque gratia (nam hoc sonat Annæ vocabulum) Dominam parit (id enim Mariæ nomine significatur.) Verè etenim rerum omnium cõditarum domina facta est: cum Creatoris mater extitit. Ad templum autem adducta, ac deindè in domo Dei plantata, atque per Spiritum sanctum saginata, instar oliuæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur; vt quæ videlicet ab omni huiusce vitæ & carnis concupiscentia mentem abstraxisset; atque ita virginem vnà cum corpore animam conseruasset: vt eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat. Sanctus enim ipse cum sit, in sanctis rõ quiescit.

S. Maria omnium creaturarum Domina.

Psalm. 91.

Meritò igitur sacra eius natiuitas præ-
cipuum & singulare mortalibus præbet gau-
dium:

...quæ totius extitit humanæ salutis exor-
...m. Sic enim omnipotens Deus ineffabili
...uidentiæ suæ intuitu, antequam homo fie-
...hominem periturum diabolica machina-
...ne præuidit: sic etiã redemptionis humanæ
...nsilium, antè secula in immensæ pietatis suę
...sceribus habuit. Et non solùm qualiter re-
dimeret, modum & ordinem in profundissi-
sima sapientiæ suæ ratione constituit: verum-
etiam quando redimeret, certum temporis ar-
ticulum præfiniuit. Sicut ergò impossibile e-
rat, vt humani generis redemptio fieret, nisi
Dei filius de virgine nasceretur: ita etiam ne-
cessarium fuerat, vt virgo, ex qua verbum caro
fieret, nasceretur. Oportebat quippè prius ędi-
ficari domum, in quam descendens cælestis
Rex habere dignaretur hospitium; illam vide-
licet, de qua per Salomonem dicitur: Sapien-
tia ædificauit sibi domum: excidit columnas
septem. Et quidem septem virginalis hæc do-
mus suffulta columnis extitit; quia intemera-
ta Dei genitrix, septem Spiritus sancti do-
nis, id est, sapientiæ & intellectus, consi-
lij & fortitudinis, scientiæ & pieta-
tis, atque timoris Dei do-
tata fuit.

Quàm necessaria fuerit natiuitas Deiparæ virginis.

Prouerb. 9.

Esaiæ 11.

S. Hadriani Martyrium habet Lector 4. Martij. Tom. 1. quo die & Martyrologium Romanum.

VITA S. CORBINIANI, PRIMI Episcopi Frisingensis : Ex ea quæ est per Aribonem, quartum Frisingensem Episcopum. Claruit temporibus Gregorij Secundi, Papæ anno Domini 716. & seq.

Vide Tom. 9. Annal. C. Baronij.

CORBINIANVS e regione Melitorensi, in vico cui nomen Castrus, oriundus patrem habuit VValdekisum, matrem Corbinianam. Prodijt verò in lucẽ infans, genitore ex humanis sublato; vnde cùm genitrix in sacro fonte patris ei nomẽ imposuisset, paulò pòst immodico filij amore capta, mutato nomine, Corbinianum eum appellari voluit. Qui optimæ indolis puer cum ipso lacte pietatem imbibens, eò demum Christi gratia adductus est, vt paulò adultior, spreta mundi vanitate, iuxta beati Germani Ecclesiam, tuguriolum, verius tamen ergastulum dixerim, cõstrueret: in quo sagacissimus sacræ scripturæ indagator, vigilijs & orationibus strenuè incumbebat: & alios quotidie eò confluentes cœlestibus pariter disciplinis instruebat, tanto cũ fructu, vt præter gratissima animarum lucra, ex oblatis sibi pecunijs muneribusque, pauperibus quoque admodùm benignè consuleret. Quæ res cùm maximam ei nominis celebritatem breui adferret, tãtus ad eum & nobilium & ignobiliũ vtriusque sexus factus est concursus, qui æternæ vitæ monita ex illius ore percipere gaudebant, vt eorum frequentia fatigatus loci mutationem cogitaret.

8. Septẽb. *Patria & Parentes eius.*

Vnde dictus sit Corbinianus.

Habitat solitarius in tuguriolo.

Abit Romã ad summum Pontificem.

Annum tunc quartum decimum in eo claustro exigerat, cùm maiore pietatis ac præcipuè soli-

studinis desiderio incensus, reuulsis clau-
sui repagulis, ad sacra Apostolorum limi-
contendit: vt sibi suisque à summo Pontifice
itandi in quodam angulo facultatem, cer-
mque vitæ institutũ impetraret. Verùm Pon-
ex, audita viri sapientia, & admiranda oris
cundia, protinùs vel inuitũ per singulos gra- *Ordinatur à*
us ad pontificalem vsque prouexit honorem, *Papa Grego-*
datoque pallio, prædicationis officium per to- *rio Secundo,*
eum orbem exercendi potestatem ei peramplã *Episcopus.*
fecit. Quo ille accepto honore in Galliam re-
uersus est; & melliflua instar viui fontis in au-
res audientium effudit monita, & plurimos sa-
nè à prauitate vitæ ad virtutis conuertit stu-
dium: adeò vt collapsa etiam multis in mona-
steriis pietatis fundamenta, eius potissimùm
studio & doctrina resurgerent.

Intereà contigit, vt maior domus Lotha-
rij Regis in Gallia, (qui erat a Carolus Martel- a *Teste Cæs.*
lus) virum Dei ad se accersiret. Illo verò ad re- *Baron. Tom.*
giam proficiscente, quidam Adalbertus no- *9. Annal.*
mine, latrocinij reus, vltimo damnatus suppli- *anno 720.*
cio ad patibulum trahebatur. Quo viso, Cor-
binianus misericordia motus, ex equo desilijt,
ipsosque Iudices infimis precibus veniam pro
reo rogauit. Illis verò precisè negantibus, &
publicam functionem inuiolatè conseruandã
asserentibus, vir Dei reum admonere studuit,
vt animæ suæ putredines vulneraq;, integra &
pura confessione ritè expiaret. Qua sanè à reo,
multis cum lachrymis & salutari scelerum de-
testatione, peracta, sanctus antistes caput illius
pectusq; Crucis signo muniuit; & optimè de in-
dè reo precatus, summa cũ festinatione cœp-

tum iter peregit; nihilque prius habuit, quàm vt Principis aduolutus pedibus, vel corpus saltem suspensi, & (vt omniũ erat opinio) iam defuncti peteret. Princeps, audito viri sancti postulato, vix lachrymas tenuit, quòd viuentem Pontifex obtinere nequiuisset. Dictum igitur factum postulatis eius fecit satis; missisque

Homo triduo suspēsus, precib. Corbiniani manet incolumis.

cijs mandauit defunctum antistitis voluntati confestim tradi. Rex mira, & quæ fidem superare videretur, nisi oculato plurimorum testimonio confirmata esset. Tertius iam dies hominem reste strangulatum cælum inter & terram habebat; cùm eccè soluto fune Adalbertus non modò incolumis, sed ne læsus quidem, inuentus est. Permouit rei miraculum nuncios, vt hominem ad regiam deducerent, & Principi ipsi contemplandum exhiberét. Contemplatur eum princeps; contemplantur & optimates; & ingens denique concurrentium multitudo. Stupent omnes miraculi magnitudinem: sed stupent multò magis Corbiniani sanctitatem.

Iterum se abdit in tugurium suũ.

Creuit deindè per singula momenta celebritas viri; creuit honor: prorsus vt ille honoris ambitionem expauescens, rursus se in angustulo suo præ foribus Ecclesiæ B. Germani abderet. Sed quantò ille studiosius honorem & famæ celebritatem fugiebat, tantò acrius honor fugientem sequebatur. Quid tunc faceret vir sanctus? Septẽ annis cõtinuis, nec sinè amplissimo animarũ fructu, ibidẽ secluſus fuerat, cùm rursus tutissimum salutis refugium insolita constituit; Romamq; repetijt: vt bona Pon-

Iterum vadit Romam.

tificis voluntate, aliquo in monasterio alteri se-

voluntati priuatus subdere posset. Atque vt illorum (quibus erat notissimus) conatus, à ea reuocare volentium, eluderet, secretiore ea in Alemaniam peruenit; deindè in Germaniam; sicque in Noricum delatus, ibidem aliquo, salutarē Euangelij impartiuit doctrinā, quādiù rudi & recens ad Christū conuerso po-

In Norico prædicat verbū Dei.

Erat eo tempore Bauariæ Dux insigni pietate & magna potentia vir Theodo; cum alijs rebus, tum præcipuè filiorum nobiliumque virorum virtute, quos habebat ornatissimos, admodum fœlix. Is venientem eas in partes virū Dei omnibus modis apud se retinere conabatur: sed honores remis, quod aiunt, velisque fugientem nec precibus, multò minùs muneribus permouere poterat, vt institutum Romam versus iter omitteret. Itaque donis muneribusque ornatum à se dimisit; qui deindè in partes filij eius nomine Grimoaldi veniens, fuit ab eo perquàm honorificè acceptus, & importunis precibus oppugnatus, vt ibidem sedem figere, & populo diuini verbi pabula administrare dignaretur. Sed cùm frustrà viri sancti aures ijs precibus pulsaret, fecit quidem ei copiam abeundi, sed ita tamen, vt clam habitatoribus Alpium tam Venusticæ vallis, quàm alijs circumquaque mandaret, vt redeuntem ex Italia interciperent, & ad Principem Baioariorum perducerent.

Theodo Bauariæ insignis Dux.

Grimoaldus filius Theodonis.

Igitur cœptum iter prosequens vir Dei, cū Breones peruenisset, coactus fuit quadam in sylua, tempore, vt credo, ciuitate exclusus pernoctare. Ibi verò dum custodes equorum, profundo oppressi somno, equos pabulatū, incau-

tius vagari permittunt, vrsus è latebris prorũpens, caballum viri Dei discerpit, eiusque carnibus exhaustum longa inedia ventrem ad satietatẽ implet. Mane facto, Ansericus viri sancti minister vrsum equo humi strato insidentẽ, nec semiesam prędam quanquam satur deserere volẽtem inuenit. Quo sanè nuncio tristi admodum ad Corbinianum delato, mãdat is Anserico, vt vrsum flagello acriter cedat, & sagmariam sellam ei imponat; sicque cum cæteris caballis onustum deducat. Horruit primò ad mandatum minister; sed hortante & metum demente viro sancto, paruit is; & feram bestiã sarcinis onustam Romam vsque perduxit: vbi à Corbiniano in viam suam dimissa, consuetas latebras petiuit.

Vrsum cogit ferre sarcinas Romam vsque.

Itaque prospero itinere Romam delatus vir Dei, cœpit Pontifici fusis lachrymis cunctas animi sui aperire angustias: quomodò nõ immeritò ex blanda & fucata honorũ specie, animæ suæ ruinam & sempiternum interitum pertimesceret. Petere igitur atque orare, vt vel cœnobiũ aliquod ingredi, vel syluã aliquã inhabitare permitteret. His auditis, Pontifex cõuocata Synodo viri sancti postulata exponit. Sed omnes vna voce reclamant, multis Scripturarum testimonijs confirmantes, indignum esse talem tantumq; pastorẽ oues sibi creditas deserere velle. Quorum verbis se victum cõsiderans, animũ ad intermissa honoris munia obeunda tristis resumpsit: seq; in viã tradens, cùm ad castrũ Magiense veniisset, fuit à custodibus Grimoaldi interceptus, ibidemque volens nolens, tamdiu detentus, donec Bauariæ Dux abeundi

Petit à summo Pontifice ab Episcopatu absolutionem, sed non impetrat.

di potestatē faceret. Quæ vir Dei impedimenta viæ suæ diligenter pertractans, cōsidebat diuinæ virtutis gratia vacua non fuisse. Venit enim ad B. Valentini confessoris sepulchrum orationis ergo se cōtulisset, cerneretq; terram vniuersam frugibus & syluis non minus ad Dei cultum quam ornatum præclarè distinctā, cogitauit eo in loco secretum sibi domicilium condere: si tolerabili aliquo precio eū sibi comparare posset. Hæc cogitantē Grimoaldus Dux missis nuncijs summa cū veneratione ad se deduci præcepit. Tū vir Dei parêre coactus, ad principem mæstus perrexit. Sed vt palatio eius appropinquauit, dixit cuidam, qui principi à cubiculis erat, se nequaquam faciem illius videre velle, nisi lasciuam coniugem, quam sibi post obitum fratris sui Theodoaldi, vidam copulauerat, à se expelleret. Perculit ea viri Dei sententia vtrumque grauiter; & cùm Grimoaldo salutarem timorem, tum Pilidrud (hoc namque illustri fœminæ nomen erat) acrem sanè inuidiæ flammam subministrauit: prorsus vt certa de nece viro sancto inferenda consilia captaret. At ille, funestæ Herodiadis nihil vel minas vel insidias veritus, perstitit in sententia, diebusque quadraginta continuis, quibus illorum conspectum auersatus est, eos ad diuortium tam execrabilis cōiugij monere iugiter non destitit. Tandem vero ad promissionem separationis perduxit vtrumque; positoq; ob oculos tremendo Dei iudicio, eò pœnitudinis ac doloris permouit, vt humi prostrati ambo, extēsis ad pedes eius brachijs, profuso lachrymarum imbre reatū suum agno-

Orat vir sanctus ad S. Valentini sepulchrum.

Grimoaldus duxit vxorē defuncti fratris sui.

Hortatur eos constanter ad separationē Corbinianus.

Ecce insigne exemplum pœnitentiæ.

agnoscerent: vltroque pœnam, vt vocant, satisfactionis postularent. Quos vir Dei peramanter amplexans, blandis pijsque monitis in viâ salutis æternæ deduxit, & ab omni delicto vehementer deterruit. Verùm cùm non longius (vt par erat) à se fœminam illam Grimbaldus ablegasset, reuersus ad vomitum, vlciscétemmine, in se suosque (vt infrà patet) Dei vindictam miser expertus est.

Ecclesiæ S. Mariæ Frisingæ quid dederit Dux Grimoaldus.

Porrò cùm anteà loci amænitate, tunc multò magis egregia vtriusque pietate permotus fuit vir Dei, vt in Magiensi confinio cœleste domicilium construeret, & vniuersam gentem illustriore æterni Dei cognitione instrueret. Itaque in loco, cui Camina nomen, inter duos riuulos Timonem & Finalem, ipse Grimoaldus, agros, prata, & vineas cum parte Alpium emit viro Dei, à loci illius possessoribus; quæ Corbinianus Deo, & Ecclesiæ Virgini Matri in Castro Frisingensi sacræ cõsecrauit: exstructoque habitaculo, basilicam sub Valentini & Zenonis patrocinijs ædificauit: totumque locum illum, pomiferis consitum arboribus, cùm Dei cultoribus, tum ipsis inprimis pauperibus reddidit sanè vtilissimum. Tenuit deindè ibidem cathedram pontificalem Corbinianus, & rem Christianam multiplicauit egregiè: tãto ipsius Grimoaldi gaudio, vt eum nõ modo tanquam amicum amaret, sed etiam parentis instàr coleret & obediret.

S. Corbinianus Episcopus Frisingensis.

Quadam die cùm vir sanctus vnà cùm Principe cibum sumpturus appositas dapes Crucis de more consignasset, Grimoaldus dilecto sibi cani panem per iocum proiecit. Quod vt con-

aspexit Corbinianus, indignatione commo-
tripodi calcem impegit, mensamque argē-
vasculis refertam euertit: simul ex scamno
siliens domo exiuit, dicens cum eo se vlte-
us panem sumere nō velle, qui cani eū proij-
re veritus non esset. Ea res mulieris sopitum
antè furorem nouis inuidiæ facibus suc-
cēdit, inflammauitq; adeò, vt principem iner-
tiæ & stoliditatis arguere non dubitaret, si ho-
minem illum non vni mortis supplicio obno-
xium, continuò nō plecteret. At princeps pru-
denti secum animo expendens non parui mo-
menti rem esse, virum sanctum & summū Dei
amicum offensum habere, ilicò cum primati-
bus palatio egressus viri Dei se vestigiis pro-
strauit, satisfactionē spondēs, si osculū pacis à
beato antistite impetraret. Recepit eū tandem
antistes, redijtq; pariter ad mēsam subuersam;
nihil non faciens, vt peccati horrorem princi-
pibus antè omnia salutarem incuteret.

En quanti olim etiā viri principes, sacerdotum bonorum amicitiam fecerint.

Porrò erat in vicino monte oratorium bea-
ti Stephani: in quo vir Dei Diuinas laudes per-
soluere consueuerat. Cum autem ministri de
aquarum penuria propter altitudinem montis
(quod ibidem eam quotidie ferendo lassaren-
tur) murmurare cæpissent, vir sanctus quodam
die diluculò consurgens, solus montis latera
circumiens, in plaga meridiana ad orationem
humi se prostrauit. Qua cōpleta, baculū quo
sustentabatur in terram defixit. Cumque pau-
lùm perfodisset, tanta mox ex eadem fouea
aquarum emanauit abundantia, vt ad totius
oratorij ministerium sufficeret: insuper & vs-
que ad montis imam crepidinē defluēret. Qui

En insigne miraculum in excitando fonte.

fons

fons vsque in præsens perdurans, intuentiũ oculis veritati testimonium perhibet.

Cum die quodam vespertina hora ad ecclesiã beatę Virginis properaret, eccè mulier quędã rustica maleficij suspicione laborans ei obuiam perrexit, carnibus delicatis, grato vt sperabat antistiti munere, onusta. Qua visa, vir Dei ex baiulis inquirere, quinam esset illius aduentus. Ad hæc mulier gloriabunda sanè respondit, se quandam principis sobolem dęmonum illusionibus in iuuentute circumuentam, suo carmine suisq; artibus ad salutem perduxisse, indeque xenia illa consecutam antistiti suo impartire velle. Quib⁹ auditis, vir Dei vehemẽter expauit, ac protinus ex equo desiliẽs, magam illam proprijs manibus grauiter cæcidit, & xenia ad portã ciuitatis pauperibus distribui curauit. Socia verò antiqui serpentis sparsis crinibus, cruẽta facie principis se obtulit conspectui. Quam ita flentem incesta vxor conspiciẽs, diabolico furore mirabiliter incẽsa, vix sibi à manibus episcopo inferendis temperare poterat: sed principis vindictã ventã, in præsens quidem sibi temperauit; Ninotamen, qui ei à secretis erat, occultè præcepit, vt quouis modo recedentem ab ea villa antistitẽ interimeret. Sed antistes cum insidiæ mulieris ei innotuissent mature percussoris manus declinauit: & Grimoaldo imminentem interitum prophetico spiritu significauit. At princeps, cognitis insidijs, vehementer indoluit, nullumque non mouit lapidem, vt vir Dei ad regiam rediret. At ille, Iezabelis pessimæ mulieris insidias, & declinandas, & breui diuina vindi-

En quàm execratur artem magicam.

Necem sibi structam euadit.

dicta terminandas, respondit. Nec irritum vaticinium.

Nam primò filius eius, quem nefando carmine mulier nefanda incantauerat, rebus exemit humanis; eoque mortuo, Grimoaldus insidiatoribus interfectus est. Ninus vero, qui necem episcopo machinatus erat, cum ventrem purgaturus secessit, lancea percussus interijt. Postremò & ipsa Pilidrud Carolum Martellum in Gallias sequens, proprijs exuta substantijs, in extrema rerum omnium inopia & ignominia vitam finiuit; natiq; illius ad vnum omnes regno priuati, multo cum dedecore vitæ terminum clauserunt. Cæterū sanctus antistes in Dei laudibus strenuè persistēs, ab Hucberto, qui deindè ad regni istius gubernacula successit, summo cum honore reuocatus fuit.

Grimoaldus miserè interficitur.

Hucbertus princeps.

Porrò vt instante vitæ termino sibi migrandum cognouit, balneo se abluit; capillos totō-dit, caput barbamque rasit, ac vestibus denique sacris indutus, oblato sacrificio, viaticum proprijs manibus recepit. Quo ritè cōfirmatus, & domum regressus, omnis planè doloris expers, postquàm se semel iterumq; Crucis signo munijsset, beatum Deo spiritum tradidit. Et quidē tūc fuit corpus in Ecclesia Dei genitricis à ministris sepultum. Sed mox pluuia atque procella continuis triginta diebus totidemq; noctibus est subsecuta, donec beati viri corpus indè Magias, quemadmodum in vltima voluntate cauerat, tranferretur. Itaque tricesimo obitus sui die de humo eleuatus, integra adeò & viui-

En mirabilē sancti viri obitum.

Miraculum.

viuida forma inuentus est, vt cuncti eum spiritum ducere existimarent. Cùm verò corpus eius plaustro impositum summo cum honore & festiuo cantu Magias veheretur, accidit vt duæ puellæ in via fortè consistentes sermones inter se varios conferrent. Viso autem antistitis funere, earum altera nefando sermone, ab insita linguæ petulantia, non est verita dicere se suæ lasciuiæ atque immunditiæ episcopum socium habuisse. Protulit illa verba improuidè quidem, magis vt sociam deludere, quam antistitē eius criminis ex animo accusare vellet; statim diuina vindicta suum ipsa femur dexterum incuruatum ac planè rigidum sensit: prorsus vt reliquo vitæ tempore claudicantem gressum binis firmare baculis cogeretur.

Quædam ob lasciuum sermonem diuinitus castigatur.

Eadem etiam in translatione binis vicibus calidus de naribus viri sancti guttatim fluxit sanguis; ac alijs insuper in itinere miraculis à Deo illustratus, tandem honorificè in Ecclesia Valentini ab eo constructa conditus est. Vbi ad illud vsque tempus quieuit, quo ab Aribone tertio eius, in sede pontificali, successore, generali Synodo congregata, ac triduano ieunio peracto, non sinè reuelatione, ex Magensi ciuitate, Frisingam translatum, eximijs in itinere miraculis clarū in Ecclesia Virginis Matris, vbi primò sepultus fuerat, recondidit; ad gloriam nominis Christi sempiternam, omniumque credentium consolationem: quibus illic sanitates iugiter conferuntur.

Calidus sanguis fluit de naribus diu defuncti.

Locus sepulturæ eius miraculis cælestis.

INSIG-

SIGNE MARTYRIVM SS. Iouenis, Petri, Dorothei, ac Sociorum, Nobilium ac Aulicorum: ex libro 8. Historiæ Ecclesiasti. Eusebij Cæsariensis. Coronati sunt anno Christi Domini 302. Dioclet. & Maximani. Impp. 19. Marcelli Papæ 6.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron.

EODEM quidem tempore, cùm salutaris passionis Dominicæ festum iam pro foribus esset, omnibus in locis palàm per literas edictum fuit, vt deiectis solotenus ecclesijs, scripturæ igne absumerẽtur, & qui honores adepti fuissent, omnibus ornamentis turpiter spoliarentur, & priuati, si modò in professione Christiana perstarent, libertate penitùs priuarentur. Ac primùm edictum contra eos editum, tale fuit. Non longo tempore pòst alijs literis mandatum est, vt omnes ecclesiarum præsides, vbicunque gentium, primùm conijcerentur in vincula; deindè omnibus adhibitis machinis, idolis victimas immolare cogerentur.

9. Septẽ. *Impium decretum Imp. contra Christianos.*

Item aliud contra Episcopos.

Simulatque edictum contra Ecclesias Christi editum, in Nicomedia propositum erat, vir quidam non obscurus & ignobilis, sed, vt hominũ fert opinio, longè illustrissimus, incredibili amore erga Deum & ardẽti fide incitatus, ocyus prodit in medium, & illud in aperto & publico affixum, tanquam profanũ & maximè impium, manu auellens dilacerat; idque, cum duo ex Imperatoribus in ciuitate adesset: quorum alter ætate præ cæteris prouecta, primum imperij gradum, alter quartum ab eo obtinuit. Atque iste primus martyrũ, qui tum occubue-

Eccepium zelum Christiani cuiusdam, nomine Ioannis.

runt, ad hunc modum eximiè nobilitatus, taliaque cruciamenta perpessus; qualia erat verisimile eũ, qui fuisset in eiusmodi facinore deprehensus, subiturum, tum constanti & virili animo, tum pacato & trãquillo, ad extremum vsque spiritum constitit.

Eximia virtus S. Dorotheï.

Ex omnibus porrò, qui vnquã vel apud Græcos, vel apud Barbaros propter animi magnitudinẽ illustres, & hominũ sermone celebrati sunt, nullus cũ diuinis & eximijs nostri temporis martyribus Dorotheo & suis sodalibus, Imperatorum ministris, comparari potest. Qui quidem cùm summum honorem apud dominos adepti fuissent, & amore essent apud illos liberis proprijs & ingenuis nõ inferiores, probra & afflictationes pro pietate corporib. impositas, noua & multiplicia mortis genera cõtra ipsos excogitata, splendidiores reuerà existimarunt diuitias, quàm gloriam, quàm delicias, quib. hominum vita solet diffluere. Mortem igitur vnius ex illorum numero, qualis fuerit, commemorare placet, eamque lectoribus spectandam relinquere; vt indè, quæ reliquis etiam eius sodalibus contigerint, animaduerti possit.

Horrendi cruciatus Petri martyrij.

Quidam illorum in ciuitate suprà commemorata coram Imperatoribus, quos diximus, in medium adducitur. Qui cùm iussus idolis immolare, omninò recusaret, mandarunt nudum in sublime tolli, ac flagellis eousque toto corpore dilaniari, quoad supplicio euectus, etiam animo inuito, quod erat imperatum, præstaret. Sed vbi ista perpessus, constans & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus eius ira

carne

ne denudatis acetum sale permistũ in corporis membra cruciatu attenuata, & propè cõfecta, infuderunt. Atque vt istos dolores protriuerat, & veluti pedibus conculcarat, inde craticula & ignis in medium trahuntur, & reliquiæ eius corporis, tanquã carnes ad comedendum paratæ, ignis incendio non raptim (vt breui è vita decedens, omni dolore liberaretur) sed paulatim absumptæ fuerunt. Neque qui eum imposuerant in rogum, etiam post tot tamque grauia cruciamenta ei vllum respirandi locum dare in animo habebant, nisi prius ipsorum imperata facturum annueret. Sed ille proposito suo mordicus adhærescens, victor in tormentis animam efflauit. Tale vnius regiorum famulorum martyrium extitit; appellatione sua (Petrus enim nominatus fuit) reuera dignum. Ceterùm Dorotheus, Gorgonius, alijque non pauci ex Imperatoris familia, atrocissimis cruciatuum pariter generibus excarnificati, vitaque spoliati, diuinæ victoriæ, inuicti Christi athletæ, præmia reportarunt. Porrò plura de his martyribus lector inueniet in historia Indes & Domnæ 27. Decemb. Tom. 4.

VITA S. AVDOMARI, EPISCOPI Morinensis: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Sur. Excessit ex humanis anno Domini 695.

Vide Tom. 8 Annal. C. Baron.

BEATVS Audomarus antistes, nobilibus & secundùm seculi dignitatem inclytis, atq; in fide catholica eruditis, ortus parentibus, haud ita procul à Costantia, eo loco, qui Aurea Vallis nuncupatur, vitæ initium auspi-

9. Septẽ.

Patria & parentes S. Audomari.

auſpicatus eſt. Pater eius Friulphus, inter ſuos clarus, mater Domita, æquè nobilis fœmina, cum in ſe cuncta pietatis ornamenta à teneris egregiè tutati fuiſſent, tum eadem omni ſtudio atque diligentia Audomaro puero vna cum lacte inſtillare non deſtiterunt. Erat enim vnicus illis filius tenerè admodum, vt fieri ſolet, dilectus. Igitur cùm optimæ indolis puer & naturæ adiumentis, & parentum diſciplina, adulta iam ætate raram quandam & pietatis & eruditiõis in ſe ſpeciem exprimeret, defuncta tãdem Domita matre, ipſe ſoli Chriſto deinceps ſeruiturus, haud difficulter parentem ad idem ſuaue iugum proprijs humeris imponendum permouit.

Ambo igitur, & Friulphus parens, & Audomarus adoleſcens, calore diuini amoris mirabiliter incenſi, illud Saluatoris: Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, ſequere me, alacri ſanè mente adimplentes, ad Chriſti militum illic celeberrimum ſeſe contulêre monaſterium, quod Luxouium vocant, à B. Columbano in Burgundionũ regione quondam exſtructum. Præerat tunc illi cœnobio beatus Euſtachius egregia ſanctitate vir; qui vtrumque peramãter amplexans, optimis ſanctiſſimisque monaſticæ diſciplinæ inſtitutis informauit: prorſus vt nihil ijs in ſancta illa congregatione ornatius nihil caſtius, nihil in Dei obſequio feruentius eſſet.

Matt. 19.

S. Audomarus vna cum parente monaſterium ingreditur.

S. Euſtachij vita habetur 29. Mart.

Præcipuus tamen maximarum virtutũ ſplẽdor in Audomaro relucebat: adeò vt fama eius longè lateque diffuſa ad Dagoberti quoque Francorũ Regis notitiam peruenire: qui nullo modo

modo tam præclarum lumen in angulo latere passus: sed ad Taruanensis vrbis populum, Richario Nouiomensi antistite hoc ipsum obnitè & instanter postulante, instituendum gubernandumque euocauit. Non potuit ille Rex non parere voluntati; qui hoc vnum die noctéque precibus & lachrymis apud Dominum agebat, vt populi peccatorum sordibus fœdati, & in dæmonis seruitutem sua ipsorum voluntate redacti, Christi gratia mundarentur, veramque libertatem, quæ in obseruatione Christianæ disciplinæ sita est, consequerentur. Itaque Audomarus ad Taruanēsem cathedram cum auctoritate prouectus, diuini verbi semina in credentium pectora deijcere, animarum & corporum languores sanare, captiuos & vinctos redimere, viduarum ac inopum maximè curam gerere, plebem sibi commissam ad æternæ vitæ pascua inuitare; ac postremo inuicta animi virtute immensos labores deuorare: quò gentem horrendis ignorantiæ tenebris occæcatam, Euangelicæ veritatis lumine collustraret.

Audomarus fit Episcopus.

Quanquàm enim longè antè eius aduentum plebs Taruanensis à beatissimi martyris Dionysij socijs Fusciano & Victorico verbum Dei accepisset, mox tamen à martyrio eorum ad dæmonum cultum relapsa fuerat: & idola sacrilega gens denuò erexerat. Ea verò diuinus Audomarus denuò euertere, & igni obijcere; sacrilegoque cultu ab vrbe funditus exturbato, populum ad salutaria Christi dogmata opportunè importunè inuitare. Nec defuit prædicationi eius diuina virtus; quæ & miracu-

Taruanenses populi Euangelium primò accepere à Fusciano & Victorico.

rum gratia,& occulta quadam Numinis vigẽtis perfidiam expugnabat. Puer quidam contra viri ſancti iuſſum nauiculæ luſitabundus ſe crediderat. Et eccè ludentem illum in ripa fluminis, vehemens abimprouiſo ventus per vaſtum pelagus, tumeſcentibus haud ſemel in apertam nauiculæ perniciem vndis, ad Saxoniæ vſque regionem abripuit. Ibi verò conſiſtens, non minori ſe periculo, ob infeſta latrociniis loca, ſe expoſitum cernebat, quàm in vaſto gurgite perpeſſus fuerat. Itaque miſer mortis vndiq́ue anxietate circumuentus, B. Audomari confiſus meritis, denuò ſe vndis ſæuientibus permittere potius, quã præda raptorũ fieri decreuit. Et ecce benigniſſima Chriſti miſericordia adiutus, quã illi dubio procul precibus & lachrymis Audomarus obtinebat, nauicula, remis, velisq́ue planè deſtituta, proſpero curſu pelagus emetitur; donec ad eum rediret portum, vnde eum valida venti vis extruſerat; vbi Elua fluuiolus in mare euoluitur. Eſt & aliud miraculum quo Dominus, quantis eſſet ornatus meritis antiſtes, teſtatum facere voluit. Cùm aliquando propinqua vrbi diœceſis ſuæ loca peragraret, circa horam diei ſextam, ſub patulæ arboris tegmine dedit ſe ſopori, haud procul à villa, quæ Iormacus dicitur. Indè poſt breuem quietem ſurgens, iubet ex ligno, Crucis fieri effigiem, eamque ſub eadem arbore defigi. Proxima nocte eodem in loco tam ingens lucis refulſit ſplendor, vt populus admiratione defixus locum illum venerabundus accederet, & vota preceſq́ue cum lachrymis Deo nuncuparet. Ibi tunc multò clariùs, &

Ingens miraculum.

Effigiẽ Crucis iubet vir ſanctus fieri.

& Cru-

Crucis virtus & Audomari sanctitas cunctis notuit; cùm ęgri debilesque optata protinùs luce potirentur. Idem ille locus, etiamnum religioni consecratus, eadem virtute præditus esse perhibetur.

Hæc aliaque, quæ literis mandata non sunt, virtutis indicia exhibente Audomaro, venêre ad eum viri tres ex Constantiensi territorio, Mummolinus, Bertramnus & Bertinus, eruditione non minùs quam pietate ornati: qui cùm sacræ Euangelicæ predicationis & aliorum laborum omniũ socios sanè præberent fidelissimos, accidit, vt Adroaldus quidam reb. locuples, stemmateq; mundanæ nobilitatis clarus, ab infœlici dæmonum cultu ad Christi sacra transiret: omnesq; suas facultates, diuini amoris studio inflammatus, & villam Sithiu sancto Audomaro transcriberet: qui protinùs ad rem Christianam magis magisque multiplicãdam, magnificum in ea templum Virgini Matri sacrum exstruxit.

Mummolinus, Bertrãnus & S. Bertinus S. Audomarĩ discipuli.

S Bertini vita habetur 5. Septemb.

Adroaldum virum nobilem conuertit S. Audomarus.

Eo ad culmen breui perducto, & Sanctorum reliquijs alijsque pietatis adminiculis & ornamentis præclarè instructo, multò adhuc acrius ardentiusque in opus incubuit Euangelij: donec omni illa circa regione sub legis Euangelicę iugo missa, fides intemerata sceptrum sibi vendicaret. Porrò sanctus deuexa tum ætate vir, vtroque oculorum orbatus est lumine: credo vt pia mente clarius illam sempiternæ lucis arcem perlustraret, ad quam breui angelico ministerio assumendus erat. Fęlix profecto ea corporeæ lucis amissio, quæ menti cœlestis luminis adfert copiam maiorem; quo

S. Audomarus fit cæcus.

Christus Iesus cõspicitur, cæli ostia referãtur.

Postquàm verò Morinensis siue Taruanensis cathedra 30. annorum spatio, tanto esset potita præsule, columna illa Dei corporeis destituta viribus, acri cœpit febri pulsari, concuti, atque discruciari. Sub mortem autem ad limina Ecclesiæ debilis progreditur; ibidem post vota precesq; Deo cum lachrymis oblatas, sacrosancto corporis & sanguinis Christi sacramento pectus suum communit beatus senex & abituræ animæ diuinum præbet viaticum. Post quæ rursum lecto domi excipitur, ac paulò post ruptis corporis vinculis, ad æternitatis gloriam in cælos ab angelis trãsfertur. In eius verò egressu, tanta illic extitit odoris fragrantia, vt omnia aromata, omnes balsami & thuris odores vinceret.

Obitus viri sancti.

Non latebant hæc beatum Bertinum: sed de ijs diuinitùs edoctus, absque mora in ædes, vbi funus iacebat, discipulorum caterua stipatus, venit; corpusque illud nulla vnquam libidine pollutum, secum quo par erat honore ad monasterium perpetuæ Virginis absportauit: atq; in monumento cõdidit. Vbi sacræ eius exuuiæ, multis & præclaris coruscant miraculis.

Sepelitur in monasterio Sithiensi à S. Bertino.

Haud multò pòst à die obitus eius duo in hoc se casu conuenêre; quorum alter vafro & versuto ingenio, alterum antiqui seculi virum argenti solidum mutuò rogauit: spõdens ad certum diem bona fide se restituturũ. Elapso die, commonefacit hominem debiti. Negat ille debitum, & stomachans grauiter cum viro bono de iniuria expostulat. Respondet alter: Eamus ad venerãdum patris Audomari sepulcrũ, & siqui-

quidem iuramento confirmare non dubiteris, quod nequiter fingis, eris à solidi perditione immunis. Eunt pariter ad sacrum templum, sed ante quàm eò ventum esset, credidit subsistens: Quid, inquit, quiescentis patris videbimus loculum? Deus iustus iudex vbiq; adest: nec virtus Audomari intra sepulcrum inclusa est. Hoc ergò in loco sancti patris nomen testificare, & mihi erit satisfactum. Ille miser semper æstuantis auaritiæ cœcatus libidine, verso ad sacrum templum vultu, & subleuato ad cælum manibus, dum vult commotis labiis periurio se obstringere, confestim corruit, & ad extrema perducitur. Oculi crepātes suis mouentur locis; nerui membrorum omnium soluuntur; spiritus per immensos extorquetur cruciatus, tertio die è corpore excedit. Quidā ob perpetrata facinora, ferrea vinctus catena, manicisque constrictus ferreis, cùm ad supplicium iuxtà beati Audomari fores traheretur, miser sancti viri patrocinium tacitus implorauit, omnemque melioris vitæ frugē promisit, si præsens mortis periculū euaderet. Res sanè admiratione digna. Mox vinculis ad pedes defluentibus, liber ipse celeri cursu ad sancti viri tumulū se recepit, ibidēq; fuso lachrymarum imbre, suos tortores miraculi magnitudine retrocedere compulit. Pauca hæc de multis libamus obiter; ne, si cuncta, quibus & in vita & post mortem claruit miraculis referre velimus, infinitam propè congeriem adferamus.

Cauendum nobis est, ne vnquam factum hoc imitemur. Is enim qui iuramentum postulauit, grauius deliquit, quam is qui periurium fecit: Nā & alterius & suam animam occidit. Habes euidens exēplum apud S. Augustinum, Serm. qui est de S. Iohan. Baptistæ decollatione.

Vinctus, implorato S. Audomari patrocinio, diuinitus soluitur.

In viuis & post mortem celeberrimus miraculis.

PASSIO SS. EPISCOPORVM Nemesiani, Datiui, Felicis, ac sociorum: Ex Epistola B. Cypriani antistitis Carthaginensis, ad eosdem data, anno a Salutis 260. Sixti Papæ 1. Valer. & Gal. Impp. 6. qua eos ad metalla damnatos studuit consolari.

a Teste C. Baron. Tom. 2. Annal. Alius fuit Nemesianus in Africa, martyrij gloria clarissimus; qui puer subijt martyrium: de quo August. Serm. de Diuers. 39. Cap. 3. 10. Septē. S. Gyprianus exul propter Christum

a Hæc idcircò Cyprianus; quod etsi ipse quoque relegatus fuisset, nō tamē sicut illi fustibus verberatus, & metalli pœna probatus esset.

Nota qui mores proüehant ad martyrij gloriam.

GLORIA quidem vestra poscebat beatissimi fratres, vt ad conspectum atque complexum vestrum venire ipse deberem, nisi me quoq; ob confessionē nominis relegatum, præfiniti loci termini coërcerēt. Sed quomodò possum, repræsento me vobis, & ad vos etiamsi corpore & gressu venire nō datur, dilectione tamen & spiritu venio, exprimens literis animum meum, quo in istis virtutibus & laudibus vestris lætus exulto, a participem me computans vobis, etsi non passione corporis, consortio charitatis. An ego possim tacere, & vocem meam silentio premere, cum de charissimis meis tam multa & glorioſa cognoscam, quibus vos diuina dignatio honorarauit? vt ex vobis pars iam martyrij sui cōsummatione præcesserit, meritorum suorum coronam de Domino receptura? pars adhuc in carcerum claustris siuè in metallis & vinculis demoretur? exhibens per ipsas suppliciorum moras, corroborādis fratribus & armādis maiora documēta? ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens? habitura tot mercedes in cælestibus præmijs, quot nunc dies numerantur in pœnis? Quæ quidem vobis, fortissimi ac beatissimi fratres, promerito religionis ac fidei vestræ accidisse non miror,

ror, vt vos sic Dominus ad gloriarum sublimitatis fastigium clarificationis suæ honore prouexerit, qui semper in Ecclesia eius custodierit, qui fidei tenore viguistis, conseruantes firmiter dominica mandata, in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligẽtiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defendenda veritate constantiam, in disciplinæ seueritate censuram.

Ac ne aliquid ad exemplum bonorũ factorum deesset in vobis, etiam nũc in confessione vocis & passione corporis, fratrũ mẽtes ad diuina martyria prouocatis; duces vos exhibẽdo virtutis: vt dum grex pastores suos sequitur & quod fieri à prępositis cernit imitatur, paribus obsequiorum meritis à Domino coronetur. *Sancti martyres fustibus cæsi.* Quod autem fustibus cæsi priùs grauiter, & afflicti, per eiusmodi pœnas initiastis confessionis vestræ religiosa primordia, execranda nobis ista res non est. Neque enim ad fustes Christianũ corpus expauit, cuius est spes omnis in ligno. Quid verò mirum si vasa aurea & argentea in metallũ, id est, auri & argenti domiciliũ dati estis, nisi quod nũc metallorũ natura cõuersa est, locaq; , quæ aurũ & argẽtũ dare ante consueuerãt, accipere cœperũt? *Damnati ad metalla.* Imposuerunt quoque compedes pedibus vestris, & membra fœlicia ac Dei tẽpla infamib. vinculis ligauerũt: quasi cũ corpore ligetur & spiritũs; aut aurum vestrũ ferri contagione maculetur. *Vincti compedibus.* Dicatis Deo hominibus, & fidem suã religiosa virtute testantibus, ornamenta sunt ista, non vincu-

vincula: nec Christianorum pedes ad infamiâ copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, sed à Domino resoluuntur. O pedes feliciter vincti, qui trinere salutari ad paradisum diriguntur, O pedes in seculo ad præsens ligati, vt sint semper apud Dominum liberi. O pedes compedibus & transuersarijs interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursum. Quantùm vult hîc vel inuida crudelitas, vel maligna, nexibus vos suis, & vinculis teneat; citò à terris & pœnis istis ad cœlorum regna venietis. Non fouetur in metallis lecto & culcitris corpus, sed refrigerio & solatio Christi fouetur. Humi iacent fessa laboribus viscera: sed pœna non est, cùm Christo iacere. Squalent sine balneis membra, situ & sorde deformia: sed spiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus: at non in solo pane viuit homo, sed in sermone Dei. Vestis algentibus deest: sed qui Christum induit, & vestitus abundanter & cultus est. Semitonsi capitis capillus horrescit: sed cùm sit caput viri Christus, qualecunque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas, detestabilis & tetra gentilibus, quali splendore pensabitur? Secularis hæc & breuis pœna, quam clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum secundùm beati Apostoli vocem transformauerit Dominus corpus humilitatis nostræ, conformatum corpori claritatis suæ?

Deutero 8.

2. Corint. 11.

Philip. 3.

Nota de Missæ sacrificio.

Sed nec in illo, fratres dilectissimi, aliqua potest aut religionis, aut fidei iactura sentiri, quòd

dillic nunc ſacerdotibus Dei facultas non
r offerendi & celebrãdi ſacrificia diuina.
lebratis , imò offertis ſacrificium Deo &
cioſum pariter & glorioſum,& plurimum
is ad retributionem præmiorum cæleſtiũ
turum; cùm ſcriptura diuina loquatur &
at:Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, *Pſalm.50.*
contritum & humiliatum Deus nõ deſpi-
t.Hoc vos ſacrificium Deo offertis;hoc ſacri-
cium ſinè intermiſſione die ac nocte celebra-
hoſtiæ facti Deo,& voſmetipſos ſanctas & *Rom.12.*
maculatas victimas exhibentes; ſicut Apo-
lus adhortatur & dicit : Oro ergò vos fra-
es,per miſericordiam Dei , vt conſtituatis
rpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam placẽ-
em Deo: nec configuremini ſeculo huic , ſed
nſormamini renouatione ſenſus,ad probã-
dum quæ ſit voluntas Dei bona,& placens , &
perfecta.Hoc eſt enim , quod præcipuè Deo
placeat;hoc eſt, in quo maioribus meritis ad *Merita operum.*
promerendam voluntatem Dei , opera noſtra
proueniant;hoc eſt, quod ſolùm Domino de
beneficijs eius grandibus & ſalutaribus, fidei
ac deuotionis noſtræ obſequia retribuãt : præ- *Pſalm.115.*
dicante in Pſalmis & conteſtante Spiritu ſan-
to:Quid retribuã,inquit, Domino pro omni-
bus,quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris ac-
cipiam,& nomen Domini inuocabo. Precioſa
in conſpectu Domini mors ſanctorũ eius.Quis
non libenter & promptè calicem ſalutis acci-
piat? quis non appetat , gaudibundus & lætus,
in quo aliquid & ipſe Domino ſuo retribuat?
quis non precioſam in cõſpectũ Domini mor-
tem forititer & cõſtanter excipiat , placiturus
eius

eius oculis, qui nos in congressione nominis sui desuper spectans, volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat retributiõe bonitatis ac pietatis paternæ remunerans in nobis, quidquid ipse præstitit, & honorans quod ipse perfecit? Ipsius enim esse, quòd vincimus, & quòd ad maximi certaminis palmam subacto aduersario peruenimus, declarat & docet Dominus in Euãgelio suo dicens: Cùm autem vos tradiderint, nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis Et iterum: Ponite in cordibus vestris non præmeditari excusare. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere aduersarij vestri. In quo quidem & credentium magna fiducia est, & culpa grauissima perfidorum, non credere ei, qui se opem suam daturum confitentibus pollicetur: nec rursus eundem timere, qui æternam pœnã negantibus comminatur.

Matth. 10.

Luc. 21.

Quę vos omnia, fortissimi ac fidelissimi milites Christi, insinuâstis fratribus nostris; implẽtes factis, quod verbis antè docuistis; futuri maximi in regno cælorum, pollicẽte Domino & dicente; Qui fecerit, & docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum. Deniq; exemplũ vestrũ secuta multiplex plebis portio, cõfessa est vobiscũ pariter, & pariter coronata est: cõnexa vobis vinculo fortissimæ charitatis, & à præpositis suis nec carcere, nec metallo separata. Cuius numero nec virgines desunt; quib' ad sexagenariũ fructum cẽtenus accessit; quæ-

Matth. 5.

Multi martyres promiscui sexùs & ætatis.

que

ad cæleſtem coronã gloria geminata proit. In pueris quoque virtus maior ętate, antiquos confeſſionis laude tranſcẽdit; vt martyj veſtri beatum gregem & ſexus & ętas ornaret. Qui nũc vobis; dilectiſſimi fratres; conſcientiæ victricis vigor? quæ ſublimitas animi? quæ in ſenſu exlutantia? qui triumphus in pectore? vnumquemque veſtrum ſtare ad promiſſum Dei præmium? de iudicij die eſſe ſecurum? ambulare in metallo, captiuo quidẽ corpore, ſed corde regnante? ſcire Chriſtum ſecum eſſe præſentẽ, gaudentem tolerãtia ſeruorũ ſuorum, per veſtigia & vias ſuas ad regna cęlorum gradientium? Expectatis quotidiè læti profectionis veſtræ ſalutarem diẽ, & iam iamque de ſeculo receſſuri, ad martyrum munera & domicilia diuina properatis: poſt has mundi tenebras viſuri candidiſſimã lucem, & accepturi maiorẽ paſſionib. omnibus & cõflictatibus claritatem; Apoſtolo conteſtante & dicente; Non ſunt condignæ paſſiones huius tẽporis, ad ſuperuenturam claritatẽ quæ reuelabitur in nobis. *Rom. 8.* Planè quia nũc vobis in precib⁹ efficacior ſermo eſt, & ad impetrandum quod in preſſuris petitur, facilior oratio eſt, Petite impenſius & rogate, vt confeſſionem omnium veſtrum dignatio diuina cõſummet; & de iſtis tenebris & laqueis mundi nos quoq; vobiſcũ integros & glorioſos Deus liberet: vt qui hîc caritatis & pacis vinculo copulati, cõtra hæreticorum iniurias & preſſuras gentiliũ ſimul ſtemus, pariter in regnis cæleſtibus gaudeamus. Hactenus ex Epiſtola Cypriani:

Cęterùm omnes ſanctiſſimi illi ac præclariſſimi

Pari Martyrij gloria coronantur. Hæc C. Baron Tom. 2. Annal. anno Domini 260.

rissimi Christi confessores, in loco in quem deportati fuêre, dicto Metallum Siguense, aliter Sigense, apud Sigã ciuitatem Mauritaniæ Tinginatæ, ex aduerso Malachæ in Hispania sitæ; cõsummantes agonem suũ, de longo exanclato martyrio, parem martyribus coronam retulerunt: quos omnes anniuersaria commemoratione Dei ecclesia antiquitus venerata est, quarto Idus Septembris.

Vide Tom. 3. Annal. C. Baronij.

MARTYRIVM SANCTARVM VIRginum sororũ, Menodoræ, Metrodoræ, & Nymphodoræ. Ex eo quod est per Metaphrast. Coronatæ sunt circà Annum Domini 311. sub Galerio Maximiano Imp:

10. Septẽ. *Patria SS. Virginum.*

TRES virgines sorores, Menodorà, Nymphodora & Metrodora, è Bithynia oriũdæ, multis & animi & corporis dotibus egregiè ornatæ, ac liberaliter à teneris educatæ, cùm adulta paulatim ætate decor & forma cunctis & admirationi & amori esset, statuerunt pari voluntate & vnanimi consensu, relicta hominum frequentia, in sacram aliquam solitudinem secedere: ne corporis animique species sanè eximia alijs laqueos ad ruinã tenderet. Itaque patria Christi amore libenter relicta, quendam ad tumulum haud procul à Pythijs thermis venerunt: vbi sese suaq; Deo consecrantes, breui tantis euasêre virtutibus claræ, vt morbi quilibet & infesta hominibus dæmonia earum precibus cederent, vt sanctitatẽ earum nequissimi spiritus lõgè lateque diuulgarent. Hinc cùm maxima hominũ multitudo

Eximia earũ pulchritudo.

Fugiunt hominum consuetudinem & clarent miraculis.

ad eas

eas conflueret, earumque virtutes fama
ni superiores esse prædicarent; Fronto qui-
m, cui regionis illius administratio com-
ssa erat, à maligno dæmone concitatus, mis-
ilicò ministris suis, virgines adduci præce-
t.

Nec mora: Sorores liberali specie conspe-
ui Iudicis oblatæ, morum grauitate & vultus
modestia haud parua eum admiratione affece-
runt: prorsus vt aliquamdiu morum & verbo-
rum liberalitatem silentio admiratus, duriuſ-
culè quidquam effari erubesceret. Tandem ve-
ro vafer ille & callidus antiqui sepentis famu-
lus, mira oris blanditia & omni suauitate ser-
monum eas aggressus, in fraudem hoc modo
inducere conatus est: O charæ puellæ diuino
munere ornatissimæ, profectò & corporis ve-
stri decor, & morum liberalitas & rara pru-
dentia paterno quodam amore me stimulant,
vt tot tantaq; gratiarum munera à dijs immor-
talibus vobis donata, hodie maioribus bonis
& diuitijs quàm maximè cumulata velim.
Accedite igitur, & dijs antè omnia sacrificium
offerte, vt Imperatoris beneuolentiam as-
sequamini: & maximis donis ac muneribus au-
ctæ, immortali gloria celebremini. Sin minus
necesse est, vt immane & crudele supplicium
pulcherrimam istam & delicatam vestrā spe-
ciem consumat. Ad hæc Menodora: At nobis,
inquit, nec quæ tu promittis tanquàm magna
admirationem commouent; nec quæ tu rursus
minaris, vllum terrorem incutiunt. Nam frui
quidem diuitijs, & delicijs, & gloria, alijsque
futilibus & pecuinis voluptatibus, quid quæso

Sistuntur Iudici Frontoni.

Blanditur eis Iudex.

Addit minas.

Sapientissimè respondet Menodora.

aliud est, quàm maiora diuturnioraq; apud inferos sibi conciliare supplicia? Porrò præsens corporis afflictio, quam tu adeò vehementer horres, breui admodum tempore definitur; & certas æternasque gloriæ coronas nobis conciliat. Castiga itaque, ô Iudex, hunc tibi pulchrum corporis florem, & consume flagellis. Nullum enim ornamentum, nulla monilia vel gemmæ, ita nostra exornabunt corpora vt tuæ plagę, tua flagella, quę nos iamdudum propter Christum sitimus.

Flagrat martyrij desiderio.

Menodora cæditur.

His auditis, Iudex vehementer excanduit; iussitq; virginẽ vestib. spoliatam à quatuor lictoribus acerrimè flagellari: Duæ admodum horæ in supplicio illo expensę fuêre; sed virginis animus inuictus permanens, nè gemitum quidem in atroci adeò supplicio edidit: prorsus vt Iudex ira pariter & admiratione correptus, tormenta multiplicare, ossa conterere, roseas martyris genas carnibus nudare iuberet. Illa verò valido & firmo Christi desiderio omni ex parte alligata, spretis cruciatibus, vno Christi nomine sæpiùs inclamato, tãdem beatam Deo animam tradidit.

Fœlix virginis decessus.

Menodoræ corpus horrendis supplicijs deformatum proponit Iudex alijs sororibus ad terrorem.

Quartò dein die Iudex, accitis sororibus alijs Metrodora & Nymphodora, liuidum illud & omni ex parte confractum ac vibicibus deformatum Menodoræ corpusculum, earum oculis miserandum sanè spectaculũ proposuit. Cuncti qui aderant vim lachrymarum vel inuiti profundebant; tetroque illo & miserabili valdè spectaculo, durissimæ etiam mentes ad misericordiam flectebantur: solę sorores, quàm natura vim gratiæ superare cõtenderet, ani-

num ab omni perturbatione inuictum adhibant; siccisque oculis miserabile & deme, immò splendidum & decorum sonis corpusculum contemplabantur: & arentibus animis ad similem gloriam aspirabant.

Ea animorum fortitudo licet ingentem Iudici admirationem commoueret, nullo tamen modo perfidiam eius expugnare, vel ad diuinæ gratiæ cognitionem adducere potuit. Igitur impotenti iræ indulgens Metrodoram à sorore auulsam lampadibus aduri, ferreis premi vectibus, corpus & ossa confringi, alijsque fatigari supplicijs iussit: donec in Christi confessione præclara virgo & martyr spiritum exhalaret.

Martyrium Metrodoræ.

Intereà Iudex iniquus dedecoris sui impatiens, nihil non moliri, vt saltem Nymphodoram à Christi confessione auelleret, eaque victoria lætabundus exultaret. Blanditijs igitur, & multis promissis, & amplissimis denique muneribus virginem aggressus, huiusmodi ferè orationem, fraudis & nequitiæ plenam, instituit: O adolescentularum omnium pulcherrima, cuius & ætas & pulchritudo vel ipsos deos amore incendit, tunè me, me inquã, tui tanquam filiæ charissimę amantissimum, ad crudele, iustum tamen Imperatorum edictum in te exercendum cogis? Hei mihi, tunè pari cum sororibus dementia, in apertam pestem & mortem nihil tibi profuturam rues? Quin potius per tuam istam pulchritudinẽ, per gloriam & diuitias tibi constitutas, per antiquum & illustre genus quo orta es, per omnia deni-

Blanditiæ Iudicis ad Nymphodoram.

que deorum numina oro atque obtestor, vt ab hac insania ad mentem redeas, & gloria delicijs atque diuitijs securè fruaris. Hæc & alia cum Iudex ficta quadam simulataque mansuetudinis specie dixisset, Nymphodora virgo, iudicis oratione spreta, ab inuicta animi fortitudine & constantia tale ferè responsum dedit: Insipiens tu, me putas à sororum mearum generosa animi virtute & fidei veritate, quam Christus Iesus nostris inspirauit mentibus, degeneraturam? En tibi carnes paratæ pati propter Christum multò magis, quàm tunos punire.

Constans Nymphodoræ responsum.

Hoc sanè virginis dicto perculsus scelestus, inops planè consilij, cogitationes in omnem partem versabat: ac tandem impio victus furore, virginem in sublime tolli, ferreis vngulis discerpi, vectibus ossa confringi, cæteraque quæ mens furibunda suppeditabat, supplicia inferri curauit: donec inuicta per omnia virgo, pari cum sororibus victoria coronata ad Christum migrauit.

Horrendi cruciatus Nymphodoræ.

Cæterùm feruens Iudicis ira nè tunc quidem conquieuit: sed quas viuas superare non poterat, saltem mortuas penitùs delere cogitabat. Accensa igitur fornace, sacras virginum reliquias concremari, & in cineres ac fauillas redigi præcepit. Sed eccè cùm Iudex virginibus fortè insultans inflato circà fornacem obambularet animo, ingens repentè tonitruũ fulgurumque vis ignem fornacis præueniens, ipsum Iudicem, & quæ ei seruiebat, multitudinem corripuit, ac temporis momento in fauillam & suliginem redegit. Vehemens autem

em pluuia protinùs consecuta,& erumpen- *Vltio diuina*
fornacis flammas extinxit, & Christi fide- *in impium*
us ad virginum reliquias tollendas, hono- *Iudicem &*
ificéque tumulandas,tempus præstitit. Tem- *alios.*
lum autem in hodiernum vsque diem posi-
um est in earum sepulchro: innumeris quæ i-
dem fidelibus præstantur virtutibus cele-
berrimum. Atque ita sanctissimæ virgines & *Innumera*
glorioso admodùm martyrij triumpho incly- *miracula ad*
tæ,sorores in vita,sorores in cælis, sorores in *tumulũ san-*
terra multò illustriorem nominis famæque *ctarum mar-*
gloriam in extrema illa, vt mundus reputat, *tyrum.*
gnominia consecutæ sunt, quàm omnes vn-
quam reginæ & illustres nobilissimæque vir-
gines & matronæ ex suo corporis ornatu, ex
cultijs & gemmis,ex potentia & honore con-
sequi potuerunt.

VITA S. SALVII, EPISCOPI ALBI-
gensis. Ex Gregorio Turonensi Histor. Franco- *Vide Tom.*
rum.lib.7.cap.1. Obijt anno à partu virgineo *7 Annal.*
587. Temporibus Guntheramni Francorum *C.Baron.*
Regis.

SALVIVS honestis & claris, vt veri simi- 10.Septēb.
le est,ortus parentibus , post diuinarum
humanarumque rerum scientiam multis
sudoribus adeptam,animum ad iudicialis fori
negocia applicuit; multoque tempore iuridi-
cundo cum alijs Iudicibus præfuit: ita tamen, *Saluius præ-*
vt internus quidam religionis amor illas mũ- *est causis iu-*
dicuras & functiões iudiciales assiduò depas- *dicialibus.*
ceret,& pijs stimulis ad monasticam discipli- *Abit in mo-*
nam incitaret. Itaq; stimulante perpetua qua- *nasterium.*

Fit Abbas.

dam pietate animum, tandem ruptis mundanæ gloriæ & honoris vinculis, ad monasteriũ confugit; in quo post multum tempus in omni sanctitate exactum, defuncto Abbate, illud honoris fastigium subire coactus est.

Degit inclusus & claret miraculis.

Sed cùm ardentissima cælestis desiderij flamma multò acrius animũ eius ad solitudinis secessum stimularet, se illo honoris & dignitatis officio spontè abdicauit: & in angustam cellulam abdidit, vt mente libera amplissima cæli spatia faciliùs peragraret: vbi in maiori virtutum omnium exercitatione degens: etiam infirmis sanitatem conferebat.

Abit è vita.

Quodam verò tempore nimia exhaustus febre anhelus iacebat in lecto, & eccè fuso cælitũs in cellulam immenso splendore, extensis ad cælum manibus cum gratiarum actione spiritũ exhalauit. Mixto igitur vlulatu monachi cum ipsius genitrice corpus defuncti extrahũt aqua abluunt; & reliqua funeri necessaria, de more peragunt. Manè aũt facto, officio funeris

Reuiuiscit.

præparato, corpus in feretro moueri cœpit, ac tandem resumpto spiritu, quasi de graui somno excitatus homo apertis oculis manibusque in altum sublatis, ait: O Domine misericors, quid me in hũc mundanæ habitationis locum redire voluisti, cùm melior mihi esset in cælo tua misericordia, quàm istius mundi vita nequissima? Stupentibus autem cunctis & attonita mente multa percunctantibus, prorsus nè verbum quidẽ vllum respondit: sed de feretro surgens, triduò absq; cibo omni ac potu in luctu & lachrymis perseuerauit. Tertio autẽ die conuocatis monachis & matre ait: Verè cuncta

quæ

in mundo cernitis, vanitas sunt, fumus de- *Eccles. 1.*
que & vmbra. Fœlix ille, qui ea hic medita-
& agit, vnde Dei gloriam in cælo cernere
reatur. His dictis, conticuit: & cunctabũdus
ab imo suspiria traxit.

Porrò fratribus importunè, vt exponeret *Mirabilis*
si fuisset, vrgentibus, tandem respondit. Cùm *eius visio.*
me antè hos dies exanimem vidistis, appræhẽ-
sus à duobus Angelis, in cælorum excelsa sub-
latus sum; ita vt non solùm hoc squalidum se-
culum, verumetiam nubes, lunam, solem & si-
tas sub pedibus habere putarem. Deindè per
portam luce ista clariorem introductus sum in
illud habitaculũ in quo omne pauimentũ auro
& argento stratum incredibilem ex se lucem
fundebat: quam ita multitudo promiscui sexus
obtinerat, vt longitudo ac latitudo cateruæ
prorsus peruideri non posset. Cumque nobis
via inter comprimentes ab his, qui præcede-
bant, Angelis pararetur, peruenimus ad locũ,
quem iam de longinquo contemplabamur: ei-
que superpendebat nubes omni luce lucidior,
in qua non sol, non luna, non astrum cerni po-
terat, sed super his omnibus quiddam naturali
luce splẽdidius effulgebat. Et vox procedebat
de nube, quasi vox aquarum multarum. Ibi etiã
me peccatorem salutabant viri in veste sacer- *En cultus*
dotali, ac seculari, eosque mihi, qui præcede- *Sanctorum*
bant, enarrauerunt esse martyres, ac confesso- *angelico te-*
res, quos hic summo excolimus famulatu. *stimonio cẽ-*
probatos.

Stans igitur in loco, in quo iussus sum, ope-
ruit me odor nimiæ suauitatis, ita vt ab hac
suauitate refectus, nullum adhuc cibum potũ-
que desiderem. Et audiui vocẽ dicentẽ: Reuer-

tatur hic in seculum, quoniam necessarius est Ecclesijs nostris. Et ego prostratus cũ fletu admodùm lugubri sententiam illam deprecari cœpi. Sed Domino imperante, & ab angelis ductoribus relictus descendens cum flatu per portam, qua ingressus fueram, huc regressus sum. Hæc eo loquente, stupentibus cunctis, cepit iterum sanctus Dei profusis lachrymis dicere: Væ mihi, qui tale mysteriũ reuelare non dubitaui. Eccè enim odor ille suauitatis, cuius vigore in hunc vsque diem cibum omnem potumque fastidio, recessit à me. Sed & lingua mea grauibus operta vulneribus, temeritatem meam castigare videtur. Sed tu Domine nosti cordis mei simplicitatem, ideoque esto mihi propitius, & non me derelinquas iuxta pollicitationem tuam. His dictis conticuit: & cibo cum gemitu & lachrymis sumpto quieuit.

Recedit ab eo cælestis odor, quòd secreta cælestia reuelarit.

En tibi veritatem historiæ.

Vereor nè hæc narratio plus admirationis apud plerosque quàm fidei habitura sit; sed testor omnipotentem Deum, quia ab ipsius ore omnia quæ retuli, audita cognoui. Post multũ verò tempus ipse vir beatus cellula sua extractus, ad Episcopale munus vocatus est. In quo, vt opinor, decimum annum cùm ageret, inualescente apud Albigensem vrbem inguinario morbo, & maxima iam parte de populo illo defuncta, paucis admodùm superstitibus vir beatus tãquam bonus pastor ouibus perpetuò adhærens, sine intermissione eos hortabatur, vt orationi vigilijsque instanter insisterent, & iter sibi ad æternitatis gloriam bonis sanctisq; operibus munirent.

Fit Episcopus beatus Saluius.

Cùm

Iam autem, vt credo, iam reuelante Domino tempus suæ vocationis agnosceret, ipse sibi sarcophagum composuit; corpus abluit; veste induit; & sic intentum semper cælo beatũ spiritum exhalauit. Fuit autem magnæ sanctitatis, & ab omnibus auaritiæ sordibus alienissimus. Quidquid enim auri vel argenti oblatũ accipiebat, id protinus pauperibus erogabat. Cùm Mummolus vir patritius multos ab vrbe captiuos duxisset, ille prosecutus omnes redemit. Tanta enim gratia & auctoritate apud quemlibet valebat, vt mira facilitate quidquid vellet impetraret. *Felix eius obitus.*

VITA S. THEODARDI, EPISCOPI Traiectensis & Martyris: Ex ea quæ est per Sigebertum Gamblacensem in Chron: qui se eandem luculentiori stylo expolijsse testatur. Passus est anno Domini 658. Temporibus Childerici, Sigeberti Francorum Regis filij, planè impij. *Vide Tom. 8. Annal. C. Baronij.*

QVo tempore Clotarius eius nominis secundus, Chilperici filius, Franciæ gubernacula regebat, Theodardus claro cumprimis stemmate natus, magnum glorię & sanctitatis pondus Ecclesiæ Gallicanæ attulisse fertur. Vt primùm à pueritia, ad blandientis mundi voluptates & natura, & amplissimis ortus, magnaque potentia impelli cœpit, prudenter sanè egregia indole adolescens ad philosophorum istorum, quos monachos vocant, habitacula declinauit. Ibi cùm aqua sapientiæ salutaris mentem inebriaret, breui, reiectis ex animo mũdanæ voluptatis cogitationibus, eò 10. Septẽ. *S. Theodardus fit monachus.*

pietatis ac religionis euasit, vt inter alios plu-
Fit Abbas. rimos eximia sanctitate viros, quorũ tunc Gallia feracissima erat, Abbatis honore & munere dignissimus haberetur.

Eam functionem vt præclara cum opinione sanctitatis administrabat, ità fama virtutũ eius, omnium sermone celebrata, maiorẽ aliquam in Ecclesia administrationẽ ei postulare videbatur. Id cùm Remaclum Tungrensem antistitem, minimè lateret, & is honorum laborumque pertæsus, vehementi desiderio ad tutissimum solitariæ vitæ portum aspiraret, importunis à Rege Sigeberto precibus petijt, obtinuitque, vt subrogato in episcopatum Theodardo, sibi ad Stabulensis monasterij trãquillitatẽ migragre liceret. Itaq; Theodardus & Ecclesię totius consensu, & vnanimi Regis Clerique applausu, ad cathedram perducitur; atque à Cuniberto Colonienſi Episcopo, antistes vicesimus octauus à Materno eiusdem sedis primo, honorificè consecratur.

S. Remaclus abdicato Episcopatu, confert se ad Stabulense monasterium.

Theodardus creatur Episcopus.

Et quidem eo munere decoratus, non minùs fœliciter quàm fructuosè commissa sibi Ecclesiæ istius gubernacula tractauit, tantisque virtutum omnium ornamentis decorauit, vt eaetram quæ temporis longinquitate & hominum malitia cõculcata, & per summam iniquitatẽ Ecclesiæ subtracta fuerãt, ipse in integrũ restituerit: alioſque omnes sedis istius antistites & virtutis & cõstantiæ laude anteiuerit. Verũ Sigeberto Rege egregio pietatis ac religionis protectore ex humanis sublato, impietas, reuulsis æquitatis & iustitiæ, repagulis, palã dominari cœpit. Theodardus aũt, qui instar optimi pa-

Mortuo Sigeberto impietas regnat.

ſtoris cõcreditum ſibi gregẽ intimè dili-
t, paratus animã ſuam pro ouibus ponere,
uit Regem adire Childericum, & palam de
is Eccleſię ſuę iniurijs cum aduerſarijs ex-
ulare. Optimam enim prouentuum Eccle-
partem, Chriſti inquam patrimonium, pau-
ribus & calamitoſis ad ſolatium relictum,
ſarij quidam raptores inuadere & per fas
que nefas ſibi aſſcribere non dubitabant.
Eamitaque iniuſtitiam vt argueret, debitoque
pplicio apud Regẽ vindicaret Theodardus,
lum adire decreuerat. Id cùm aduerſarios
minè latêret, & illi cauſæ ſuæ æquitati diſ-
gnam pertimeſcerent, poſitis opportuno
oco inſidiis, virum ſanctum è medio tollere
tuũt. Sed vir diuinus; qui cæleſti oraculo de
ſione ſua edoctus erat, nihil eorum inſidias
preſens mortis periculum veritus, intrepidè
m viam dedit, obuiumque ſibi inimicorum
tum in pago, quem Aliſatiam vulgò dicũt,
ibi ſanè mente ac vultu excepit. At illi
rore & amentia pleni, luporum inſtar ag-
um circundant; & pacem eis precantem con-
melijs afficiunt, ac humi proſternunt. Indè
rictis gladijs ſanctum illius caput in fruſtra
ecant, corpuſque virgineum membratim di-
laniant.

Poſſeſsiones S. Tungrẽſis Eccleſiæ, ab improbis occupatæ.

S. Theodardus ab impijs crudeliter necatur.

Aderat è famulitio ſancti Præſidis puer; qui
ſolus, cæteris in fugã verſis, excubabat ad corp^a
animæ, & mœrore ac lachrymis opplet^o, in-
ops planè conſilij, varias mente cogitationes
agitabat, quomodò diſſecta membra coniun-
geret, colligaretque. Hæc meditabundus per-
tractans tandem ſurrexit, & ad proximam vil-
lam

lam opis petendæ causa pergere statuit. Cumque aliquantulum itineris emensus esset, conspicatus est mulierculam in gregis custodia occupatam, simulque nendo fila de colo deducentem. Eam blandè compellans orat supplet, vt fila aliquot ad Reuerendi Præsulis membra frustratim concisa honestè coniungenda suppeditet. Illa, audita antistitis nece, primò perhorrescens obstupuit, & fila petèti, quanquam non ignoraret id in magnum sui detrimentum & capitis etiam periculum cessurum (famulabatur namque Dominæ ancilla) suppeditauit. Interim puer voti compos cùm summa celeritate ad corpus rediret, inuenit duo luminaria; alterum ad caput martyris, ad pedes alterum, diuinitùs collocata. Hoc præclarum sanè miraculum mox diuina virtus maiori miraculo confirmauit. Mulier enim, quæ pensi sui partè, pro obsequio illius, puero tradiderat, cum vesperi reuocatis ad caulas ouibus diurnum ex æquo pensum Dominæ non redderet, pessimè ab ea mulctata fuit. Sed Dominus ancillâ fraudis excusare volens, subita oculorum cæcitate Dominam percussit; quæ protinùs magno eiulatu exclamans, non modò familiam, sed vniuersam villam ad propriæ miseriæ spectaculù conuocabat. Ibi cùm cuncti attoniti starent, nec satis tam subitæ cæcitatis causam explicare possent, ancilla causam exponens hortatur Dominam, vt Præsulem sibi reconciliet, & à Deo meritis Theodardi veniam postulet. Cogit Dominam angustia, vt verbis ancillæ credula consulat suæ miseriæ. Duce ancilla venit ad locum vbi corpus exanime miserabiliter disse-

Miraculum circà corpus S. Theodardi.

fectum iacebat. Domina profusis lachrymis num suum fatetur; orat, vt rediuiuo lumine, illigata suis filis sancti martyris membra vi- re mereatur. Nec frustrà tanti martyris pa- trocinium postulatum . Nam inter preces & lachrymas detersa caligine, optata mulieri lux affulsit; & debita martyr reuerentia, fama per totam vicinam volitante , mirificè accreuit. Quaquauersum oculos flecteres, concurren- tium turbas cerneres. Mater familias, quæ cau- sæ testis erat tanti miraculi, totam se reijcie- bat in gratiam sancti martyris, verbo & exem- plo inuitans omnes ad obsequium celebrandi muneris.

Cæca mulier ad corpus S. Theodardi recipit lumẽ.

Nec mora; Leuato corporis loculo, nunc hi, nunc illi gaudent succedere vicissim one- ri corporis ferendi. Gestatur honorificè pre- cioso tectum velaminibus corpus, & ad locũ, qui Nec dicitur, magno omnium gaudio ad se- pulturam defertur . Interim coeunt vndique infirmorum agmina, per merita noui martyris spem tium consequi à Deo morborum medi- camina. Et quidẽ quot ibi pietatis opera, quot sanitatum beneficia , prouenerint Theodardi patrocinio, testantur multa paralyticorum & claudorum subsellia, & plurima rerum monu- menta; quæ ad sempiternam posterorum me- moriam ibidem ab incolis affixa pendent.

Locus pri- mus sepultu- ræ viri san- cti.

Innumera miracula ad tumulũ eius.

Intereà fama longè lateque euagando pro- inùs totam regionem, quam alluit Rhenus, peruasit; permouitque Vangionum (quam vr- bem nunc VVormatiam vocant) antistitem, vt sacrum martyris corpus ex eo loco ad maiorẽ ecclesiam transportaret. Sed cùm concurrenti- bus

bus vndiq́ue populis ad opus se accingerét, cœlum subitò inhorruit; præsens fulgurũ coruscatio oculos omniũ perstrinxit; tonitrua solito grauiora aures animosq́; omnium exterruêre; ac continua nimborum inũdatio omnesiũ fugam versos ab incœpto deterruit.

S. Lambert. proficiscitur, vt recipiat corpus S. Theodardi.

At Lambertus, qui viuente Theodardo erat spes altera Traiectensis ecclesiæ, cum Clero & populo seriò agit, vt antistitis sui corpus, tot tantisq́ue miraculis clarum Traiectum recipiant. Clerus & populus totius rei pondus Lamberto imponunt: qui protinus ad locum, vbi corpus defuncti patris peregrinabatur, contẽdit. Vbi persolutis, quas filius patri debebat, lachrymis, pandit incolis terræ aduentus sui causam. At illi vno omnes ore cõtradicunt Lãberto: clamãt suum iure esse Theodardũ, quem Deus tot illustratũ miraculis vltrò eis patronum miserit. Cumq́; hac via nihil se proficere cerneret, pauco pòst temporis interuallo alia eos aggressus est. Auri & argẽti aliarumq́; specierum congregat ingentem vim, ijsq́; incolarum animis sæpius delinitis, tandem concupitum diu obtinet reliquiarum thesaurum; eumq́ue cum hymnis & laudibus ad villam publicam Legiam reducit: ibidemq́ue, quo par erat, honore martyrem tumulat.

Tandem obtinet, & Legiam, hodie Leodium transfert.

Vide Notat. C. Baron. in Martyrol. Roman.

VITA S. NICOLAI TOLLENTINI; ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini: Ex ea, quæ est apud V. P. Laur. Sur. Excessit è corpore anno Domini 1306. Relatus est inter sanctos ab Eugenio Papa, eius nominis quarto, anno Pontificatûs XV I. Domini autem 1446.

In

10. Septē. *Patria & Parentes eius.*

Ncastro sancti Angeli territorij Firmanæ ciuitatis, quæ est in Marchia Anconitana, honesta quædam matrona Amata nomine, ito tępore sterilitatis opprobrio obnoxia marito suo vixerat; nullis interim nō precibus ac lachrymis à Domino postulās, vt prolargiri dignaretur, quam perpetuo ipsius obsequio consecrare posset. Hæc illa assiduò precante, nocte quadā angelus Domini vtriq; parenti astitisse dicitur; eisque mandasse, vt ad S. Nicolaum Barrensem properarent cognituri illic, quis ex eis propediē nasciturus esset. Ea visione mirificè exhilarati, nihil de Angelica promissione hæsitantes, sanctum arripiunt itinere peregrinorum instar ad B. Nicolai Barrensem perueniūt ecclesiam. Vbi cùm antè alias preces ac munera obtulissent, ex lōgo fessi somnere dulci sopore corripiuntur. Et ecce mox in habitu Pōtificis visus adesse Nicolaus; cuius precibus meritisq; innixi in spē concipiendæ prolis veniebāt. Is verò diuturnū eorum mœrorem consolans, nascituri pueri prædicit sanctitatem: hortaturq;, vt disciplinis & exemplis pia eius studia promoueant.

Visio parentum Nicolai Tollentini.

Inuisunt S. Nicolaum Barrensem.

Itaque parentes pleni gaudio & exultatione domum redeūt, moxque Amata grauida facta; tandem parit filium; qui Nicolaus appellatus, & literarum studijs adhibitus, vultu & moribus & rara quadam animi prudentia, magnum futuræ sanctitatis de se specimen præbebat. In Ecclesia adeò pium & deuotum in Deū erigebat animum, vt corporeis etiā oculis Christū conspexisse credatur. Hinc cùm tot tantisque clarus virtutibus cunctis mirificè charus esset, in Ec-

Nicolaus nascitur.

Fit Canonicus.

in Eccleſia Saluatoris haud ignobili ſanè, canonico vt vocant beneficio honoratus, ad dignitates & opes paulatim peruenit: ſed qui incredibili deſiderio noctes atque dies de ſolis cæleſtis patriæ opibus cogitabat, aliud vitæ inſtitutum iam animo complexus erat.

Accidit interim, vt quidam Prior Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vir vitæ meritis & doctrina eximius, in platea concionem ad populum de mundi vanitate ac contemptu haberet: quæ animum iuuenis adeò penetrauit, inflammauitque, vt mox à concione eundem adiret Priorem, & ſummis infimiſque precibus in eandem vitæ ſocietatem admitti poſtularet.

Amplectitur Auguſtinianorum inſtitutum.

Fuit eius poſtulato, explorata tamen priùs parentum voluntate, ſatis benignè factum. Ipſe verò in religioſæ vitæ ſtadium admiſſus, mox ardua quæque ſanctitatis moliri opera; carnē longa atterere inedia; precibus ac lachrymis inſiſtere; cæleſtium commentatione rerū mentē ad æternitatis ſtudia aſſiduò excitare: denique alia inſtanter agere, quæ ægrè admodum veterani milites aſſequi poterant.

Pia eius exercitia.

Cùm autem hiſce ſanctitatis operibus vitā præclarè exornaret, ſacerdotio initiatus, ad Eremum Vallimauenſem, quæ iuxta Piſas eſt, tranſmittitur: vbi præcipua quadam deuotione ſibi ſuiſque, ac toti denique Eccleſiæ quotidiano Miſſæ ſacrificio conſulere ſtuduit. Cùm verò nocte Dominicę proximè ſequentis, hebdomadarias ſacerdotij ſui vices de more inchoaturus eſſet, in ſomno audiuit ſpiritum quendam miſerando valdè eiulatu exclamantem: Nicolae frater, reſpice in me. Illo autem reſpi-

Viſum videt.

ſpiciente, & ocyus, quiſnam eſſet, percun-
ante, reſpondit ſpiritus. Ego ſum anima per-
grini Auxinienſis, quem viuentem nouiſti
ruum tuum; cruciorque in hac flamma. Pur-
torijs namque pœnis miſericorditer à Deo
putata, qui æternas merueram, tuis ſanè
ecibus ac Miſſæ ſacrificio liberari potero, ſi
hoc charitatis officium præſtare velis. Cui
Nicolaus: Adiuuet te Saluator meus, cuius
ſanguine redemptus es. Ego enim qui ad ſum-
mum ſacrificium ſolenniter faciendum hoc
præſertim Dominico die, cuius officium mu-
tare non licet, deputatus ſum, Miſſam pro de-
functis celebrare non poſſum. Tum ille: Ve-
ni, inquit, venerande pater, & vide, num te
deteat precibus tantæ tamque miſeræ mul-
titudinis, à qua miſſus ſum, aſſenſum negare,
neque miſerum tam inhumaniter repellere. *Alia viſio.*
Duxit ergò eum ad alteram eremi partem,
paruamque illam apud Piſas planitiem ei o-
ſtendit. Eccè videt promiſcui ſexûs, diuer-
ſæ ætatis & ordinis, innumeram multitudi-
nem, lachrymabili admodum voce eius pre-
ces & ſuffragia, ac Miſſarum præcipuè oblati-
ones poſtulantem.

Euigilans autem vir ſanctus, totus præ com-
miſeratione lachrymis infuſus, omnium Sal-
uatorem pro eis precatus eſt. Indè mane facto
Priorem loci illius adiens, viſionem pro parte
expoſuit, petijtque vt bona ipſius venia tota il-
la hebdomada pro defunctis Miſſas celebrare
liceret. Annuit eius petitioni Prior, & alio in
eius locũ ſubſtituto, ipſe animarũ iſtarum pa-
trociniũ ex fide ſuſcepit; bonamque illarũ par-

tem è flammis purgatorijs liberauit. Transacta enim hebdomada, supradicti spiritus peregrini pro impetrata misericordia gratias acturus redijt, magnamque illius multitudinis partem è pœnis acerbissimis ereptam dixit.

En efficaciã Missæ Sacrificij.

At verò tam præclaræ sanctitatis initijs hostis antiquus inuidens, vt olim primum hominem per Euam, ita sanctum virum per eius cõsobrinum euertere conatus est. Eratis consobrinus, monasterij cuiusdã, quod Sancta Maria Iacobi appellatur, propè Firmanam vrbẽ Præfectus: dolensque Nicolai vicem, quòd tãta inedia ac vitæ austeritate exhaustus esset, eum ad monasterij istius bonis secum securè fruendis inuitabat. Sed vir sanctus fraudulẽti dæmonis insidias pertimescẽs, in eius monasterij ecclesia ad deprecandũ Dominum totum se cõtulit. Et eccè inter oratiõis verba vidit viginti iuuenes in duos distributos choros; qui albis indutis vestibus, ac rutilãte splendore, ter vna voce clamabãt: Tollentini, Tollẽtini, Tollẽtini, erit finis tuus. In ea vocatione, qua vocatus es, permaneas: in ea namque erit salus tua. Ea visione vir diuinus admonitus, repudiatis ilicò consobrini blandimentis, Tollentiũ properauit: vitæque asperitatem, inediam, nuditatẽ, cæteraſq; corporis afflictiones tanta contentione resumpsit, vt triginta & amplius annis nunquã carnes, oua, pisces, immò nec poma siuè sanus siuè æger comederit. Quin & præter eum vitæ rigorem, secunda, quarta, & sexta feria, & in honorem beatissimæ virginis etiam Sabbatho, solo pane & aqua victitabat. Sed quid de eius ieiunijs attinet dicere? quandò etiam septimo

Consobrinus eius malè ei consulit.

Cælitus admonetur per manere in statu suo.

Notatur eius abstinentiam.

ætatis

tris sue anno tribus cuiusq; hebdomadę diebus noluit cibum sumere? sanctum Nicolaum mirificem imitatus, qui quarta & sexta feria materna vbera recusabat.

Nec verò ieiunio duntaxat & inedia, sed etiam verberibus & cruciamentis corpus suum subigebat in seruitutem. Corporis enim delicijs valere iussis, ferrea carnem domabat catenula, & vigilijs attenuabat: adeò vt à primis tenebris precibus sinè intermissione incumbentem, Sol matutinus sæpè deprehenderet. Eius verò orationis studio tartareus dæmon inuidens, infesto incursu sæpè eum impedire, ac horribilibus interdum formis, durisq; verberibus fatigare conabatur: ita vt per multos etiam dies vulnerum vestigia toto eius corpore manifestò cernerentur. Neque putandum, quòd talis precib. Deo placere vir sanctus studuerit: Nam vbi res postulabat, proximo cuilibet charitatis operibus gratificatur, & aderat. Aegrotis perpetuam quasi operam nauabat; eorumque refouendis corporibus animisq; omni cura ac diligentia totum sese impendebat. In peregrinos ac fratres præcipuè hospitio excipiendos, mira fuit illius benignitas. Non enim suum illis obsequium, vt hominibus, sed tanquàm Angelis exhibebat.

Precum eius assiduitas.

Impedire eum conatur Satan.

Officia charitatis ergà proximos.

Fertur præclarũ quoddam admirandę illius sanctitatis documentũ cęlitùs exhibitũ fuisse, multo antè, quam ex hac vita migraret. Nã eo in loco, qui posteà ipsius monumento cumprimis honoratus fuit, radiantissimum quoddam sydus apparebat, quotiescunq; ibi precibus vel rei diuinæ operam daret. Luxit autem in eo

Sydus apparet ad monimenti eius locum.

non modò egregius sanctitatis splendor, sed & illustris admodum miraculorum gloria. Inter alia sanè, fœmina quædam sanguinis profluuio annis quinque miserè laborans, Crucis signo ab eo curata fuit: & paruulus quidam in ignem lapsus & luminibus ab adustione orbatus, pristinæ sanitati per eum restitutus fuit. Alios præterea non paucos vtriusque sexus homines edito Crucis signo à diuersis curat morbis: ac languentes etiam animas, & peccatorū contagione fœdatas, suauissimis pietatis suæ fomentis ad integritatem reuocauit.

Quædam eius miracula.

Sex antè obitum suum mensibus, qualibet nocte vir diuinus dulcissimas Angelorum voces & cælestem quandam hormoniam audire meruit adeò delectabilem, vt assiduè corporis sui dissolutionē profusis à Domino lachrymis peteret; quam illi Dominus tāto illius gaudio & animi exultatione concessit: vt nihil dubitarent fratres, quin recta è corpore in cælum migraret. Nam cùm imminenti mortis hora ab omnibus & singulis dilectis sibi fratribus tanquam multorum criminum reus veniam postulasset, & diuinorum iudiciorū abyssum vehementer formidaret, omnium peccatorum absolutionem, & Ecclesiastica sacramenta sibi ministrari à Monasterij Præfecto humiliter petijt: quibus eximia deuotione perceptis, cum plenus spe, Domini misericordiam sinè intermissione imploraret, eccè subitò vultu hilari & iucundo insolitam quandam præse ferre visus est lætitiam. Qua animaduersa, fratres rogārunt quæ res tantoperè illius animum vultumque exhilararet. Quibus ille attonitus sanè,

Audit multo tempore Angelorum melodias.

è iunctis ſurſum manibus, & oculis ſtu-
da quadam pietate ſublatis, Eccè, inquit,
è Chriſti Ieſu Domini noſtri præſentiâ; qui
indignũ famulũ ſuum ad ſempiterna regni
gaudia inuitat. His dictis, exclamans ait:
mine, in manus tuas commendo ſpiritum
eum; ſimulque ſancta illa anima corporeis
luta vinculis ad cœlos migrauit. Cæterùm
ob obitu illius die, annis admodùm viginti cõ-
tuis, innumera miraculorum genera ad eius
numentum coruſcârunt; operante eo, qui
ſanctis mirabilis, facit mirabilia magna
lus.

Moriturus videt Chriſtum.

Claret miraculis poſt obitum.

Pſalm. 67. 135.

Martyrium SS. Proti & Hyacinthi, habet Lector 25. Decembris, in vita S. Eugeniæ virginis & Martyris.

VITA S. THEODORAE ALEXANDRINAE: *Ex ea quæ eſt per Simeonem Metaphraſten. Eſt autem hæc diuerſa ab illa cuius fit mẽtio 28. Aprilis.*

QVo tempore a Zeno Romanum adminiſtrabat imperium, & Gregorius Præfecti in Alexandrina AEgypti ciuitate magiſtratum gerebat, erat ibidem Theodora eadem patria & loco oriunda; fœmina vt moribus caſtiſſimis & inſigni prudentiæ opinione ornatiſſima, ita viro ſuo, cui ſacro matrimonij fœdere coniuncta erat, eximiè chara. At verò cum (vt quotidianis docemur exemplis) omnis inculpatæ vitæ ratio, infinitis maligni oppugnetur inſidijs, tum quoque grauis in hanc

11. Septẽb.

a *Imperare cæpit anno Domini 474. teſte C. Baron. Tom 6. Annal.*

Caſtitas eximia S. Theodoræ.

egregia pietate ac prudentia matronam excitatur tentatio.

Insidiatur eius pudicitiæ iuuenis quidam.

Erat iuuenis quidam, opum & diuitiarum gloria tumidus; qui stimulis parum honesti amoris acriter incitat⁹, florentẽ Theodoræ speciem miserè deperibat: nihilq; nõ per se, per amicos, per extraneos moliebatur, vt illicito & flagitioso castissimæ matronę cõcubitu fruerẽtur. Illa verò & toto corpore ac mẽte nefandũ adeò scelus vt perhorrebat: ita iuuenem eiusq; sceleris adiutores modis omnib⁹, ppositi extremi iudicij die & gehẽnæ timore, ab eo ficinore deterrere conabatur. Quin etiã, Erubesco dicebat, vel ipsum solem tanti flagitij testẽ habere. Quod quidem verbum vna ex lenis, cùm alijs artibus, tũ magica hanc in rem probè instructa excipiẽs, Sed hoc, inquit, fiat post Solis occasum, quo nec mortalium quisquam, nec Sol huius rei testis sit. Adhibuit deindè cuncta amoris fométa, ac sensim inter verba pudicissimæ matronæ animum libidine inflammauit: perpulitque, vt cæca mente in medias amoris flammas sese præcipitem daret.

Detestabilis mulier eam pellit in ruinam.

Redit ad se, & valde dolet.

Sed vix perpetrato facinore, cũ abstersa caligine, splendor veritatis ad mentem rediret, acerrimo doloris sensu compuncta cruciari animo, & amara admodum duci pœnitentia: fœditatis ignominiam, ad quam ex castitatis honore transijsset; calido lachrymarum fonte deplorare: hæc & similia effari: O me miseram, ô me infœlicem. Quis mihi tribuat, vt vel in inferno abscondas me Domine, donec pertranseat furor tuus. O peccati fœtor, ô deformitas, quæ antè tam speciosa, tam blanda appa-

rebas. Quid faciam, quo me vertam? O
is voluptas, quam acerbos tu mihi dolo-
vno momento peperisti?

Et talibus quidem lamentis peccati fœto-
em & deformitatem Theodora abstergebat.
Maiunx autem causæ tantarum lachrymarũ
mæroris ignarus, eam modis omnibus à tri-
itia & fletu, ad gaudium & hilaritatem re-
ocare conabatur. Sed internus ille conscien-
ia vermis nullo blandientis mundi gaudio
foras elici, nulla hilaritate deleri poterat.
Nam licet illa epulas inter & falsa mundi gau-
ialætitiã vultu simularet, peccati tamẽ pru-
igo, pessimi instar vlceris, interiora assiduò
epalcebat, stimulabatque; vt conuenientẽ suo
olori medicinam maturè exquireret. Nec iã
ibus assiduo fletu fædata mariti aspectũ diu-
ius sustinebat.

Igitur doloris sui impatiens virilis animi fœmina, viri induta habitu clàm fuga salutari salutem quærere & hærentem visceribus pe-
em medicinæ acrimonia expellere statuit. Erat cœnobiũ cultu ac disciplinæ obseruantia
amè celeberrimũ, decẽ & octo milliarib. Alexandria distãs. Eo demũ ocyus contendẽs, summis infimisque precibus introitum precari eãdemque disciplinam petere. At verò, qui in sacro illo sapientię domicilio degebãt, introitum & communionem vitæ negare, nisi priùs noctis vnius sub dio excubijs & constantiæ & patientię documentum daret. Nihil eam tam aspera conditio deterruit; sed plena fiduciæ in precibus ac lachrymis pernoctauit: ac eadem planè nocte præclarum diuinæ misericordiæ

Virili sumpto habitu, virorum petit monasterium.

Conseruatur diuinitus, ne à feris lædatur.

testimonium accepit. Nam cum loca illa deserta & agrestia ferarum incursu valdè infesta essent, ipsam ante monasterij vestibulum conseruauit, ne à feris discerperetur; quamobrem monachi, eo facto futuram illius sanctitatem conijcientes, eam receperunt: ita tamẽ, vt Præfectus vilissima quæq; munia ei obeunda mandaret. Versabatur quotidie in horti cura, & plãtandis oleribus, extirpandisq; zizanijs infestam nauabat operã. Culinæ insuper ministerio deputata, alacri animo in cũctis erat sedula: neq; tamen quidquã diuinorum in Ecclesia operum prætermittebat. Porrò cùm alij noctis tempore somno indulgerent, illa, delicti sui assiduò memor, præcipuam noctis partem in precibus & lachrymis exigebat.

Admittitur in societatẽ monachorũ. Exercetur obedientia.

Magna eius pœnitentia.

Intereà maritus animi propter amissam cõiugem vehemẽter saucius, assiduis votis precibusque à Deo petijt, vt sibi manifestũ faceret, an Theodora impuro amore accẽsa alium virũ sequeretur. Hæc multis lachrymis die noctuq; à domino postulanti adfuit Angelus, qui suspicionis depellens molestiam, iussit vt primo mane ad Petri Apostoli basilicam obuium sibi attenderet vultum: futurum enim, vt coniugẽ ibi cõtemplaretur. Eodem illo tempore Theodora, Præfecti mandato oleum emptura, cum camelis Alexandriam abierat. Ad basilicã autẽ Apostoli veniens, maritum obuium habuit; quẽ probè cognitum verbo salutauit. Ille verò exesam lõgis fletibus & inedia faciẽ haud agnoscẽs, vicissim peramãter ei salutẽ impartijt ac multa animi affectus ægritudine, quod coniugem, vt sperabat, non inuenisset, domum rediit

Meret maritus vxoris amissionem.

Maritus ei obuiam veniens, eam non agnoscit.

sijt. Ibi verò rursus querulis vocibus ac lachrymis solitudinem suam deplorare, seque vana promissione frustratum esse lamentari. Hic verò altera vice apparens Angelus eum increpuit, monuitque vt lamentandi finem faceret; nam, inquit, & coniugem vidisti, & accepta ab ea data que salutatione scire debes, eam monastico indutam habitu ab omni libidinis cogitatione puram & sanctam in Dei seruitio vitam agere. Ille his auditis, quāquàm abstersis animo omni suspicione praua, luctum tamen deponere nequiuit. Illa verò Christi amore magis accensa, nullum puniendi corporis, cuius fragilitate in fraudem impulsa fuerat, vel tempus negligebat, vel locum; adeò vt hebdomadarum inedia carnem maceraret, mentem assiduis vigilijs ac precibus ab omni cogitatione rerum terrenarum ad cælestia reduceret. Interim vt misericors Deus longa eius certamina & assiduas lachrymas luctumque solaretur, præclaro quodā miraculo eam illustrare, omnemque peccati rubiginem abstersam esse declarare dignatus est.

Vide abstinentiam.

Erat haud procul à monasterio lacus, quem crocodilus hominibus valde infestum reddebat; prorsus vt nemo illac sine certissimo vitæ periculo iter habere posset. Porrò monasterij Præfectus cùm multis indicijs eximiam Theodoræ sanctitatem notâsset, non dubitauit eam ad lacū mittere, vt ex eo aquam fratrum vsibus necessariam hauriret. Illa freta in Deum fidē, obedientiæ opus alacriter arripuit: & intrepida ad lacum perrexit. Interea loci accolæ & milites, qui à Gregorio ciuitatis Præfecto, ad

Insignis obedientiæ insigne miraculum.

laci custodiam pro hominum salute constituti erant, magnis clamorib⁹ eam reuocare & manifestum exitium denunciare. At illa, surdæ aure clamores pertransiens, ad lacum peruenit: & ecce bellua sanctam suo dorso excipiēs, cum aquam hausisset, illæsam in terram exposuit. Tunc illa, belluam increpuit; quæ (dictu mirum) ad verba sanctæ disrupto ventre, effusisque humi intestinis, simul cum vita nocendi finem fecit.

Fratrũ quorundam erga eam malevolentia.

Quæ res cùm omnem illam regionem celebri sanè fama peruagaretur, ac Theodoræ sanctitatem ad cælum vsque attolleret, tùm quosdã monachos inuidẽtiæ stimulis incitauit, vt sanctam illam omniũ præconio mirificè celebratam, celeri morte absumerẽt. Itaq; habito inter se nefario consilio, sanctam euocant; traditisq; epistolis ad quoddã monasteriũ eam noctu ablegant; specie quidẽ, vt res quasdã necessarias celeriter expediret: re aũt vera, vt in ipso itinere, quod infinitis ferarum incursibus erat expositum, præda bestijs fieret. Sed frustrà has insidias moliebatur aduersarius in eam, quam omnipotentis dextera protegebat. Nam & simplici animo, & ad quosuis obedientiæ labores promptissimo, viam inijt; mox errãti feræ quædam se comitem præbuit, eamq; sine vllo errore ad monasterij fores, ad quod missa fuerat, deduxit. Cumque illa ad Præfectum vnà cum literis festina pergeret, fera bestia diuturna fame stimulata ianitorem inuasit. Ille autem, sublato mox clamore periculum denuncians, sanctam reuocat; quę protinùs conuersa hominem iam penè strangulatum ab interitu libe-

Miraculum.

rat;

ac feram verbo interimit. Hæc illa quò ma-
studio occulere nitebatur, eò fama rẽ ge-
magis magisq; prædicabat: adeò vt Præ-
tus, cognitis dæmonis insidijs per inuidos
eam structis, scire vellet, quinam sanctã in-
pesta nocte per ignotas viarũ ambages, &
initis mortis periculis expositas, eò desti-
sent. Cui illa, vt fratres tanquã nulli crimi-
affines excusaret, respondit, eo ipso tempo-
tam internos quàm externos oculos somno
se grauatos, vt planè eorum nomina edice-
non posset. Ea mulieris simplicitas multò
acrius dæmonem perculit, excitauitque,
missis insidijs, aperta vi eam oppugnaret.

Insignis animi candor in Theodora.

Audi antiquas dæmonis insidias, & belli in
ipsam excitati principium. Monasterio extre-
frumenti inopia laborante, Theodora Præ-
fecti mandato, Alexandriam tendebat. Cumq;
in itinere ad monasterium, cui Nonum nomen
est, diuertere cogeretur, eccè tibi noctis medio
adolescentula, quæ consanguinitatis ratione
cum monachis istis ibidẽ versabatur, clã Theo-
doram adiens, quàm virum esse opinabatur, o-
mni pudore postposito, ad stimulum libidinis
incitat. At illa recenti adhuc dolore ex pristi-
no delicto aspersa, puellam impudicam abo-
minari; verbis & gestibus, ad castitatem inuita-
re; deniq; nihil non agere, vt miseram ab ea li-
bidinis peste ad sanitatẽ reuocaret. At illa, la-
tenti igne vehementer inflãmata, omissa Theo-
dora, alteri cuidam eadẽ nocte se contaminan-
dam exhibuit. Quid igitur? Intumescente vir-
ginis vtero, cùm amici & cognati, pudoris &
indignationis pleni, auctorem sceleris pręcisè
inqui-

inquirerent, illa, instigante dæmone, Theodoram arguere non est verita. Quid multis? Natus tandem infans, ad monasterium, in quo sancta Deo seruiebat, defertur: & Theodoræ nutriendus obtruditur. Ibi tunc & Præfectus & cæteri monachi admissum flagitium & voce & manibus in innoxia punientes, tandem vna cum infante, quem illa tanquàm suum amplexabatur, expellunt: & maiori insuper supplicio dignum exclamant.

Theodorà patitur sibi crimen imputari, quod non admiserat.

Illa verò tanquam pater infantem benigne suscipit nutriẽdum, talis probri eligens ignominiam, vt suum anteà commissum voluntarie flagitium, rursus voluntario tegeret dedecore. Itaque sola teste conscientia gaudens, rei improbæ sustinebat calumniam; alienum infantulum ouino nutriens lacte, annis continuis admodùm septem; præ foribus monasterij frigori, nuditati, inediæ, & quod grauissimum est, omnium contemptui ac ludibrio exposita. Cibatum ei agrestes herbæ, potum aqua, vel vt verius dicam, lachrymæ præbebant. Vngues præ diuturna corporis negligentia prolixi excreuerant, capilli & cutis solis exusta ardoribus feram potiùs quàm hominem referebant. Neque tamen tot tantæque calamitates & miseriæ eius constantiam frangere, vel latum vnguem à monasterij vestibulo dimouere poterant. Et quidem cùm homines assiduis eam calumnijs impeterent, tùm multò infestius inimicus humani generis bellum mouebat. Die quadam, assumpta mariti specie ad eam venit egregia fallendi arte instructus. Post lachrymas enim & verba dulcissima, quibus eam suũ

Eius esca & potus, & reliqua durissima.

Hostis insidiæ apparentis in specie mariti.

lumi-

minare, exultationem, voluptatem, lucem
alorum, ac malorum omnium solatium ap-
llabat; Age, inquit, Domina mea, siste mihi
ctum tot annorum tua causa susceptũ, prom-
ptoq; & alacri animo domum reuertere. Cùm
tem illa re vera suum esse maritum putaret,
epit veniam deprecari; orare denique & ob-
ecrare, vt eam reliquum vitæ tempus in con-
tritione & peccatorum pœnitudine exigere
concederet. Illo autem instante, & summis in-
finisque precibus blandiente, ait Theodora;
Quomodò tantæ potero esse impudentiæ, vt i-
terum communi tecum fruar thoro, quem ego
adulterio contaminaui, ac nefariè pollui? Hæc
dicens, vim protinùs lachrymarum fudit, &
delicti sui recordatione saucia, sublatis ad cæ-
lum manibus veniam à Deo postulare, pectus
tundere, crines vellere, aliaque egregiæ sanè
pœnitentiæ indicia dare. Quo facto, hostis in
fugam versus (neque enim vim orationis ferre
poterat) insidias detexit. Paucis verò post dieb.
ingens bestiarum caterua (præstigiæ dæmonis
erant) eam circumsistere visa est: quam illa o-
rationis virtute in fugam compulit. Rursus
paulò post princeps quidam copioso instru-
ctus exercitu apparuit; qui diuinos sibi hono-
res à sancta illa muliere deposcebat. Illa au-
tem negante, & Deum solum adorandum esse
contestante, fuit adeò grauiter cæsa, vt pasto-
res, qui è longinquo factum cõtemplabantur,
eam mortuam esse in Monasterio annunciarẽt.
Reuersi autem cum eam resumptis viribus in-
columem ac precibus intentam conspicerent,
admiratione & gaudio repleti, monachis rem
indi-

Aliæ dæmonis præstigiæ.

Cæditur à dæmonibus.

indicarũt. Et quidem tantis fuerat afflicta verberibus sancta, vt vibices sanè deformes (ea præclari certaminis erant insignia) in corpore permanerent.

Recipitur in monasteriũ. Hæc aliaque eximia patientiæ documenta tandẽ monasterij Præfectum permouerunt, vt sanctam illam, & tot tantisque trophæis inclytam, denuò reciperet; non tamen ita, vt priuilegium ei libertatem inter monachorum cœtum restitueret, sed omni functione priuatam angusta eam cellula concluderet. Accidit autem biennio pòst, vt extrema quædam siccitas non modo terram, sed omnes quoq; monasterij cisternas exhausisset. Quæ sanè miseria Præfectũ sanctissimæ mulieris virtutes denuò, vt priùs, experiri coëgit. Iussit itaque, vt missa in cisternam, quæ nè guttam quidem aquæ habebat, vrna hauriret: & fratribus nimia siti cófectis potum præberet. Eccè verò, illa omni curiositate

Magnum miraculum. postposita, situlam aqua plenam protinùs educit, & abundè omnibus potum, Præfecto cæterisque ingenti stupore defixis, præbet.

Fœlicissimè obdormit in Domino. Paucis pòst hæc diebus, cùm leui correpta morbo diuinitùs supremum adesse diem intelligeret, tollens puerum se vnà cum eo in cellula inclusit. Vbi optimis sanctissimisq; vitæ documentis illi prolixè datis & inculcatis, beatũ Deo spiritũ tradidit: quo tempore monasterij Præfectus cælesti visione de eximia illius sanctitate & innocentia, a c toto deniq; vitæ cursu instructus fuit. Igitur sancta illa vitæ munere functa, Præfectus cum vniuersa monachorum turba, adductus etiam calumniatorib. iniquis, defunctæ ingreditur cellulam: habitaq; breui

demo-

more exhortatione, En, inquit, videte nouũ inauditum spectaculum; fœminam omniũ monum tentationibus superiorem; inuiam patientiæ exẽplum; perfectionis specum; & Angelorum omnium cõsortem dignissam. His dictis, simulq; corporis quibusdam rtibus detectis, lugubris omnium eiulatus oritur. Stupent cuncti metu & tremore perfi. Fama protinùs longè lateque vagatur. Fit ingens hominum concursus. Accurrit & ipse aritus diuinitùs, excitatus: Agnoscit tandem oniugem; ruit in amplexus; curat lachrymis nas; nec auelli se patitur; figit oscula; stringit achijs arctissimè corpusculum; prouocat ad lachrymas omnes.

Innotescit omnibus quod fuerit mulier.

Maritus eius venit ad eã.

Cùm verò tandem vix luctus desijsset, psalmi & hymni statim sunt cõsecuti: & fun° summum honore in monumentum deponitur. Quid interim maritus? Rebus omnibus valere iussis, Theodoræ cellam protinus occupat; seipsum totum Christo consecrans, strenuè viri- lisque coniugis æmulatur virtutem: ac tandẽ plenus bonorum operum, eundem beatæ vitæ finem consequitur. Puer verò nutricis suæ doctrinæ & instructiõis præclarè memor, eò virtutis ac perfectionis peruenit, vt eidem monasterio, & sanctitate & numero præclarorũ virorum celeberrimo, præfici mereretur.

Fit monachus.

VITA S. GVIDONIS, CONFESSORIS, *Anderlaci iuxta Bruxellas quiescentis: Ex ea quæ optima fide extat apud V. P. Laur. Surium. Migrauit ex humanis, anno Domini millesimo centesimo duodecimo.*

Vide C. Baron. in Not. ad Martyr. Rom. & Io. Mol. in Chro. SS. Belgij.

VIR

12. Septē.

Humili loco natus S. Guido.

VIR venerabilis Guido, in pago quodam Brabātensi tugurio rusticano & paupere domo natus & educatus, familiam suam eximio pietatis splendore egregiè illustrauit. Ab ipsis primæ ætatis initijs precandi studio mirabiliter deditus, certas horas parentum suffurabatur oculis, quibus vel Ecclesiam oraturus adibat, vel infirmis ex facultatibus suis licet exiguis aliquid impartiebat. Neque enim hilaritatem aliquam animo concipere, vel liberè in opere versari poterat, nisi prius & attentas Deo preces obtulisset, & pauperibus charitatis officium pro sua tenuitate præstitisset. Stupebat genitor, & vicini pariter admirantes diuinum aliquod in eo venerabantur. Peruenit tandem ad villulam Lakensem: vbi cùm in ecclesia Virgini Matri sacra preces de more peregisset, presbyter loci illius, captus eximia eius pietate & venusti vultus grauitate, eum ad se inuitauit; persuasitque, vt operam suam, relictis mundi vanitatibus Ecclesiæ isti deinceps conferret. Non recusauit optatam diu conditionem Guido; sed mox paternę domus & rerum omnium oblitus, ad Ecclesiæ istius, ac præcipuè animæ suæ cultum se totum contulit; deditque operam, vt cuncta niterent; vasa luculenta & cætera ornamenta, sacerdotes & externos ad pietatem excitarent: denique nihil non esset, quod & Deo placeret, & hominum oculis mirificè arrideret.

Pietas eius adhuc pueri.

Seruit in Ecclesia Lakensi, idque accuratè sanè.

Quædam virtutes eius.

Cæterùm cùm tanto studio ac diligentia templum istud lapideum exornaret, tum multò diligentiùs & suam ipsius & aliorum animas virtutum omnium splendore cultissimas reddere cona-

mabatur. Corpus assiduis domabat ieiunijs; tentem à noxijs cogitationibus sacris vigilijs rerum diuinarum commentatione abstrahebat, atque ad cælestia erigebat. Peccata quotidiana, sine quibus fragilis hæc vita transigi non potest, tanto lachrymarum imbre diluere debebat, vt immanium scelerũ reus videri posset. Petentem eleemosynam potiùs quam inanem dimitteret, ad alienas fores stipem emendicabat, vt haberet vndè inopi ac pauperi benignè facere posset.

Mercator quidam Bruxellensis cùm ex itinere ad eũ diuertens officiosè admodũ vt semper exceptus esset, cerneretq́; eximiam viri in pauperes liberalitatem, & benignè omnibus faciẽdi studium, pia quadam commiseratione motus, primùm de vestimentorum eius vilitate conqueri: indè, vt eleemosynis præstandis maior facultas esset, hortari, vt mercaturã exerceat, breuiq́ue temporis spatio immensas opes colligat, vndè multis annis multorum inopiæ consulere posset. Hoc fraudulento dęmonis consilio sub magno pietatis prætextu persuasus Guido, repentè, non sinè ingenti omniũ admiratione, nouum se mercatorem exhibet.

Decipitur à quodã mercatore.

Sed benignus Deus non est passus famuli sui animam turpis lucri cupiditate inquinari. Nam cùm die quodam carina preciosis onusta mercibus ad littus quoddam appellitur, & pręsens habitò periculum naui exitium minatur, Guido arrepto conto nauem subrigere & exitium depellere conatus est. Et eccè lignum manibus viri tenacissimè adhærens & vires infringere & maius periculum denunciare visum est.

Diuina castigatione reuocatur in viam.

Guido interim animi deliquio proſtratus, nec lignum deſerere, nec alius quiſquam è manib. eius extorquere potuit. Ad ſe igitur reuerſus, reum ſe intelligens, quòd ignobili mercaturæ animum applicuiſſet, ad Eccleſiam redijt: nec vllam aut oculis à lachrymis, aut ori à precibus requiem dedit, donec lignum illud, quod manibus inhærebat, in terram decidiſſe videret. Ita ergò, quandoquidem mercatura rarò aut nunquam ſine culpa exercetur, Guido ſingulari Domini beneficio auocatus fuit; antequàm longius in ea progreſſus, dulci cupiditate lucri animum penitùs ineſcâſſet. Reuerſus igitur ad ſuperioris vitæ tranquilitatem, perindè ac ſi teterrimi ſceleris reus eſſet, maioribus ieiunijs, precibus ac lachrymis operam dedit: ac totis viribus amiſſos prioris vitæ labores reuocauit.

Romam proficiſcitur: inde Hieroſolymam.

Haud multò poſt, tactus deſiderio Romæ ac ſanctorum locorum, iter ad limina Apoſtolorum ſuſcepit: indè Hieroſolymam petens, toto ſeptennio ſanctorum Eccleſias per orbem inuiſit. Cumq; Deo duce Roma reuertiſſet, virũ venerabilem VVonedulphum, in pago Brabãtenſi Decanum, cum alijs itineris eius comitibus Hieroſolymam tendentẽ, obuiam habuit. Is verò, viſo ac agnito tandem Guidone, proſtrato in terram corpore eum obnixè precari, vt ſe & linguæ & itineris ignarum, Hieroſolymam verſus comitem præberet. Non recuſauit vir ſanctus; adijciens ſe & ipſam animam, ſi res poſtularet, libenter pro eis, expoſiturum. Eius itaque ſancti viri VVonedulphus nactus conſortiũ, magno cum gaudio loca ſancta luſtrauit:

sed in reditu leui correptus febri ad supe-
migrauit. Porrò in extremo vitæ termino,
cito ad se Guidoni suprema ad suos mandata
dit. Quem quidem VVonedulphum quanto
nore in cælis Dominus extulisset, hominib.
ox declarare dignatus est: cùm ad eius tumu-
m, beato Guidone & multis alijs cernẽtibus
res claudi & duo cæci curati sunt.

S. VVonedulphi decani obitus.

Cæterùm Guido cùm cœpto itinere in pa-
triam pergeret, ingentes molestias à fame, siti,
frigore & inedia perpessus, tandem sanguinis
fluxu penè confectus Anderlacum venit; vbi
pauperis cuiusdam exceptus hospitio, cuncta
ex fide de VVonedulpho exposuit. Quæ cùm
Vicedecano innotuissent, ipse confestim cum
quibusdam è Clero ad illas ædes venit, & Gui-
donem virum Dei vnà secùm domum suam ab-
duxit: vbi post varia eximiæ sanctitatis indicia
in infirmitate corporis exhibita, tandem bea-
to fine vita huius terminum cõclusit. Proximæ
verò diei Dominicæ nocte, antè corporis eius
dissolutionem, cunctis qui aderant spectanti-
bus, lumen cælitùs fusum columbæ instàr su-
per seruum Dei descendit: simulq; vox omniũ
auribus clarè insonuit, Veniat dilectus noster
ad percipiendam æternæ iucunditatis coronã:
quia fidem seruauit. Mox aduolantes, qui in do-
mo erant, Dei famulum in cælestes mansiones
commigrasse cernunt. Eius sacrum corpus fuit
à loci illi⁹ Canonicis honorificè tumulatum:
vbi multa deindè diuina operante gratia, mi-
racula coruscarunt.

Venit Anderlacum S. Guido.

Abit in cælos vir sanctus.

At verò temporis processu tumulus viri san-
cti omnium pedibus culcari: adeoq́ue eius

memoria & cultus in obliuionem venire, vt pecora ad pastum euntia ac redeuntia sepulcrum fœdarent, & in tumulo accubarent. Accidit autem, vt quædam ex ijs à dæmone correpta expirarent. Qua re permotus villæ Dominus duobus rusticis præcepit, vt beati viri sepulcrum sepe communirent. At illi dæmonis instinctu in risum concitati; Age, inquiũt, senem istum iampridem defunctũ, ne fortè nobis effugiat, intra sepem concludamus. Vix verba diderant, cùm protinus corporis quodam affecti lãguore, Domini magis imperio coacti quã voluntate spontanea impulsi, ad opus accedũt. Sed viribus paulatim cadentibus, re penè infecta, domum venerunt. Et eccè nocte concubia alter magnis cum cruciatibus animam expirauit: alter amentia & furore plenus, suam ipsius facie pugnis & vnguibus fœdè dilacerans, postridiè è vita excessit. Ea res vt cunctis ingentem sanè timorem incussit, ita non paucis cum propè tum procul degentibus præsentem in rebus deploratis salutẽ peperit. Nam mox plurimi varijs detenti languoribus, ad despectum multo tempore viri sancti sepulcrum confluentes, post vota precesq; optatam sanitatem consecuti sunt.

Nota vltionem in petulantes rusticos.

Multa miracula fiunt ad tumulum eius.

Hinc verò pro loco & tempore sacra suprà tumulum ædicula constructa, maior indies honos viro sancto accreuit; donec insigni opere basilica à fundamentis exstructa, ossa beati viri in eius medio honorifice collocata sunt: vbi signa & virtutes multò deindè illustriora edita sunt.

MARTY.

ARTYRIVM S. AVTONOMI. EX eo quod est apud Metaphrasten. Passus est circa annum Domini 302. vt patet infrà, temporibus Diocletiani Imp.

DIVINVS Autonomus, strenuus veritatis athleta ac Episcopali dignitate in Italia clarus, vt cognouit Diocletiani tẽpore acre & vehemens bellum aduersus Christi Ecclesiam erupisse, relicta Italia, venit in Bithyniam ea mente & consilio, vt labantem fidei ac pietatis structuram diuini verbi prædicatione fulciret: & alios item densis impietatis immersos tenebris ad lucem veritatis adduceret. Et quidem in loco, cui nomen Soreæ, apud quendam Cornelio hospitio exceptus, eum tum omnia fidei lumine illustrauit; multoque tempore ibidem moratus, salutaris doctrinæ semina terræ illi suppeditauit; tanto cum fructu, vt ædificata oratoria æde Michaëli principi sacra, ipsum Cornelium primò Diaconum, indè ad alia perrecturus loca presbyterum ordinauerit. Postquàm verò de aduentu Diocletiani Nicomediam intellexit Autonomus, vt furentis belluæ insaniam euitaret, Mantinium & Claudiopolim enauigauit: vbi sanè dignos operæ suæ fructus retulit. Deindè reuersus ad Soreos, inuenit Ecclesiam illam egregiè multiplicatam, & studijs fidei ac pietatis mirificè florentem. Vndè ingenti affectus gaudio, Cornelium Antistitem constituit; eiusque curæ atque tutelæ eum Christi gregem penitùs cõmisit. Ipse verò Asianorum obiens regionem, omnibus illis circà populis Christum prædicauit,

12. Septẽb. *S. Autonomus Episcopus Italiæ.*

Prædicat in Bithynia.

Quendam Cornelium primò Diaconum, deinde presbyterum, postremò Episcopũ creat.

a *Accidit iuxta C. Baron. Tom. 2. Annal. anno Domini 302.*

donec Limnas veniens, qui locus propè Soreos est, magna pietatis segete onustus, eam quoque gentem, profundis ignorantiæ tenebris diu ac pertinaciter immersam, in lucem assereret.

Cùm hæc autem Dei benignitate per Christi confessorem fœliciter ad optatum finem perducta essent, accidit, vt quidam in dicto loco errore impietatis impliciti, in quodam dæmonis festo, ab eis celebrari solito, simulacris offerrent libamina, & ad insaniam vsque debaccharentur. Quæ cùm Christi cultores ad iustam indignationem prouocarent, tùm zelo pietatis adeò inflammârunt, vt mutuis adhortamentis excitati, arreptis armis, simulacra inuaderent, & in puluerem cinereſque redigerẽt. Hæc vt impiorum insaniam acriter stimulabãt, ita animis vindictę cupidis nullã quietis partem concessêre, nisi Autonomũ præclarum dæmoniorum hostem internecione delerent, atque in vno illius capite simulacrorum euersionem ad satietatem vlciscerentur. Itaque die quodam, cùm Dei seruus in oratorio Soreano diuina celebraret mysteria, gens impia & crudelis, armatis ferro dextris repentè aduolat: & fusis fugatisque qui aderant populis, nefariè obtruncant antistitem, & gloriosum veritatis præconem atque Pontificem fœdis concisum vulneribus in æde sacra relinquunt. Porrò Maria quædam, quæ Diaconatus dignitate ornata erat, assumptis secum aliquot eximia pietate & virtute viris, sanctissimas eius reliquias, quo par erat honore, terræ mandauit: quas deinde Deus mirabiliter post annos plurimos gloriosas reddere dignatus est.

Christiani euertunt simulacra dæmonum.

S. Autonomus occiditur.

Honorificè sepelitur.

Quo

Quo tempore Constantinus Romani Impe- sceptra tenebat, Seuerianus Alexãdriæ Præ- sus per ea loca vbi martyris reliquiæ recon- iacebãt, iter facturus, occultam reliquia- vim mirabiliter sensit. Cùm enim muli usque veniſſent, subitò quasi religione ad- niti gressum fixerunt: neque vllis verberi- vel latum vnguem à loco dimoueri potue- Ea res cùm haud immeritò Seuerianum pore afficeret, & cogitabũdum ibidem spe- torem detineret, quidã qui fortè in comi- erat, insigni religione ac prudentia vir, nuit vt eodem in loco templum se diuino rtyri excitaturum voueret: futurum tunc dio procul, vt fixa animalia priſtinam gra- endi virtutem reciperent. Annuit is prom- lacriq́ue animo; cùm eccè vix voto emiſ- mali maximo impetu iter prosecuti sunt: Seuerianum permouerunt, vt iuxtà votum, ostinùs oratorium in B. martyris memoriam illic exstrui curarit.

En mirabilẽ reliquiarum virtutem.

Multò verò deindè post tempore Sacerdos quidam in eadem æde incruentum oblaturus sacrificium, defluente ex tabulatis aqua, haud paruum sensit incommodum: ratusq́ue hoc ipsum ad contumeliam factum, peracto sacri- ficio, ædiculam diruit; & alio in loco politio- re opere templum exstruxit; ignorans interim sancti martyris reliquias ibi reconditas iace- re. Sexaginta autem deinde post annos, Io- annes quidam laudibus virtutis militaris ad- modùm clarus, eadem circa loca, Imperato- ri quibusdam in rebus operam nauans, versabatur. Is cùm die quodam venationi

Vide Missam appellari incruentũ sacrificium.

intentus super martyris tumulum arculeporē fixisset, aliaq; animantia venatus domū redisset, fuit eadem nocte in somnis admonitus, vt eo in loco, quo leporem occiderat, tabernaculum figeret: & deinceps ibidem domicilium teneret. Ioānes visioni parens, ilicò eò habitationem transtulit, & cunctabundus de ordine & veritate visionis diu noctuque multa cum mente sua pertractabat. Ecce autē paucis post annis martyr secundùm quietem manifestius ei apparens, & euidentius quisnam sit edocet, & quomodo ibidem reconditæ essent reliquiæ indicat. Tunc verò miles gaudio pariter & timore perfusus, ad Imperatorem abijt, (is erat Anastasius, qui defuncto Zenoni successerat) eique seriem ac veritatem visionis sincerè exposuit. Anastasius verò sine mora, non tàm pietate, quàm hominum beneuolentia, (quam studiosè captabat) impulsus, basilicam, quæ etiam num extat, construi fecit: quam protinus translatæ eò martyris reliquiæ nouis signis atq; virtutibus illustrarunt.

S. Martyr reuelat reliquias suas.

Tumulus martyris miraculis illustris.

Nam vt reliqua silentio præteream, ego ipse inuicti Christi athletæ corpus sanè venerandum, annis à glorioso certamine iam ducentis, non modò incorruptum, sed planè viuidum in sepulchro adspexi: coma capitis densa & illæsa; formæ character integer; & nè pilis quidem labri superioris amissis, ad adspectum gratus; pellis firma & intensa; orbes oculorum apertis denique nulla non corporis pars adeò firmiter & præclare vnita, vt totus homo, nihil à dormiente vel planè viuo differre videretur.

S. Martyris corpus per annos plurimos incorruptum conspicit ipse author huius historiæ.

VITA

VITA SS. SYRI ET IVENTII, SEV Iuuentij, Ticinensium Episcoporum: Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Surium. patet infrà eos claruisse tẽpore Neronianæ persecutionis: quæ maximè ferbuit anno Christi 69. Neronis Imp. 13.

a *Vide Tom. 1. Annal. C. Baronij.*

12. Septẽ. *Quomodo & à quibus Papia ad fidem sit conuersa.*

QVo tempore, & qua via, modoque Ticinensium vrbs, quæ proprio nomine Papia vocitatur, è densis errorum tenebris ad clarissimum veritatis ac fidei lumen enituerit, vtile non minus quàm iucundum est explicare. Nam à primo crescentis Ecclesiæ tempore, ipsis Christi Apostolis fidei semina longèlateque spargentibus, hæc etiam ciuitas diuinitus inuenta est, quę primitias Euangelij perciperet, vnaque antè alias plurimas cælestis regni hæreditatem capesseret. Cùm enim Apostolorum princeps fundata Antiochena Ecclesia, in qua primùm nouellæ gentis Christianũ nomen exortum est, ædificaturus Romanã, Romam veniisset, ibidemque renouatis miraculis Simonicam egregiè perfidiam expugnaret, & salutarem Christi Saluatoris doctrinam luculẽto ore expromeret, Marcus adiutor & interpres eius fidelis eam scripto excipiens, accurate Euangelium concinnauit; firmatumque Apostoli auctoritate Ecclesiæ tradidit. Cæterùm Petro prima Romanæ Ecclesiæ fundamenta iacente, & digno sanè operæ fructu in opus sedulò incumbente, Marcus assumpto secũ, quod Romæ confecerat, Euangelio ad AEgyptum perrexit, atque Alexandrinam ex doctrina Magistri operarius veritatis, mira concordia & sanctis-

Syrus & Iuuentius Hermagoræ auditores, qui fuit S. Marci discipulus, & tertius Ticinensis sedis Antistes teste C. Baron. in Not. ad mart. Roman.

sanctissima cõuersatione fundauit. Porrò Hermagoram, à se educatum atque enutritum ordine vicis suæ, Italiæ, prudentia & sanctitate reliquit insignem. Huius auditores atque ministri venerabiles viri Syrus fuère atque Iuuẽtius: qui deindè Papiam vrbem Euangelij face illustrabant.

SS. Syrus & Iuuentius Papiã Euangelizatum ab Hermagora missi.

Cùm enim Hermagoras apud Aquilienſem vrbem rem Christianam diuini verbi prędicatione mirificè multiplicaret, & multi populi fama virtutum & doctrinæ eius exciti, & longinquis partibus ad eum confluerent, vir diuinus, vt omnium saluti commodius consuleret, Syrum alumnum suum Episcopali munere decorauit; eumque sinè mora vnà cum Iuuentio prædicationis socio Papiam destinauit; vt ea in vrbe honoris sui fungeretur ministerio, ac animos paganorũ Christi gratiæ copularet. Itaque Patris aucti benedictionibus iter capessentes, ad primum Veronensis oppidi ingressum, matronam quædã nobilissima vnico orbata filio, luctu ac lachrymis mirabiliter deformata, pedib. sanctissimi Syri se prosternit, orás atque obsecrans, vt sobolem sibi viuam restituat. Si faceret, mox & illa & tota familia Christi sacra syncero animo amplexarentur. Cuius precibus lachrymisque commotus vir diuinus

Marci 19.

respondit: Si ex toto corde crederet, crederi omnia possibilia esse. Illa autem in constantia permanẽte, vir Dei domum eius protinùs perrexit; fusaque super funus oratione ad Dominum vitæ & saluti pristinæ defunctum restituit. Itaque adolescens in vitam reuocatus magna voce Deum Christianorũ glorificare cœpit:

prorsus vt ad tanti miraculi nouitatem nō
dò mater & familia, sed & ingens paganorum multitudo Christo nomen daret.

S. Syrus mortuum excitat apud Veronenses: vndè & multi ad Christi fidem conuertuntur.

Hinc verò digressus vir Domini, ante quàm
piam veniret, fama iam præcurrente, immē-
a populi agmen festiuo cùm gaudio ei ob-
m processit. Cumqua certatim gratulabun-
se eius vestigijs prosternerent, viri quinque
turno languore vexati ad eius tactum cōfe-
m sanitatem consecuti sunt. Cùm verò vrbis
tas ingrederetur, prophetico spiritu futurę
speritatis eius annuncians deprompsit prę
gium: Delectare gaudijs vrbs gloriosa Papia;
a veniet tibi ab æternis mōtibus exultatio,
vocaberis minima, sed copiosa in finitimis
natib⁹: & væ tibi Aquileia, cùm in impiorū
ideris manus, destrueris, nec vltra reędifica-
surges. Populi autem multitudo vna voce
Christū extollebat, ac cōculcatis idolis capita
lustralibus aquis expianda proferebat.

Quinque ad ingressum eius curātur. Vaticinium hoc refert Luit prādus Ticinensis Lib 3 Ca. 2.

Persecutio Neroniana Anolino Præside.

Eodem verò tempore orta in Mediolanen-
vrbe persecutione in Christianos, Prota-
& Geruasius à Comite Anolino homine i-
olorum cultui summè dedito in vincula cō-
ecti sunt: & Nazarius vna cum assecla suo par-
ulo Celso, capite obtruncati. Quo, cognito,
beatissimus Syrus venerandum virum Iuuen-
um eò confestim destinauit, vt & sacra
artyrum corpora debito cum honore se-
pulturæ mandaret: & idem beneficium Pro-
sio, & Geruasio, peracto certamine, reueren-
r impenderet. Et quidem Iuuentius lætus ac
estin⁹ huius prȩcipuè legationis iter arripiēs,
octu non sinè periculo & timore ad vrbem per-

Geruasius & Protasius in vincula coniecti.

Martyrium Nazarij & Celsi.

peruenit: vbi legationis suæ mandata exponēs, à fidelibus intellexit corpora sanctorum martyrum iam antè honorificè cũ epitaphio certaminis condita esse. Quo audito, Iuuentius Obsecro, inquit, vos, vt dum hi qui supersunt beatissimi Protasius & Geruasius certamen cõpleuerint, aliquid pro amoris dulcedine eorũque reuerentia, de vestibus vel corporibus eorum nostris desiderijs reseruetis. His auditis qui aderant responderunt, quandam Dei famulam sacrum Nazarij cruorem ab abscissis cernicibus largè profluentẽ linteo excepisse. Quo responso vir Dei Iuuentius commonitus, in ipso itinere eandem Christi ancillam cõuenit: cruoremque martyris gratissimi muneris thesaurum obtinuit. At verò cùm incredibili gaudio ad mœnia Ticinensis vrbis reuersus, mox portitor tanti doni in ipso vrbis ingressu virtutem martyris eodem illo cruore præclarè illustrauit. Erat puer à sæuo arreptus dæmonio, quod luctuosa sanè voce eiulans ad ingressum Iuuentij clamabat, se eo cruore quem ille gestabat vehementer cruciari. Quo audito, Christi miles martyris sanguinem ori pueri applicuit: ac protinùs dæmonium ab eo expulit. Neque ibi in vno illo miraculo virtus cruoris quieuit; sed pari facilitate cæcitatem oculorum, surditates aurium, aliasque corporis infirmitates fugauit, ac mutorum ora resoluit; qui deindè Christianæ fidei præstantiam prædicabant, ac perfidorum duritiem palàm arguebant.

Eccè quo in precio apud veteres fuerint Sanctorũ reliquiæ.

Dæmoniacus curatur virtute cruoris S. Nazarij. Item multi ægri.

Post aliquod dehinc temporis interuallum, cùm sanctorum Protasij & Geruasij apud Mediola-

planum finita essent certamina, beatissimus *Martyrium Geruasij & Protasij.*
rus à Lyberio Christi fideli particulam san-
rum exuuiarum, munus longè gratissimum
cepit; quod signis & virtutibus coruscans,
ria sanitatum genera cõferebat varijs; adeò
rerum mirabilium magnitudine permotus *Reliquiarũ eorum particula miracula eximia operatur.*
tistes, templum haud procul ab vrbis mœ-
is extra ciuitatem exstruxerit: quo tam exi-
ia sanctorum virtus & memoria immortalis
ad posteros permaneret. Perfectis autẽ noui *Construit basilicam in eorum memoriam S. Syrus.*
mpli dedicationis insignibus, cùm quotidia-
ibidem laudes Deo resonarent, & vna die-
m Pontifex Missarum solennia celebraret,
ulumque cæleste cunctis de more fidelibus
porrigeret, eccè inter alios perfidus quidam
Iudæus, satanico furore plenus, corpus Domi-
nicum suscipere ac nequitiæ suæ perfidiæque
socijs ad ludibrium exponere cogitabat. Et
quidem inter fidelium turbas ad manus viri
Dei perueniens, ausu nefario immundo ore il-
lud excepit; sed cùm reijciendi animo os ape- *Diuinitus castigatur Iudæus mala intentione corpus Domini suscipiens.*
ret, digna vltione percussus, finè affatu ver-
borum cunctis audientibus & videntibus cla-
mare cœpit. Et quidem cùm labia iungere &
verba edere conaretur, lingua rigida officium
loquendi negabat: & quasi ignito perfossus ia-
culo immensis doloribus torquebatur. Reso-
nabat omnis ecclesia ineptæ vocis clamori-
bus, & tam egregij virtute miraculi, Christi fi-
delium lętabatur conuentus. Iudęus autem ni-
mio dolore superatus, voces emittere absque
sermonibus non cessabat; habẽs in gutture suæ
malitiæ cruciatum. Cæterum fidelibus subti-
lius adspectantibus mirabili ratione corpus
Domi-

En insigne miraculum.

Dominicum in ore videbatur Iudæi dependere, vt nec linguæ subter compagi insideret, nec desuper immundo adhæreret palato. Interim postulantibus pro eius miseria fidelibus, vir Dei beatus Syrus manum tetendit, & sanctæ Eucharistiæ mysterium à sacrilego ore abstraxit. Iudæus autẽ eius aduolutus pedibus, Christo nomen ex animo dedit: eoque baptizato, multi eius exemplo, abiurata perfidia, sacro fonte renati, Christi fidelibus ac spiritali cœtui vniti sunt.

Iudæus credit in Christũ, & multi cum eo.

Igitur dum multis vbique vir diuinus & signis & virtutibus clarescceret, quidam sub specioſa magnę pietatis figura superbo spiritu adueniẽs, nescio quid fraudis & nequitiæ mõliebatur. Quem vir sanctus intuens, Silere te magis oportet, inquit, quàm loqui: nam occultæ pestilentis animi tui cogitationes nequaquam latent. Et eccè mox obmutescens, omni linguæ officio se miser priuatũ sensit; & flens eiulansque iniquæ cogitationis pandebat arcanũ; cui eius, Syrus, loquendi restituit beneficiũ: hortatusque, vt sacri muneris ministerium piè deinceps ac sanctè obiret, in pace dimisit. Quodam verò tempore vrbe egressus, dum vicos villasque & circum circa ciuitates, sparsò, vbique Euangelij semine, peragraret, puer illi surdus pariter ac mutus offertur; cui vir sanctus, pro sua in omnes beneuolentia, formato in ore & auribus Crucis signo, pristinam sensuum facultatem restituit: eodemque miraculo maximam paganorum multitudinẽ ad Christiana sacra amplexãda perduxit. Cumque iam læto successu indies credentium numerus mirificè excrel-

Spiritu prophetico videt cogitationes hominis impij S. Syrum.

Surdus & mutus puer Crucis signo curatur.

treſceret, diſcipulum ſuum Iuuentium & mpeium Diaconos ordinauit. Chryſanthũ em & Fortunatum, viros & generis digni- te & virtutum ſplendore illuſtres, presbyte- conſtituit: totamque illam eccleſiam, fuga- errorum tenebris, Chriſtiana fide ac pieta- egregiè illuſtrauit.

Ordinat Diaconos & presbyteros.

Intereà cũ alijs in locis grauiſſima perſecu- in Chriſtianos deſæuiret, quidam operarij iquitatis, audita fama rerum mirabiliũ à Sy- geſtarum, pleni amentiæ & furoris Papiam erunt; vt vna internecione cõſtituta Chri- næ fidei fundamenta ſubuerterẽt. Sed fide- multitudine deterriti, beati viri caput pe- re, in eoq; vindictã omnem exercere decre- erunt. At verò Syrus, nihil impiorum terrore motus, venientes vultu placido excepit: eo- que rabiem Chriſtianæ facundiæ præſtan- tia emolliuit, vt omnes ad vnum, deteſtata rioris vitæ inſania, prouoluti ad ſancti veſti- gia, uberiores ſalutaris doctrinæ ei⁹ fontes ex- poſcerent: nihilque ardentius, quam in Chriſti familiam adſcribi, deſiderarent. Itaque nouo fructu Ticinenſi Eccleſia aucta, Syrus, vt alijs quoque læta Euangelij fata impartiret, ad Bri- xianæ ciuitatis plebem erudiendam abijt: vbi puerum tetro vexatum dæmone orationis vir- tute ſanauit: & haud exiguam populi multi- tudinem ad Chriſti fidem eo miraculo attra- it. Egreſſus verò è ciuitate Brixiana, obuium hi à natiuitate cæcum in Laudenſium oppido luminauit; baptizatumq; cum omni domo ad etum fideliũ adiunxit. Indè Papiã regreſſus, ccito ad ſe Iuuentio multa inſignis prudentiæ dedit

Sæuà perſecutio in Chriſtianos.

Impios percuſſores vir ſanctus conuertit ad Chriſtum.

Prædicat populo Brixiano: & multos conuertit miraculo liberationis obſeſſi pueri.

Prædicit Iuuentio, quod tertius post eum sit futurus Episcopus.

dedit documenta: ac prophetico spiritu, eum tertium in ea functionis cathedrâ futurum antistitem prædicens, migrauit ad Dominum: cuius sacras reliquias in Protasij & Gerasij basilica, quam ipse construxerat, debito honore & summa diligentia Clerus Ticinensis condidit.

Pompeius eius successor fæliciter obit.

Cuius post decessum Pompeius, quem ipse gradu Diaconatûs sublimauerat, eius sedis et infulas assecutus: quo similiter paucis post annis vitæ munere sanctissimè perfuncto, Iuuentius ad suscipiendam curam Pontificij omniû votis expetitus fuit. Et quidem is quanquàm fuga illum honoris gradû declinare studeret, denunciata tamen sibi â Patre pontificalis dignitatis insignia subterfugere non potuit. Itaque cùm aliquamdiu apud Laudensium vrbem delituisset, tandem diligentissimè à populo Ticinensi inquisitus, ac repertus Papiam reducitur, & mira omnium gratulatione tristis in cathedra collocatur. Igitur vel inuitus ad hoc honoris culmen euectus, sedulus antè omnia Patris ac nutritoris sui æmulator, pauperum, viduarum ac pupillorû susceptor patrocinium; tanta pietate ac fide, vt signis etiam atq; miraculis oppressores iniquos repelleret. Vidua siquidem quædam â creditore suo oppressa, atq; à crudeli nûmulario ad duplum compulsa, ad virum Dei confugiens misericordiam postulabat. Cognito vir Dei hoc negocio, protinùs Diaconum suum cum eadem vidua ad creditorem direxit; per eum denuncians, vt sceleratas vsuras viduæ remitteret, ac recepto contentus commodato, impiam illam pecuniæ cupi-

Fugit ne fiat Episcopus S. Iuuentius.

Viduarum ac pupillorû defensor S. Iuuentius.

piditatem auaritiamque ex animo reijceret. recusaret, futurum prænunciabat, vt simul usuris proprias etiam possessiones iusto iudicio amitteret. Et quia vir sanctus haud morabat, animum impiæ cupiditatis ac auaritiæ vinculis cõstrictum vix vllis pietatis operibus solui posse, suo ipse Diacono pecuniæ, quam à vidua exigebat, summã tradidit, vt eandem, si postularet, viduæ nomine nummulario promeret. Quid igitur? Eccè tibi pectus terrena cupiditate tenaciter obsessum; eccè iustitiam diuinam auari scelus, quo nihil scelestius reperè punientem: Accedente cum vidua Diacono & Antistitis iussa supplici voce exponente, usurarius auaritia tabescens iussa nè ad aures quidem admittere, sed præcisè ac pertinaciter precium expetere. Tunc Diaconus aureos sibi traditos expromere: quos auidiùs arripiẽs nummularius, vix ijs in arcam repositis, expirauit.

Vltio diuina in usurariũ.

Alio quoque tempore quidam de exactoribus fisci, fluuium Ticini trãsmissurus, arreptus à vadis sæuientibus, penè submersus pecuniæ talentum amisit. Cùm verò miser mortis supplicium propter eam pecuniæ amissionem pertimesceret, curis anxius ad virum Dei Iuuentium festinus cucurrit: eiq; multis cùm lachrymis cladem suam exposuit. Cui vir Dei, Eamus inquit, ad aquas, quæ concreditam tuæ fidei pecuniam absorbuit. Abeunt illi; & mox ad locum vt ventum est, Iuuentius ait: Tibi dico aquæ in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui undibus super te ambulauit, redde pecuniam, quo quia miser hic mortis timore circumuẽtus

Ad imperiũ S. Iuuentij aqua euomit amissas pecunias. Ioan. 6.

affligitur. Continuò autem vasculum, in quo recondita erat, super aquas natare visum, vndarum impulsibus ad viri Dei vestigia in loco quo stabat applicuit. Quam pecuniam apprehendens tribulato restituit: dignus imitator
4. Reg. 6. Helisæi, qui ex Iordanis gurgite coram oculis filiorum Prophetarum ferramentum, quod in eum dilapsum ceciderat, super aquas natare fecit; missoque in aquis manubrio, qui amiserat, mœrenti restituit.

Beatissimus verò Inuentius spiritalibus inflammatus desiderijs, Mediolanum perrexit, vt paganorum contumaciam, pijs Christi cultoribus insultantium, virtute diuina compesceret, & instar optimi pastoris oues à luporũ rabie ac furore defenderet. Et quidem aduentantem illum impij varijs affecêre iniurijs, atque extremum supplicium, ni à Christianis sacris desisteret, minitabundi proponebant. At illo oculis insita pietate ad cælum sublatis pro eorum salute Dominum deprecante, ecce subitò coactæ nubes magno cum cœli fragore, tonitribusque & procellis ingentem vim grandinis effudere: quæ capita, brachia & ossa inimicorum veritatis, eodem in loco præ stupore consistentium, fugaq; frustra euadere conantiũ, ita grauiter contudit; vt agnito propriæ prauitatis reatu, viri sancti patrocinium implorarent, libenterque se Christo nomina daturos exclamarent. Indè fugato precibus viri sancti procelloso & noxio turbine, multi salutari doctrina ritè instructi & sacro fonte lustrati, Mediolanam vrbẽ, deletis pro maxima parte erroribus, Christiana pietate ornatissimã reddiderunt.

Diuinitus castigantur, qui viro Dei restiterunt.

Mediolanenses conuertit.

runt. Itaque Clero & Sacerdotibus ibi conclutis, Iuuentius Papiam remeauit: vbi in primo vrbis ingressu paralyticâ lecto affixâ, Crucis signo dextera formato mirabiliter sanauit.

Paralyticâ sanat.

Inter hosce tã prosperos rei Christianæ successus, [a] Vespasian⁹ Cęsar graue aduersus Christianam religionem mouit bellũ. Porphyrius quidam vrbis Romæ Præfectus missus ab eo in mandatis habebat, vt ciuitates ac vicos omnes peragrando rem Christianam quam maximè oppugnaret. Igitur vrbem Papiam ingressus, cũ fidelium numerũ infinitè multiplicatum cerneret, decreuit antè omnia Iuuentium adoriri eoque internecione deleto, furoris sui arma in reliquam multitudinem conuertere. Eadem illahora Iuuentius in basilica S. Nazarij à se extructa Missarum celebrabat solennia; cum Porphyrius effero in eam corde cum armata militũ manu ingrediens, Præsulem ac Dei populũ vno impetu trucidare cogitabat. Sed ecce antequam impetum in Christi famulum sacrificio intẽtum faceret, arreptus dæmonio cum omnibus secum ingressis, alter utrũ pugnis ora, gurgur, & faciem cædentes, extra atrium ecclesiæ seipsos cœperunt expellere: Inde amentes effecti, aëra luctuosis vocibus & nimio clamore implebant. Completo aũt Mysticæ oblationis ministerio, egressus foras vir Dei cũ omni plebe, humi prostratus prolixas admodũ preces pro eorũ salute ad Dominũ fudit. Eccè verò subitò terræmotus exortus, ingenti omnes pauore concussit; & ignis cælitùs missus eos circundans, corda eorum simul amore diuino incendit; ita vt Christi nomen prædicatione

a *Regnauit is anno Salutis 80. &c. C. Baron. Tom. 1. Annalium teste.*

En Missæ officium in primitiua Ecclesia.

Vexatur à dæmonio Porphyrius, volens cum satellitibus virum Dei inuadere.

celebrarent, & eadem die baptizati profidei constantia mortem subire se paratos ostenderent. Porphyrius autem sequenti die, immodico perfusus gaudio, ex mortalitatis huius ergastulo ad immortalem vitam migrauit.

Redit ad mentem cum suis Porphyrius, & confitetur Iesum Christū.

Porrò Iuuentius virtutum & miraculorum gloria vbique clarus, post 39. annorum decursum, quibus cathedram illam sanctissimè administrauit, cùm beatus Syrus ei cum Nazario & Celso Geruasio & Protasio apparuissent, & vitæ exitum annunciassent, tertio dein die è corporis habitaculo in cælum immigrauit: cuius exuuias deuota Ticinēsis plebs multis cum lachrymis ac debito honore in Nazarij basilica recondidit: vbi & nunc vsque virtutibus florent atque miraculis.

Tumulus ei miraculis illustris.

De S. Philippo Patre S. Eugeniæ Virginis, habet lector infra VIII. Kalend. Ianuarij. in vita Eugeniæ. Vbi obseruandum ex Notis Baronij & Tomo 2. Annal. hunc Philippum nequaquàm fuisse Alexandrinum Episcopum, vt scribunt Beda Vsuardus, & Ado; neque rursus Imperatorem, vt Cedrenus in Maximino; Sed præfectum augustalem AEgypti: Passumq; anno Imperij Seueri 10. qui fuit Christi Domini 204. Zephyrini Papæ 2.

* al. Maurilionis, Mauritij. Vide Tom. 4. Annal. C. Baronij. & Notat. in Martyr. Rom.

*VITA S. *MAVRILII, EPISCOPI Andegauensis: Ex ea quæ est per Fortunatum. Claruit temporib. Theodosij Imper. & Honorij eius filij: anno Salutis 394. & seqq. Alius fuit eiusdē nominis episcopus Rhotomagensis, qui vixit circa annum Domini 1070.*

MAV-

MAVRILIVS Mediolani splẽdidis admodùm ortus parentibus, ab ipsis penè incunabulis à beato Martino sacris imbutus literis fuit. Sed beato Martino Arianorum perfidia de ciuitate illa expulso, Maurilius ibidem est demoratus, donec à Sancto Ambrosio, ciuitatis istius episcopo, Lectoris officium accepit. Intereà patre eius, qui totius penè Hesperiæ gubernacula tractabat, defuncto, ipse amore cælestium totus incensus, relicta patre, Martinum, qui tũc Turonicam administrabat metropolim, expetit; eidemque diuinis occupatus officijs constanter adhæsit: donec sacris omnib. initiatus, ad ardua magis enitendum sibi existimaret. Adeptus itaque sacerdotij honorem, cùm monasticæ vitæ disciplinam vnicè adamaret, B. Martino in Domino valere iusso, Andegauorum aggressus est vrbem: vbi fanum super Ligerim fluuium quadam in villa diuersis idolorum culturis dedicatum inuenit. Quod cum animo eius incredibilem inureret dolorem, neq; tamen humana virtute subuertere posset, tota mente ad Dominum conuersus precib. incubuit; donec ignis è cælo demissus & fanum & simulacra, & quidquid deniq; immũditiæ erat, momento temporis in fauillam & cinerem conuerteret. Eliminata itaque omni spurcitie, honorabilem Christo fundauit Ecclesiam, eamq; populi frequentia & pietatis studio celebrem reddidit: ac bissenis annis, multis clarus virtutibus, sedulò administrauit. Nam & hominis cuiusdã aridas à natiuitate manus Crucis signo mirabiliter curauit: & dæmoniacam catenis vinctam & luminib. orbatam

13. Septẽ.

A quo doctus.

Ordinatur Lector.

Illustris S. Maurilij familia.

Fanum dæmonum, precibus suis mirabiliter subuertit.

Condit ibidẽ Ecclesiam.

Claret miraculis.

batã integrę ſanitati pari ratione ac virtute reſtituit. Ictum quoque à vipera puerum, & toto corpore tumidum, atque ipſa cum morte luctantem, Crucis ſigno ad vitam reuocauit; & ſterili inſuper deuexæ ætatis fœminæ precibus ſuis partum impetrauit: aliaque ſanè effecit, quæ minimè vulgare ſanctitatis teſtimonium præbebant.

Condit monaſterium in vico Calonnæ, fugatis indè dæmonibus.

Non longe à vico Calonnæ, qui viri ſancti incolatu (quanquam diuerſis idolorum titulis decoratus) dæmonibus exoſus erat, ſimulacrũ quoddam mira populi ſuperſtitione colebatur. Eò contendens Maurilius animi dolore ſaucius, idolum ſigno Sanctæ Crucis oppoſito euertit, dæmonesque, immenſo fœtore relicto, in fugam compulit. Deindè ſimulacris omnibus igne concrematis, eodem in loco monaſterium condidit: & multos diuturna dęmonis ſeruitute oppreſſos in libertatem Chriſtianam vindicauit.

Confugit ad virum Dei captiuus quidam.

Proximis exindè diebus, cùm negociatores inter diuerſas mercium copias, Italos vtriuſq; ſexus per Calonnæ prædium in Hiſpaniam venales ducerent, vnus eorum, magno proſiliens impetu ad Eccleſiam confugit; moxque prouolutus cum lachrymis pedibus confeſſoris, orabat redemptionem; fletibus commotus ſacerdos, ſinè mora pro captiuo, ipſius Domino ſupplicaturus egreditur. Sed Dominus, ſpretis Maurilij precibus, ſuis innuit, vt ipſum ab aſylo vi auellerent. Miniſtris impigrè parentibus & vim facientibus, captiuus immenſis clamoribus opem ſacerdotis implorare. Sacerdos verò flexis ſolo paululum genibus, pias pro capti-

ptiuo ad Deum fudit lachrymas : ad cuius *Precibus obtinet captiuo missionem.*
ces protinùs tanta vis febrium dominum i-
us arripuit, vt antè spiritum exhalaret, quã
ministris vllum remedium adferri posset.
ius morte subitanea reliqui tanta sunt op-
essi formidine, vt relicto captiuo sibi vitam
precarentur; veriti ne terra viuos omnes ab-
orberet. Vir verò beatus terræ prostratus, im-
mensis singultibus Christum pro defuncti sa-
lute precabatur, nec antè è solo surrexit, quã *Suscitat mortuum.*
defuncto vitam, & captiuo acquireret li-
bertatem.

His alijsque, quæ studio breuitatis omitti-
mus, vir diuinus in vico Calonnæ clarus mira-
culis, ab Andegauensibus pastore orbatis anti-
is expetitur. Fiebat hoc ex mente & consilio *S. Martini præsulis testimonium de S. Maurilio.*
ctissimi Præsulis Martini; qui Andegauum
ecerat, & tumultuantem in electione noui
ntistitis plebem pariter ac nobilitatem seda-
erat; cùm clarissima sanè sanctitatis testi-
monia Maurilio perhiberet. Nec ipse solùm,
sed & Spiritus sanctus in specie columbæ su-
per eius caput in ecclesia apparens, neminem
ea sacri muneris functione digniorem esse te-
status est. Itaque Maurilius, & miraculo & *Inuitus rapitur ad Andegauensem Episcopatum à B. Martino consecratus.*
precibus victus à Beato Martino consecratus
suscepit sacerdotium, Apostolica redimitus
simplicitate, ac cordis puritate perlucidus, as-
siduis precibus, vigilijs, & ieiunijs intentus, vt
commissum sibi gregem Domino & integrum
ab omni peccati cõtagione purum restitue-
ret. Rutilabat in eo tanta Domini gratia, vt nõ
minora per eum, quàm dudum per Apostolos, *Quanta operatus fuit miracula.*
signa & miracula fierent.

Quodam die viro sancto in basilica beati Petri sanctam solennitatem celebrante, aduenit cum moriente puero matrona; cui quondam sterili eundem suis precibus apud Dominum obtinuerat: postulans, vt antè obitum eum cõsignare, & contra dæmonum insultus munire dignaretur. Sed præsule diutiùs paululum in sacrosancta oblatione remorante, puer è vita excessit. Expleto autem mysterio vt cognouit antistes, eum nullis munitum sacramentis migrasse, incredibili ea propter dolore saucius, totum se lachrymis dedit, quòd oiculam chrismatis dono consignare distulisset. Cumque diu multumque eam negligentiam deploraret, neque tamen vllam turbatæ conscientiæ tranquillitatem inueniret, consilium cœpit, vt istud negligentiæ piaculum durioribus pœnitentiæ laboribus expiaret. Igitur relicta clam patria, assumptis secum clauib. sanctorum reliquiarum, quibus Ecclesia Andegauensis decorabatur, conscendit nauim, prius tamen in lapide quodam littoris, transitus sui die inciso. Cumque processisset in altum, claues contemplando mirandoque quare secum eás sumpsisset, de manibus elapsæ in æquore submerguntur. Tum verò nouo dolore saucia-tus, cum lachrymis exclamasse fertur: Nisi has iterum videre meruero claues, patriam vrbémque, quam effugio, nunquam repetam. Transmisso verò mari, mox mutato habitu, professus se hortulanum, cuidam regionis principi se in seruitutem tradidit: vt corpus assiduo labore castigaret.

Clam se subducit ab Episcopatu.

Fit Principis cuiusdã hortulanus tantus Vir.

Interea plebs Andegauensis, cælitùs sibi quon-

ondam commisso viduata pastore, crebris
epit visionibus admoneri, & portentis terre-
re antistitem suum requirerent: ni mallent
minens vrbi excidium præstolari. Itaque ni-
io pauore perculsi, habito semel iterumque
nsilio, quatuor eligunt insigni virtute ac fi-
viros, qui sumptibus ex voto collatis & re-
us necessarijs ad itineris labores optimè in-
tructi, antistitem indagarent, nec, nisi eo in-
nto, ad propria redirent. Igitur legatione
ita, vrbes oppidaque & vicos omnes præter-
gunt; omniqúe ferè perlustrata Europa, sep-
mo tandem anno irrito conatu in partes Gal-
reuertentes, diuino ductu ad portum Oce-
i maris, qui in Britannia manet minori, per-
nerunt; vbi in littore residentes, scriptum,
od suprà diximus, in silice inuenerunt: Hic
nsijt Maurilius, Andegauorum Episcopus.
Deum euidenti alacres facti indicio, conscē-
sanqui trans pontum abiêre securi. Cumque
in medio tranquilli æquoris vndas secarent,
ecce repentè emersus è gurgite piscis immanis
prosiliuit in nauim. Quo exenterato, reliquia-
rum claues de manibus viri sancti in mare de-
lapsas, in pisces iecore repererunt. Quibus tā-
dem agnitis, ingenti stupore defixi metuunt,
ne cum ipsis Maurilius naufragium passus ma-
rinis belluis esca cesserit. Demissis igitur de
nau ancoris, consilium ineunt, an eo testimo-
nio contenti domum redire, an verò cœptum
iter prosequi debeant. Verumenim verò nocte
sequenti omnes pariter cælesti visione admo-
niti sunt; vt omisso inani timore, confidenter
pergerent, & cœptis fælicibus antistitem in

Septem annis tota ferè Europa perquiritur.

Vide rem stupendam.

patriam reducerent. Ea visione cuncti mirificè roborati, iter peragunt, Angeloque ductore, ad ædes principis, cui vir sanctus deseruiebat, perueniunt. Ingressi autem, ilicò Maurilium, vt cum oleribus, quibus princeps vti consueuerat, præstò esset, inclamari audiunt. Illi verò eo nomine protinùs excitati, oculorum aciem in omnes partes dirigunt: nec mora, cum oleribus Maurilium accurrentem conspiciunt. Ibi tum gaudio pariter & admiratione confixi, confestim pedibus illius prostrati magno cum fletu rogant, vt propriæ ecclesiæ ac ciuitati subueniat. Ipse verò stupore similiter defixus, cùm se negare non posset, cum lachrymis repugnare, asserens se & voto & iuramento constrictum, nevnquam in patriam rediret, nisi submersas in mari claues videre mereretur. Tum illi statim eas depromentes, cuncta quæ in mari viderat, quæque pertulerant, ex ordine referút. Statim fama hæc peruoluat, ipsumque solicitat regé. Mirantur cuncti, & quem vt hortulanum habuerant, nunc vt beatissimum Præsulem venerantes adorant.

Tandem inuenitur vir beatus.

Nota hic diuinam prouidentiam.

Cæterùm Maurilius tot fatigatus precibus, & miraculis victus, statuit quidē patriam repetere, sed ita tamen, vt tota illa nocte vigilijs & orationibus mentem Domini attentus consulere, eius opē in omnibus implorare vellet. Eccè aũt nocte cõcubia, lõgo fessus peruigilio, cùm leni sopore oppressus iaceret, vidit Angelum sibi dicentem: Surge Maurili, & populorum te requirentium exequere votum. Nam &

tuis

is precibus cõmissas tibi Dominus seruauit es & insuper reddidit puerũ quem diutius lorans quęsiuisti. Quid multis? Mane reddito, oncurrentibus vndiq; populis, magno cũ ho- *Honorificè excipitur à fidelium multitudine Andegauẽsi.*
ore ad nauem deducitur, & traductus, nõ mi- ori gloria à patria propria excipitur. Taliter- ie propriam regressus ad vrbem, nimirũ ex- ectantibus turbis, de Domini promissione se- curus, venit ad pueri tumulũ. Quo rastris dis- ooperto, inuocat diutissimè planctibus Chri- um. Tandem expleta cum lachrymis oratio- e, vtrique consurgunt, Maurilius de oratione, *Eccè rẽ pro- fectò stupen- dam de puero tot annis mortuo.*
puer de morte. Quem septiformis spiritûs gratia consecratum, ex euentu vocauit Renatũ: qui diuinis cultibus ilicò mãcipatus, & à bea- o Maurilio diligenter eruditus, tantis prome- uit florere virtutibus, vt post Maurilium pon- ificalem Andegauẽsis Ecclesiæ cathedrã post- bomus sortiretur vt hæres. Quod si quis forta- sis æstimauerit fabulosum, Andegauam recur- rat ad vrbem. Ibi enim inueniet precios issimũ *Idem resus- citatus suc- cessit Mauri- lio in Epis- copatu.*
Christi confessorem Maurilium immensis vir- tutibus florentem & nec minus Renatum An- cistitem, successorem ipsius miraculis coruscantem. Sunt enim & alia plurima virtutum e- ius miracula huic nequaquam inferiora, quæ propositi memores silentio prætermimus.

Vt autem breui compendio quotidianam il- *Summa quæ- dam vitæ S. Maurilij.*
lius vitæ conuersationem ob oculos ponamus, sinè ab exordio Episcopatûs sui adusq; termi- num vitæ, vili tegumento & cibatu pertenui contentus, mentem diuinis assiduò rebus intẽ- tã habuit. Diebus verò Quadragesimæ, vesper- tinus die tertia cibus, panis inquam aridus, cũ salẽ

sale & aqua tepida, fractas inedia corporis vires nonnihil restaurabat: eodemque tempore pedem foras proferebat nunquã: ne mens Deo penitùs intenta vanis rerum imaginibus delusa vagaretur. Et quidem cùm tanta seueritate corpus tractaret, & triduano plerumque ieiunio conficeret, tamen viribus robustus, & facies rubicunda succique plena occultam Dei gratiam facilè declarabat. Nam cùm deuem planè ætate totum vitæ curriculum infinitis subdidisset laboribus, non caput, non dentes, non visum, non stomachum, non cætera membra dolebat; sed sui semper & vbique similis, in diuina benignitate lætus exultabat.

Summa eius incolumitas in summa abstinentia.

Talibus ergò ab ipsa pueritiæ suæ ætate, florens virtutibus, cùm transitûs sui diem appropinquare cerneret, haud procul ab Andegaua vrbe ad Septentrionalem eiusdem vrbis partem, duplicem sepulturæ suæ cryptam ædificari præcepit. Qua completa, septimo infirmitatis suæ die, ætatis suæ anno nonagesimo, Episcopatûs verò tricesimo, pius pastor & doctor, qualem de sacri fontis baptismate sumpsit, talem Idibus Septembris Omnipotenti Deo animam reddidit. Cùm autem die altera sacrũ corpus multis psallentium choris ad tumulũ portaretur, gemini ex vtero matris cæci ad loculum lumen ilicò recipere meruerunt: & alius quidam, triginta plus minus annis paralysis incommodo distentus, osculato beati funeris feretro, pristinam ilicò sanitatem recepit. Cæterùm quanti qualisque apud Dominum fuerit meriti, quotidianæ virtutes & miracula, quibus eum Dominus exornare digna-

Antè mortẽ curat sibi parari sepulcrum.

Miracula ad eius funus.

gnatur, luce meridiana clarius testantur.

ITA S. AMATI, PRESBYTERI ET Abbatis Monasterij Romarici: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Floruit temporibus Clotharij Regis Franc. anno Domini 617.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baron.

13. Septē.

Patria & parentes S. Amati.

AMATVS præclarę indolis puer in suburbio ciuitatis Gratianopolitanæ claris admodum Romanæ stirpis ortus natalibus, patrem habuit Theodorum nomine; cum cùm alijs laudibus tum virtute inprimis & religione ornatissimum. Qui cùm iam ante filium monasterio oblaturum deuouisset, Amatum ad Agaunense cœnobium deduxit, diuinis humanisque imbutus literis de optimo vitæ genere maturè prudenterque secum dispiceret. Sed cum puero, deindè viro nihil monastico statu salutarius, nihil ad animæ tranquillitatem iucundius videretur, annis admodum triginta eodem in loco perpetuis sese studijs & disciplinis exercuit monasticis: adeoque magis magisque indies diuino amore incaluit, vt intimam assiduò solitudinē cogitaret. Itaque clàm monasterio egressus, haud procul ad excelsi cuiusdam montis rupē se cōtulit. Interim ab Abbate & fratribus magno studio quæsitus, tandem triduano exacto ieiunio, ægrè inuenitur. Repertum orant fratres, vt ad monasterium redeat, suaque pręsentia Abbati cæterisque eius causa anxijs mœrorem adimat. Respondet ille; Sinite, quæso, fratres, sinite me in hoc angusto loco mea lugere peccata, & Redemptori meo sedulò inseruire.

Triginta annis est monachus.

Clam petit desertum locum.

Cùm

Cum ergò eum à sententia nullo modo deducere possent, quærunt quam sibi velit alimoniam deferri. Quibus inquit; hordeaceus panis & aqua post triduum mihi præbeantur: lautiores verò cibos afferre nolite, ne breui hosti ludibrio pateam. Abeunt fratres, indicant Abbati repertum Amatum; exponũt nouum & horridum vitæ institutum. Mox ab Abbate designatur frater Berinus, qui officiosè illi ministret. Is accepto pane, vrceoq; aqua pleno, pergit ad virum Dei, eiq; traditis vitæ necessarijs, recedit.

Victus eius.

Vexatur à diabolo.

Intereâ viro Dei orationibus intento tentator in corui specie adfuit; ablatoq; pane, aquã effudit. Ea maligni fraude animaduersa Amatus, Gratias, inquit, tibi ago Domine Iesu Christe, qui me productiori vis exerceri ieiunio. Erit mihi hoc magno emolumento, quandoquidem nihil in hoc mundo geritur absq; tua prouidentia. Non diù pòst Abbas misso ad illum artifice, cellulam vel specũ ei ædificari voluit. Cumq; imprudẽter artifex ligna multò breuiora, quã structura poscebat, secuisset, accedens ad virum Dei acceptũ per imprudentiam damnum ei exposuit. Cui vir Dei; Vade, inquit, fili; vade & rursus metire, noli autem existimare quidquam damni acceptum esse. Tantum esto in fide firmus. Eo abeunte rursusq; dimettente, inuenit, (visu mirabile) tantum ad ligna vltrà mensuram accessisse, quãtum priùs deerat; Aliud quoque miraculum per eum Dominus patrauit.

Miraculum.

Cùm iam annum vnum aqua illi Berini ministerio ex vallium amnibus allata fuisset, ille fra-

rum miseratus penuriam, cunctos aduocat, iussitq; vt secum pariter humi cũ fide prostrati Deum precarentur, vt fontẽ illis è saxo oppeditare dignaretur. Prostrati orãt finitisq; precibus surgunt; & vir Dei baculo, quem manu gestabat, petram percutiẽs, mox aquam impetuò illic fluitantem elicit. Posteà verò eam in rupe exiguũ terræ spatium vir sanctus adueniẽs, excisis virgultis, agellum tertiæ partium modij capacem effecit: qui deindè opera & labore eius sedulò excultus hordeum oppeditabat. Porrò infra cellulã mola versatilis strenuè sese exercebat; eò potissimũ, vt otium somnumq; hostes solitudinis præcipuos, longè fugaret, animumq; in diuinis laudib. perpetuò vigilem haberet. Et quidem cũm calceis nunquam vteretur, tum spatium illud, in quo ambulandi causa pedes extendere solebat, minutissimis præacutis lapillis constratũ erat, vt eo dolore & carnis tentationes & dæmonis infestationes repelleret.

Ex petra elicit fontem aquarum.

Luctatur cũ somno.

Cũm aliquãdò in agello suo fodiendo sudaret, vidit ab excelsa montis rupe, immani saxo minãte, repentinum suæ cellulæ imminere excidium. Puto equidẽ id satanæ astu & machinis accidisse. Sed vir Dei protinùs accurrens, expresso contrà Crucis signo, In nomine, inquit, Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi, ne vlteriùs descẽdas. Iã non longè à tecto mansiunculæ aberat saxũ; moxq; é figens gradũ, mõdiad miraculum sanè inhæsit: pendetq; etiamnum, nihil prorsus domicilium lędens. Et crebrò alias diabolus cũ satellitibus accedẽs, minabatur se funditus cellulã euersurum: cui fortissi-

Mirabilis signi Crucis & fidei virtus.

tissimus Christi miles inconcusso & intrepido animo respondebat ; Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Psalm. 117.

Loci illius Episcopus, qui intima ei familiaritate deuinctus erat, cùm crebrius virum Dei pro Christi amore paupertatem sectantẽm inuiseret, statuit quãdam pecuniæ summam pro eius consolatione illi largiri . Cui Amatus; Quæ tu mihi offers, inquit, optime antistes, et illis tribuenda sunt , quos maior premit inopia. Ego verò, spretis huius mũdi impedimẽtis, sicut nudus è terra egressus sũ, ita nudus in puluerẽ reuertar. Episcopus nihilo minùs instat importunè, vt munus oblatũ nõ respuat: sed cũ cerneret inexorabilem , pecuniam clàm altariolo, in quo sacrificare cõsueuerat, imposuit. Cùm autem nocte exacta, ad sacra peragenda mysteria vir Dei hora legitima accederet, repertos nummos tanquam hostis tartarei insidias execrans, in profundam, vi magna, abiecit vallem, ita dicens: Dominus pars hæreditatis meæ; ego his non indigeo. Vestis ei erat ex veruecum pellibus. Porrò in Quadragesimali ieiunio pro quotidiana refectione post vesperti-nas laudes quinque nucleis cum exiguo aquæ poculo, vilis quidem, sed grata Deo illius mẽsa instruebatur. Interdum verò triduana, & sæpè etiam prolixiora sibipsi ieiunia indicens, membris quidẽ fessus, sed sancti spiritûs gratia plenus, Christo perpetuũ exhibebat famulatũ. Balnearũ fomentis bis tantũ toto illic anno vtebatur; antè Saluatoris natalem, & eius sacram resurrectionem. Atque hæc illi corporis cura.

Eccè quantũ abominatur Vir sanctus pecuniam.

Vestis eius, cibus in Quadragesima.

Per

Per id tempus in Vosagi partibus vir prudentia & religione celeberrimus Eustachius abbas, Italiam lustraturus, ad Agaunense ve- ac cœnobium; vbi cognita egregia Amati virtute, eum indè secum Luxouium perduxit: & suo exemplo in amplissimo illo monasterio omnes ad ardens virtutis & religionis studium incitaret. Contigit autem, vt ea tempestate missus à fratribus quasdam Austrasianorum vrbes concionandi gratia, qua plurimùm excellebat, peragraret. Fuit tum vir nobilis & in populo cumprimis honoratus, Romaricus nomine; cuius ad ædes nutu diuino sanctus Amatus diuertens, reuerenter & honorificè exceptus fuit. Cumque strata mensa, epulis pariter accumberent, Romaricus, qua erat pietate, auidus eo aliquod salutis verbum expetijt. Cui Amatus, vt erat haud vulgari prudentia & dicendi facultate præditus, Cernis, inquit, hunc discum argenteum? Quam multos is annos hac habuit, & deindè habiturus est seruos. Et tu ipse, velis nolis, eius nunc seruus es; siquidem seruandi causa eum possides. Et ille quidem nunc ex se edentibus æqualem nauat operam; sed à te, qui eum nunc seruas, de illo quandoque ratio exigetur. Scriptum namque est; Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit. Et ipse Dominus ait; Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Hæc dicente Amato, Romaricus afflatu diuini spiritûs permotus, aliquot diebus virum sanctum detinuit. Vt latius cum eo de vera salute differeret, & cõsilium de mutando

Abbas Eustachius eum secum ducit Luxouium.

Eustachij vitam quære 29. martij Tom. 1.

Iacob. 5.

Lucæ 6.

vitæ genere captaret. Cui Amatus; Cùm sis, inquit, & generis nobilitate sublimis, & opibus pollens, & magno insuper ingenio præditus, equidem demiror te ignorare, qua via modoq; ambulandum sit. Scisciranti quondam iuueni, quid faciendo vitam æternam possideret, respondit Dominus; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; quæ cùm ille à teneris se custodisse diceret, subiunxit Dominus: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

Matth. 19.

Romaricus vir illustris in disciplina monastica se totum Amato subdit.

His auditis, Romaricus amore & desiderio Dei inflammatus, spretis diuitijs, & generis dignitate contempta, monasticis se disciplinis subdidit; ac totum se Amato regendum formâdumque tradidit. Posteà verò Amatus instinctu diuino vnà cum Romárico virginum condidit monasterium: in quo tam copiosum Deo famulantium collegit numerum, vt virgines in septem turmas distributæ, noctu diuque per vices sinè intermissione psallerent: ita vt semper virgines duodecim in vnaquaque turma essent. Ipse verò solitudinis amantissimus in colliqua montis parte concauum pro domicilio habebat saxum, corporis longitudini accommodatum; in quod è pendente superiùs rupe minister ligato ad funem tintinnabulo exiguâ panis particulam & aquæ haustum certis temporibus demittebat. Dominicis verò diebus indè progrediens, fratribus pariter & sororibus diuini verbi pabula promebat: & errantes consilio in viam dirigebat, lapsosque consolatione erigebat.

Constructuunt virginũ Monasterium.

Amatus in cõcauo saxo morãtur.

Dehinc

Dehinc anno antè obitum suum integro iussit sibi pro lectulo culcitram è cilicio densis ortam cineribus sterni; vt in ijs pœnitētiæ doribus vltimũ vitæ actum perageret. Iacebat commoda corporis affectus valetudine, pertuoque cruciatus dolore, die ac nocte peccatorum suorũ, quasi grauissimorum criminũ eus, à Domine veniam postulabat Iamque anin eo cilicio & cinere exacto, cute & carne nimio membrorum cruciatu exesis, nuda ebant ossa; cùm interim ille de futura Domini misericordia securus, in illis doloribus ificè exultabat. Cumque iam vitæ terminus esset, professione catholicæ fidei ex Epistola nis Papæ, quam ad sanctum Flauianũ scri recitata, iussit sibi fodi sepulcrum in ipso basilicæ Matris Dei, huiusmodi cum Epiphio ab ipso edito: Quicunque hunc locum rationis ergò introieris, pro anima Amati pœntis hic sepulti, Domini misericordiã deprecari digneris, vt si quid mea paruitas de peccatis meis tepidè pœnitendo obtinere nõ potuit, obtineat vestra tantorum charitas, sedulò Domini misericordiam deprecando.

Vide mollẽ eius culcitrã

En rigidam pœnitẽtiam.

Epitaphium S. Viri ab ipso compositum.

His ita constitutis, intermortuis vocibus veniam ab omnibus postulando animam expiauit. Tertiò deindè à sepulturæ die fratribus per visum apparens, Ne contristemini, inquit, erti me à peccatis absolutum, & Comiter à omino acceptum: qui non multos post dies omnibus bonis abundare vos faciet. His dictis, disparuit: & Rex paucis pòst diebus ducentos ferè aureos illis dono misit, locumque illum sua munificentia ornatissimum, reddidit.

Excedit è viuis.

Apparet fratribus.

Eius solennitas.

Post anni verò circulum corpus eius intra beatissimæ Virginis basilicam receptum fuit: eiusque natalis dies solennni dein gaudio quotannis celebratus, frequenti admodum populorũ concursu; vt tanti patris patrocinio frueretur.

VITA S. AMATI, SENONENSIS EPISCOPI VIGESIMI SECUNDI: EX EA QUÆ EST APUD V. P. LAUR. SURIUM.

Vide Tom. 8. Annal. C. Baronij. & Notat. in Martyr. Rom. 13. Septẽ.

Migrauit è corpore anno Salutis 690. qui fuit Sergij Papæ 3. Clodouei verò, tertij eius nominis Francorum Regis 2.

BEATVS Amatus parentibus non modo Christiana religione, verum etiam vitæ probitate multum cõspicuis progenitus est: qui eum piè educarunt, & in tenera ætate literis erudiendum tradiderunt. In quibus ille perdiscendis coætaneos suos facilè excelluit; & quod præstantius multo est, cum doctrina pietatem cõiungens, Christi mandatis sese accomodare, die ac nocte illi seruire, & ab omni vitio & peccato immunem sedulò se seruare.

Magnus profectus eius in litteris & pietate.

Fit Clericus.

Ita verò constitutus, in Clerum ascitus est: in quo ita se comparauit, vt vix quisquam illi similis inueniretur, qui conseruaret legem excelsi, tam consummatè.

Porrò increscentibns cum ætate virtutum incrementis, singulis Ecclesiæ gradibus susceptis, cùm non esset nescius, quanto quis est honore præstantior, tanto erga Deum feruentiorem esse debere, & sibijpsi magnam adhibebat cautionem: & alijs fiebat imitatione admirabilis. Contigit verò intereà Senecium Senonensium Antistitem humanis rebus excedere.

Mærens

ærens itaque grex pastore orbatus, annuen-
bus Episcopis sanctum Amatum tanquàm v-
um omnium dignissimum eligunt: & licet in-
tum admodum in Cathedram Pontificalem
onstituunt. Ea autem Apostolica auctus dig-
itate populum sibi creditum sanæ doctrinæ
abulis reficiebat; benedictione confirmabat;
eruigili cura custodiebat: in omnib. seipsum
xemplum operum bonorum præbens. Adeò
verò dæmonibus erat terribilis & infestus, vt
ad eum tentandum accedere formidarent.

Subrogatur Senecio in ea piscopatu Senonensi.

Qualem se in eodē gesserit.

Hac tempestate Childericus Francorū Rex
triennis in Regno, cum ob nimiam sæuitiam in
Francorum nobiles exhibitam, eorūdem in se
animos concitasset; à quodam Bobilone, quem
seruili supplicio ad stipitem tentum verbera-
re fecisset: occisus est. In locum verò eius sub-
rogatur germanus eius Theodoricus: antea cū
Childericus eligeretur repudiatus. Quo audi-
to Ebroinus, qui illi prius studuisset (vt qui eū
Childerico præferre annitebatur) & eius causa
in Monasterium Luxouiense detrusus esset, vel
timore malorum spontè adijsset; ex monacho
mutatus in militem, aduersus eos quos passus
esset aduersarios gladium strinxit: summoque
magistratu Maioris Domûs eidem Regi Theo-
dorico (vt & anteà eius patri Clotario) inhæ-
rens, nobiles complures obtruncauit: ac post-
modum opera eius Synodo verè tyrannica à
Rege coacta multi Episcoporum ex eius sen-
tentia Episcopatu priuantur: aliqui etiam
eorum inauditi, irreuocabi exilio damnan-
tur.

Childerico Francorum Regi necato succedit germanus eius Theodoricus dictus Iunior.

Peruertitur ab Ebroino Apostata.

Exercet tyrannidem in suos.

Inter quos fuit sanctus hic Amatus: qui mox

S. Amatus mittitur in exilium.

vbi (quamuis præter ius fasque) abire in exiliũ iussus est, oues suas Domino commendans, ad locum destinatum libentissimè proficiscitur, iussuque tyranni Peronam pagum Veromanduorum perductus, sub egregio abbate Vltano in custodia pmanet. Is Vltanus frater fuit Fursei & Foillani *Episcoporum: qui ex Hybernia regio stemmate orti, in Frãciam peregrini venerant.

* *Abbatum. Huius S. Fursei vita habetur 16. Ianuar.*

Sub illo venerabili Abbate beatus Amatus haud modico temporis spatio permansit; patientissimè ferens diuturnum exilium; verbis gratiæ & alimoniæ subsidijs à beato Vltano confirmatus illud Apostolicum commemorans: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Itemque illud Iacobi Apostoli: Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.

Roman 8.

Iacob. 2.

Mauronti Abbatis pietas.

Per id tempus illustri stemmate ortus Maurontus, Adalbaldi & S. Rictrudis primogenitus, in aula Regis insignis habebatur. Is à beato Amando Episcopo Clericorum Abbas institutus & ordinatus Diaconus, in fundo suo Broilo nuncupato monasterium in S. Petri honorem

Construit monasteriũ in Broilo.

construxit. Porrò Vltano Abbate interea hac luce subtracto, Rex Maurontũ ad se vocat, iubetque vt Amatum Antistitem è loco exilij sinè mora secum abducat, & in suo monasterio custodiendum seruet: facit ilicò Maurontus vt erat iussus.

Mutat locũ exilij S. Amatus.

Cùm autem in itinere Cameracum venissent, S. Amatus solus orandi gratia Deipara virgi-

ginis basilicam ingreditur, menteque cæle-
a tractans fortè cucullum suum à collo de-
onit,& vtranque manicam ; adque solis ra-
um nescius suspendit: tam insigni miraculo
omino eius sanctitatem demõstrante. Venit
aud multò post ad templum etiam Mauron-
us vidensque admirabile signum obstupescit:
que ad beati Antistitis vestigia collapsus, hu-
iliter petit veniam, quod talem ac tantum
rum ausus esset custodiendum suscipere. At
llecomiter ei respondens, ad quæcunque Re-
is mandata siuè ad carceres siuè ad mortem
aratum se esse declarat. Quę verò deinceps il-
i fuerit animorum coniunctio atq; commu-
is lætitia: referri vix possit.

En insigne miraculum.

Vndè cum indies in beato Amato totius
erfectionis gratia abundantior reluceret, vi-
um est tandem Mauronto, Broilensi Monaste-
io eum præficere: & se & prædium suum per
illum Domino offerre. Coactus itaque sanctus
Amatus, atque inuitus planè præfecturam i-
stius cœnobij tandem suscipiens, totis proti-
nus viribus illic Domino sanctè & religiosè
inseruire ; subditis maximarum virtutum ex-
empla de se prębere : tam verborum doctrina
& institutione, quam vitæ simplicis eximia
puritate.

Præficitur Cœnobio Broilensi in-uitus.

Optimè præest.

Habebat autem iuxta templum cellu-
lam, orationis causa illic extructam ; vbi cæ-
lestibus inhians, tanquàm in quadam æternæ
quietis specula diuinorum cõtemplationi va-
cabat: & quia diu vitę actuosæ laborib. insudâ-
rat, proximis suis pro virib. ministrans; iam cõ-

Vacat contemplationibus diuinis.

templationi sic inhærebat, vt vni viuens Deo, mundo mortuus videretur. Tandem vt iam emeritus miles labore omni absolueretur, à Domino vocatus, in pace quieuit. Fecerat autē adhuc viuens ferream catenam sanè immanē eaque corpus suum constrinxerat. Hæc derepentè ab eius exanimi corpore soluta, multis attulit remedia sanitatis; præstante Domino nostro IESV Christo: cui est honor & gloria in secula seculorum.

Fœliciter obit.

Catena ferrea ad corpus eius posteà miraculis celebris.

Vide Tom. 4 & 5. Annal. C. Baron. & Not. ad martyr. Roman.

VITA S. IOANNIS CHRYSOSTOMI, Archiepiscopi Constantinopolitani: Ex ijs quæ extant apud Metaphrasten, & C. Baron.

Migrauit è corpore sacratissimus Antistes, Comanis, in exilio: anno Christi Domini 407. Innocentij Papæ 6. Arcadij & Honorij Impp. 13. Ætatis suæ 52. mense 8. cùm sedisset inclusis annis exilij, Annos 9. menses 7. dies 8.

14. Septē.

Patria & Parentes eius.

IOANNES, qui ob admirabile & dulcissimum eloquentiæ flumen, Chrysostomi cognomen adeptus est, nobilissima ciuitate Antiochia, quæ in Cœlesyria sita est, oriundus, patrem habuit militaris gloriæ laude inprimis celebrem, nomine Secundum, matrē verò Anthusam; & generis nobilitate & splendore vitæ paucis secundam. Ij verò cùm antè profundis ignorantiæ tenebris inuoluti nefario gentilium errore miserè cōflictarentur, fuēre meritis haud dubiè filij diuino lumine illustrati, & ad sanctissima Christi sacra fœliciter adiuncti. Porrò Ioannes vt primùm ex ephebis excessit, morum gauitate & senili quadā pruden-

entia ætatem transcendit: eamq; maximarum artium disciplinis tam excellenter ornauit, vt cæteras præ incredibili discendi cupiditate omnia contemneret. Fuit autem inprimis ab omni fastu vehementer alienus: prorsus vt abiecti & pusilli admodum animi esse diceret, gratuita fortunæ vel naturæ bona ad superbiam vanamque gloriam traducere. Vt primùm pater vitæ munere perfunctus ad cælos migrauit, Ioannes annos natus decem & octo, relicto Libanio Sophista, à quo Grammatices & Rhetorices præceptis imbutus fuerat, Athenas cõcessit; vbi cùm præstantissimis Rhetoribus & Philosophis assiduus mentẽ vberiori rerũ omniũ cognitione locupletauit: adeò vt nõ modò amplissimos sibi honores apud doctos probosque compararet, sed etiã magnã inuidiæ flammã apud æmulos præcipuis eloquentiæ laudib⁹ excitaret. Et quanquam ab humanis laudibus abhorreret plurimùm, abiectaq; quadã corporis specie infimum studiosè locũ sectaretur, tamẽ sibi nõ poterat, vt inuidorũ tela, quæ in eum à malis passim eiaculabantur, euitaret. Cùm die quodam præfectus Prętorius Athenienſiũ candidatos dicendi facultate præcipuos cõuocasset, Ioannemque (iam tum forensib. eum negotijs operã nauasse credendũ est) magna cũ laude prę ceteris differentẽ audiuisset, adeò in nominis illius amorẽ concitatus est, vt inuitũ & reluctantẽ magnis honorũ pręmijs decoraret. Hares cùm Anthemiũ eloquentiæ studijs inprimis deditũ & laudis auidissimum vehementer cruciaret, enixè contendit vt partã Ioanni gloriam eriperet. Erat aũt religione gẽtilis; & quia

Ardor discendi in Ioanne.

Vera eius magnanimitas.

Abhorret à fastu.

Patitur Anthemũ obtrectatorem.

non ignorabat Chrysostomũ præcipuũ Christi cultorẽ esse, hanc illi apud præfectũ calumniã struxit, vt diceret hominẽ à cultu deorum alienũ, & magicis Christianorũ artib⁹ imbutũ, nõ modò honore, sed etiã Academiæ & ciuitatis iure spoliandum esse. Cumq; vrgeret & instaret, atq; incõditis clamorib⁹ virũ sanctũ obruere niteretur, & interim Christi numẽ maledictis appeteret, Ioanne placidè respondente, & Christi potentiã tacitè interdũ inuocãte, subitò à maligno spiritu arrept⁹ Anthemius, terræque allisus, impietatis suæ pœnã tulit; & astãtibus ipsiq; præfecto ingentẽ admirationẽ timoremq; incussit. Stabant illi stupore oppressi, & rutilantẽ pietatis quibusdã radijs Ioannis faciem contemplantes, latentẽ diuinæ virtutis vim signis minimè dubijs agnoscebant: deindè supplicibus ab eo precibus contendebant, vt misero opem ferret. Ille, qua erat in omnes benignitate, hominis calamitatẽ miseratus, preces ad Deum pro eo fudit, & non modò à maligno dęmone, sed etiam à pestifero gentilium errore liberauit, & ad Christum adiunxit.

Anthemium dæmon inuadit.

Curatur à Chrysostomo in vtroque homine Anthemius.

Hæc aliaq; prędara fidei pietatisq; opera vt cognouit Athenarum antistes, statuit eum sibi successorem quouis modo ordinare: indignum nimirum ratus, tantam virtutem, tamque eximiam dicendi facultatem in rebus forensibus consumi. At Ioannes maiora secum animo volutãs, solitudinis secessum meditabatur; vt rebus terrenis exutus libera mente ipsum cælum penetraret. Hæc cogitantem, & instituti sui socium Basilium Antiochia oriundum nactum, mater multis lachrymis & precib. impediuit; & ar-

Cogitans solitudinem à matre impeditur.

ardens pietatis ſtudium maiore pietate re-
inxit. Inter hæc Zeno Tyri Archiepiſcopus
ntiochiam veniens, eum lectorem ordinauit;
pijs monitis ad omnem ſanctitatis rationẽ
ementius accendit. Non multò pòſt matre
hac vita ad meliorẽ tranſlata, Ioannes ea iã
ra exoneratus, ſeuerioris diſciplinæ inſtitu-
m, Baſilium ſequutus, protinùs arripuit: ſeq;
aq; omnia vni Deo in ſolitudine cõſecrauit.
uerò quæ eius potiſſimũ fuêre lucubratio-
Certè poſita ſunt, ſecundum illud prophe-
um, deſerta in ſtagna aquarum, cùm fluenta
ctrinę ex ei⁹ pectore pro opportunitate ma-
unt. In hac gratia, quiete & filẽtio duos il-
de Compũctione cordis elaborauit libros;
res de Prouidẽtia Dei magna admiratione
ros; ſed & aduerſus vituperatores vitę mo
ificæ nobile opus elucubrauit tribus libris
inctũ: magnoperè admiratus aliquos adeò
ſelices reperiri, qui tam ſublimi philoſo-
impudenter detraherent. Prætereà de Sa-
dotio, de virginitate, aliaq; præclara inge-
& eruditionis ſuæ monumenta edidit; qui-
us magnum Eccleſiæ vniuerſæ ſplendorem
rtulit. Etenim ad Theodorum collegam, de-
ctorem ignauum, vt ad eremum, vndè exce-
rat, eum reuocaret, inſignem edidit commẽ-
rium: quem quidẽ peccati telo grauiter ſau-
um medica manu curauit; ſed mox is in dete-
ora prolapſus, eò impietatis prorupit, vt
ero viri ſancti ſano conſilio, apertum hære-
os patrocinium ſuſciperet.

Zeno eum lectorem ordinat.

Abit in ſolitudinem, matre defuncta.

Pſalm. 106.

Scripta eius in ſolitudine.

2. lib. de Cõpunctione.

3. de Prouidentia Dei; 3 aduerſus vituperat. vitæ monaſt.

De Sacerdotio.

De Virginitate.

Item alia.

Theodorus eius collega, apoſtata, fit hæreticus.

Porrò quanquã die nocteq; vir ſanctus om-
eruditionis genere Eccleſiam exornaret, homi-
neſ-

mineſque cæleſti doctrina à vitijs ad virtutis amorem traduceret, multò tamen clarius admirandis pietatis operibus & ſe & alios illuſtrabat. Nam præter aſſiduum orationis ſtudium, quo laborāti Eccleſiæ ſubueniebat, ſummam inprimis ægrotorum curā gerebat; quos pro inſita benignitate quotidie viſitabat, & cū verbis tum factis à miſerijs ſubleuabat: ipſe verò tanto rigore vitam inſtituebat, tantaque inedia & perpetuis vigilijs adeò ſe macerabat, vt volens nolens, ob contractas ex duro viuēdi genere ægritudines, patriam repetere & afflictæ vehementer valetudini conſulere cogeretur.

Benignitas eius in ægrotos.

Valetudinis ergò patriam repetere cogitur.

Inter hæc cum fama virtutum eius magis magiſque increſceret, & in ore omnium cum admiratione verſaretur, vir quidam Antiochenus illuſtri genere intolerabili hemicranij dolore torquebatur; adeò vt oculorum alter, vi morbi è ſede ſua emotus, miſerando valdè ſpectaculo in maxillam propenderet. Is cùm incaſſum in medicos oēs facultates conſumpſiſſet, tandem deſperatione fractus ad Ioannem confugit. Ille verò hortatur hominem, vt nefario inanium deorum cultu relicto, ſordibuſque animi per pœnitentiam elutis, ad Chriſtū accedat; certam ab eo & corporis & animæ ſalutem conſequuturus. Ea Ioannis admonitione Antiochenus fide adeò incaluit, vt humi ad pedes viri ſancti ſeſe abijceret, arreptamq; veſtis illius oram laboranti capiti oculoque admouit; & dicto citiùs integram ſanitatem obtinuit. Poſt hunc Archelaus quidam ex proceribus, lepræ maculis turpiter ac miſerè deforma-

Insignia quædā eius miracula.

ormatus, pari ad eum fide accessit: quem Ioan-
es postquàm diuinorum eloquiorum aqua
bluisset, iussit eum elementari quoque aqua
mari, quo facto, protinùs mundus ac purus
asit. Eucleum quoque qui inuidia diaboli al-
ro oculo orbatus miseriam suam assiduò de-
lorabat, precibus suis restituit; & à dæmonũ
ulu liberatum, ad Christi castra sub signo
onasticò adiunxit. Prætereà mulierem septẽ
nos sanguinis profluuio laborãtem sanauit:
quod admirabilius est, à fœda peccatorum
ntagione, quà maculata iustam Dei omnipo-
ntis iram sustinebat, salutaribus monitis in-
grè liberauit. Et ne infinita eius miracula
osequamur, quanta vitę integritate ac pieta-
Deo coniunctus fuerit, vel ex eo cognoscere
et, quòd feras etiam bestias virtuti suæ sub-
zerit. Erat leo immanissimus, qui non modò
gris villisque vastitatẽ, sed multis etiam ho-
inibus crudelem sanè mortem inferebat. Eũ
m nullis armis, nullaque virtute homines
perare possent, tandem ad virum Dei agris
mibusque desertis cõfugerunt, vt si qua pos-
et immanem belluam virtute reprimeret. Ille
diuinorum præceptorum contemptum eis ex-
probans hortatus est omnes, vt flagitiorum
cõfessione atque detestatione expiarentur, vi-
tęque melioris studio infensum Christi numẽ
placarent. Hæc vbi dixit, tradidit eis crucẽ lig-
ueam in locis maximè infestis defigẽdam: qua
efixa, insequenti luce, immanis bellua antè
am exanimis inuenta fuit.

Eccè vim Crucis admirandam.

His signis & virtutibus clarus, cùm annos
admodùm quatuor in eremo exegisset, ne ali-
quam

quam ex nominis celebritate vanam gloriam contraheret, omnibus inscijs, in horridam speluncam soli Dei cognitus concessit: vbi annos duos rebus planè omnibus ad corporis vsum necessarijs destitutus; solo pane victitauit. Et quanquam omnibus esset aëris iniurijs & infinitis incommodis expositus, tamen cælestis philosophiæ dulcedine omnes vitæ acerbitates adeò dulces reddebat, vt quasi corporis expers grauissimam vim morbi, qua conflictabatur, non priùs sentiret, quàm viribus destitutus, corporis sarcinam spiritum in terram deprimẽtem cognosceret. Hac ergò necessitate compulsus, vel potiùs diuino spiritu ex eo loco ad multorum salutem curãdam deductus, venit Antiochiam: vbi Diaconatûs munere insignitus, annos quinq; admirãdum de se sanctitatis specimen præbuit. Intereà Meletio Antiochiæ antistiti vita sanctissimè perfuncto succedit Flauianus; qui cùm de more noctis intempestæ silentio diuinis esset meditationibus intẽtus, Angelus Domini cælesti splendore coruscans ei astitit; monuitq;, vt sinè mora Ioannem, diuinis virtutibus mirificè ornatum, sacerdotem Dei altissimi cõsecraret. Eadem verò hora eadem planè visio Ioanni oblata est; idemque Domini angelus, vt Flauianum ad Ecclesiam tendentem sinè mora sequeretur, hortatus est. Hac visione simulq; cohortatione angeli excitatus Ioannes, quanquàm non sinè timore, paruit; ne diuinæ volũtati adeò manifestæ resistere videretur. Cumque hora ordinationis adesset, & res diuina maxima cum ceremonia fieret, repentè niuei candoris columba cæli-

Fugit in horridam Speluncam.

Ex solitudine venit Antiochiam, & consecratur Diaconus; inde presbyter.

In ordinatione presbyterij colũba

cælitus eius capiti insidet.

elitus delapsa capiti eius insidere visa est. Fit agnus ad nouum spectaculum populi cõcurs cunctiq; admiratione oppressi, eximiam annis sanctitatem prædicant.

Cũ itaq; gratia Spiritûssancti mirificè dotatus esset, statim à suscepto presbyterij honore, quotidiè, vrgẽte Flauiano, conciones ad popu- *Mulier in publica concione eum redarguit, quod alta animis proferret.*
lum habuit, quæ cùm sublimiores essent quàm vulgi captus eas assequeretur, muliercula quædam, ardenti pietatis studio commota nõ dubitauit in media populi frequentia eum redarguere, quòd genus orationis prorsus infructuosũ proferret. Tum ille eueſtigio iuuenilis animi, cuius est alta petere, instituto mutato, dictionem faciliorem imis auribus accommodauit. Qua ex parte illud est consecutus, vt cũ suauitate sermonũ eius capti, publicis frequentibusq; acclamationibus, os aureum eũ appellarent. Quod perindè ac inditum diuinitus nomen, veluti egregius titulus, in eius scriptis hactenus perseuerat. *Nomẽ Chrysostomi vndè.*

Post hæc Flauianus, vt eum post se Ecclesiæ Antiochenæ antistitem haberet, rerum ei curam tradere voluit. Sed vir sanctus, ne eiusmodi rebus plus nimium distractus à docendi studio & pauperum visitatione arceretur, omnibus modis honores illos subterfugit: seseq; incredibili ardore ad animarũ corporumq; salutem procurandam comparauit. Erat Antiochiæ Euclia quędam illustris matrona, cuius filius ardente febre confectus in vltimũ vitæ discrimen venerat, quæ cùm iam antè à medicorum arte magnis impendijs frustrà medicamẽ petijsset, (quatuor namq; filios eadem vi *Fugit honores, vt liberius animarum saluti vacet.*

morbi

morbi extinctos paulò ante lamentabatur) ad Ioannem, consilium & auxilium imploratura, confugit: orans obsecransque, vt quintum ab ipsa morte similiter penè absumptum liberare vellet. Cui Ioannes; Si, inquit, peccatorum fœditatem, qua polluta es, deserere, teque Omnipotenti Deo per veram contritionem cõciliare velis, filius ab hoc præsenti mortis periculo eripi poterit: sin autem, continuò eadem, quæ priores quatuor, calamitas & eum & te conficiet. Euclia, his auditis, cum lachrymis & crebro singultu vitæ emendationem promitteret, Ioannes verò aqua benedicta trina vice puerũ aspergens sanum & incolumem matri eum restituit.

En aquæ benedictæ virtutem.

Eadem tempestate Præses ciuitatis, prauis Marcionis dogmatibus infectus, Orthodoxos innumeris malis opprimebat: porrò eius coniunx diris intestinorum torminibus laborans, nunc à medicis, nunc verò ab hæreseos ministris sanitatem quærebat. Cumque ab omni spe salutis excluſa in medijs cruciatibus Ioannis recordaretur, curauit se in lecto decumbente ad templi fores deferri, firmiter secũ statuens, si optatam à Ioanne salutem consequeretur, protinùs relicta nefaria Marcionis religione, in Christi verba iurare. Cumque ad templi fores delata esset. Flauianus & Ioãnes foras prodeuntes, Ecclesiæ introitum & ei & baiulis negârunt; neque æquum neque honestum esse asserentes, vt eis templum pateret, quorum anima dogmatibus pietatis pertinaciter occlusa erat. Illi autem, misericordiam deprecantes, promiserunt fore, si afflictæ matronæ sanitatẽ con-

En vt olim hæretici ab ingressu Ecclesiæ arcebantur.

nferrent, vt Marcionis dogma ex animo otinus reijcerent, & ſanam Orthodoxorũ fi- em amplecterẽtur. His flexus Ioannes, aquam o Antiſtite benedictam adferri iuſſit, eaque ræſidis coniugem aſpergẽs, in nomine Chri- lleſu ſanam eam ſurgere & incolumem abi- iuſſit. Mira res: mulier, dicto citius, è lecto tiliens, domum abijt; & impia Marcioniſta- am ſuperſtitione relicta, vnà cùm marito to- uque familia, pura ac ſyncera fide Chriſto omen dedit. Ea res cùm hæreticorum ani- os magno dolore afficeret, tum præcipuè in ũum Ioannis accendit: adeò vt clam palâm ontumelijs eum appeterent, & magicis im- ũ artib. res admirandas gerere calũniaren- r. Sed ea calumniandi temeritas nequaquam mpunè ſtetit: nam paucis pòſt diebus cùm conſueta impietatis ſuæ cõuenticula in do- um vnam confluxiſſent, magnus terræmotus ubitò domũs fundamenta euertit; & incredi- ilem eorum multitudinem miſerando valdè mpetu deleuit: alijs interim, qui prauitate o- inionum imbuti non erant; magno miraculo d vnum omnibus conſeruatis.

Aqua benedicta ſanat infirmam Præſidis cõiugem.

Vltio diuina in ſchiſmaticos, viri ſancti calumniatores.

His ita geſtis, pij non modò in fide ſtabiliti, ed alij etiam innumerabiles, prauis ad illam ſque diem opinionibus infecti, ad lucem ve- atis adducti ſunt: prorſus vt certatim ſimu- crorum templa demolirentur, domoſque o- torias Deo excitarent conſecrarentque. Por- in monte Ammano, vbi homines quadã im- anitate beſtiarum efferati degebant, doctri- æ & virtutis ſuæ efficacia adeò dura eorum ectora emolliuit, vt ab impio ſimulacrorum

Multos ad Christi fidem conuertit.

cultu ad suauissimum Christi iugum trâsirent, seseque libenter monasticæ disciplinæ regulis subijcerent, vt puriorem Deo seruitutem exhiberent. In monte verò Casio dæmonum sacrificijs, pro dolor, celeberrimo, & idola subuertit & fana destruxit, & homines, infinitis erroribus miserrimè implicatos & dæmonum seruitute oppressos, tam excellenti virtute doctrinaque in Christi libertatem vindicauit, vt posteà ipsis dæmonibus, qui locum illum incoluerant, propter vitæ sanctitatem valdè terribiles essent. Potest etiam vniuersa illa, quæ circa Seleuciam habitatur regio, præclaris viri sanctissimi factis meritò gloriari: vtpotè quæ à dæmonum cultu & nefaria simulacrorum religione purgata, nunc diuinas ædes & viros omnibus virtutibus mirificè ornatos habet.

Petitur Episcopus à populo Cõstantinopolitano.

Post hæc Nectarius Præsul Constantinopolitanus vita functus est; & Ioannes summo totius ciuitatis consensu, & magna Imperatoris Archadij voluntate substitutus. At Antiocheni nullo modo tanti viri doctrina virtuteq; spoliari volebant: prorsus vt Ioannem Constantinopolim destinare prȩcisè constanterque negarent. At verò Imperator arcanis literis Comiti Antiocheno in mandatis dedit, vt Ioannẽ pia fraude è ciuitate educeret, equoq; impositum celeri cursu abduceret. Fecit hoc tanta dexteritate, vt Antiocheni, nihil minus suspicantes, paucis post diebus Ioannem pontificij honoris vinculis Constantinopoli constrictũ cernerent. Ea res quamquàm animos eorũ cruciaret plurimũ, tamen cùm fructus, quos vir sanctus in ea Ecclesia faciebat, vberrimos cõtem-

Pia fraude Constantinopoli Episcopus creatur.

plare-

arentur, facilè conceptum animi dolorem
nierunt, & sibi Ioanniq́ue gratulati sunt val-
i, quod ex eorum palæstra tantus tamq́ue exi-
ius athleta ad Eccleſiæ totius ſtabilimentum
odijſſet. Nam vt primùm pontificali infula
blimatus eſt, licet antè ſtrenuè admodum
ntra animarum noſtrarum hoſtes rem geſ-
ſſet, tum verò tanto ardore ſacrum illud bel-
um proſecut' eſt, vt quaſi cõtinuò ſacris, quas
i populum habebat, concionibus claſſicum
neret, vt ſæuientis inimici inſidias pruden-
r vigilanterq́ue præcauerent. Neque modò
onſtantinopolim cæleſtis eius tuba peruaſit,
d vniuerſas ferè orbis regiones quas præci-
a diaboli tyrannide oppeſſas ſciebat. Cùm
llexiſſet Phœniciam ſimulacris adhuc de-
tam, aſſumpta manu regia protinus eò con-
ndit, & fanis illis execrandis humi ſtratis,
glorioſa Chriſti trophæa erexit: virosq́ue pie-
te præſtantes immiſit, qui dæmonis impetus
pellerent, populumq́ue Chriſtianis ſacris i-
natum in omni religionis officio contine-
rent. Indè verò ad Celtas Arianiſmi laqueis
mplicatos liberandos perrexit; quos breui ab
errore ad primam fidei puritatem reduxit.
cythas item Chriſtianæ veritatis cognitione
lluſtrauit; & quoſdam etiam vicos Orientis
arcionis hęreſi infectos repurgauit; & ſic de-
um vniuerſam eccleſiã ſynceris fidei & pie-
is operibus efflorentem reddidit.

Multas gentes ad Chriſtum traducit: & hæreticos conuertit.

Porrò in pauperum inopia ſubleuanda mirè beneficus fuit. Quicquid enim ex Epiſcopatus ſui munere accipiebat, id totum noſocomijs & pauperib. diſtribuebat: cũ ipſe interim te-

Benignitas eius in pauperes.

nuissimo victu vitam non tam sustẽtaret quàm affligeret. Adeò namq; in sacrarum literarum meditatione absorptus erat, vt corporei alimenti penè oblitus, die nocteque spiritualibus delicijs & diuinarum rerum commentatione animum pasceret. Cùm diuinas Pauli Epistolas ad Ecclesiæ totius vtilitatem interpretari decreuisset, dubia & suspensa cogitatione repentè correptus hærere cœpit, an earum interpretatio Deo grata esset. Cumq; altissimo noctis silentio timidè rem aggrederetur, eccè ipse gentium Doctor post sedem ad caput Pontificis, ore auri eius admoto adstitit; scribentiq; commentaria earum sanè luculenta & planè diuina dictare visus est.

S. Paulus ei in Epistolas commentanti adstat.

Ijsdẽ temporibus cùm multi in Ecclesia ingenti auaritiæ morbo laborarent, & sanctissima quæq; vitæ officia pecuniæ cupiditate peruerterent, Ioannes sine intermissione pestem adeò nefariã tollere nitebatur; sed ea res cùm omnium ferè, tum inprimis ipsius Imperatricis odium sanè acerbissimum in eum concitauit. Erat Theodoricus quidam Patricius, vir opulentus & splendidus; cuius thesauros Imperatrix cùm honesta parum cupiditate expeteret, iamque spe minimè dubia eas deuoraret, is Ioannis consilijs & suasionibus inductus, mammonam iniquitatis pauperibus erogauit; & prudenter sacculos non veterascentes indè sibi confecit. Quæ vt resciuit Imperatrix, statim odium, quod animo iam antè parturiebat, in eum exprompsit; alijs odio eius iniquis calumnijs opem ferentibus. At verò quanta animi fortitudine & constantia vir sanctus iu-

Luc. 12.

Suscipit Viduarum & pauperum

stitiæ

titiæ & æquitatis patrociniũ susceperit, quantaque virtute viduas potentium iniquitate oppressas defenderit, non erit abs re latiùs referre.

patrocinium sanè constanter: vnde incurrit indignationẽ Eudoxiæ Imperatricis.

Alexandriæ Paulacius Dux exercitus magistratum gerebat; omniaque ferè Reipublicæ munia pecuniæ cupiditate metiebatur; & opes ingentes quouis tandem modo corradere studebat. Ad hunc cùm vidua quædam, nomine Callitrope, delata esset, quòd diuitijs abundaret, ille protinùs quingentos ab ea aureos (incertum quo commento) exegit. Vidua magno metu affecta, nè in grauiores miserias veniret, omnibus ferè bonis suis oppignoratis, quingentos aureos iniquo Iudici tradidit. Cùm autem post annos duos, munere suo defunctus, administrationis suæ rationem reddere cogeretur, vidua oblata temporis opportunitate vtens, euestigio ad Imperatorem accessit, deque illata iniuria, iniustaque exactione grauiter conquesta est. Commisit protinùs Imperator cuidam suo præfecto viduæ causam; sed ille muneribus peruersus non se vindicem, sed potiùs aduersariũ afflictæ mulieri præbuit. Tùm illa ad Eudoxiam Imperatricem confugiens, precibus ac lachrymis flagitauit, vt aliqua sui misericordia caperetur: & viduam bonis suis per summam iniustitiam exutam in integrum restitueret. Eudoxia hac occasione nouas corradendi diuitias auidissimè arrepta, Paulaciũ accersit, eumque asperis verbis increpitũ centum librarum auri damnat; e quibus sex tantùm & triginta numismata viduæ tradit, reliquas verò suis opibus accumulat. Qua iniusti-

tia multò grauiùs afflicta Callitrope, omni iã spe destituta, communi illo viduarum patrono, tanquam vltimo refugio, vti cõstituit. Nec mora; Luctu & lachrymis miserabiliter deformata ad Episcopum abijt; eique cum crebro singultu calamitatẽ suã exponit; orat obsecratque, vt afflictæ viduæ & cum extrema rerum omnium inopia certanti opem ferat. Ille nihil cunctatus, neque Eudoxiæ furorem quicquam veritus, Ducem quondã exercitus adijt, eumq; verbis grauissimis de illata viduæ iniuria corripuit, & aurum ab eo requisiuit. At ille centũ auri libris ab Eudoxia se mulctatum, ac planè ab ea causa absolutũ esse respõdit. Cui antistes: Pro delictis, inquit, publicis facta est illa exactio. Tu verò nõ aliter effugies, nisi mulieri 500. aureos numeraueris. Hæc dicens hominẽ secũ abduci, & in tẽplo custodiri iussit. Quæ res simul ac ad aures Eudoxiæ peruenit, illa animo vehementer cõmota, cùm verbis minacibus apud virum sanctũ nihil proficeret, duos extẽplò Centuriones misit, qui hominem vi è templo abriperẽt. Et illi quidem armis animisque præferoces abierunt; sed cùm templi foribus appropinquarent, & iam iamq; irrumpere vellent, vident (dictu mirabile) angelum Dei specie terribilem, stricta rhomphæa ab ingressu eos arcentem. Quo viso exanimati metu in fugam conuersi sunt; & Eudoxiæ admirandũ spectaculum recenti adhuc stupore oppressi narrarunt. Tum illa omnem animi ferociam posuit, & virum Dei effœminatis blanditijs à tanta iustitia & æquitate eneruare conata est. At vir sanctus, vt minis ita & blanditijs omnibus supe-

Nota rem admirabilem.

superior, eandemque semper & vbique animi constantiã fortitudinemque conseruabat: Paulaciumque, ficulneo Eudoxiæ auxilio subnixum, ablatam viduæ pecuniam integram restituere compulit.

His ita peractis, cũ indefessa sanctissimi pontificis vigilantia, Ecclesia diuinæ fidei splendoribus magis magisq; illustaretur, & pietatis illuminatione fidelium vita refulgeret, salutis humanę inimicus tam prosperis rerum successibus irritatus, rebelles quorundam animos aptissima malitiæ suæ instrumenta, excitauit, vt virum Dei è medio tolleret. Hanc in rem Theophilum, Seuerianum, Acacium & Anti-

Multi presbyteri, diaconi & nobiles fœminæ ei insidiãtur: quod eorum luxum & pompam coargueret.

ochum, & alios quosdam presbyteros & diaconos, ac præcipuè è prima nobilitate fœminas inuidiæ suæ armis instruxit, vt quouis tandem modo virum sanctum pontificia auctoritate exuerent. Et illi quidem, multis ac varijs eum insidijs aggressi, nihil non fecerunt, quò rem ad exitum perducerent: sed omnes eorum conatus, Deo famulum suum protegente, in nihilum reciderunt.

Inter hæc Theognostus, spectata fide ac pietate vir, Archadio Imperatori cumprimis charus, cum cuidã Ariano Gaio nomine, admodũ esset inuisus, ab eodem de calũnia in Imperatricem, apud Imperatorem accusatur; & iniusta bonorũ publicatione cum vxore & liberis exilio damnatur; qui in ipso itinere vita functus, coniugem extremo dolore & malis innumerabilibus circumuentam reliquit. Illa cùm nullum prorsus in calamitatibus refugium haberet, continuò in patriã, opem viri sancti im-

ploratura,redijt. Quam pro insita humanitate vir diuinus excipiens, cùm tota mente in eo esset,vt viduam in ablatam bonorũ possessionem restitueret,in aliam insuper calamitatem incidit.Cùm enim Imperatrix animi causa ex vrbe egressa in huius fortè viduæ vinea obambularet,accidit vt manu sua botrum vnum aut alterum exectũ comederet.Erat verò lege cautum,vt cùm tale quid accideret,nimirum cùm Imperatores rem alienam quantumuis exiguá contrectarent,dominium eius rei eisdem (domino tamen eius precio persoluto) accresceret.Eius igitur legis ope Imperatrix adiuta, vt viduam magis affligeret , simulque Ioannem, si fortè eam ignorantia legis contra legem defendere vellet,calumniaretur, vineam in numerum suorum suburbanorũ retulit.Hæc omnia Pontifex vt cognouit, primò suadens supplicansque Eudoxiam ab immodico viduæ odio liberare tentauit:multa interim alia atque alia philosophiæ suæ medicamenta adhibens, vt exulceratum Imperatricis animum tandem aliquando sanaret.Sed illa, quo erat animi furore in Ioannem, responsa impudentiæ plena dabat;Romanæ legis auxilium adducens ; quo iustè vineam illam suam esse defendebat. At Ioannnes legem illam ab Imperatoribus à fide ac pietate Christiana alienis latam esse dicebat;neq; decere,vt puritas Christianæ religionis iniquis impiorum legibus subuerteretur. Quare monebat illam , nè se Iezabelis impietate contaminaret , suisque sceleribus Deum ad vindictam prouocaret.Hæc aliaque cùm nihil apud eam valerent,vir sanctus, qua pollebat

Imperatrix Eudoxia ei insidiatur.

3. Reg. 21. Excommunicat Imperatricem.

dit auctoritate, publico edicto ab Ecclesiæ liminibus eam coercuit, neq; priùs ad communionem sanctorum admittẽdam decreuit, quã ærentem visceribus pestem digno medicamine profligasset. Aderat dies Sanctissimæ Crucis exaltationi sacer & magno hominum concursu celebris; cùm hominibus summæ infimęque conditionis ad templum confluentibus, sola Eudoxia iussu Pontificis repulsam patitur. Ea res cùm tanta dignitate heroinam publica ignominia notaret, tum adeò vehementi furore inflammauit, vt in Deum Pontificemq; conumelijs inuecta, gladio fores templi aperiri mandaret. Et quidem cùm è satellitibus vnus stricto ense vim inferre vellet, eccè manus eius protinùs virtute sua destituta exaruit. Quo sanè miraculo perculsa Imperatrix, celeri gradu domum se indè proripuit; sacrilegus verò pœnitudine ductus ad sanctum accessit, & profusis lachrymis sceleris sui veniam postulans, confestim manus sanitatem recepemit.

En vltionem diuinam in templi inuasorem.

Hæc quãquam alijs salutarem metum incuterent, nõ potuêre tamen animum Imperatricis, pecuniæ cupiditate victum & inuidiæ stimulis acriter concitatum, ad saniora perducere. Non multò post Epiphanius Cypri Episcopus Constantinopolim venit, quẽ Theophilus, vt erat callido & vafro ingenio, ad suas partes facilè allexit, persuasitque, vt sese à Ioãnis familiaritate alienum ostenderet. Accessit deinde Imperatrix, quæ quasi furijs quibusdam agitata omnes adhibuit machinas, vt Epiphanium in idem odium Ioannis secum pertraheret:

Breuis omnis malitia super malitiã mulieris. Eccles. 25.

constanter impudenterq; asserés, eú hæresi infectum esse, & Orthodoxæ fidei subuersionem impiè moliri. Cui Epiphanius; Si hæresi, inquit, cõtaminatus est, adsit & causam suã dicat; vt dignis pænitentiæ operibus conceptũ animo flagitiũ expiet. Sin autẽ tu, ô Imperatrix, odio parũ iusto concitata hæc dicis, profectò minimè tibi assentitur Epiphanius. Tunc illa ab animi sui furore victa in execrandã hanc vocem prorupit. Nisi tu, ô Epiphani, manum adiutricem porrexeris, vt Iohannes exilio mulctetur, ego clausa idolorum templa aperiam, omnibusq; ea adoranda proponam. Quo audito, Epiphanius impiam fœminæ vocem execratus abijt. Ioannes verò in medijs insidiantium periculis relictus, tãdem in grauissimam ipsius etiã Imperatoris inuidiã impiorũ calumnijs incidit. Quam ille cũ aliquamdiu pari animi fortitudine, vt cætera mala, sustineret, aduersarij nouis criminibus quotidie cõfictis assiduò laborabant, vt Imperator pontificia dignitate eum exueret & in ignotas terras procul amandaret. Dum hæc geruntur, impium conciliabulũ extrà vrbem in Ruffini prædio quodam nomine Quercus, conuenit, vt quantocius Ioannem è sede exturbarent. Itaque post nefaria consilia impiè agitata, fraudibus & mendacijs instructi aduersarij, Ioannem aduocant, vt accusationibus responderet. At vir Dei optimo cõsciẽtiæ testimonio fretus, venire renuit; scriptoque nunciauit, se non conciliabuli alicuius, sed Oecumenici tantum synodi sententiam ratam habiturum. Hæc vt accepit didicitque concilium, in eos, qui missi fuerant, irruentes, alios

En quid non faciat animus inuidia oppressus.

En verum impiorũ Conciliabulum.

alios grauiter cæcîderunt; alios in vincula & ferreos compedes coniecerunt; quos illi bacchantes sanctissimo antistiti parauerãt. Deindè absentem condénant, ac pontificia dignitate exutum exilio dignissimũ iudicant: suadentque Imperatori, vt sentẽtiam à sacerdotibus in Ioannem latam sinè mora executioni mandet. Itaque Imperator eis credens, missa manu militari, sanctum relegari iubet; populo eam rẽ ægrè ferente, & vi atque armis iniuriam à suo Pontifice propulsare enixè cupiente. Sed vir sanctissimus, publicæ salutis quàm suæ studiosior, exilium haud inuitus subijt, & vespere ingruentibus tenebris, relicta ciuitate, ad Euxini Propontidem appulit.

Mittitur in exilium vir sanctiss. ab impio conciliabulo.

His Theophil⁹ alijq; dęmonis satellites elati, aliqua impietatis suæ arma expedire aggressi sunt: sed Deus vindex iniquitatis impios eorũ conat⁹ egregiè repressit, & famulũ suũ improborũ calumnijs diutius inuolui passus non est. Nam dum vlterius in Iohannem pietatemque grassari constituunt, eccê horribili terræmotu cõcussa ciuitas, Imperatoris ipsius ędibus subuersionem minari videbatur; adeò vt populus, periculi magnitudine perculs⁹, magno clamore cũ Imperatore de illata viro sancto iniuria expostularet, & præcisè in pristinam dignitatem eum restitutũ vellet. Sed & Imperator ob facinus imprudenter admissum ingemiscens, seque suosque summæ iniustitiæ condemnans, misso confestim Brisone Eudoxiæ ministro, Ioannem reuocauit, & amplificatis honoribus quanquam inuitum & reluctantem in sedem collocauit.

Vltio diuina in vrbem Constantinopolim & Imperatorẽ qui Ioannem iniustè damnauerat.

Reuocatur Ioannes ab exilio.

Non

Non multum interceſſit temporis, cùm vir Dei ſuo pro viribus officio fungens, dũ omnes impietatis labes ab Eccleſia remouere nititur, in nouam eamque multò quàm antè grauioré Eudoxiæ inuidiam incidit. Itaq; Theophilum Alexandriæ degentem literis aduocat, vt rurſus opem ferat, quo Ioannem quouis modò è ſede dignitateq; deijciat. Theophilus cum recenti adhuc criminis nota infamis vrbem regiam ſubire vereretur, Ariano canone abſens aduerſus ſanctum pugnauit, ſcribens, ei qui ſemel de ſede depoſitus eſt, minimè licitum eſſe eandem abſque Synodo repetere. Sed has calũnias cùm nullo ferè negotio ſubmouiſſet antiſtes, dicens ſe auctoritate pontificia nequaquã depoſitum, ſed vi ab Imperatore expulſum, & denuò vel inuitum ab eodem reſtitutum eſſe, accuſatores alia atque alia machinantes, tandem poſt menſes decem inuictum ad illud vſque tempus Imperatoris animum eò impulerunt, vt recuſaret ſacra myſteria de manu Pontificis percipere, niſi prius obiecta, vt dicebat, crimina diluiſſet. Indè aſſiduis improborum calumnijs magis magiſq; inflammatus Archadius, diuina ei myſteria interdixit: prorſus vt vir ſanctus in medio diuinorum apparatu (erat enim dies, qui Chriſti à mortuis excitati memoria, ingenti lætitia celebratur) è ſummo templo ad ædes quaſdam ſacras, quæ Conſtantianæ dicebantur, cum populo ſe transferre cogeretur. Ibi verò cùm magnus catechumenorum numerus ad lauacrum regenerationis confluxiſſet, ſeſeque viri pariter ac fœminę ad ſacramentum illud percipiendum ritè adornaſſent,

Iterum ei inſidiatur Eudoxia.

assent,repentè multitudo militum, duce Lucio gentili,præferocibus animis irruit, & turbam illam iam iam Deo sacrandam in effusam fugam conuertit:& quod grauius est, sacrum laticem purpureo quorundam sanguine misset.Indè verò mentis quodam furore ebrij, sacrosancta corporis & sanguinis Christi mysteria nefariè conculcant, cæteraque religionis ornamena diripiunt, atrociterque in omnem sexum desæuiunt;adeò vt sacerdotibus in carcerem abductis , & alijs pietatis cultoribus hinc indê disperſis,perpetua mortis imago ob oculos versaretur . Sed his omnibus inuictus athleta Christi non cessit malis , quin potiùs commissum sibi gregem è lupis dispersum in campos syluasque congregauit,vbi diuini verbi pabulo pascere eum non destitit .Erant fideles ad tria millia cælesti lumine recens illustrati;qui cùm candido amictu in patenti campo(in templis enim non licebat) versarentur; & Imperator eum fortè fidelium exercitum conspicatus esset,ingenti admiratione captus, quid nouum hoc spectaculum sibi vellet rogauit.Cui aduersarij subdoli corruptores; Est, inquiunt,impia Valentinianorum multitudo, quæ insidias molitur. Quod simulatque dixissent,armis animisque expediti impetũ in eos fecerunt,& alios quidem ferro trucidârunt; alios impositis plagis in fugam compulerunt; alios verò,quorũ ingens erat numerus, in carceres & vincula cõiecerunt: prorsus vt carceres,ecclesiarũ instar,diuinas laudes & cãtica & hymnos resonarent; ecclesiæ verò carceribus deteriores pœnas & flagella & tormenta,

Vide hic quam graues Virsanctus sit passus persecutiones.

ta, miserandum sanè spectaculum, exhiberent.

Iterum exulare iubetur vir sanctissimus.

Duo inter hæc menses abiêre, cùm Imperator vi aduersariorum persuasus Ioannē in exilium abire iubet. Tū verò sacer antistes multò ardentius pietatis operibus incumbere, suorū animos diuinis sermonibus confirmare, Ecclesię fundamenta stabilire, omniaq; diligēter peragere, vt eo absente Christiana religio pietasque cōtra impiorū vim atque arma, inuicta perstaret. Posthæc Ecclesiæ benè precatus, clā ad maris littus paucis comitatus abijt, ne sui lachrimis luctuque omnia cōplerent, abeūtemque vi retinerent. Accidit verò tūc res sanè admiratione digna, & quæ minimè vulgarem de illata viro sancto iniuria vindictā testabatur.

Nota hic insigne miraculum, & simul obserua hæreticorum impietatem haud absimilem nostris temporibus.

Nam simulac Pontifex ciuitate excessit, terribilis repentè flamma ex medio throno, in quo vir diuinus scripturas populo interpretari solet, exsurgēs ad tēpli vsque fastigium peruasit, indeq; vento subsolano ad regiā delata, ipsam horrendè populata est; domuncula interim, in qua asseruabātur vasa sacra, & miraculi magnitudinē augebat, illæsa pmanēte. Hęc omnia cū apertè nimis sycophātarū impietatē argueret, ne ea propter in sēpiternā ignominiā vel mortis discrimē inciderent, statim diuulgato quorundā sermone cōmentiti sunt, flāmā illā à lohānitis (sic .n. antistitis discipulos & fautores appellabāt) excitatā esse. Hinc Præfect⁹ ciuitatis, qui rumoris illi⁹ pars magna erat, homo gētilis, Christi sacerdotes pastoresque varijs tormētis subiecit, ipsumq; Pōtificē vinculis astrictū, militib. quibusdā in Bithyniā deportandū tradidit: Indè verò in quoddam Armeniæ oppidu-

ridulũ, Cucuſos nomine; ab Iſauris obſidione nocte & interdiu cinctum; quod ſi quandoque caperetur, ſperabat nefarius, virũ ſanctum cũ reliquis interimendũ: ſed Deus, qui ſuorũ ſanctorũ in rebus aſperis præcipuã curã gerit, diuinitus a Philadelphiũ Anabiſi epiſcopum ac quendam Dioſcorum opibus admodũ pollentem (apud quem & poſteà diuertit ac iugiter manſit) admonuit, vt virum ſanctum hoſpitio exciperẽt, & à malorum tempeſtate, qua iactatus fuerat, recrearent. Præſtitêre verò ijdem idipſum haud impigrè ſumma liberalitate ac largitate. Erat aũt locus ille dæmonũ cultu infamis; & populi miſeranda ſimulacrorũ ſuperſtitione cõflictati, fruſtrà à falſis numinib. opẽ implorabãt. Cũ verò fama Ioãnis virtutibus & miraculis inclyta in omnium ore verſaretur, adduxerũt ei hominẽ quendã paralyticũ, vt eũ integro membrorũ officio reſtitueret. Nec abnuit vir ſanctus; ſed mox accepta conuerſione & fide miſeri, dicto citius eum curauit; eoque facto omnium animos ita repentè conuertit, vrabiurato ſimulacrorum cultu certatim nomina ſua Chriſto dare gauderent.

a al. Aldelphius.

Sanat Paralyticum, & idolorũ cultores conuertuntur.

Inter hæc Byzãtina ſedes ab Arſacio emotæ mentis homine, & loculo magis quàm throno digno, occupatur. Quem cùm menſibus admodũ quatuordecim ægrè ſedes illa ſuſtinuiſſet, mors nequaquã immatura abſtulit: cui ſuccedens Atticus clauũ eccleſiæ illius ità moderatus eſt, vt plurimi, qui fuga carceres & vincula euadere poterant, credulitatis eius pertæſi, Romam irent, vt Innocentio perturbatum Eccleſiæ ſtatum & miſerandam rerum faciem exponerent. Innocentius verò ea re grauiter, vt

Arſacius occupat eius ſedem.

Poſt eum Atticus homo impius & crudelis.

par erat, commotus Honorium admonuit, vt Imperatorem fratrem de tanta impietate corriperet; hortareturque eum, vt Ioannem in ablatam dignitatem restitueret. Præstitit hoc ipsum egregiè Honorius, fratremque acriter redarguit, & comparatas ab iniquis in Ioannem insidias machinationesque pulchrè exposuit, perpulitque, vt virum sanctum ab exilio rursus reuocare proponeret.

Honorius fratrem Archadiũ monet, vt Ioannem in dignitatem restituat.

Non latuerunt hæc Eudoxiam; quæ modis omnibus (erat enim in huiusmodi vafro admodũ ingenio) persuasit Imperatori, vt priùs eorum, qui Romæ erant, aduẽtum expectaret, quàm Ioannem temeritate quadam in ablatam sedem restitueret. Intereà clam vias portusque omnes, per quæ transitus illis necessariò futurus erat, obsidet, Romaque venientes detinet, atque in custodiam conijcit: ac postremò pessimè mulctatos literis spoliat.

En impias fraudes Eudoxiæ.

Toto iam anno in Cucuso oppidulo vir sanctus cũ admiranda virtutis opinione versatus fuerat, plurimosque ab erroribus ad veritatis cognitionem adduxerat, & incredibilẽ ærumnarum cumulum magno animo deuorauerat, cùm aduersarij nouis inuidiæ facibus inflammati aduolant: indeque abreptum Arabissum transmittunt. Neque tamẽ concitatus illorum furor vel tum quieuit; sed varijs insidijs, vt vita etiã exuerent, laborabant. Quam ob rem Pityuntem versus, definitum ei locum exilij, penitus desertum, ripæ Pontici maris imminentem, eum quidem abducunt, vt fractam longis miserijs ætatem citò abrumperet, & tandẽ aliquando morte sua odium inimicorũ expleret.

Cucusso Arabissum vir sanctus abripitur.

Indè Pityũtem versus, sed eò non peruenit.

Ast

Aſt verò prius quam vir ſanctus eò peruenieret, fuit ab Apoſtolis Petró & Ioãne in medio certaminũ decurſu mirificè confirmatus; qui nocte quadam precibus incumbenti apparuerunt, & iam iam ſempiternam pro exantlatis laboribus præparatam à Deo mercedem adeſſe prædixerunt. Cumque verbis ſuauiſſimis eum conſolati eſſent, poſtremò cibum quendam obtulerunt, vt eo collapſas vires roboraret, alio deinceps nullo opus fore aſſerentes. Quo ſumpto, reliquum iter inter innumeras militum iniurias ieiunus ita peregit, vt cunctis eum nullius conſolatione indigere perſpicerent. At verò militum ſæuitia nihil de inſita crudelitate remittebat: ſed per ſingula ferè momenta nouis virum ſanctum malis onerabat. Comanæ autem appropinquantes, in templo quodam manſerunt: in quo eccè noctu Baſiliſcus præclarus Chriſti martyr, Comanẽſis olim Epiſcopus ei apparens dixit; Bono animo eſto Ioannes: Cras enim cæleſti nobiſcum menſa perfrueris. Hac viſione monitus vir ſanctus ſequenti die, cum iam febribus laborare cœpiſſet, cõfeſtim veſtẽ ſplendidã tempori & dignitati congruentem induit; omnibuſque, quæ ſecum deferebat in alios diſtributis, diuina myſteria admiranda cum pietate ac religione in martyris baſilica peregit; ijſdemque myſterijs munitus, poſt debitas Deo preces cum magna gratiarũ actione ꝓſolutas recubuit; ac ſic demũ beatã animã in manꝰ Creatoris efflauit, decimo quarto Menſis Septem. Sacrũ corpus fuit multorum lachrymis curatum, & glorioſo Chriſti martyri Baſiliſco adiunctum.

Petrus & Ioannes Apoſtoli ei apparent.

Baſiliſcus martyr ei apparet, qui coronatus fuit anno Chriſti 304. ſub Galerio Maximiano Imp. iuxta C. Baronij. Tom. 2. Annal. Obitus eius admirabilis & feliciſſimus.

cap.128.

Porrò quod narratur prato ſpirituali de immenſa gloria beatiſſimi Præſulis huius, ex viſione quadam, vt fide carens & mendacijs reſperſum, reijciendum eſt. Vniuerſam ſcripturam diuinam eum ſcriptis illuſtraſſe, auctores ſunt Caſſiodorus, Sophronius & Suidas. Indignum verò planè eſt eius nomine circumferri 54. homil. illas, opus imperfectum in Mattheũ appellatas: hæreſibus ſcatẽtes. Tractatum quoque compoſuit, de eo quod nemo lædatur niſi à ſeipſo: quæ eius vltima videtur lucubratio. Refert de eo S. Nilus epiſtola ad Anaſtaſium: quod omni ferè tempore, quo diuinum incruentum offerebatur ſacrificium, videret domũ Domini refertam Angelorum cætu. Memoria autem eius ritu ſolenni in Eccleſia anniuerſaria die celebrari incepit Calend. Octob. Anno ſalutis 428. ſub Celeſtino Papa, Imp. Theodoſio & Valentiniano.

Præclara eius ſcripta.

Opus imperfectum in Mattheũ eius nomine indignum.

En mirabilẽ eius viſionẽ.

Cæterùm ſacræ eius reliquiæ fuêre trigeſimo primo ab obitu eius anno, qui fuit Chriſti 438. Theodoſij Iunioris Imp. 31. Comanis Conſtantinopolim ſolenniſſima pompa translatæ: atque à Proclo Antiſtite, in SS. Apoſtolorum Baſilica honorificentiſſimè reconditæ ſexto Calend. Februarij quo die celebris eius memoria, feſtiuo gaudio à quibuſdam Eccleſijs recolitur.

Translatio reliquiarum eius.

DE SOLENNITATE EXALTATIONIS S. CRUCIS; *quando Heraclius Impp. Coſrhoas perſarum rege deuicto, eam de Perſide Hieroſolymam reportauit.*

Vide Baron. in Not. hoc die & Tomo 8. Annal.

COS-

COSRHOAS Persarum rex, extremis Phocæ temporibus Aegypto & Aphrica bello deuictis, ac Hierosolyma, multis Christianorum admodũ millibus cæsis, occupata, Christi Domini crucem, quam Helena in monte Caluariæ collocauerat, in Persidem abstulit. Itaque Heraclius, qui Phocę successerat, multis belli incõmodis & calamitatibus affectus, pacem petebat; quam à Cosrhoa victorijs insolente ne iniquis quidem cõditionibus impetrare poterat. Quare in summo discrimine assiduis ieiunijs & orationibus exercens, opem à Deo vehementer implorabat: cuius motu, exercitu comparato, signa cum hoste cõtulit, ac tres duces Cosrhoę cum tribus exercitibus prospero Marte superauit. Quibus cladibus fractus Cosrhoas, in fuga, qua traijcere Tigrim parabat, Mardesam filium socium regni designat. Sed eam contumeliam cùm Syroes Cosrhoæ maior natu filius ferret atrociter, patri simul & fratri necem machinatur; quam paulò post vtrique ex fuga retracto attulit: atque ita regnum ab Heraclio impetrauit, quibusdam acceptis conditionibus; quarum ea prima fuit, vt Crucem Christi Domini restitueret.

14. Septẽ.

Cosrhoas rex Crucem Domini in Persidẽm transfert.

Heraclij pietas pro recuperanda Cruce Domini.

Cosrhoæ & filij mors.

Heraclius crucem recipit.

Ergò Crux decem & quatuor post annis quã in Persarum potestatem venerat, recepta est: quam rediens Hierosolymã, [a] Heraclius solẽni celebritate suis humeris in eum montẽ retulit, quo eam Saluator tulerat. Quod factum illustri, miraculo commendatum est. Nam Heraclius, vt erat auro & gẽmis ornatus, insistere coactus est, in porta quæ ad Caluariæ montem

[a] *Contigêre hæc anno eius Imperij 19 qui fuit Domini 628. Honorij Papæ 3.*

Nota insigne miraculum.

tē ducebat: quo enim magis progredi conabatur; eò magis retineri videbatur: cumque eare & ipse Heraclius & reliqui omnes stupore defixi hęrerent, Zacharias Hierosolymorum Antistes; Vide, inquit, ô Imperator ne isto triumphali ornatu in Cruce ferēda, parū Iesu Christi paupertatem & humilitatē imitere. Tū Heraclius, abiecto amplissimo vestitu, detractisque calceis, ac plebeio indutus amictu, reliquū viæ facilè confecit; & in eodem Caluariæ loco Crucem statuit, vndè fuerat à Persis asportata. Itaque decretum est, vt quotānis, Exaltationis Crucis memoria celebraretur, quòd ibidē fuerat reposita ab Heraclio, vbi Saluatori primū fuerat constituta. Agunt & Græci hac die Solēnitatem Exaltationis S. Crucis, non tamē quādo per Heraclium Imp. deuicto Cosrhoe restituta est; sed cùm Constantino Imperante, gloria exaltatæ Crucis, maiori fulgore in orbe effulsit. Exstat tractatus egregius Epiphanij Episcopi, de signo Crucis quod apparuit Constantino Magno Imperat. Græci itaque longè antè Heraclij tempora, hac ipsa die eiusmodi celebritatem agebant: Latini etiam antè Heraclij tempora hanc diem Exaltationi S. Crucis dicatam coluisse videntur; nam in Sacramentario S. Gregorij de eadem hac die agitur. Putatur itaque eādem solennitatem multò priùs celebrari solitā; tanta deindè parta victoria, auctam, redditamque ex eius rei memoria illustriorem.

Hæc C. Baron. in Not. ad Martyr. Roman.

VITA

VITA S. MATERNI COLONIENSIS, Treuirenſ. ac Tungrenſ. Apoſtoli; Ex quodam præclaro M S. Codice. Obſeruandum autẽ à ſtudioſo lectore, duos fuiſſe eiuſdem nominis, Colonienſis ciuitatis Epiſcopos. Maiorem hunc Petri Apoſtoli videlicet diſcipulum; qui obijt anno Domini 130. & Minorem; qui claruit temporibus Conſtantini Imperatoris.

Vide Baron. Notat. in Martyr. Rom. hac die & Anna. tom. 3 anno Chriſti 313.

CVM Petrus Apoſtolorum Princeps ſolidiſſima fidei Chriſtianę fundamẽta Romæ iaceret, cerneretque omnẽ occidẽtalem plagam, ſuo ſpecialiter Apoſtolatui deſtinatam, à ſe vno peragrari non poſſe, diligẽtes vineæ cultores in omnes & Italię & Gallię fines deſtinauit, qui terram illã vomere diuinæ prædicationis ſubigerent, ſubactamq; ſatis Euangelij fructiferam redderẽt. Inter quos ad Metropolim Treuirorũ trinos deſtinauit vnitæ Trinitatis adſtipulatores Euchariũ videlicet, Valerium atque Maternum. Et Eucharium quidem pontificatus; Valerium verò diaconatûs: Maternum autem ſubdiaconatûs dotauit honore. Qui vrbe Roma egreſſi, cùm omnibus circà ciuitatibus tranſeundo verbum ſalutis prędicarent, tandem in Elegia caſtello Maternus valida correptus febre humanis rebus exceſſit. Reliqui dolore inſperato perculſi, beati corpore ſepulturæ tradito, pleni doloris & triſtitiæ ad Apoſtolum regreſſi ſunt: tanti caſum infortunij nunciantes.

14. Septẽ.

Treuiros mittuntur ab Apoſtolorũ Principe Eucharius, Valerius & Maternus.

Maternus obit.

At verò Apoſtolus benignè eos conſolans, iubet cõfidenter ad opus Euangelij redire: traditoque eis pontificali baculo ſuo ſignorũ pa-

tratore efficaciſſimo, monet vt eum defuncto imponant corpori; conteſtantes vt cõcitè ſurgat, iterque ceptum peragens opus Euangeliſtæ faciat. Hac illi conſolatione erecti confirmatique quadrageſimo demùm defunctionis die ad corpus redeunt. Quo terra egeſto, cuius vmbra omne genus morborum depulerat, eius baculus defunctum ad vitam quoq; reuocauit Maternum. Cuius mortis occaſio multorum fuit ad vitam reſurrectio. Incolæ enim loci illius, viſo tam ſtupendo miraculo, comminutis protinùs ſimulacris, Chriſto ſua dedêre nomina: eodemque in loco Chriſtiani Eccleſiam paulò pòſt conſtruxerunt; quam reſurrectionis nomini ac gloriæ conſecratam poſteris tanti miraculi teſtem eſſe voluerunt. Illi verò poſtquàm gentem illã Chriſtianæ diſciplinæ præceptionibus ritè imbuiſſent, per Gallias miraculis vbiq; clari iter habentes, ad antiquiſſimã Treuirorum metropolim peruenerunt; quam ingreſſi & doctrina & miraculorum gloria ità illuſtrârunt, vt omnes in circuitu gentes bréui repulſis errorum tenebris Euangelicam lucé receperint: & ſeſe ſuaq; omnia Chriſti miniſtris libenter ſubmiſerint. Cùm igitur beatus Eucharius annis viginti & tribus, & Valerius decem & quinque viciſſim in vrbe Treuirenſi pontificatum tenuiſſent, tandem & vitæ & pontificatûs munere ſanctiſſimè perfuncti, curam omnem & adminiſtrationem Materno tranſmiſerunt.

Reuocatur ad vitam.

Eccleſia cõſtruitur ad ſempiternam tanti miraculi memoriam.

Eucharij & Valerij obitus.

Maternus in Epiſcopatu eis ſuccedit.

Qui tertius in ea ſede pontifex conſtitutus, virtute ac doctrina ipſis haudquaquàm inferior, vt Chriſti imperium latiùs propagaret, & finiti-

finitimas quoque gentes à miseranda dæmonis seruitute eriperet, alias duas sibi contiguas adijt ciuitates: Agrippinam cognomento Coloniam, & Tungrensem ciuitatem. Hæc Tũgrorum metropolis Francorum, quę iuxtà prę- *Prædicat Colonienſibus & Tungrenſibus.*
sagium B. Seruatij coram Hunis corruit, florẽtissima erat vrbium, & diris adhuc idolorũ superstitionibus dedita. Cõtra hanc pugnaturus Maternus Crucis vexillo armatus, omnium se odijs & gladijs constanter exposuit, quô gentẽ illam in Christi libertatem assereret. Tandem post multas, quas ab idolorũ pontificibus perpessus est, persecutiones, põdere veritatis prodigiorumque ac cælestium splendore signorũ omnes ad Christum conuertit: destructisque idolorum templis, ecclesiã Virginis Mariæ extruxit. Sed & alias plurimas insigni opere con- *Conſtruit templa, idolis deiectis.*
didit basilicas: inter quas Marię Hoyensis facilè primas tenet. His ita constitutis, beatus Maternus ab vniuerso Tungrensium populo primus eligitur antistes; & Pontificali in sede honorificè collocatur. Igitur Tungrensibus & Agrippinensibus ad fidem cõuersis, cùm his tri- *Maternus primus Tungrenſium Epiſcopus.*
bus ciuitatibus, Treuirensi, Tungrensi & Colonienſi, pontifex præesset, fertur vno eodemque Natiuitatis Domini die, Angelo ductore diuinum celebrasse officium.

Quadam autem nocte dum ex pia consuetudine sanctorum loca psallens inuiseret, & ingressus ecclesiam, vigiliarum prolixitate lassatus in somnũ laberetur, vidit Eucharium & Valerium socios sibi assistere, & mirabili gẽmarum splendore coruscantes, splendidissimis *Eucharius & Valerius ei apparent.*
in capite coronis ornatos, tertiã manu tenere

dicentes: Materne, En cerne incorruptilẽ præmij tui coronam, quã die tertio in Christi gaudio percipies fœliciter. His dictis, disparuêre: ille verò à somno excitatus, ilicò corporis sensit adesse molestiam; ita vt, debilitatis planè viribus ministri sui ope ad cellulã deduci deberet. Sequenti verò die cõuocata fratrum caterua, pręclarum ad eos sermonem instituit, & in multam vsque noctem protraxit: reliquum verò, quod supererat noctis, psallendo cum eis peregit. Indè corporis Dominici viatico munitus, eleuatis in cælum manibus, spiritum exhalauit. Obijt autem haud procul ab Vrbe Agrippina, octauo decimo Kal. Octob. anno Domini cẽtesimo trigesimo. Cui⁹ obitu Treuirẽses cõperto, mox profecti pastorem suum repetebãt. Aderant & Tungrenses, qui sibi Colonienſibus eum retentare volebãt. Cumq; pertinaci altercatione diu ab vtrisq; certaretur, quidá grauitate & canitie venerabilis cũctos monuit, vt à lite desistentes sano parerent consilio; & corpus Pontificis naui imponerent: eamque à littore fluctibus impellentes demùm quo Deus vellet abire sinerent. Mira res. Nauis sacro onusta pignore, velo ac remige destituta, aquarum fluctuumque impetu dirigitur; ac paruæ horæ spatio miliario ab vrbe confecto littori applicatur: qui deindè locus ex tristitia Colonienſium Rouvverkercken vocitatus est. Tunc Treuirenses corpus sui põtificis à Deo sibi destinatum cum gratiarum actione Treuerim reuexerunt: & in Ecclesia non longè à reliquijs Sanctorum Eucharij & Valerij honorificè condiderunt.

Fœliciter obit.

S. Corpus eius Treuiros translatum.

VITA

VITA ET MARTYRIVM S. CORNELIJ Papæ: Ex C. Baron. Annal. Tom. 2.

Coronatus est anno Christi saluatoris 255. Galli & Volusiani Impp. 2. cum sedisset biennium.

14. Septē. CORNELIVS ciuis Romanus ex patre Castino, qualis quātusque fuerit, & quo modo in Pontificem Romanū electus, Cyprianus ad Ad Antonianū scribens, narrat his verbis: Venio iam nunc, frater charissime, ad personam Cornelij collegæ nostri: vt Cornelium nobiscum veriùs noueris, non de malignorum & detrahentium mendacio, sed de Domini Dei iudicio, qui Episcopum fecit, & cōepiscoporum testimonio, quorum numerus vniuersus per totum mundum concordi vnanimitate consensit. Nam, quòd Cornelium charissimum nostrum Deo, & Christo & Ecclesiæ eius, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat, non iste ad Episcopatum subitò peruenit; sed per omnia Ecclesiastica officia promotus & in diuinis administrātionibus Dominum sæpè promeritus, ad sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deindè Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit; nec vt cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit; sed quietus & modestus & quales esse consueuerunt, qui ad hunc locum diuinitùs eliguntur, pro pudore virginalis cōscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non vt quidam vim fecit, vt Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus exciperet. Et factus est

Cyprian. epist. 52.

Cornelij electio qualis.

Electionem Cornelij anno Imperij Decij 2. mẽse Aprili, factam esse docet Baron. Annal. Tomo 2. anno Christi 254.

Episcopus à plurimis collegis nostris, qui tunc in vrbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres de eius ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio; de Clericorum penè omnium testimonio; de plebis, quę tunc adfuit, suffragio; & de sacerdotum antiquorũ & bonorum virorum collegio; cùm nemo antè se factus esset; cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri & gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret; quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrûm consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est; nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem.

Quanta laude Ecclesiæ præfuerit.

Tum deindè post Episcopatum non exambitum, nec extortum, sed de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso susceptο Episcopatu suo virtus? Quantũ robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos simplici corde & perspicere penitùs, & laudare debemus: sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tẽpore, cùm Tyrannus infestus sacerdotibus Dei, fanda, atq; infanda comminaretur; cum multò patientiùs & tolerabilius audiret leuari aduersus se æmulum Principem, quàm cõstitui Romæ æmulum sacerdotẽ. Nonnè hic, frater charissime, summo virtutis & fidei testimonio prædicandus est? Nonnè inter glorioſos cõfessores & martyres deputandus, qui tantum temporis sedit expectans corporis sui carnifices, & Tyranni ferocientis vltores; qui Cornelium aduersus edicta feralia resisten-

dentem & minas,& cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio inuaderent; vel crucifigerent;vel igne torrerent:vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera eius & membra laniarent? Etiamsi Maiestas Domini protegentis & bonitas,sacerdotem, quem fieri voluit, factum quoque protexit , tamen Cornelius , quantum ad eius deuotionem pertinet & timorem , passus est quidquid pati potuit , & Tyrannum armis , & bello postmodum victum , prior sacerdotio suo vicit.

Nouati impietas & machinationes aduersus Corneliũ. Epistol. 49.

Ea tempestate Nouatus Episcopus Africanus Romam venerat,vt(quemadmodum in Africa fecerat) Romæ similiter discordias conflaret. Erat is homo(vt scribit Cyprianus) rerum nouarum semper cupidus ; auaritiæ inexplebili rapacitate furibundus; arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus ; semper istic Episcopis malè cognitus: quasi hæreticus semper & perfidus;omnium sacerdotum voce dãnatus;curiosus semper vt prodat; ad hoc adulator vt fallat: nũquam fidelis vt diligat;fax & ignis ad conflanda seditionis incendia : turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia ; hostis quietis;tranquillitatis aduersarius ; pacis inimicus. Spoliati ab illo pupilli;fraudatæ viduæ;pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ. Pater etiam eius in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodùm nec sepultus. Vterus vxoris calce percussus,& abortione properãte in parricidium partus expressus.

Hanc conscientiam criminum cum iampridem timeret,seque de presbyterio nõ excitari tantùm,

tantùm, sed & communicatione prohiberi prò certo teneret, per se iudicium sacerdotum voluntaria discessione præcessit; quasi euasisse sit pœnam, præueniisse sententiam. Igitur euadendæ & lucrandæ damnationis voto ab Ecclesia discedens, Romæ Nouatianum presbyterum Romanum, ob Cornelij electionem inuidiæ stimulis agitatum & animo auersatum, inueniens, vnà cum illo aduersus Cornelium agere, atque alios quoque quoscunque posset ab eius communicatione retrahere, multa de illo falsa iactare; cum confessoribus quoque in carcere adhuc detentis in illum obloqui; ac falso quodam pietatis intuitu probos etiam illi infensos reddere conatus est. Machinabantur hæc primùm secretò Nouatianus atq; Nouatus; ambo Nouantes, & ad res optimas quasque statutas innouandas ac inuertendas egregiè comparati.

Item Nouatiani.

Epistol. 52.

Quænam autem calumniæ à Nouatiano atque Nouato aduersus Cornelium fuerint excogitatæ, ac iam propalatæ, atque ore propè ipsorum omnium diffamatæ, Cyprianus eas omnes falsitatis redarguens, scribit ad Antonianum his verbis. Quod autem quædam de illo inhonesta & maligna iactantur, nolo mireris; cùm scias hoc esse opus semper diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis glorioſum nomen infamet; vt qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Exploraſſe autem collegas nostros scias & veriſſimè comperiſſe, nulla illum libelli (vt quidam iactant) labe maculatum esse; sed neque cum Episcopis, qui sacrificauerunt, com-

En detractionis auctorem.

Purgatur Cornelius ab aduersariorum calumnijs.

communicationem sacrilegam miscuisse: sed
os demùm, quorum causa audita & innocen-
a comprobata sit cõiunxisse nobiscum. Nam
de Trophimo, de quo tibi scribi desiderasti,
ón ita res est, vt ad te pertulit rumor, & men-
acium malignorum. Nam, sicut antecessores
ostri sæpè fecerunt, colligendis fratribus no-
tris, charissimus frater noster Cornelius ne-
cessitati succubuit; & quonam cum Trophimo
pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc
d Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pę-
itentia deprecationis errorem pristinum cõ-
ente, & fraternitatem, quam nuper abstraxe-
t, cum plena humilitate & satisfactione re-
ocante, auditæ sunt eius preces; & in Ecclesiã
Domini non tam Trophimus, quàm maximus
arum numerus, qui cum Trophimo fuerat,
dmissus est: qui omnes regressuri ad Ecclesiã
on essent, nisi cum Trophimo comitante ve-
issent. Tractatu ergò illic cum collegis plu-
mis habito, susceptus est Trophimus; pro
o satisfaciebat fratrum reditus, & restitu-
umultorum salus. Sic tamen admissus est Tro-
himus, vt laicus communicet; non secun-
ùm quod malignorum ad te literæ pertule-
unt, quasi locum sacerdotis vsurpet. Sed &
quòd passim communicare Sacrificatis Cor-
elius tibi nunciatus est, hoc etiam de Apostа-
arum factis rumoribus nascitur. Hæc Cypria-
us de calumnijs in Corneliũ iam Papam con-
ictis.

Cæterùm Cornelius in curam & salutẽ gre-
is sibi commissi sedulò intentus, confessores,
ui hæreticorũ perfidia & loquacitate captio-
sa cir-

sa circumuenti ab Ecclesia desciuerant, iusto dolore prostratos in Ecclesiam recepit. Eranthi nobiles illi tot Cypriani olim præconijs commendati, qui seducti aliquamdiu Nouatiano fauentes, partam tot laboribus gloriam denigrârant.

Intereà hæreticis & scismaticis sedem Apostolicam acriter impugnantibus, & varijs insidijs vndique appetentibus, & Cornelio maiori virtute ac constantia defendente, vehemens sanè persecutio Romæ in Christianos exarsit, quam ipse Cornelium perbreui Epistola ad Lupicinum Viennēsem Episcopum exponit: Scias frater chariſſime, aream Dominicam vēto persecutionis acerrimè commoueri; & edictis Imperatorum Christianos vbique tormētis varijs affici: nam in Vrbe Romana a Imperator adhoc constitutus est. Vndè publice neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis licet. Exhortetur itaque Charitas vestra omnes credentes in Christum, ne timeant eos qui occidunt corpus, sed potiùs eum qui habet corpus & animam potestatem perdendi. Iam plures martyrio coronati sunt. Ora vt perficiamus cursum nostrum nobis à Domino reuelatum. Vale frater in Domino, & saluta omnes qui nos amant in Christo. Hæc Cornelius ipso persecutionis exordio, antequàm teneretur: coronatis intereà nonnullis (vt ait) martyrio, & inter alios Moyse Romano presbytero, sub Decio olim iam propè biennium detento in vinculis.

Intereà Gallus, cùm regnum eius prospero fortunæ flatu ferretur, & res omnes ad voluntatem

Extat tomo primo Bibliot. Sanct.

a *Significat Volusianum Galli filium à Patre Augusti nomine insignitum, nisi intelligi placeat Hostilianū Perpennam, qui regnantibus Gallo & Volusiano Imperator à senatu creatus non multò post pestilentia absumptus est. Consule annal. C. Baron. Tom. 2. Cornelij Papæ, anno 2.*

tem fluerẽt, sanctos ac pios viros, qui pro pa-
ce eius Imperij, proque vitæ incolumitate eni-
tè Deum precabãtur, crudeliter exegit; neque
ipsi Cornelio Romano Pontifici hac in re pe-
percit. Nam post gloriosam tum suam, tum to-
tius Cleri sibi Catholica communicatione cõ-
uncti confessionem exul mittitur ad Centum-
cellas; vbi eum Cyprianus de prostrata perfi-
dia triumphantem literis prosecutus est.

Mittitur in exilium Cornelius Papa. Cyprian. Epist. 57.

Cùm verò hoc modò vnà cum presbyteris & diaconis Romanæ Ecclesiæ Centumcellas missus exultaret,* Volusianus Augustus audiens frequẽtem ad eum concursum, quodque multi & inter alios Cyprianus ad eum scriberent, iussit eum ad se Romam perduci. Fuit ilicò Imperatoris mandato obtemperatum; exhibitusque est ei noctu, & in Tellude, Præfectoque Vrbis præsente, auditus, & ab eo interrogatus est: Sic definisti, vt nec deos consideres, nec p̃cepta Principũ, nec maiorũ, nec nostras minas timeas, vt contra Rempublicam literas accipias, & dirigas? Cornelius Episcopus respõdit: Ego de *a* corona Domini literas accepi: non cõtra Rempublicam. Iratus vehementer Imperator, iussit eum à suo amoueri conspectu: & sacrum eius os plumbatis cædi. Et siquidem Marti sacrificium offerre recusaret, sinè mora capite plecteretur. Itaque sanctissimo viro fortiter impietati repugnante, lata est sententia, vt ad vltimi supplicij locum duceretur.

** Sic C. Bar. qui reliquos omnes manifesti erroris, de Decio, redarguit.*

a Per Coronã intelligit, populi multitudinem, vel coronam martyrij.

Tunc Cerealis, cuius custodiæ Pontifex commissus erat, virum sanctum supplex rogare, vt in domum suam, vxorem * quindecim annis

**al. quinque*

annis lecto affixam, omniumque membrorum officio miserè destitutam visitare dignaretur. Erat illi nomen Salluſtia. Ingressus Cornelius domum Cerealis cum duobus presbyteris & vno clerico lectore, fudit hanc ad Deum orationem. Domine Deus, creator omnium visibilium & inuisibilium, qui dignatus es ad nos peccatores venire, vt nos saluos faceres; tu erige allisam hanc famulam tuam, & dona ei misericordiam tuam, sicut cæco nato donasti lumen ad cognoscendam gloriam tuam. Et tenens manum Salluſtiæ, erexit eam, dicens: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & sta suprà pedes tuos. Quæ protinùs surrexit, clamás, & dicens: Verè Christus est Deus, & Dei filius. Et dixit tunc Cornelio: Per Christum te adiuro, baptiza me. Et currens attulit vas aqua plenum. Viso tanto miraculo, milites quoque, qui erant, cum Cereali, omnes se ad Cornelij pedes abiecerunt magno cum timore, eandem baptismatis gratiam postulantes. Cornelius autem videns Dei manum in his omnibus, cunctos aqua salutari lustrauit: Oblatoque pro eis sacrificio laudis, sacrosancti corporis & sanguinis Domini participes fecit.

Oratio Cornelij pro salute Salluſtiæ, vxoris Cerealis. Ioan. 9.

Cerealis cũ tota domo & militib. credit.

His ad aures Imperatoris ilicò perlatis, is furore & amentia plenus, omnes foras muros portæ Appiæ ad templum Martis, vt sacrificarent, duci præcepit. At illi in percepta Christi gratia constantes, in idolum exspuerunt. Quo facto, protinùs ad supplicium protracti, & capite cæsi sunt; numero omnes viginti & vnus, vnà cum beatissimo Pontifice, & Cereali cum coniuge Salluſtia, octauo decimo Kalend. Octob.

S. Cornelius Papa cum Cereali eiusque coniuge & militibus capite plectitur.

ctob. Eadem nocte beata Lucina cum Clericis suaque familia rapuit martyrum corpora, sepeliuitque in agro suo in Crypta iuxtà cœmiterium * Calixti. Adnumerat S. Hieronymus eundem Cornelium inter Ecclesiasticos scriptores. Rexit verò Ecclesiam annis duobus sub Gallo & Volusiano. Cui ob Christũ martyrio coronato successit Lucius. Porrò S. Leo Papa exstruxit Basilicam S. Cornelij Papæ nomine, iuxta cæmeterium Callisti, via Appia; vt patet ex lib. de Rom. Pontif. in Leone Primo.

* al. Callisti.

VITA ET MARTYRIVM BEATI CYpriani, Episcopi Carthaginensis: Ex Tom. 2. Annal. Ecclesiast. C. Baron. Passus est multis trophæis inclytus, anno Incarnati verbi 261. Dionysij Papæ 1. Valerian. & Gallie. Impp. 7.

CYPRIANVS, qui & Thascius, Carthagine ciuitate Africæ primaria oriundus, parentes habuit (quanquam eorum nusquàm mentionem faciat) diuitijs claros; potẽtia conspicuos; genere cognitos; & senatorij ordinis nobilitate illustres. A teneris literarũ studijs adhibitus, pectus suum bonis artibus ac studijs egregiè locupletauit: adeò vt rhetoricis disciplinis egregiè excultus, cùm adhuc Gentilitia superstitione teneretur, magna apud eos existimatione viueret, & florentissimè Oratoriam Carthagine doceret. Verùm cùm iam Christianam amplexus esset religionẽ, ab illis derisus ac vilipẽsus, & loco Cypriani, Coprianus vocitatus est: quasi quod elegans ingenium, & melioribus rebus aptum, ad aniles se

14. Septẽ. *Cypriani Patria & genus clarũ.*

Cyprianus à Gentilibus appellatus Coprianus. i. stercorarius.

fabulas contuliſſet. Cùm autem genere eſſet admodum illuſtris,& potẽtia clarus,ſummiſque eloquentiæ laudibus ornatus, primariam ſuæ ciuitatis adhuc Gentilis Senator obtinere meruit dignitatem.

Cyprianus Senator Carthagin.

Verum enimuero in eo rerum ſtatu conſtitutus,quas cum animo ſuo volueret cogitationes,ipſe adDonatum(quem in baptiſmate collegam habuit)ſcribens, hæc ait memoratu ſanè digniſſima.*Ergò cum in tenebris atque nocte cæca iacerem,cumq; in ſalo iactantis ſæculi nutabundus, ac dubius veſtigijs oberrantibus fluctuarẽ, vitæ meæ neſcius,veritatis ac lucis alienus, difficilè prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutẽ mihi diuina indulgentia pollicebatur;vt quis renaſci denuò poſſet, vtq; in nouã vitã lauacro aquæ ſalutaris animatus, quod prius fuerat exponeret:corporis licet manente compage,hominem mente ac animo mutaret. Qui poſsibilis,* *aiebam,eſt tanta conuerſio:vt repentè ac penitùs exuatur,quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit,vel vſurpatũ diu ſenio vetuſtatu inoleuit? alta hæc,& profunda penitùs radice ſederunt.*Erat iam ſeneſcens,vt apparet ex his,quãdo Chriſto nomen daturus erat. At quid poſtea?eandẽ difficultatem mente volutans, hæc addit.

Epiſt. 2.

Notà Lector quid ſenſerit ante conuerſionem.

Quandò Parſimoniam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus aſſueuit? & qui preciosa veſte conſpicuus in auro atque purpura fulſit, ad plebeium ſe ac ſimplicem cultum quandò deponit? Faſcibus ille oblectatus & honoribus, priuatus & inglo-

Quàm difficile aſſueta relinquere.

inglorius esse non potest. Hic stipatus clientium cuneis, frequentiori comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse cùm solus est: tenacibus semper illecebris assuetum, necesse est, vt vinolentia inuitet; inflet superbia; iracundia inflammet; rapacitas inquietet; crudelitas stimulet; ambitio delectet; libido præcipitet. Hæc egomet sæpè mecum; nam vt ipse quamplurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitijs inhærentibus obsecundans eram: & desperatione meliorum, malis meis veluti iam propriis ac vernaculis adfauebam. Hæc ipse nondum sacro baptismate illustratus.

Cyprianus Cæcilium Catechistam habuit.

Sed postquam Cæcilij presbyteri (alij Cæcilianum appellant, vndè & Cyprianus Cæcilij prænomen sortitus est) rhetoris Afri nobilissimi ope ad fidē Christianam perductus est, & sacri baptismi vnda resparsus, in spem contra spem ad Ecclesiam tandem se cōtulit, quid senserit, idem ipse his planè verbis testatur: *Sed postquàm vndæ genitalis auxilio superioris vitæ labe detersa, in expiatum pectus ac purum, desuper se lumen infudit; postquàm cælitùs spiritu hausto, in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit: mirum in modum protinùs confirmare se dubia: patere clausa: lucere tenebrosa: facultatem dare, quod prius difficile videbatur: posse, quod impossibile putabatur: vt esset agnoscere terrenum fuisse, quod priùs carnaliter natū, delictis obnoxium viueret: Dei esse cœpisse, quod*

Nota quid post conuersionem.

iam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse profecto, & mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ipsa criminum, vita virtutum. Hæc & alia plura de se Cyprianus sacro imbutus baptismate.

Hieron. in Ion. cap 3.

Magnæ sanè fuisse admirationis eius ad Christum conuersionem, S. Hieronymus illis verbis significare videtur, quibus ait: *Proponamus nobis beatum Cyprianum, qui cùm prius idololatriæ assertor fuisset, in tantam gloriam venit, vt oratoriam doceret Carthagine, audisse sermonem Ionæ, & ad pœnitentiam conuersum in tantam venisse virtutem, vt Christum publicè prædicaret, & pro illo ceruicem gladio flecteret.*

Cyprianus omnibus renunciat.

Quanto verò cùm primùm fidei Christianæ sacramenta libauit, se ipso fortior, & ad victoriam sui robustior factus sit, Pontius quoque diaconus, qui eius gesta est prosequutus, docet; dum ait, ipsum non longo solùm tempore acquisitas diuitias in pauperes erogasse, sed sæculo nuncium remisisse, charissima coniuge & dulcissimis liberis Christi amore libentissimo animo, commendatis illis Cæcilio presbytero, relictis, eminentioris vitæ iter confestim arripuisse.

Cyprianus adhuc Gentilis vxorem & filios habuit.

Cæterùm adhuc Neophytus per omnia ecclesiastica munia ad presbyterium promotus, defuncto Donato Carthaginēsi Episcopo, summo tum Cleri, tum populi totius cōsensu, vno tantum aduersante Fœliciſſimo presbytero, eiusdem Sedis Episcopus eligitur. Nec mirum videri debet, vno pene eodemq; tempore, quo Cæcilio eguit Catechista, ad episcopalis Sedis fasti-

Fit episcopus anno Christi 250.

stigium prouectum esse. Nam dubio procul adhuc Gentilis Christianæ religionis libros triuit assiduè,& Tertulliani lector studiosissimus,tantam Christianæ Theologię doctrinam & Ecclesiasticæ disciplinæ vsum acquisiuerat, vt diuinarum scripturarum scientia imbuta memoria & intellectus exsatiatus, sui exuberantia mox in torrentes ad alios irrigandos foras eruperint.

Cyprianus factus Christianus eloquentiam missam facit.

Verùm ea dignitate ornatus, non tantum ea quæ mala sibi visa sunt, & Catholicæ Ecclesiæ aduersantia,procul abiecit:sed & excultam illam suam totoque Orbe spectatam dicendi facundiam,tot sudoribus partam,ac iugi exercitatione prouectam eloquentiam , Christianæ simplicitati posthabuit, ac vt minus vtilem & necessariam missam fecit:testatur hoc ipse ad Donatum rescribens his verbis. *In iudicijs, in concione, proroſtris, opulenta facundia volubili ambitione iactetur. Cùm de Domino Deo vox est, vocis pura ſynceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus. Denique accipe non deſerta, ſed fortia:nec ad audientiæ popularis illecebram culto ſermone fucata, ſed ad diuinam indulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia.*

Cyprian. Epist. 2.

En insignem eius discretionem in docendo.

Ac licet ipse eiusmodi in dicendo atq; scribendo inierit rationem, vt non excrescentem modò facūdiam circumcideret, ac resecaret, sed solotenùs demeteret:tamen tam Latini quā Græci eiusdem facultatis omnium disertissimi, eam sunt vehementer admirati.Nam Latinorū Rhetorum culmen Lactantius hæc habet: *Vnus*

præcipuus & clarus extitit Cyprianus ; qui magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, & admodum multa conscripsit in suo genere admiranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suaui: &, quæ sermonis maxima est virtus, aperto: vt discernere nequeas, vtrum ne ornatior in loquendo, ac facilior in explicando, an promptor in persuadendo quisquam fuerit. Græcorum verò Gregorius Nazianz. eloquentissimus, dum de Cypriani eloquentia differit ; eam adeò eminentem atque sublimem prędicat, vt dicere illud audeat, ipsum ea comparatiõe cæteris hominibus præstitisse, qua solent homines bruta animalia antecellere.

Lactant. lib. 5. cap 1. de eloquentia Cypriani.

Gregor. Nazianz. orat. in Laud. Cypriani.

Quòd si post messem tanti æstimatæ sunt paucæ humi inhærentes spicæ residuæ; quanti facienda erat prima illa florentissima eloquentiæ seges, quam humanæ gloriæ spirans aura iucundissimè agitabat? Quam quidem ex aliquibus eiusdem Cypriani locis licet veluti per transennam adspicere: reliquisse enim alicubi Cyprianum quædã impressa vestigia, quibus qualis quantaque eius in dicendo vis esset quemlibet facilè mente conspicere potuisse, S. Augustinus testatur.

De doctrina Christiana li. 4. 14.

Principiò adhuc pace Ecclesiæ perdurante in eam totis viribus incubuit curam, vt disciplinam diuinitus traditam, sed longa pace (vt ipse testatur) corruptam restitueret: sed cùm non multis in episcopatu elapsis mẽsibus horribili persecutione, quodam veluti terræmotu, Ecclesia vniuersa concuteretur, eoque fæuiret impetu tyrannis, vt complures licet fortissimi

sese

sese subducerent; sanctissimus Cyprianus pro talibus meritis Proscriptionis gloriã promeruit. Sed cùm hæc plebi ethnicę non sufficerẽt, turbationis impetu, clamore violento, ad Leonem eum populus repetitis suffragijs postulauit: quorum ille furorem diuino Spiritu nedũ suadente, sed propemodum impellente, prudenter declinans cessit; nè per inuerecundam eius præsentiã seditio, quæ cœperat, plus prouocaretur. Ante tamen secessum, aliquod confessionis pro Christo specimen edidit. In ipso autem secessu, etsi absens corpore, spiritu tamen, nec actu, nec monitis defuit: quo minus secundùm Domini præcepta fratribus consuleret. Testãtur hoc abundè illius epistolę summa vigilantia & solicitudine refertæ. Et quidẽ cùm alia multa absens suo gregi prouideret, tum, constitutis, qui sua vice fungerentur, Tertullo presbytero posteà Episcopo, & Rogatiano seniore postmodũ martyre, Britio deniq; & Numidico presbyteris, ipse libros de Spectaculis, de Disciplina & Bono pudicitiæ, & de laudibus Martyrij elucubrauit.

Cyprianus ad Leonem petitus.

Fuga eius prudens & vtilis.

Solicitudo S. Cypriani pro Ecclesia sua in exilio.

Scripta quædam eius in exilio.

Atqui absentis Cypriani animum angebat haud parum Lapsorum (quos sacrificatos & Libellaticos vocat (impudentia, qui, quum, initio Decianæ persecutionis sacrilegis cõtactib. manus suas atque ora maculassẽt, vel nefandis libellis conscientiam polluissent, exambibant (inquit) ad Martyres passim: Confessores quoquè importuna deprecatione corrumpebãt, vt sinè discrimine vel examine singulorum darẽtur Libellorum milia. Immò verò presbyterorum quorundam temeritas, qui siue prece siue

Lapsi sacrificati & Libellatici: quo modo sint recipiendi ad communionẽ & reconciliandi.

precio conducti, pacem temerè Lapsis dabant, citra Episcopi conscientiam. Qua de re suam ipse in epistolis ita definit sententiam, vt antè exactam pœnitentiam, antè exomologesin factam, antè manum ab Episcopo & Clero impositam, ad communionem non admittantur Lapsi; neque nomen eorum in Ecclesia recitetur. Ita tamen, vt ijs, qui in infirmitate deprehensi essent & pœnitentes communicationem desiderarēt, subueniretur. Hæc autem piè non minùs quàm prudenter à Clero Carthaginensi fieri volebat; ne ex facili indulgentia vigor Ecclesiasticæ disciplinæ eneruaretur, fibulaq; diuinæ cēsuræ solueretur, si gregatim passimque nulla habita distinctiõe proprij cuiusq; delicti, nec irrogata legib. Ecclesiasticis statuta pęna, pręmaturè nimis in Ecclesiã admitterētur.

Epist. 10, 11, 12.

Accessit absentis Cypriani animo tabescēti dolor maior; accessit alia persecutio, & alia tẽtatio, quòd infesta tẽpestas, quæ plebem maxima ex parte prostrauerat, etiam Cleri portionẽ sua strage perstringeret; quòd nempè non modò ex Clero quamplurimi Christi fidem desererent tormentorũ metu: sed etiam semel confessi Christi Confessores gloriam suã vita improba cõmacularent. Quòd quidam etiã Presbyteri plusculũ sibi auctoritatis arrogare pręsumerent, atq; adeò scismatis fomenta quædã ministrarent. Erant enim quinque numero, qui temerè nimis pacem & Communionem Lapsis concedebant. Alij quidam, & inter hos Nouatus & Fortunatus, omnem omninò pacis spem illis præcludebant. Quum verò ad horum scripta rescribere differret Cyprianus, & certi ali-

Aliæ B. Cypriano accrescunt tribulationes.

quid

quid prætereà de Lapsis nollet antè pacem Ecclesiæ datam statuere; criminibus in vnum cõuenientibus, ex vtraque sibi mutuò repugnante, conflata est vna factio.

Haud parum interim commendanda venit Cypriani etiam adhuc delitescentis vigilantia; Caldonio siquidem & Herculano Episcopis, alijsque presbyteris scripsit, vt Felicissimũ & complices excommunicarent; idque in hæc verba: *Quum Felicissimus comminatus sit, nõ communicaturos in monte sicum qui nobis obtempertassent, id est, qui nobis communicarent: accipiat sententiam quam prior dixit; vt Abstentum se à nobis sciat.* Ad plebem verò insuper scripsit Cyprianus, vti diligenter sibi cauerent à lupis illis Ouile Dominicum infestantibus;; vt ab eorum contagione discederent; & sermones eorum velut cancrum & pestem fugiendo vitarent. Seruatus est itaque ad hoc à Domino Cyprianus in secessu, vt ipse postmodum martyrio destinatus, priùs ad Dominum complures sua exhortatione martyres præmitteret, qui alioqui incentiuo tubæ cælestis destituti, è fide excidissent. Cùm autem in eo secessu constitutus insigni apologetica ad Romanum clerum scripta, doceret eam fugam nequaquã ex formidine, sed ex Domini præcepto ortam esse, tum Carthaginensem Clerum præclarè docuit monuitque, qua solicitudine pauperes atque vinctos tractarent. Et quia hoc fixum ei in corde erat, vt in carcere constitutis fidei confessoribus omne exhiberetur officium, dedit in mandatis, vt corpora eorum, qui in carcere

Eccè tibi hæretice antiqua excommunicationis forma, Epist. 38. & 39.

Absens Cyprianus diligenter curat Ecclesiam Carthaginẽsem.

Matth. 10.

defuncti essent, perindè ac martyrum curarentur, dicens: *Corporibus etiam omnium, qui elisi torti non sunt, in carcere tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia, & cura propensior. Neque enim virtus eorum aut honor minor est, quò minùs ipsi quoque inter beatos martyres aggregentur. Quod in illis est tolerauerunt: quidquid tolerare parati & prompti fuerunt.* Admonet & illud magnoperè, vt dies eorum, quibus ex hac vita migrarent, diligenter adnotarent; vt instar Sanctorum Martyrum certis diebus, more Maiorum, eorum celebritas die anniuersaria ageretur oblatione sacrificij. Sũt hæc verba eius: *Denique & dies eorum quibus excedunt adnotate: vt cõmemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* In eodem quoque secessu cum positus ad confessores adhortationem & extorres obiurgationem scriberet, hortaretur-que omnes vt sæuientem persecutionem lachrymis, ieiunijs, orationibus reuocare niterentur; tum solutam quorundam flaccescentiũ ac declinãtiũ à recto disciplinæ tramite Christianorũ vitam & mores corruptos seueriore disciplina astringere conatus est: simul conuenientẽ quorundã fragilitati adhibens medicinã; nihil nõ moliens, vt gregẽ sibi creditũ per aduersa & prospera, per dura & lenia, ad regnum cælestis patriæ perduceret. Hinc cũ Pomponius eũ de virginibus Deo dicatis quid agẽdũ esset consuleret, quę violata pudicitia integras se adhuc virgines perseuerare iactabãt ipse nomine omniũ Episcoporũ respondit; detestans quidẽ vehementer infamẽ eiusmodi consuetudiem; demùm relaxare magna ex causa

Cyprian. Epist 37. De cura Martyrum eorumque nominibus scribendis.

Quo pacto Confessores fiunt martyres.

Martyrum festiuitas.

votum

votum simplex consultiùs existimãs, quã hisce turpitudinib. Ecclesiã infamari, hæc ait: *Quod sex fide se Christo dicauerũt, pudicè & castè sine vlla fabula perseuerẽt: ita fortes & stabiles præmiũ virginitatis expectent. Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quàm in ignem delictis suis cadant.*

Cyprianus dispensat votum simplex castitatis. Epist. 62. Vide in ea Notat Pamelij. 9.

Intereà cũ vir sanctissimus modis omnibus pro salute suorum laboraret, quid demũ diuinitus sibi fuerit reuelatũ, necessitate exposcẽte, ne ipsorum animi tot tantisq; malis cõsternati deficerent, cogitur propalare, dicẽs: *Denique ad minimũ famulum suũ, & in delictis licet plurimis institutum, & dignatione eius indignum, tamẽ il e pro sua tecum nos bonitate mandare dignatus est. Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est: sed quòd interim mora fit, supersunt adhuc aliqui, qui probentur.*

Cyprianus diuinitus admonitus prædicit pacem.

Porrò elapso primo persecutionis anno & secundo iam inchoato, cũ morte Decij planè reddita esset pax Ecclesiæ, Cyprianus Carthagini restitutus, quod antè literis pollicitus fuerat, commemorationes sanctorum martyrum oblatione sacrificij incruenti vnà cum suis solenniter celebrauit; alioq; sacræ disciplinæ ritus, qui persecutionis furore intermissi videbantur, restituit. Reddita autem pace: accidit dira admodum Barbarorum incursio in Numidiã, à quibus cõplures Christiani captiui abducti sunt: quo tempore Numidiæ episcopi datis ad Cyprianũ literis rogârũt, vt pro redimẽdis captiuis pecuniã colligere dignaretur. Qui, collecta ex more Christianis indicta, pecuniæ summã ex fideliũ liberali collatione coactã mittẽs ad eosdẽ Numidiæ episcopos scripsit epistolam, cuius illud exordium:

Quamdiu latuerit S. Cyprianus in exilio. En commemorationes Sanctorum in Sacrificio Missæ.

Epist. 60.

Cùm

Cum maximo animi nostri gemitu, & non sinè lachrymis legimus literas vestras, fratres charissimi; quas ad nos pro dilectionis vestræ solicitudine, de fratrũ nostrorũ & sororũ captiuitate fecistis. Quis. n. non doleat in eiusmodi casibus? aut quis non dolorem fratris sui suum proprium computet?

En eximiam S. Viri charitatem.

Et post multa: *Denique maximas vobis gratias agimus, quòd nos vestræ solicitudinis, & tam bonæ ac necessariæ operationis participes esse voluistis; vt offerretis nobis agros vberes, in quibus spei nostræ semina mitteremus: expectaturi messem de amplissimis fructibus qui de hac cælesti & salutari operatione proueniunt. Misimus autem sestertia, a centum millia nummùm, quæ istic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, Cleri & plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt: quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis. Et optamus quidem nihil tale de cætero fieri & fratres nostros Domini maiestate protectos ab eiusmodi periculis incolumes reseruari. Si tamen ad explorandam nostri animi charitatem, & examinandam nostri pectoris fidem tale aliquid acciderit, nolite cunctari nunciare hæc nobis literis vestris: pro certo habẽtes, Ecclesiam nostram & fraternitatem istic vniuersam, ne hæc vltrà fiant, precibus orare; si facta fuerint, libenter & largiter subsidia præstare.* Hęc & alia Cyprianus; quib. tanquam in viua tabula expressa relucet pulcherrima in dilectione fratrum illorum temporum Ecclesiæ facies.

a *faciunt 3000. Aureorum summam, monetæ nunc Romanæ, iuxtà C. Baron.*

Erupit postmodùm lues dira, & detestabilis morbi vastitas nimia; innumeros per diem populos à sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuaras per ordinem domos vulgi trementis inuasit. Horrere omnes; fugere; vitare contagium; exponere suos impiè; quasi cum illa peste morituri etiã mortem ipsam aliquis posset excludere. Iacebãt interim tota ciuitate non

Horrenda pestis totam penè vastat Africam.

En eximiam miseriam.

non iam corpora, sed cadauera plurimorum; & misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis mutuæ flagitabant. Nemo ad ea misericordiæ reflexit oculos; sed lucro omnes crudeli inhiabant. Nemo similis euētûs recordatione trepidauit: nemo fecit alteri, quod sibi fieri voluit. Quid inter hęc egerit Christi & Dei pontifex, qui pontifices mundi huius tanto plus pietate, quanto religionis veritate pręcesserat, scelus est præterire. Aggregatam primò in loco vno plebem, de misericordiæ bono instruit: docens diuinæ lectionis exemplis, quantum ad promerēdum Deum prosunt officia pietatis. Tunc deindè subiungit, nō esse mirabile, si nostros tantùm debito charitatis obsequio foueremus; eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid publicano vel ethnico fecerit: qui malum bono vincens, & diuinæ clementiæ instar exercens, inimicos quoque dilexerit: qui pro persequentium salute, sicuti Dominus monet & hortatur orârit. Distributa sunt ergò cōtinuò pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Multi qui angustia paupertatis beneficia sumptûs exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant, compēsantes proprio labore mercedem diuitijs omnibus chariorem. Et quis non sub tanto doctore properaret inueniri in parte aliqua talis militiæ, per quam placeret & Deo Patri & Iudici Christo, & tam bono interim Sacerdoti?

Egregia Cypriani pietas & charitas tempore pestis.

Matth. 5.

Grassabantur interim vnà cùm peste fames pariter atque bella: nam Persarum motus recrudescebant, iamque Armeniam occupabant, totum-

Pestis, fames ac bella: Dei flagella.

totumque Romanum Imperium acerbissimis cladibus afflictabatur ; idq; ijs potissimũ temporibus quibus eius a Imperatores publicis edictis deorũ cultum magis magisque instaurare(qui iam propemodùm frequentia Christianorum præterlapsus erat) & restituere conabantur,imperatisque omnibus sacrificijs, & vel ijs, vel eorum sanguine, qui non facerent, deos placare studebant. Insultabant enim vbique Christianis Gentiles; ipsosque, quod deos contemnerent, malorũ omniũ esse causam, solito more iactabant, ac procacius exprobrabant.

a *Gallus & Volusianus.*

Cũ verò hæc in Christianos per Demetrianum in Africa his diebus Procõsulem, atque alios ethnicos in dies magis magisque ipsorum omnium ore diffamarentur; S. Cyprianus haud diutius ferenda censuit : qui eo argumento ad eundem apologeticam & inuectiuam pariter scripsit orationẽ; in cuius exordio vir licet studio modestissimus,& natura placidissimus, tamen diuinæ religionis ardore succensus, sacerdotali vigore pollens , hæc prima celsiori animo intorquet in hostem insultantem fortissima verborum iacula : *Oblatrantem te, & aduersus Deum , qui vanus & verus est, ore sacrilego & verbis impijs obstrepentem, frequenter Demetriane contempseram : verecundius ac melius existimans , errantis imperitiam silentio spernere ; quam loquendo dementis insaniam prouocare . Sed enim cum dicas , plurimos conqueri , quòd bella crebrius surgant, quòd lues , quod fames sæuiant , quodque imbres & pluuias serena longa suspendant , nobis imputari : tacere vltrà non oportet : ne iam non verecundiæ , sed*

Cyprianus in Demetrianum pro Christiana pietate inuehitur.

diffi-

diffidentiæ esse incipiat, quod tacemus: & dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere. Respondeo igitur & tibi Demetriane pariter & cæteris, quos tu forsitan concitasti, & aduersum nos odia tuis maledictis vocibus seminando comites tibi plures, radicis atque originis tuæ pullulatione feciſti; quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem; nam qui ad malum motus est fallente mendacio, multò magis ad bonum mouebitur, veritate cogente. Dixisti per nos fieri, & quod nobis debeant imputari omnia ista quibus nunc mundus quatitur & vrgetur, quod dij vestri à nobis non colantur; &c. Hanc autem calumniam cùm pluribus diluit, tum etiam in ipsum, ac reliquos impios cladium omnium culpam iure reijcit, cum ait: *Imperiosus, & nimius seruitutis exactor flagellas; verberas; fame, siti, ferro frequenter & carcere affligis, & crucias; & non agnoscis miser Dominum Deum tuum, cum sic exerceas in homines dominatum? Merito ergo incursantibus plagis non desunt* DEI *flagella, nec verbera. Satis non est, quod ipse tu Deum non colis: adhuc insuper, eos qui colunt, sacrilega infestatione persequeris.* Et post-multa:

Cypriani libertas in dicendo.

Quin tu potius, inquit, *elige tibi alterum de duobus: Christianum esse, aut est crimen, aut non est? Si crimen est: quid non interficis confitentem? Si crimen non est: quid persequeris innocentem? Torqueri enim debui, si negarem: si pœnam tuam metuens, id quod prius fueram & quod deos tuos non colueram, mendacio fallente celarem, tunc torquendus fuissem: tunc ad confessionem criminis vi doloris adigendus: sicut in cæteris quæstionibus torquentur rei, qui se negant crimine, quo accusantur, teneri, vt facinoris veritas, quæ iudice voce non promitur, dolore corporis exprimatur.*

Præclara Cypriani fortitudo & constantia.

Nunc

Nunc verò cùm sponte confitear & clamem, & crebris ac repetitis identidem vocibus Christianum me esse contester, quid tormenta admoues confitenti? & deos tuos non in abditis & secretis locis, sed palam, sed publicè, sed in foro ipso magistratibus & Præsidibus audientibus destruenti? vt, etsi parum fuerat quod in me criminabaris, creuerit quod & odisse, & punire plus debeas? quod dum me Christianum celebri loco, & populo circunstante pronuncio, & vos & deos vestros clara & publica prædicatione cõfundo. Quid te ad infirmitatẽ corporis vertis? quid cum terrenæ carnis imbecillitate contendis? cum animi vigore congredere; virtutem mentis infringe; fidem destrue: disceptatione, si potes, vince; vince ratione; Vel si quid diis tuis numinis & potestatis est, ipsi in vltionem suam surgant: ipsi se sua maiestate defendant: aut quid præstare colentibus possunt, qui se de non colentibus vindicare non possunt.

Demonstrat simulacrorũ vanitatem.

Nouæ calũniæ in Cyprianũ à schismaticis.

Cæterùm anno sedis illius sexto rursus à schismaticis nouis est calũnijs impetitus; quas vnus ex illis Florentius Pupianus scriptis ad eum literis consarcinauit; magnoque fastu, perindè ac si iudex illius esset, vt se illis purgaret, admonuit. Atquem Cyprianus rescribẽs (vt par erat) ironia semper elusit, & sui erroris, quo se emendaret, prudenter eum admonuit.

Controuersia olim in Ecclesia, nũ ab hæreticis baptizati rebaptizandi essent.

Eodem tempore, Nouatianorum & Cataphrygarum occasione magna inter Episcopos agitata est controuersia: Num qui ab hæreticis baptizati erant, cùm ad Catholicam se conferrẽt Ecclesiam, essent denuò baptizandi. Et quidem quòd Nouatiani, & antè eos Cataphrygæ, soliti essent, quos ab Ecclesia Catholica diuulsissent, vt immundos denuò baptizare, id prouoca-

vocauit ad æmulationem quosdam Episcopos in Africa potissimum consistentes, eorumque Primatem sanctissimum Cyprianum; qui baptizatos ab hæreticis denuò lustrandos asseruit lustrauitq; ; quòd negaret vllũ apud hostes Ecclesiæ reperiri posse baptisma; quod vnum tãtum esset & in vna Ecclesia collocatum. His accedebat, quòd omnes propemodùm scripturæ diuinæ tum ex veteri, tum ex nouo Testamento petitæ, in hoc ipsum vna sententia visæ sunt conspirare; dum quæ ab impijs facta essent, quo sacratiora, eo execrabiliora Deus habuerit, ac penitùs improbârit. Veruntamen in eo Cyprianus vindicandus est, à Necephori calumnia; qua mendacissimè ait, eum non aliter recipere consueuisse lapsos, qui in persecutione negâssent, quàm per sanctũ baptismum. Quæ quidem cum à Cypriano planè abhorreant, tum, S. Augustinus Cyprianum ab illo errore rebaptizationis excusat, quòd Agrippinus, qui Carthaginensi Ecclesiæ antè eũ antistes præfuerat, primus antiquam Ecclesiæ consuetudinẽ, qua ratus haberetur hæreticorum baptismus secundum Catholicæ Ecclesiæ formam collatus, prætextu quodã pietatis cõsulserit, cæterosque Africę Episcopos per Cõcilij sententiam in eundem errorem protraxerit: prorsus vt Cyprianus receptæ consuetudinis, rationibus veri similibus cõfirmatæ, refragari non posset. Veruntamen eũ talẽ sententiã postmodum correxisse, seque in vnitate Romanæ Ecclesiæ continuisse, neque vnquã à Stephano Papa Apostolica communicatione priuatum, dubium non est.

Nicepb. lib. 6. Cap. 2.

August. de baptis. contra Donatistas Lib. 2. Cap. 9.

Vide Hieron. contrà Luciferianos.

Acta legitima Passionis S. Cypriani, ex Tom. 2. Annal. C. Baron.

Cæterum vt longissimis, quæ supersunt, ambagibus omissis, ad tanti tamq; præclari martyris agonem veniamus, Imp. Valeriano quartũ & Gallieno tertiùm Consulibus, tertio Kalendarum Septembriũ, Carthagine Paternus Proconsul dixit Cypriano: Sacratissimi Imperatores datis ad me literis mandant, vt cunctos ad deorum venerationẽ compellã. Tu ergò quid respondes? Cui antistes: Christianus ego sum, & antistes. Nullos noui deos præter vnũ cæli terræque conditorẽ; cui deseruimus; quemque die ac nocte, nõ solũm pro nobis ac nostris hominibus, sed & pro ipsorum incolumitate Imperatorum deprecamur. Tum Proconsul: In hac ergò voluntate, inquit, perseueras? Respõdit Cyprianus: Bona voluntas, quæ Deum nouit, immutari non potest. Et proconsul: Poteris ergò tu ad vrbem Curubitanã exul proficisci. Et quia Inuictissimi Imperatores nõ solùm de Episcopo, sed & de presbyteris omnibus mandatum mihi scripsêre, equidẽ ex te scire volo, qui sint presbyteri, qui in hac ciuitate cõsistũt. Respõdit Cyprianus: Cum legibus vestris benè atque vtiliter censueritis, delatores nos nõ esse, nequaquã ã me detegi & deferri possunt. Tunc Proconsul: Cautum est, inquit, insuper præcepto Imperatorum, ne aliquibus in locis conciliabula fiant. Si quis itaque præceptum hoc tam salubre non obseruauerit, capite plectetur. Respondit Cyprianus: Quin tu quod tibi præceptum est exequere.

Præclara Cypriani cõfessio.

Cyprianus alios prodere recusat.

Mittitur in exilium.

Tunc Proconsul ilicò virum sanctum exilio damnauit, Curubimq; proficisci iussit: vbi primo ipso die admirabili visitatione Deus de mar-

martyrij gloria eũ ſecurũ reddere dignat⁹ eſt. Nam nondum ſomni quiete ſepulto apparuit iuuenis vltra modum enormis, qui cũ me, inquit; quaſi ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali ſedentis tum Proconſulis admoueri. Is vt in me reſpexit, annotare ſtatim cœpit in tabula ſententiam, quam non ſciebam: nihil enim de me ſolita interrogatione quęſierat. Sed enim iuuenis, qui à tergo eius ſtabat admodum curioſus legit, quidquid fuerat annotatum. Et quia id verbis proferre non poterat, nutu declarante monſtrauit, quid in literis tabulæ illius haberetur. Manu enim expanſa & complanata ad ſpathæ modum, ictum ſolitæ animaduerſionis imitat⁹, quod volebat intelligi, adinſtar liquidi ſermonis expreſſit. Intellexi ſententiam paſſionis futuram: rogare cœpi & petere cõtinuò, vt dilatio mihi vel vnius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione diſponerem. Et cum preces frequẽter iteraſſem, rurſus in tabula cœperat neſcio quid annotare: Senſi tamen de vultûs ſerenitate, iudicis mentem quaſi iuſta petitione commotam. Sed & ille Iuuenis, qui iamdudum de paſſionis indicio geſtu potiùs qnam ſermone prodiderat, clandeſtino identidẽ nutu, conceſſam dilationem, quæ in caſtrinum petebatur, contortis poſt iudicem digitis ſignificare properauit. Ego, etſi de gaudio dilationis acceptæ læto admodum corde exultarem, metu tamen interpretationis incertæ ſic tremebam, vs reliquiæ formidinis cor exultans adhuc toto pauore pulſarent.

Viſio Cypriani.

Quid hac reuelatione manifeſtius? quid hac

dignatione fœlicius? Antè illi prædicta sunt omnia, quæcunque postmodũ subsequuta sunt: nihil de Dei verbis imminutum, nihil de tam sancta promissione mutilatum. Sequenti namque anno (dies enim pro anno in visione accipiendus est) ipsa eadem die, qua Curubim exul peruenit, martyriũ subijt. Porrò toto illo anno totis viribus in fouendis Ecclesiæ suę membris incubuit, scriptisq; ab ex illo literis, suos ad metalla & carceres abreptos cõsolari confortareq; conatus est. Extãt illę lectu sanè dignissimæ: siquidem mirificè in ijs Christiani nominis excellentia relucet; quæ eo glorioſior redditur atque pręclarior, quo magis fuerit afflictata molestijs, ac rebus fatigata contrarijs. Legat eas attendatque quilibet, vtpote nouissimos cygneos viri sanctissimi cãtus; qui mirificũ quendã reddũt flagrãtis spiritũs cũ suauitate concentũ. Cùm enim nihil penes eum antiquius esset, quãm Dei verbum assiduò prædicare, & quotidianis Euangeliorũ tractatibus fidei & scientiæ incrementa fidelibus præstare, tum seculo illo intumescente & dira quælibet Christianis minitãte, ille seruos Dei (prout dabatur occasio exhortationibus Dominicis instruebat, & ad calcandas passiones huius tẽporis, contẽplatione superuenturę claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit sacri cupido sermonis, vt optaret sic sibi passionis vota contingere, vt dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur. Et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam sacerdotis.

Visionis veritas.

Est Epistol. 77. 78. 79. 81.

Mirus ardor prædicandi verbũ Dei in Cypriano.

Cũ igitur Cyprianus diu in exilio constitutus,

nus, omni diligẽtia per litteras Ecclesiam curaret, successit Aspasio Paterno Procõsuli Galerius Maximus Proconsul; qui S. Cyprianum ab exilio reuocatum suo iussit conspectui præsentari. Cumq; electus à Deò martyr ab exilio de ciuitate Curibitana Carthaginẽ regressus esset, morabatur in hortis suis (quos inter initia fidei suæ venditos & Dei indulgẽtia restitutos possidebat, iterumq; dubio procul ad vsus pauperum vẽdidisset, nisi inuidiam de persecutione vitaret) ibidẽ indies glorioſi certaminis finem expectãs. Sed contigit, vt Proconsul mis- a *Frumentarij, erant milites alicuius militiæ ordinis, qui ad exsequenda mãdata Principum in diuersa loca mittebãtur.* sis eò Frumentarijs illũ Vticam, vbi is agebat, perduci præciperet: vt ibi capitis supplicium martyr subiret. At verò Cyprianus, ne Vticam perduceretur, ad modicum temporis spatium secessit, vt Carthagine, quod id sciret suæ Ecclesiæ expedire, glorioſum agonẽ absolueret. Cupiebat enim, quos assiduè tractando sanctis imbuerat disciplinis, quosque amantissimos filios iugiter verbi lacte potauerat, eisdem totius Christianæ doctrinæ compendium, absolutissimam virtutum omnium formam, sinceriſſimamq; perfectionem sanguine consignatam, atque hisce martyrij illustribus notis suum erga illos immensum amorem testatum relinquere. *Cyprianus latitat aliquamdiu, vt Carthagine martyrium subeat.*

Et accidit res ex animi sententia. Et si enim non intrà Carthaginis mœnia certamẽ subijt; tamen cùm sese tota vrbs ad locum martyrio cõstitutum effunderet, perindè fuit ac si in meditullio eiusdẽ amplissimæ vrbis passus esset. Erat locus ille, Sexti, nominatus, quòd sexto à Carthagine lapide distaret. Ad eum locum Ga- *Locus Sexti.*

lerius Maximus Proconsul instaurandę valetudinis gratia commigrauerat, illucque Cyprianum in hortis hactenus commorantem ad se perduci iussit. Processit ergo animo sublimi martyr, & in domũ a Principis à Prætorio reuertebatur, cùm subitò per Carthaginem totam sparsus rumor increbuit, productum esse iam Thascium; quem, præter celebrem & gloriosa opinione notitiam, etiam de commemoratione præclarissimi operis nemo non nouerat. Concurrebãt vndique uersus omnes ad spectaculũ, fidelibus pro deuotione fidei gloriosum, Gentilibus & dolẽdum. Receptũ eum tamen & in domo Principis cõstitutum, vna nocte continuit custodia delicata, ita vt amici & chari suauissimis nõ modò sermonibus, sed & epulis pariter cum eo fruerentur. Interim plebs tota solicita ne per noctem aliquid finè conscientia sui fieret, antè fores Principis excubabat. Id vt comperit Cyprianus, ne quid dispendij pateretur virgineus pudor, puellas custodiri mandauit. Neque enim, vicina licet corporis morte mori in animo pastoris vigilantia pastoralis poterat.

a Is Princeps erat stator officij.

Per officium verò intelligitur hic magistratus apparitura, ipsaque palatina militia.

Cyprianus proximè moriturus curam egit de virginibus.

Deniq; vt illuxit dies alius, ille signatus, ille promissus, ille diuinus quem si tyrannus ipse differre voluisset, nunquam prorsus valeret, egressus est domum Principis inuictus Christi athleta Cyprianus, agminibus multitudinis mixtæ ex omni parte vallatus. Tanta enim vtriusque sexûs multitudo latera eius stipabat, quasi ad expugnandam mortem, manu facta, venisset. Vbi autem ad Prætorium ventum est, nondum procedente Proconsule, secre-

secretior locus datus est ; vbi cùm post iter longum nimio sudore madidatus sederet, sedile fortuito erat tectum linteo, vt & sub ictu passionis, Episcopatûs honore frueretur. Ibi verò quidã ex tesserarijs, quondã Christianus, res suas obtulit ; quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mutare: qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quàm vt proficiscentis ad Deum martyris sudores iam sanguineos possideret. Cui ille respondit: Medelas adhibemus querelis, quæ hodiè forsitan non erunt. Quid plura? Subitò Proconsuli nunciatum est: producitur; admouetur. Interrogatus. Tu es Thascius Cyprianus? Respõdit: Ego sum: Tum Proconsul; Tu, inquit, Papam te sacrilegæ mentis hominibus præbuisti? Cyprianus respondit: Ego. Rursus Proconsul: Iusserunt te sacratissimi Imperatores cæremoniari. Respondit Cyprianus; Non facio: Fac quod tibi præceptum est: In re tam iusta, nulla est consultatio.

Milites tesserarij dicebantur, qui tesseram nẽpè præceptũ Ducis per contubernia militum nũciabant.

Galerius Maximus, habito concilio, sententiam vix ægrè dixit verbis huiusmodi: Diu sacrilega mente vixisti; & plurimos nefariæ tibi cõspirationis homines aggregâsti; & inimicum te dijs Romanis & sacris legibus cõstituisti: nec te pii & sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti, & Valerianus nobilissimus Cæsar ad sectam cæremoniarum suarũ reuocare potuerunt: Et ideò, cùm sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento ijs quos scelere tecum aggregâsti: sanguine tuo sancietur disciplina. Et his dictis, decretum ex tabella recitauit

Impia Sententia in Cyprianum lata.

uit: Thascium Cyprianum gladio animaduerti placet. Cyprianus, accepta sententia, dixit: Deo gratias (Addunt hæc alia Acta) qui me à vinculis huius corporis dignatur absoluere.

En feruidam subditorum in Pastorem charitatem.

Lecta hac sententia, turba fratrum incredibili amore Episcopi sui accensa exclamabat: Et nos cũ ipso decollemur. Vario deindè clamore hinc indè exorto, fratres eum ad certaminis locum prosequuti sunt. Vt verò ad agrum Sexti peruentum est, iliçò se lacerno birro exspolians, fixis in terram genibus, admiranda cum pietate preces Domino fudit; Deindè dalmatica diaconibus tradita, venientem spiculatorẽ viginti aureis donari præcepit. Fratres verò infusi lachrymis, orarijs & linteaminibus sanctum cruorem excipere præparabant. Tanti enim sacras martyrum reliquias faciebãt, fideles, vt sudoris, si possent, guttas haurirent, & stillas sanguinis etiam persecutore vidente & inuidente, atque exserto gladio minitãte, qualibet arte susciperent, atque reconderent. Mirares; eodẽ planè tempore duplici victoria vincitur crudelis impietas; sanguine martyris, & fide credentium.

Birrum quid sit vide apud Baron. Tom. 2. fol. 613.

Vel viginti quinque.

En studium antiquorum fidelium, in colligendis martyrum reliquijs.

Intereà martyr manu sua oculos sibi texit; cumque lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Iulianus presbyter & Iulianus subdiaconus ei hoc officij præstiterunt; atque ita demum Centurionis manu capite truncatus, victrix anima ad Dominum migrauit. Sacrum eius funus fuit à Christianis magna sanè pompa & magno triumpho, clero diuersarum classium atque scholarum cum cereis & facibus præcedente, curatum; & in via Mappaliẽsi sepultu-

Decollatur S. Cyprianus.

Vide hic antiquum ritũ sepeliendi Christianos.

pulturæ honorificè mandatum. Imperterriti enim Christiani nequicquam planè consueti officij in antistitis sui funere antè persecutoris oculos magna constantia agentes prætermittere voluerunt; quod cuperent omnes (vt eadē Acta testantur) vna cum suo ipsorum Episcopo decollari. Fuit huiꝰ præclari martyris Græcis quidem celeberrima solennitas: In qua S. Gregorius Naziãzenus præclaram habuit orationem. Sed tam ipse quam Metaphrastes, ac cæteri Græcorum, errore lapsi sunt; dum eundem esse existimarunt cum Cypriano mago, qui passus est (circa annum Domini 311.) cum Iustina virgine, nomine nimirum & martyrij titulo decepti; dum reuera multis differentijs constet inter se esse distinctos.

Christianorū magnanimitas.

Hæc C. Bar. in Notat. ad Martyr. Roman. cui adstipulantur Lippoman. Pamel. & veteres latini omnes.

MARTYRIVM S. NICETAE GOTTHI:

Ex eo quod est per Metaphrasten. Coronatus est temporibus Gratiani Imp. sub Athanarico Gotthorum Rege, circa annum Domini 376.

Vide Tom. 4. C. Baron. Annal.

NICETAS cuius hodiè victricia celebramus certamina, Gotthica prosapia apud fluuium Istrum (quem Danubium appellant) oriundus, (alius planè ab eo, qui Pontificis Clementis socius ab Apostolorum principe eruditus est,) primos apud gentē barbaram tam propter generis claritatem, quàm propter alias animi & corporis dotes sanè eximias, nactus honores, studio virtutis, Gotthorum intemperantiam feritatemque præclarè vitauit. Hic à primis annis Theophili Gotthorum antistitis disciplinis imbutus, haud con-

15. Septē.

Patria eius.

Theophilus Gotthorum Antistes.

temnendũ admirandæ virtutis ſpecimen præbebat: quod poſtmodùm ita in gente illa eluxit, vt magna pars dæmonis ſeruitute oppreſſa; per eum in Chriſti libertatem vindicata fuerit.

Bellum inteſtinum Gotthorum.

** al. Fridigernes.*

Cùm enim in gente Gotthorum bella erupiſſent inteſtina; mutuisq́; ſe cædibus, factionum capita * Phritigernes & Athanarichus fœdarent, Athanarichus ſuſcepta maximis copijs expeditione aduerſarium profligauit: & lætabundus trophæa vbiq́ue erexit. Phritigernes autem rebus ſuis planè diffiſus ad Romanum cõfugit imperium, opem à Valente Chriſti inimico imploraturus. Valens verò afflictum exulem benignè ſuſceptũ omni ope munire inſtituit; Thraciumq́ue exercitum ei aſſignauit: quorum tranſmiſſo * Iſtro fluuio infeſta ſigna intrepidus in hoſtem duxit. Itaque ferentes diuinam Chriſti crucem, præcedentem omnes ſuas copias, impreſſione facta, Athanarici copias in effuſam fugam compulerunt: & ingenti multitudine ferro conciſa, Athanaricum egrè fuga elapſum omnibus viribus exuerunt. Hæc tam præclara victoria, quam Crucis beneficio nemo nõ acceptam referebat, multis Gotthorum Religionem Chriſtianam amplexandi occaſio fuit.

** Danubio.*

En Crucis vſum antiquũ à militibus in bello exhibitum.

Theophili ſucceſſor in Epiſcopatu.

** Vlphilas.*

Intereà Theophilo vitę munere cum ſanctitate perfuncto * Vrphilus præclari viri ſucceſſor omni contentione teneram adhuc in Gotthorum animis religionem confirmare nõ deſtitit, effecitq́;, vt res Chriſtiana apud barbaros mirificè multiplicata, indies magis magisq́ue effloreſceret. Athanarichus autem cum proceden-

dente tempore ab accepta clade respirâsset tandemque in pristinum locum reuertisset, ilicò præcipiti furore à Christi cultoribus vindictam expetere aggressus est. Erat tùm Nicetas omnium Christianorum cum generis dignitate tum pietate facilè princeps, qui publicè priuatim Christi nomen annunciabat; omnesque, qua poterat, Christianæ eloquētiæ præstantia, ad religionis pietatisque amorem inflammabat. Cùm autem præclara serui Dei virtus & animi magnitudo cunctis Christianis admirationi esset, tum ipsos Dei hostes, ac Athanaricum præcipuè incredibili indignatione commouit; accenditque, vt tam egregiam & excelsam virtutem internecione delere aggrederetur. Quæ Nicetas flocci faciens, admiranda alacritate cœptum Euangelij opus prosequebatur.

Egregia Nicetæ virtus in conuertendis ad Christū ethnicis.

Fremebant interim aduersarij, minabantur; ac tandem furentis animi ira victi repentè martyrem inuadunt eo tempore quo prædicabat; trahunt, vrgent, vt fidem abiuret. At ille nec verbis, nec factis pietatem deserēs, illorū insuper furorem impietatemque cōstanti grauitate arguebat. Minitantes autem horrenda supplicia deridebat; asserens cruciatus & tormenta pro Christi nomine inflicta, Christianis summæ delectationi & honori esse. Tum illi impetu facto eum cōterunt, & omnibus penè corporis partibus fractis, in rogum ardentē conijciunt: At verò martyr in medijs flammis præ gaudio exultans, nunc Christi bonitatem gloriamque hymnis & psalmis celebrabat; nunc circumfusam multitudinē ad religionis Chri-

Nicetas variè cruciatur & vexatur, vt fidem deserat.

Eius cōstantia.

In ignē missus absoluit martyrium.

Christianę amorē & virtutis constantiam hortabatur; donec extremum spiritum in ea confessione exhalaret.

Corpus eius ab igne manfit illæsum.

Aderat insigni pietate vir Marianus, Cilix genere; è Mopsuestia ciuitate oriundus: qui intempestæ noctis silentio sacrum martyris corpus ex ignis reliquijs eripuit, ac thecæ inclusum in patriam domum suam transtulit. Vbi cùm miraculorum gloria indies coruscaret, Mopsuestiani communi deuotione excitati,

Templum ei excitatur.

honorificum tanto martyri templum exstruxerunt; in quod ab Auxentio vrbis illius Episcopo debita cum veneratione translatum est; ibidemque multis & magnis clarum miraculis quiescit.

VITA S. AICHARDI, *al. AICHADRI

*Abbatis * Gemmeticensis: propè Valencenas in Præpositura Hasprensi Hannoniæ quiescentis: Ex ea quæ est per Fulbertum. Claruit circa annum Domini sexcentesimum octogesimum.*

*al. Gimeticensis. Vide C. Bar. in Notat. ad Martyr. Rom. 15. Septēb.

INTER nobilissimas Aquitanię vrbes haud postremas obtinet Pictauis; cùm alijs dotibus, tùm Sanctorum patrocinijs inprimis inclyta. Huius intra mœnia miles quidam Auscharius nomine, claris natalibus ortus, & diuitiarum opumque gloria præstans, ducta in matrimonium Ermena æquè nobili & generosi sanguinis fœmina, inter conciues vitam nulli inuidiæ affinem (quod rarum esse constat) ducebat. Accidit autem, vt vxor insigni pietate ac præcipua in pauperes benignitate matrona filium parĕret; cui Aichardi nomen fuit impositum.

Patria & Parentes eius.

ſtum. Qui ſacro luſtratus fonte,& intra patrios enutritus lares, mox vt primos intelligẽtiæ annos attigit, tam multiplici cœpit virtutum omnium emicare ſplendore, vt parentes haud dubiam in eo ſummæ virtutis ſpem repoſitam haberent. Intereà cùm pater, militaris gloriæ laude celeberrimus, militarib. eum negotijs aſſueſcere veller,mater è contra reluctari, filiumque in magno partus diſcrimine, diuinis cultibus per votum à ſe deſtinatum eſſe dixit. Cumque pater votum pertinaci contentione improbaret, velletque modis omnibus filium ad ſummos militaris gloriæ honores prouectum, eccè Aichardus ad dirimendam litem medius interuenit dixitque: Me ſanè, niſi mors, à Chriſti militia auellere non poterit.

Aichardi virtus in tenera adhuc ætate.

Erat eo tempore in finitima regione vir prudẽtiæ opinione inprimis celebris:cui principes & magnates filios ſuos diſciplinis optimis imbuendos tranſmittebant. Multi enim ex eius diſciplina moribus & eruditione pręſtantiſſimi prodibant: quorum deindè virtutes in Eccleſia cum ingenti omnium admiratione relucebant. Huius igitur fama excitatus optimæ indolis &generoſi animi puer,ilicò eum adijt, &parentibus nequaquam inuitis in eius ſeſe diſciplinam tradidit. & quidem cùm omnes morum & eruditionis ſpecie emicarent, tum ille cæteris longè ſuperior,tenera adhuc ætate (Decennis quippè) cunctis admirationi erat: Erat locus cæleſtis diſciplinæ opinione celeberrimus Anſionis nomine;in quo ingens monachorum turba ſub regularis vitæ diſciplina, piè

Tradit ſe in diſciplinam cuidam ſancto viro.

Mirus profectus eius.

Confert se ad monasterium Arsiani.

piè admodum Deo militabat. Eò iam duodennis properans, coma capitis de more deposita, suaue Christi iugum constanti non minùs quã ardenti animo amplexatus est. Et quidem parentes quãquàm eximio animi dolore propter filium cruciarentur, quòd cernerent teneram ætatem tantis laboribus subditam; tamen postquàm admirandas illius virtutes & auribus & oculis haurirent, priori tristitia & luctu in gaudium conuerso, & sibi & filio gratulabantur; quod propter eum, haud dubiam à Deo benedictionem sperarent. Nàm cæci, claudi, alijque varia clade depressi, Angelicis monitis ad eum ire iubebantur; optatam mox salutem percepturi. Celebrabatur miro omnium gaudio & exultatione Aichardi nomen; per vicos & plateas cantica illius in laudem resonabant: cumque homines iussu viri Dei sistere cogerẽtur, dæmones ex obsessis fugati corporib. virtutes eius sanctitatemq; prædicabãt.

Claret multis miraculis.

Iamque vinginti annorum cursum à primis adolescentiæ annis in stadio virtutis illius expleuerat, cum die quodam à fratribus ad opus obedientiæ missus, lõgiùs à monasterio digreditur, psalmodiæ cursum ex more solus decantans: & eccè repentè vox cælitus ad aures eius demissa insonuit; Ibunt Sancti de virtute in virtutem. Ea vox vt summo illi gaudio fuit, ita acriores multò stimulos addidit ad summum virtutis culmen viriliter conscendendum. Itaque arctioribus indies ieiunijs & vigilijs carnem domare; præsentis vitæ curas penitùs negligere; assidua mente & cogitatione cœlestibus inhærere; charitatis opera inde-

Psalm. 83.

Audit cælitus vocem.

Tendit ad perfectiora.

indefessè sectari: denique nihil non moliri, vt non modò suam, sed & aliorum salutem in tuto collocaret.

Hinc pia illi inprimis solicitudo, quomodò parentem, diuitijs inclytum & delicijs assuetum, ad strictioris vitæ viam alliceret; suaderetque, vt opes & possessiones amplissimas, ad vnius Dei cultum transferret. Nec mora: Fusis ritè ad Deum precibus, fiducia rei benè gerendæ plenus patrem aggreditur, & multis verbis grauissimaque oratione pro voto commouet, vt ex hæreditarijs bonis Ecclesiam Deo construat. Annuit benignè paterque non modò ingentem auri & argenti vim, sed & vicum Quintianum cum possessionibus amplissimis tribuit, vt in eo cæleste domicilium construeret. Hac parentis voluntate magno cum gaudio accepta,* Ansolaldum Pictauiensem adijt antistitem, (eius enim in diœcesi locus situs erat) vt nouum condendi monasterium ab eo facultatem impetraret. Annuit nō modò libēs antistes, sed & primus omnium manum operi admouit; perfectumque oratoriū Virgini Matri sacrum dedicauit: & donis ac muneribus testamento collatis monasticæ vitæ institutum roborauit. Igitur ordinatis omnibus, quæ loci & temporis opportunitas exigebat, Aichardus omni studio & diligentia ilicò Christianæ militiæ athletas sanè egregios sub signis collegit; tantaque dexteritate ac gratia disciplinam instituit, vt passim omnes in magnam sui admirationem pertraheret.

Pater ei vicum Quintianum offert, vt in eo monasteriū construat.

* *al. Ansoaldum.*

Constructo monasterio multos congregat monachos.

Ea tempestate Gimesiensis cœnobij Abbas Philibertus, vir maximarum virtutum laude orna-

Vide hæc plenius in vita S. Philiberti, 20. Augusti. Audoëni vero 24. Augusti.

ornatissimus, ab impio Ebroino Maiore domus scelerata fraude in maximum B. Audoëni Rothomagensis Episcopi odiũ inciderat; prorsus vt B. Antistes, iniqui viri calumnijs deceptus, tetro eum ergastulo concluderet. Ex quo, cùm re patefacta non sine honore per eundem sanctum Episcopum fuisset dimissus, & in pristinum dignitatis gradum restitutus, vir Domini timens, ne feruescens Ebroini odium in totum gregem deriuaret, illius furori ad tempus cedendum ratus, decreuit ab eo cui præerat loco longiùs recedere, & eremiticæ vitæ laboribus tamdiu sese exercere, donec concitatus Ebroini furor conquiesceret, & terras ac possessiones monasterij assiduis vastare incursionibus cessaret. Intereà ne pius Christi grex legitimo destitutus pastore penuria diuini verbi interiret, vel certè ad infœlicia pascua & salutis inuia declinaret, audita iam ante fama virtutum B. Aichardi, eum consilio, & auctoritate Archipræsulis Audoëni loci illius Rectorem sibi substituit. Et quidem, dictu mirum, quàm excellens eius in omni genere virtus monasterij istius gubernacula tractauerit. Insultabat quidem ei per se perque suos satellites inuidus dæmon; sed inania tentationis suæ spicula semper confusus reportabat.

Substituitur B. Aichardꝰ Abbas Gimeticensis.

Residebat quadam die vir Dei in cellula solitarius; cùm animum ipsius vehementer cepit agitare, quod viribus exhaustis veterana ætas ad regendam tantam Christi familiam (erat enim numerus Deo militantium nongentorum monachorum) iam, sibi sufficere nõ videbatur. Petit itaq; à Domino profusis lachrymis, qua-

900. Monachi in Cœnobio Gimeticensi.

uis

nis vt consilij sui prouida dispensatione tanti oneris sarcinam alleuiaret; cùm eccè Sole occidente, cùm fratres membra quieti tradidissent, apparens Angelus Domini habitu coruscans & virgam manu gestans, post longam altercationem cum dæmone habitam, hisce eum verbis affatur: Maior pars horum iam (vt à Domino petijsti) ad expeditionẽ adscripta est; & hi inprimis ex nomine quos hac virga designari mox considerabis: tu diligenter aduerte, & hos nominatim iube mox esse paratos. Quid multis? Vir sanctus noctem illam totam insomnem ducens, prima luce fratres in auditorium collegit; intellectaque singulorum eadem nocte habitam visionem, earundem mysteria illis exposuit: ac demum cum & cuncta ex ordine quę ipse viderat & audierat eis manifestasset, cunctos ad instãtem vltimi certaminis horam iubet esse paratos. Nec mora: corpora nuda certatim virgis cædere; pugnis conscia pectora tundere; pura amarissimis admixta lachrymis confessione, alijsque pijs pœnitẽtiæ operibus, contractas animi sordes expurgare; atque omnis corporei alimenti expertes superuenturum diem expectare.

Apparet S. Aichardo Angelus Domini.

En quomodò sese præparent ad mortem fratres.

Iam quarti diei aurora illuxerat; cùm vniuersi cælestis alimoniæ percepturi viaticum conueniunt; & se suasque animas mutua charitate inuicem commẽdant. Eccè verò cùm alienata præ nimia amoris dulcedine mente precibus incumbũt, singulorum facies eximia claritatis specie radiare cœperunt. Iamque hora diei tertia inclaruerat, & eccè pars vna tanquã somno quietis resoluta suas Deo animas tradidit;

En admirabilem felicissimamque fratrũ mortem.

didit: altera verò hora sexta pari ratione mortalitatis vinculis soluta è corpore migrauit: & rursum tertia, tribus deindè pòst horis è corporeis ergastulis ad eandem beatitudinis gloriam tetendit: Vespere autem facto, subsequẽter pars quarta, facta oratione, spiritum reddidit. Post quorum sepulturam, eorumque, qui

Obitus sancti viri.

se relictos dolebant, exhortationem & consolationem sanè suauissimam, vir diuinus & ipse in lectulum cilicio constratum se collegit: atque ita eleuatis in cælum oculis spiritum Deo reddidit, 17. Kalend. Octobris.

ILLVSTRE MARTYRIVM SS. LVciæ, & Geminiani: Ex eo quod est ab Adone Treuirorum Archiepiscopo conscriptum.

Vide & Notat. C. Baron. in Martyr. Roman. 16. Septẽ.

CONSVLIBVS Diocletiano octies & Maximiniano septies, in vrbe Roma, anno Imperij eorũ *a* tertiodecimo, tam sæua in Christianos exarsit persecutio, vt vix quispiam, truculenta morte vbique præposita, Christi nomen proferre auderet. Erat eadem illa tempestate insigni pietate matrona, Lucia nomine, annorum plus minus 75. cum alijs virtutibus cunctis spectabilis, tum eo nomine inprimis illustris, quod annos admodum 36. in viduitate constituta, illustrissimæ illius heroinæ Iudith virtutes miro pietatis ardore æmularetur.

a Fuit is Christi Domini 296. Caij Papæ 13.

Luciæ Viduæ ætas delecta.

Iudith. 8.

Hortatur filium Euprepiũ, ad Christum confitendum.

Hæc igitur, audito crudeli Imperatorum edicto, mox filium, qui Euprepius appellabatur, hortari cœpit, vt vnà secum, spretis dæmonum simulacris & vanis idolis, Christũ Iesum con-

confiteretur,& glorioſum,ſi opus eſſet,pro illius nomine certamen ſubiret. At ille,à materna pietate planè degener concito curſu ad Imperatores abijt;matremque(prô ſcelus) religionis Chriſtianæ accuſauit. Diocletianus verò ſubitò mentis furore correptus, confeſtim miſſo ad ædes eius Iebale aſſeſſore ſuo, iuſſit eam adduci. Porrò Iebal domum ingreſſus, Iouis quoddam ſimulacrũ ibi ſtatuit, vt ei thura offerret. At Chriſti ancilla eo Iebalis ſcelere offenſa, ſimulacrum execrans, ilicò domo egreſſa eſt; Chriſti ſanctiſſimum numen obteſtans,ſe polluta limina domus nunquam deinceps prętergreſſuram: ſed mortem pro illius gloria,qui eam ſacroſancto ſanguine redemerat,fortiter & conſtanter opetituram.

Accuſat ille matrem.

Egregia matronæ pietas.

Igitur Iebale ductore ad Diocletianum peruenit;q regali in ſolio reſidẽs, auroque & purpura fulgens, venientem his verbis affatus eſt: Audio te ſacrilegam reum illum Crucifixum confiteri,deosque noſtros irridere. Nunc igitur ſi parata es viuere,parati ſunt & dij vt thura eis offeras,vt poſſint tibi eſſe propitij: & viuas.Reſpondit Lucia: Nec ſibi ſunt propitij, nec cultoribus ſuis. Nam mihi propitiabitur Chriſtus Ieſus, pro cuius amore parata ſum ignem,vincula, & quas volueris pœnas ſufferre. Audiens Diocletianus conſtantiã fidei eius, iuſſit eam in tetrum abduci carcerem:vbi conſolatione cæleſti recreari meruit.

Siſtitur Diocletiano.

Conſtantia & fortis eius animus.

Paucis deindè poſt diebus ad Diocletianum reducta,cùm pari conſtantia Chriſtianam religionem prædicaret, glorioſa fœmina humi proſtrata fuſtibus diutiſſimè cæſa eſt. Cumque

Cæditur fuſtibus.

hinc indè crudeles & impij tortores ei insultarent, & illa tota mente precibus intenta omnipotentem inuocaret, eccè subitò ingens terræmotus exoritur; ac terribili fragore templum Iouis subuertit: prorsus vt lapidibus in minutissima fragmenta comminutis, cuncti extremum exitium vehementer formidarent. Diocletianus autem maiore furore incandescens, lebetem æreum adduci præcepit; inque eum, pice & plumbo horribiliter bullientem, sanctam Christi martyrem demergi: vbi casta & sancta matrona toto admodùm triduo illæsa consistens Christo psallebat.

In lebete candenti triduò illæsa consistit.

Nemo non in cineres & fauillas eam redactam credebat: sed vt Imperator eam saluâ & incolumem intellexit, vix mentis suę prę furore compos; iussit eam ferro & plumbo oneratam per plateas ad ludibrium duci.

Ducitur plateatim ferro onerata.

Erat in Vrbe vir præpotens Geminianus nomine; cuius domus simulacrorum multitudine & ornatu celebris habebatur. Cuius ædes Lucia cùm pertransiret, fertur niuei candoris columba cęlitus super Geminiani caput delapsa tertio resedisse. Ea re homo idololatra ita repentè animo immutatus est, vt sui suorumque oblitus concito cursu ad locum, in quo sancta Dei pro Christi nomine decertabat, torquebaturque, properaret, seseque eius pedibus prosterneret, & multis cum lachrymis baptismi lauacrum flagitaret. Stupebāt ad tantā rei nouitatem omnes, quòd cernerent præcipuum idolorum cultorem diuitijs & gloria inclytum Luciæ pedibus prostratum, & infimis precibus Christiana sacra cum præsenti capitis peri-

Geminianus fit Christianus ex idololatra.

periculo postulantem. Et quidem Lucia vna cũ Geminiano mox ad carcerem abrepti fuêre, vt exquisitissimis supplicijs ad aliorũ terrorem afficerentur.

Lucia & Geminianus carceri mancipantur.

Porrò eadem in Vrbe erat quidam Protasius nomine, insigni pietate & prudentia sacerdos; cui nocte Angelus Domini apparens sedulò mandauit, vt iret festinus ad carcerẽ, & Geminianum fontem salutis requirentem lustraret. Abijt ille summa cum festinatione, & Geminianum lymphis salutaribus non modo abluit sed cunctis, qui eo ergastulo pro Christi nomine clausi tenebantur, animum addidit confirmauitque, alacriter certamen expeterent.

Protasius sacerdos eum baptizat.

Tertium post diem Imperator, quòd de Geminiano audisset, iussit eum vnà cum Lucia adesse & Christianæ professionis palinodiam canere. At ille Christi gratia præclarè roboratus minantem æquè ac supplicantem spreuit Tyrannum; nihilque sibi delectabilius esse, quàm cum Christi martyre vltimum subire supplicium, constanter respondit. Tum verò Imperator omnibus tormentorum machinis admotis grauissimè eos afflixit, torsitque ad satietatem: ac postremò peruersissimo cuidam tradidit Iudici: vt is, quod deerat pœnarum, furibunda mente suppleret.

Lucia & Geminianus exhibentur Diocletiano.

Torquentur diro martyres.

Qui primò fustibus ceruices eorum contundi iussit. Sed cùm homo nefarius in suo scelere exultaret, & Christi athletis impiè insultaret, mox terræmotus domum iudiciariam à fundamentis subuertit, ipsumque iudicem miserabiliter oppressit. Neque tamen eo miraculo Imperatoris furor quieuit; sed protinùs homo

Vltio diuina in crudelem Iudicem.

crudelis Abofrasio sanctos martyres exhibuit: qui cùm varijs supplicijs & diabolicis artibus sanctos à Christi confessione abducere niteretur, & illi interim stupendis virtutibus & miraculis clari dæmonis insidias fraudesque eluderent, alij quinque & septuaginta, sanctorum martyrum virtutibus permoti, sua Christo nomina dedêre; qui protinùs ad martyrij gloriã peruenerunt. Cæterùm impijssimus Iudex, fuso martyrum sanguine, cum gloriabundus inequitaret, equus eius à dæmone incitatus de ponte in flumẽ eum præcipitem dedit; vbi anima ad inferos delata est, & corpus nullo vnquam loco repertum. Lucia verò & Geminianus, à Megalio viro consulari arctati, post glorioſa certamina martyrij palmam capitis abscissione promeruêre XVI. Kalend. Octob. Quorum corpora, eximia pietate ac religione matrona Maxima, clàm subducta honorificè tumulauit.

Alij 75. credunt in Christum: & protinꝰ martyrio coronantur.

Alius sæuus Iudex miserè perit.

S. Lucia cum socio decollatur.

VITA S. EDITHAE VIRGINIS: Regis Anglorum Edgari filiæ. Ex ea quæ habetur fide optima apud V. P. Laurent. Sur. Claruit circa annum Domini nongentesimum octogesimum.

Vide C. Bar. in Notat. ad Martyr. Rom.

EDGARVS Anglorum Rex cùm Vulftrudem regij ducis filiam perpetuam regni consortem sibi eligere decreuisset, suscepit ex ea filiam haud contemnenda specie virginem: cui Edithæ nomẽ in sacro fonte imposuit. Porrò Vulftrudis à partu absoluta, cùm deinceps continentiæ studium sectari quã earnis

16. Septẽb. *Patria & Parentes eius.*

nis illecebris seruire mallet, in sacrarum virginum collegium apud VVilthoniam concessit: vbi manibus Ethelvvoldi antistitis Christo cósecrata, tantis breui virtutibus, cunctis præluxit, vt communi omnium consensu sacræ illi societati præfici mereretur. Porrò Editha sub matris cura relicta, eiusdēque pijs studijs & exercitijs ad æmulationem prouocata, eodē in monasterio monasticæ vitæ disciplinā professa est. Eam verò mater non auro, non monilibus, non multiuario ornatu, sed literarum ac virtutum splendore instruxit: atque ita instituit vt illa cæteris omnibus viuum quoddam perfectissimæ vitæ exemplum esset.

Mater eius fit Monialis.

Item Editha filia.

Vigiliarum & inediæ patientissima, morbidis ac humana ope destitutis sese impendebat alacriter; terrenosque prorsus deuitans honores, liberis regijs leprosos præferebat; & quanto quisq; morbis deformior, tanta ei maior ad seruiendum erat animi propensio: adeò vt omnium ore vnicum illa & verum desolatorum solamen prædicaretur. Cilicium asperrimum, quo die nocteque carnem macerabat, nitidis extrinsecùs occultabat vestibus. Cumque die quodam beatus Ethelvvoldus ornatiori eam habitu ingredi vidisset, ait ad eā: Non his, filia mea, indumentis itur ad Christi thalamum; nec externo cultu corporis delectatur sponsus cœlestis. Illa verò interni conscia habitatoris, ita respondit: Crede mihi, pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc tegmine deget, quam sub pelle caprina. Habeo Dominum meum: qui non tam vestem quàm mentem attendit. Sensit ergo vir Dei in virgine

Eximia eius charitas in pauperes, aliæ virtutes.

En quo pacto studeat celare occultum cilicij vsum.

gine gratiæ auctoritatem, plurimumque gauisus, quòd cerneret puram mentem & in purpura & in sacco placere DEO; nunquàm deindè summum Iudicem in ea contristare est ausus.

Recusat dignitates.

Quindecim annos natam pater eius Rex Edgarus tribus monialium monasterijs, V. Vintonienſi, Berckingenſi, & tertio cuidam Abbatissam præfecit: sed illa, ab omni fastu & gloria abhorrens, constanter eas dignitates repulit; maluitque piæ matri humilis subesse, quàm alijs imperare. Defuncto autem patre Edgaro, & succedente ei filio Eduardo adhuc infantulo, in somnis sibi dexterum oculum amisisse est visa quam illa visionem prophetico spiritu sororibus interpretans ait: Visio hæc fatris mei Eduardi portendit casum. Nec diu post idem Eduardus, fratrem suum Ethelredum inuisurus, ab impijs in via trucidatus est. Cumque proceres, regno legitimo hærede destituto, virginem sanctam è monasterio extrahere, & in paterno solio (recepta plerisque nationibus consuetudine, vbi fœminæ dominantur) collocare vellent, & tandem etiam vim intentarent: illa adeò non assensit, vt quiduis potiùs perferre, quam à suauissimo Christi amplexu auulsa, mundanæ gloriæ seruire vellet.

Prophetia eius, de fratre suo Eduardo: cuius vita habetur 18 Martij Tom. 1.

Respuit regnum.

Erat virgini in more positum, vt vbicunque ageret & quocunque pedem ferret, crebrò se Crucis signo muniret. Cùm autem ecclesiam insigni opere beato Dionysio sacram cõdidisset, & sanctum Dunstanum ad eius dedicationem inuitasset, & is sacram virginem crebrius dexte-

Crebrò se munit signaculo S. Crucis.

dextero pollice frontem signare cerneret; apprehensa manu eius dextera, ait: Nunquam putrescat hic digitus. Indè ad Missarum solennia concedens, totus cœpit in lachrymas resolui; rogantique Diacono cur largo adeò lachrymarum imbre faciem rigaret, suspirans & ab imo pectore vocem trahens: Hæc, inquit, Deo dilecta anima, hæc syderea gemma ad patriam sanctorũ ab illuuie terrena rapietur. Tertio & quadragesimo abhinc die occidet nobis hæc stella luculenta. Neque fefellit prædictio. Nã eodem illo die virgo sancta anno ætatis suę vigesimo tertio, Christi verò noningentesimo octogesimo plus minus quarto, migrauit ad Christum; sepeliuitque eam Dunstanus in Dionisij basilica, quam illa exstruxerat, & in atrio monasterij præclaro xenodochio ad sustentationem tredecim pauperum egregiè decorauerat.

S. Dunstanus prædicit S. Edithæ obitum: cuius Dunstani vitam reperiet lector 19. Maij.

Anno à Christi Incarnatione plus minus 984. ætatis verò suæ 23. moritur B. Editha.

Porrò cum 30. ab obitu suo die virgo sancta Matri suæ Vuestrudi apparuisset, seque gloriæ sempiternæ participem iam factam ei declarasset: terdiodecimo post anno similiter Dunstano Archiepiscopo apparuit, monuitque vt corpusculum è terra eleuaret. Et ne, inquit, phantasmate te deludi existimes, hoc tibi veritatis esto signum: quòd præter officia membrorum, quibus in puellari leuitate abusa sum, puta oculorum, manuum, pedum, reliquum corpus meum vti illibatum, ita & incorruptum inuenies. Pollicem quoque dexterum, ob venerandam Crucis figuram, illæsum videbis: vt appareat clementia Domini in parte seruata; & paterna castigatio, in parte, absumpta. Hanc

Apparet matri suæ Virgo Sancta.

Item S. Dunstano: iubetq; corpus suum eleuari.

præter visionem Dunstanus alia insuper sedulò admonitus, tandem in VVilthoniæ ecclesiã concitus abijt; & tertio Nonas Nouemb. corpus è tumulo leuauit; cunctaque, vt prędictum erat, ordine inuenit.

Infidelitas Canuti Regis castigatur.

Canutus Rex in sacra Pentecoste apud Vvilthoniam crebris cachinnis eorum opinionem irridebat, qui virginem diuinis honoribus afficiendam prædicabant: negabatque se vnquam creditурum Editham, Edgari Regis filiam, sanctam esse: cuius pater libidini ac tyrãnidi semper addictus fuisset. Contradixit autem illi Ednotus Archipræsul; eumque redarguens, statim virginis tumulum aperuit. Et eccè corpus cingulotenus se erigens, in cõtumelioſum Regem impetũ facere visum est. Tum ille prę metu cõsternatus animo, humi ceu exanimis corruit; tandemque respirans, suæ temeritatis veniam popoſcit: sanctamque virginem miraculorum signis postmodum admodum illustrem multo deinceps in honore habuit.

Nota miraculum.

MARTYRIVM SANCTAE VIRGINIS Euphemiæ: Ex eo quod est per Metaphrasten. Passa est sub Diocletiano Imperatore.

Vide Notat. C. Baron. in martyr. Rom. 16. Septẽ.

PHILOPHRON vir honoribus & diuitijs in vrbe Chalcedonia inclytus, ducta in matrimoniũ Theodorosia insigni pudicitia ac pietate matrona, cùm alijs à Deo bonis, tum filia incredibili pulchritudine & prudẽtia virgine ditari meruit. Quam salutaribus lymphis expiatam, Euphemiam appellârunt; dederuntque operam, vt à teneris, disciplinis opti-

Patria & parentes.

optimis & literis imbuta, sanctioris vitæ instituta tenacius sectaretur. Illa verò nequaquam à parentum pietate degenerans, Christianę religionis dogmata callebat egregiè; totamque penè regionem pietatis & prudentiæ suæ fama complebat: adeò vt persecutionis tempore, & diebus quibus Gentilium scelerata superstitio dæmonum festa celebrabat, Christiani Euphemiæ antè omnia institutionem expeterent: & precibus ac vigilijs cum ea pariter incumbere gauderent. Diocletianus ea tempestate Romani Imperij sceptra administrabat; Priscus autem Asiæ Proconsul sæuam sanè & formidabilem aduersus Christianos persecutionem commouebat. Erat ei assessor, Appellianus nomine, egregius impietatis socius; qui sanctam virginem cùm alijs ad quadraginta nouem vtriusque sexûs Christianis, diuinis studijs intentam, compræhendit, ac Prisco Proconsuli, gratum inprimis munus obtulit.

Egregia S. Euphemiæ pietas.

Sæua in Christianos persecutio excitatur.

Euphemia cum alijs cõpræhẽditur.

Et quidem Tyrannus inanem prudentiæ & virtutis captans apud Diocletianum opinionem, insignẽ sibi de martyrũ constantia victoriam spondebat; nihil non tentans, vt deo Marti, honorato apud eos cumprimis simulacro, thura offerrent. At martyres, Tyranni blanditias minasque despicientes, vltrò eũ ad inferẽrenda supplicia prouocabant; graui se damno affectos asserentes, si non exquisitissima quæq; tormenta proferret.

Constantia Martyrum.

Ea martyrum constantia & animorum magnitudo Tyrannum tanto furore succendit, vt diebus admodum nouendecim continuis eorũ

Dirè cruciantur.

virtu-

virtutem vario tormentorũ genere expugnandam ſuſciperet, impoſitiſque plagis & tetris liuoribus membra ſingulorum fædè diſcerperet. Cùm aũt iam 20. adeſſet dies, omnes vnà cũ Euphemia, quæ prioribus iſtis certaminibus nõ interfuerat, Iudici oblati iuſſi ſunt dijs immolare, vel extremam ſuppliciorum omnium atrocitatem ſubire. Illi verò animis interriti reſponſum ſua virtute dignum dedêre, dicentes: Quouſque, ô Iudex falſa opinione duceris, exiſtimans Chriſtianorum vires, Chriſti Ieſu ſanguine fundatas, tuis vel blanditijs vel minis frangẽdas? Quamobrem ſatius eſt, vt amiſſa mentis tuæ ſtultitia, vel verum Deum agnoſcas, vel nos per quæuis ſuppliciorum genera Deo reddas.

Inſultant Iudici.

Mittuntur in carcerem cæcis vultibus lorũ.

Hoc reſponſo martyrum maiori ira Iudex percitus, iuſſit ſanctos loris & flagellis fœdè cõciſos in carcerem abripi: ſolaque Euphemia relicta, fraudulentam orationem proſequens, certam ſibi de virgine ſpõdebat victoriam. Sed illa, Chriſti gratia mirificè confirmata, callidas Priſci inſidias inſigni vitauit prudentia; ipſumque Tyrannum ita cõfudit refutauitque, vt pudore in iram conuerſo, inauditis ſupplicijs virginem excarnificandam clamaret. Nec mora. Quibuſdam rotarum machinis dicto citius conſtructis, in eas præcipitem illam dari iuſſit. At virgo nihil illis mota terroribus, Crucis ſigno munita aduerſus rotas conſtanter proceſſit; quibus à miniſtris fortiſſimè verſis, grauem quidem ſenſum doloris percepit: ſed mens in Chriſti vulneribus profundè defixa dolores ſpreuit; cæleſteque ea implorante auxilium,

Horrendum ſupplicium rotarum in Virginem.

xilium, momẽto tẽporis diuina virtus machinas dissipauit. Igitur glorioſa certatrix à rotis ſoluta, mox non modò illæſa, ſed nouo inſuper decore ornata apparuit.

Soluitur diuinitus à rota.

Hæc Priſcum ſceleratum ſanè hominem nõ modò ad ſaniorem non traxêre mentem, ſed acriori potius iracundia inflammârunt: prorſus vt ſe martyrem viuam exuſturum iuraret. Illa autem nequaquam puſilli & abiecti animi, Ad tempus quidem, inquit, eſt ô Tyranne ignis quem mihi nunc minaris; ideoque nequaquam eum extimeſco, ſed potius illum ſanè terribilẽ tota mente formido; qui omnibus impijs à Chriſto eſt conſtitutus in æternum. Intereà fornax pice, ſulphure, ſtuppa, & ſarmẽtis horribiliter accenſa martyrem expectabat: cùm eccè Victor & Soſthenes, qui ſupplicijs inferẽdis præerant, ilicò pedem retrahunt, aiuntque Priſco, ſeſe à virginei corporis contactu prohiberi, formidabili quorundam aſpectu, qui pro virginis defenſione parati ſtabant. His auditis, Priſcus illos quidem vt ad Chriſtum iam conuerſos in carcerem abripi; Cæſarem verò & Varium in eorum miniſterium ſubſtitutos iubet virginem in voraces flammas præcipitẽ dare. Glorioſa autem virgo in medijs flammis illæſa conſiſtens, miniſtris verò interim eodẽ ſupplicio mirabiliter abſumptis, tãdem roſeo decore nitens egreſſa, ab impio Iudice in cuſtodiam tradita eſt. Die verò ſequenti Victor & Soſthenes ex ergaſtulo producti, cùm dijs ſacrificare abnuerẽt, feris beſtijs obiecti ſunt; à quibus quidem ſuffocati, ſed integri ad magnum ſanè miraculum relicti, à Chriſtiana plebe

Ignis terreſtris tranſitorius, infernalis verò perpetuus.

Victor & Soſthenes lictores conuertuntur & carceri mancipantur.

Præcipitatur in ignem S. Euphemia ſed ab eo nõ læditur.

Martyrium Victoris & Soſthenis.

plebe cum hymnis & psalmis sepulturæ mandati sunt.

Virgo sancta omnibus supplicijs superior.

Postera autem luce rursum virgo sancta ad noua supplicia producta, pari constantia ea quoque superauit: prorsus vt, defessis lictorum manibus, nõ virgo supplicijs, sed supplicia virgini deessent. Itaq; cum stolidus Iudex omnes suos conatus irritos cerneret, iubet in medio stadio ingentem effodi cisternam, inque eam, carniuoris, quæ mare alit, animantibus plenã, conijci virginem existimans: illam protinùs à bestijs deuorãdam. At verò beata martyr, viso Tyranni consilio, mox vt preces Deo obtulit, seseque toto corpore cõsignauit, in aquam forti & generoso animo insiluit, & impiũ Tyrannum præclarè confudit. Nam bestiæ incredibili mansuetudine martyrem excipiẽtes; eam dorsis suis sustinebant, ne quid ab aquis detrimenti acciperet.

En inauditũ supplicium.

Bestiæ eam à periculo defendunt.

His visis, Priscus magis magisque incandescens, habito cõsilio cũ suo assessore Appelliano, qui virtutem diuinam magicis artibus non verebatur adscribere, profundam iussit parari fossam, eamque acutis ferreisque obeliscis oppletam superficietenus terra cõtegi, vt procedens martyr imprudens in foueam incideret, & sic demũ miserabiliter interiret. Existimabat enim stolidus eã illa solum magica (vt putabat) arte vincere posse, quorum iam prius accepisset cognitionem; ideoque hæc ei alto silentio pericula creabat, Sed quid agis scelerata fraus? nunquid & Omnipotentis oculos per omnia intentos fallere te posse confidis? Nihil agis. Eccè enim cùm virgo ignara prorsus

Alijs supplicijs frustra tentatur S. Virgo.

sus insidiarum per locum transitura esset, mira facilitate angelico comitata ministerio pertransijt; impij verò & scelerati satellites, pari audacia transitum tentantes, in profundum dilapsi repentè interierunt. Priscus verò, ea re animaduersa, sanè obstupuit: ratusq; virginem blanditijs potiùs & promissis quàm tormentis superandam, lenitate animi miro artificio simulata, ita eam affatus est: Fuimus nos quidem in te hactenus, ô Euphemia, quàm decuit, petulantiores: sed & tu Christianorum præstigijs decepta nimis temerè tot tantisque mortis te periculis exposuisti. Nunc igitur, quia deorum erga te benficentia tot indicijs patet, (qui nisi te tutati essent, iamdudũ cum sempiterna nominis ignominia fędè perijsses) petimus à te eorum, quæ parũ piè gessimus, veniam; atq; obsecramus, vt magno deo Marti sacrificans cõstitutis tibi à dijs honoribus cũ omni diuitiarũ gloria securè deinceps frui velis. Adhæc Euphemia Tyrannũ generosè & viriliter intuens O Vafer, inquit, & omni dolo & amaritudine plene, quousq; scelerata inire cõsilia, & aduersus Christi seruos laqueos tendere perges? Ego nè dijs sacrificem in summi illius, Dei contumeliã, qui me toties tã præclara decorauit victoria, vestramq; arrogantiã dedecore affecit?

Priscus ægrè admodum hanc orationem excipiens exclamauit: Magam istam flagris concidite. Nec mora: carnifices virgis lorisque armati, horrendis martyrem flagris affecere; sed illa Tyranni rabiem irridens, nullum doloris indicium edebat. Tum verò frendens gemensque Priscus, serras, ferreasque sartagines expe-

Vide mirabile iudiciũ Dei.

Iudex sanctam Virginem fraude nititur euertere.

Egregiè ab ea contemnitur.

Cæditur virgis sancta martyr atrocissimè.

Iubetur ferrũ ferreis secari, sed non læditur.

expediri, martyrem secari, sectã sartaginibus eliquari iussit. Sed quid, ô Tyranne, aduersus Deum bella moliris? Serrarum acies cõfestim obtusa, teneram virginem non tam lædere quã leniter fricare videbatur. Ignis verò sponte extinctus, palam Tyranni furorẽ arguebat. Quid igitur Priscus? O densas errorum tenebras, quę ne illis quidem tam præclaris miraculis illustrabantur. Itaque impia Tyranni mens vindictæ cupida, vt omni se consilio, quo martyrem superaret, destitutam vidit, aliquam adhuc in feris spem repositam habẽs, præcepit eam leonibus vrsisque obiici, & vltimum cum ijs certamen experiri. Illa autem vitæ huius pertæsa,

Obijcitur bestijs.

totoque desiderio ad patriam aspirans, oculis manibusque insita pietate ad cælum sublatis, ita orauit: Domine Deus, qui in me inuictam

Oratio eius, pro dissolutione corporis.

tuam ostendisti potentiam, quique dæmonum imbecillitate confusa, me omnibus tormentis & plagis fortiorem reddidisti; fac nunc quæso animam meam in pace requiescere: qui es benedictus in sæcula.

Hæc ea precante, quatuor leones & vrsæ tres in stadium immissi sunt; qui feritatis oblíti diuisim & reuerenter ad eam accedentes, plãtas eius pedum humane deosculabãtur, donec martyr sanctissima solui se à vinculis carnis precibus instans, ab vna vrsarũ seui morsu petita expirauit. Hæc dum fierent, ingens terræmotus non modò ciuitatem, sed omnium corda magno pauore concussit; ita vt omnibus hinc indè fuga dilapsis parentes ea opportunitate martyricum illud & pretiosum corpus è stadio abriperent, suisque ipsorum

Reddit Christo purissimã animam.

Sepeliur à proprijs parentibus.

mani-

manibus honorificè admodum sepulturæ mā-
darent.

MARTYRIVM S. LAMBERTI, EPISCOPI Traiectensis: Ex ea quæ est per Reuerendiss. Stephanum, Episcopum Leodiensem. Coronatus est anno Domini sexcentesimo nonagesimo octauo Episcopatus sui 40.

Vide C. Baron. Tom. 8. Annal.

B Lambertus, insigni prosapia in oppido Traiectensi oriūdus, patrem habuit Aprum nomine, matrem Herisplidē; ambos multa nobilitate cōspicuos. Porrò puerulus multis magnisque naturæ & gratiæ dotibus ornatus, ab ipsis primæ ætatis initijs literis adhibitus, & paulò pòst beato Landoaldo, viro, & sapientia & doctrina & sanctitate cumprimis claro, in disciplinā traditus, mirificos in omni scientia fecit processus. Tandem diuinis pariter & humanis ac monasticis etiam disciplinis præclarè instructus, ad patrē rediit; à quo peramāter exceptus, incredibile cum parētibus tū cognatis omnibus multiplici sua eruditione & rara prudentia gaudium attulit.

17. Septēb. *Patria & parētes eius.*

Huius Landoaldi vitā habet lector 19 Martij. Tom. 1.

En vt olim magnatum filij monasticis disciplinis imbuebantur.

Per id tēpus apud Traiectenses pontificiam obtinebat dignitatem sanctus Theodardus; cuius vita doctrina & virtutibus admiranda cùm omnium ore prædicaretur, Lambertus eius in disciplinam cōcessit; vt instar lapidis precioſi, multis modis expolitus, cælestibus ornamētis capiēdis idoneus redderetur. Et quidem egregia nobilitate eximi° iuuenis, & corporis forma elegantissimus, tot tantisq; apud B. Antistitem mox clarere cœpit virtutibus, vt is optimam, futurum eum quandoque gratissimū sibi

S. Theodardo se in disciplinam tradit: cuius vita habetur supra 10. Septembris.

ſucceſſorem, ſpē conciperet: quinimô, niſi Canonum authoritas obſtitiſſet, eũ iã ex nomine deſignare optabat. Poſtquã verò ab impijs trucidatus beatitudinis palmã obtinuit Theodardus, Traiectẽſis Eccleſiæ fideles mox vno ore Lambertũ ea ſede digniſſimum conclamârunt. Cõtra vir pius ſumma contentione ſe ea functione prorſus indignũ clamitans, tumultuantis populi voces cõpeſcere & tantũ põdus honoris reijcere nitebatur; ſed quẽ vna vox omniũ ſanctimoniæ laudib⁹ cumulatũ, & parſimoniæ ornamentis illuſtrem, conſtanter aſſerebat, alium ſibi antiſtitẽ præficiendum negabat. Itaq; volens nolenſque pontificali infula decoratus Lambertus, Traiectenſis Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit; ſeſeque non modo normã & exemplũ viuendi cunctis exhibuit, ſed & omnibus ſuauem ac mirè iucundum: quo factum, vt ſubditorum animos ad quæuis pietatis opera ſubeunda promptos paratoſque ſemper haberet.

Succedit Theodardo in dignitate pontificia initus & coactus.

Cùm autẽ fama ſanctitatis eius longè lateq; ſeſe diffunderet, tũ ad notitiam quoque Childerici Francorum Regis peruenit; qui eũ præcipuo amore & honore proſequutus, ilicò inter primos amicos habuit. Sed ea animorum concordia & ſumma, quæ indè oriebatur, regni tranquillitas fuit paulò pòſt ſatanæ inuidia diſrupta, & in regni totius atque Eccleſiæ perniciem miſerè conuerſa. Nam Childerico rege, inuidia ſatellitum diaboli trucidato, eiuſque Germano Thodorico, prius repudiato, in locum ipſius ſubrogato, mox inuidiæ pondus & hoſtile odium opera Ebroini Apoſtatæ, in Maiorem Domûs reſtituti, cum in

Childericus Francorum Rex mirè eum colit.

Eo interfecto è ſede ſua pellitur vir ſanctus.

in alios insignes antistites quos antè passus erat aduersarios, tum in Christi seruum Lambertum concitatũ est ; prorsus vt inimicorum rabie indies magis magisque grassante honore & dignitate priuatus, patriam cum exilio mutare deberet. Et quidem cum multa in abeuntem conuicia iactarentur, & ingẽs iniuriarum cumulus eum comitaretur, ipse incredibili animi patientia ad Stabulense monasterium sese contulit; vbi cum Senatoribus cæli intrà terrestris paradisi curiam monasticam disciplinam strenuè exercuit. Non erit abs re insigne patientiæ eius exemplum commemorare, quod eodem in monasterio constitutus exhibuit.

Confert se ad Stabulense monasterium.

Quadã nocte visum ei fuit clàm à lecto surgere, vt attẽtiori animo diuturnis precibus vacare posset. Cùm autem alterum è calceis acciperet, alter è manibus lapsus pauimentum feriens fratrum quietem interturbauit, Expergefactus igitur cœnobij pater, & huius arcani ignarus, Quisquis, inquit, ille est, cuius culpanda temeritate isthuc modò accidit; pro nostra cõsuetudine mox se ad Crucem cõferat, & quod negligẽtia admisit, obediẽtia expiet. Mox beatus Lambertus, patientiæ virtute ornatissimus, Abbatis præcepto alacriter parens, ad Crucem tranquillo & prompto animo properauit; soloque, quo indutus erat, cilicio immanem vim frigoris patienter sustinuit: nec prius obedientiæ stationem athleta deseruit, quam vigiliarum officio à fratribus expleto, ab Abbate lachrymis & luctu propter facinus imprudenter admissum oppleto reuocaretur. Cùm e-

Vide humilitatem tanti viri & insignem patientiam.

nim, officio matutinarum, vt vocant, absoluto fratres ad ignem de more properarent, vt acerrimi frigoris iniuriã à se propulsarent, & cunctis præsentibus solus Lambertus nõ compareret, Abbas à fratribus admonitus, illum esse qui sub Crucem se recipere iussus sit, grauiter ingemiscens, suamque temeritatem vehementer accusans, ilicò eum accersiri mandauit: seque vnà cum fratribus eius pedibus prosternens, supplex ab eo illius facti veniam postulauit. Cui vir sanctus ita respondit, vt cuncti facilè perspicerent, non mediocribus virtutum ornamentis eum esse instructum.

Abbas cum fratribus petunt veniam à viro sancto.

In huiusmodi virtutũ insignis cũ toto ferè septennio exul vitam egisset, & infelix interim Pharamandus, filius iniquitatis, Traiectẽsem Ecclesiam tyrannide oppressisset, tandem, Deo hominibusq; inuisus & cõtrarius, tota illa prouincia exclusus est: & verus omnium pastor Lambertus à a Pipino Principe in propriam sedem restitutus. Quãta verò, illo redeunte, apud omnes extiterit exultatio, nemo pro dignitate explicare queat. Pristino igitur honore affectum, & multis magnisque auctum vitæ meritis, miraculorum insuper gloria cælestis pater eum illustrauit. Cæterùm cum iam antè in monasterio cunctis virtutibus animam propriã præclarè exornâsset, tum omne studium ad gregis custodiam egregiè conuertit: deditque operã, vt cunctos ęternæ hęreditatis consortes efficeret. Peragrabat oppida villasque diœcesis suæ; eosq; præcipuo honore prosequebatur, nullo personarum habito respe-

S. Lambertus restituitur à Pipin. 2. maiore Domus Frãciæ, Caroli Martelli Patre.

Miraculis claret.

respectu, quos morum elegantia & vitæ meritis præstare sciebat.

Itaq; incredibili esurie sitiq; iustitię semper ardens, in Texandriā est profectus, vt eam gentis simi erroribus adhuc deditam, & idolorum spurcitijs turpiter contaminatam, Euangelicis doctrinis expurgaret, gentemq; miserrimā, & dæmonis seruitute oppressam, in Christi libertatē vindicaret. Sed gens nefaria, furore & crudelitate feruens, veritatis prędicationē primùm aspernari, tū etiam contumelijs atque ludibrijs appetere, ac postremò satanico spiritu bacchās ignominiosa morte afficere voluit. At verò cōtrà Christi confessor Lambertus tumultuantis populi insaniam blandis verbis comprimere, eorumque furorē modis omnibus lenire instituit. Cumq; obtenta fandi copia fidei Christianæ principia exponere aggrederetur, mox eximia cælestis facundiæ præstantia quorundam animos ità commouit, vt execrabili idolorum cultu detestato, ad Christiana sacra cōuolarēt, seque salutaribus vndis expiatos, duces sanè strenuos ad dæmoniorū fana subuertenda prębberent. Hisce initijs egregius doctor fidei fundamenta ibidem collocauit; Ecclesias cōdidit; presbyteros ordinauit; totamque regionem illam Christo consecrauit.

Prædicat in Texandria ethnicismo laborante.

Multos ibidem post varias molestias conuertit.

Cumque omniū mores ad exactam iustitiæ normā fideique veritatē summo studio reuocare cōtenderet, tum ne ipsi quidem Principi Pipino pepercit; qui cętera egregius, vno malo tā multa bona corrumpebat, cōtempta legitima vxore, Alpaidi pellici nimium addictus. Misera profectò res. Princeps, multis magnisque

Non respicit personas potentium.

victorijs illustris, seipsum vincere non poterat, molli libidinis telo prostratus. Id verò, cæteris ferè Episcopis dissimulantibus, Lambertus zelo iustitiæ & pietatis armatus opportunè importunè Principem arguebat; qui si, vt in cæteris, ita & in hoc libenter recta monentẽ audisset Episcopum, rectius consuluisset sibi. At illa maligna mulier molestè ferens Pipinum à sui amore auelli, Dodonem fratrem suum, Pipino familiarem genere & opibus præstantem, hortatur assiduè, verbisque venenatis acriter inflammat, vt Episcopi conatus, suorum, vt dicebat, in natalium dedecus vergentes impediret. Nec mora. Dodo ororis vltionem haud segniter expetens, amicis suis Gallo & Rioldo hoc negotij dat, vt Episcopi familiam quouis iniuriæ genere diuexent; quò sic demũ sacer antistes calumnijs fatigatus Alpaidem impuro Principis amore securè perfrui permittat. Sed vir iustus, vt leo confidens, iustitiæ patrocinium nulla ratione deseruit. Cùm verò Gallus ac Rioldus famulos beati viri multis modis affligere & diuexare pergerẽt, quidam pontificis clientes & cognati qui generis nobilitate & diuitiarum gloria multum præstabant, animi dolore & zelo permoti, maleficos illos oppressores, ignorante, Episcopo, persequendos statuunt, ac tãdem bello petunt; armisque strenui vno impetu interimunt.

Arguit Pipinũ Lambertus, vt pellicem deserat, quam Plectrudi legitimæ vxori sue superduxerat.

Insidiatur ei pellex Alpais per Dodonẽ fratrẽ.

Proverb. 28.

Impijssimi viri sancti æmuli Gallus & Rioldus trucidantur.

Per id tempus Pipinus Princeps in Iopiliam villam concessit, eodemque virum sanctum ad consilium pro regni negocijs aduocauit. Ibi tum Pipinus & pellex, animos iratos vultu sereno

reno tegentes, alios pariter suo exemplo ad iræ dissimulationem, fictamque lætitiam prouocabant. Cumque in varias sese formas cuncti transmutarent, pellex summo studio in id incumbebat, vt offensum Episcopi animum sibi conciliaret & à Principis reprehensione planè abduceret.

En quàti habeatur ã tãto Principe.

Apparatur conuiuium; inuitatur Episcopus; lætantur aulici omnes. Princeps oblatum sibi à pincerna poculum innuit Episcopo offerendum, benedictionis loco habiturus, si à cõsecrata manu ipse poculũ acciperet; quod maximum Imperatorem olim à beatissimo pręsule Martino expectâsse nouerat. Et Episcopus quidem illud Pipino tradidit; cuius principis reliqui proceres secuti exemplum optabant à sancta Episcopi manu sibi poculum porrigi. Cunctis igitur certatim id expetentibus, & cõfusè sese ingerentibus, vt alij alios anteuertãt, ipsa quoque pellex clàm sua inserta manu, poculum ex sancti viri dextra accipere tentabat. Sed ille fœminæ insidias deuitans, & ad Principem conuersus, de mulieris conqueritur temeritate, quod calliditate quadam notam ipsi inurere inuisæ Deo communionis conetur. Surgensque à mensa ab aula vult recedere; & omnis illa conuiuij iucunditas perturbatur. Nec sic tamen mulieris quiescit versutia; sed vesperè volenti recedere Episcopo mandat princeps, illa suggerente, ne insalutata sua coniuge recedat. At antistes magna animi constantia, Ego verò, inquit, ô Princeps testor Iesum, spem vitę meæ, me nunquam adulterę communicaturum, prohibente

S. Martini vitam reperiet lector 11. Nouemb.

Vide quàm abominatur vir sanctus pellicis communionem.

Apostolo, ne commisceamur fornicarijs. Te
1. Corint. 5. verò illi communicare valdè doleo; te nolle resipiscere molestè fero; & timeo sanè iustam omnipotentis Dei iram tibi impendere. Cernens ergè pellex, si diutius viuat Lambertus, de sua cum Principe familiaritate actũ esse, omnia Dodoni significat; & oleum camino addens, obtestatur vt ocyus eum è medio tollat.

Ita ergo & cognatorum cædem & sororis discrimẽ vlturus Dodo, quotidianas viro sancto insidias struit: adiunctisque sibi eam adrẽ hominibus quibusdã audacibus & flagitiosis, Leodium petit; vbi tum fortè morabatur Antistes. Eadẽ illa nocte, hostibus propius ad ædes viri sancti appropinquantibus, fertur Crucis
En insigne miraculum. Dominicæ effigies suprà Episcopi domũ rutilâsse, tanti splẽdoris, vt nulla oculorũ acies eã intueri posset. Intereà Dodo cũ socijs ferocissimis arma expedire; sanctum Dei sacerdotem hinc indè perquirere; fores effringere; in ædes atrociter irruere. Eo armorum strepitu excitatus Episcopus, surgit è lecto, manu gladiũ corripit, seseque contra hostes defensurus strenuè
Irruentibus hostibus, arreptum gladium vir sanctus mox abiecit comparat. Sed confestim mutata sententia abijcit gladiũ, martyrijque ardore incensus, precatur Dominum dicens: Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me; quoniam neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine, propter quod insurrexerunt aduersum me fortes & iniqui. Eccè Synagogæ potentium quæsierũt animam meã; quamoro, vt in pace suscipias, qui es miserator & misericors Dominus.
Psal. 58. 85.

Hæc

Hæc cum lachrymis illo orante, impij latrones procaciter insultantes in domum irrumpere nitebantur. Sed duo beati viri nepotes Petrus & Andoleº, fortiter sese illis opponebãt. At verò vir sanctus, ne desiderata diu martyrij gloria fraudaretur, ait ad illos: Si me filij hactenus verè amâstis, obtemperate nũc consilio meo, & peccata vestra pura & integra oris cõfessione expiate, vosq;, qui cædis eius participes fuistis, ad hanc vltionis sententiã libentiùs animis prẹparate. Satiùs est enim, temporarias hic luere pœnas, quam igne sempiterno apud inferos puniri. Cùm sic omnes confirmâsset & pontificali auctoritate corroborasset, iussit nepotes foras ad hostes progredi, vt possint se Domino hostias immolare. Parent illi Pontifici: exeunt ad hostes intrepidi: cædũtur ab impijs: à Christo in cælis eorum animæ coronantur.

Spontaneum fuit viri sancti martyrium.

Duo eius nepotes trucidantur.

Deindè pater egregius & antistes constantissimus in pauimentum pronus prostratus brachijs instar Crucifixi expansis, attentissima mente Dominum precabatur: cùm ecce impij carnifices intrò irruentes obuios quosque ad vnum omnes trucidant. Vnus autem ex illis, immanissimi furoris œstro percitus, in tectum ascendit: cernensque virum sanctum in oratione prostratum, mortifero eum telo percutit. Pauci autem ex Episcopi socijs fuga elapsi, corpus sacrum Traiectum naui transuectum in Apostolorum Principis Ecclesia honorificè tumularunt. Et quidem vt corpus in portu expositum fuit, fama mox per populos volitante, ingens omnium factus est concursus. Cumque

Et alij multi.

S. Lambertus interficitur.

Traiectum trãsuehitur, ibidemq; tumulatur.

certatim sancti membra exosculari cuperent, fertur miri quiddam accidisse; quod cum antistitis gloriam valde illustrabat, tùm Alpaidis impuritatem apertè arguebat. Nam cæteris sine vlla repulsa ad osculandum admissis, si qua pellex accederet, mox quasi turbine quodam exagitata retrocedere compellebatur. Apparebat indè quàm inuisa Deo & sancto martyri esset illa pellex detestabilis. Tanta autem formido iniecta est Traiectensibus eam repulsam cernentibus, vt dignum tanto viro monumentum parare non auderent: sed in paterno sepulcro religiosè eum conderent.

Sacrum eius corpus nulla pellex potest contingere.

Mox verò diuinitus declarari cœpit, quanta apud Deum sanctus martyr gratia flagraret in cælis. Apparuit enim nocte Amalgisilo thesaurario, & blandè eum compellans, Romam, inquit, iuimus; Roma redimus; visitaturi Dodonem & complices eius. Sanguis enim innocentum, qui mecum pro Christo effusus est, à Deo vindictam expetit. His dictis, euanuit; & Dodo paulò pòst teterrima lue correptus, mirè fœtentia per os reiecit viscera; corpusque eius, vermibus & tabe corruptum, propter nimiam fœtoris intolerantiam in Mosam proiectum est. Qui autem mortiferum in virum sanctum vibrauerat telũ, cum fratre suo congressus, illum occidit; pariterq; ab eo peremptus, debitas tanti sceleris pœnas luit. Denique intra anni spatium vix quisquã ex ijs euasit, qui cædis illius participes fuerant: si qui verò superfuêre, illi adeò aut sensibus, aut censu & rebus destituti sunt, vt illos fœlices ducerent, qui celeri morte absumpti fuerant. Leodij, vbi san-

En vt sanguis innocẽs effusus, à Deo vindictam expetat.

Idẽ testatur Sigebertus in Chronicis.

Vltio diuina occisores sancti viri.

sanctus antistes martyrio coronatus est, in cubiculo illo, quod sanguinis illius effusione venerandum habetur, sæpius visa sunt luminaria diuinitus accẽsa: ita vt tota domus tanto compleretur splendore, vt vix oculi in eum possent intendere. Secuta sunt deindè multa miracula, quæ populum pietate ac deuotione accenderunt, vt ei basilicam extruerent: lectumque fabrefactum eo in loco reponerent, vbi telo percussus occubuerat. Porrò S. Hubertus, martyris discipulus & successor, anno Episcopatus sui tertiodecimo aperiens sancti patris sarcophagum, corpus integrum & incorruptum suauissimisque odoribus refertum inuenit: vestes mutauit; & priores sigillo munitas pro fidelium deuotione diligenter asseruari curauit. Corpus verò sacrum vnà cùm sede Cathedrali Leodium transtulit: quam translationem Deus præclaris miraculorum signis approbauit. Niuellæ enim populo cum sacro pignore quiescente, cæcus lumen recepit, & paralyticus apud Harualt pristinam membrorum sanitatem recuperauit: quibus in locis mox basilicæ in Martyris honorẽ conditæ sunt. Ab eo verò tempore tot Leodij edita sunt miracula vt numerari non possint.

Miracula.

Extruitur ei basilica.

Corpus eius post annos 13 incorruptum transfertur Leodium. & S. Huberto eius successore.

Alia miracula innumera ad tumulum eius.

VITA S. HILDEGARDIS VIRGINIS, Abbatissæ Cœnobij in Monte S. Roberti propè Bingium: miraculis & prophetijs illustrissimæ: ex ea quæ est per Theodoricum Abbatem. Quo tempore floruerit patet infrà.

Vide Notat. C. Baron. ad Martyr. Roman. & Chron. Genebrardi.

DEO

17. Septēb. *Patria & Parentes eius.*

DEO dilecta virgo Hildegardis, patre quidem Hideberto, matre verò Mechtilde, parentibus sanè tam generis claritudine, diuitiarumque affluentia, quàm sanctitatis opinione celeberrimis, in citerioris Gallię partibus orta est. Qui tametsi essent terrenarum rerum curis impliciti, creatoris attamen donis haud ingrati, filiam vnicam longè chariſſimam diuino famulatui manciparunt: iam enim ineuntis ætatis eius præmatura synceritas & columbina simplicitas, ab omni carnalium habitudine multum dissentire & à mundanis voluptatibus plurimum abhorrere videbantur.

Visiones eius in tenera ætate.

Et quidē mox vt primam poterat tentare loquelam, tam verbis quā nutib. significabat his qui circa se erant, secretarum visionū species: quas præter communem cæteris adspectum, speculatione prorsus insolita intuebatur. Porrò iam fere octennis consepelienda Christo, recluditur in Monte S. Disibodi (cuius & vitam posteà conscripsit) sub disciplina piæ Deoque deuotæ fęminæ Iuttæ, sororis Meginhardi Comitis Spanheimensis potentissimi: quæ cum illam sub humilitatis & innocentiæ veste diligēter in requisitis instituisset, voto demùm monasticæ professionis emisso, ac sacri velaminis benedictione accepta, Christi sponsam reddidit acceptabilem. Ab eo sane tempore virgo casta multum crescebat & ibat de virtute in virtutem: annitente & congratulante prouectibus eius matre ipsius spirituali.

Eius vitam reperiet lector 8. Iulij.

Profitetur sub habitu monastico.

Egregiè proficit.

Ecclē. 27. 2. Corin. 12.

Verùm quoniam vasa figuli probat fornax, & virtus in infirmitate pficitur; haud defuēre

ei ab

ei ab ipsa ferè infantia crebri & penè continui languorum cruciatus, à dæmonibus sæpenumerò Deo permittente illati; ita vt pedum incessu perrarò vteretur: & cũ tota carnis materia fluitaret, vita illius esset quædam pretiosæ mortis imago; attamen tunc vehementiori afflictabatur dolore, quotiescunque muliebri timore correpta cunctaretur, vel dubitaret diuinæ reuelationis supernæque voluntatis peragere negotia: hoc certitudinis in se capiens argumentum. Ast quantum exterioris hominis viribus deerat, tantum interiori per spiritum scientiæ ac fortitudinis, diuinarumque consolatione visionum accedebat: & corpore tabescente, mirum in modum feruor spiritus inæstuabat.

Continuis ferè affligitur ægritudinibus.

Cum siquidem quadraginta duorum annorum septemque mensium esset, ecce quodam die maximæ coruscationis igneum lumen aperto cælo veniens, totum cerebrum, totumq; cor atque pectus eius transfudit; eaque velut flamma non tamen ardens sed calens ita inflãmauit, quemadmodum sol rem aliquam calefacit, super quam radios suos spargit: & repentè intellectum expositionis librorum, videlicet Psalterij, Euangelij, & aliorum Catholicorum, tam veteris quàm noui testamenti voluminum, diuino illo igne illustrata sapiebat; quãquam interpretationem verborum textus eorum, diuisionemque syllabarum atque cognitionem casuum, temporumve ignoraret.

Mirabili modo diuinitus illustratur.

Vt autem ad multorum prouectum vita eius ac doctrina patesceret, cõmonetur cælit⁹ voce ad

Cælitus monetur reuelationes suas manifestare.

ad eam facta, vt de cęterò quæ videret & audiret sedulò scriptis mandaret. At illa per fęmineam verecundiam, ob vulgi vaniloquia, & temeraria hominum iudicia trepidans ostensa secreta reuelare, stimulo acriori, longa quippè ægritudine coarctata compellitur diutius non hæsitare: Itaq; diuturna infirmitate tabefacta, primò cuidam monacho quem sibi magistrum proposuerat, & per eum Abbati suo cum metu & humilitate causã huius flagelli aperuit. Abbas verò rei nouitatẽ mente pertractans, quanquam Deo nihil nõ possibile esse cognosceret, conuocatis de Conuentu solertioribus, experiendum iudicauit quod audiebat: itaq; de visionibus ac reuelationibus eius quædam scisscitatus, ea quæ Deus daret, monuit liberè manifestare. Mox autem vt illa scribendi opus quod non didicerat attentauit, protinus (ô rem mirabilem) solitam sibi virium redditam fortitudinem sentiens, de lecto infirmitatis sana exilijt: quo sanè insigni miraculo obstupefactus Abbas, rem ad publicam notitiam duxit esse proferendam. Adiens itaque paulò post Henricum Archipræsulem Moguntinum, eidem & Ecclesiæ Præpositis quæ de sancta Hildegarde cognouerat exposuit: scripta quoq; quæ beata virgo nuper ediderat ostẽdit.

Inobediens diuino mandato flagellatur à Deo.

Fit sana dum patet.

Exhibentur scripta eius Antistiti Moguntino.

Quo quidem tempore sanctæ Romanæ sedis Antistes Eugenius, B. Bernardi quondam discipulus, celebrato Rhemis vniuersali Concilio contra hæresim Gilleberti Pictonum Episcopi per * Adelberonem Treuirorum Archiepiscopum ad Synodum deuocatus, Treuiris cum 18. Cardinalibus, Episcopis & Abbatibus multis

a Floruit is anno Christi 1145. & seq.

** Adelberũ.*

De Rhemẽsi hoc & Treuerensi Con-

Mora-

morabatur. Visum itaq; fuit Pontifici Moguntinæ ciuitatis & maioribus cleri, ad Apostolici cognitionem esse veniendum: quatenùs ipsius authoritate discerneretur, quid de cõpertis recipiendũ aut refutandũ foret. At Papa summæ discretionis, auditu tantæ nouitatis attonitus, cum Deo sciret nihil esse impossibile, rem diligẽtius inuestigare gestiens, venerabilem Virduni Præsulem & cum eo Adelbertum primicerium, aliasque personas idoneas dirigit ad cœnobium; sub quo eadem virgo tot annis degebat inclusa: vt sinè strepitu vel curiositatis acumine, quid rerum esset, ab ipsa sciscitarẽtur. Quibus humiliter inquirentibus, cum illa simpliciter quæ de se erant manifestasset, demùm reuersi magna omnium expectatione, quæ audiêrant retulêre.

cilio vide Genebrardũ in Chronico.

Legati Summi Pontificis inquirunt de sanctæ virginis negotij veritate.

His summus Pontifex recognitis iubet repræsentari sanctæ Hildegardis scripta, quæ sibi de præmemorato Cœnobio perlata susceperat; & ea proprijs manibus tenens, viceque recitatoris functus, Archiepiscopo & Cardinalibus, omnibusque qui de clero aderant publicè legit: ac responsa virorum, quos ad præfata indaganda miserat, pronuntians omniũ mentes & voces in laudem conditoris & congratulationem excitauit. Aderat & ibidem beatus Bernardus Abbas Claræuallis; quo mediante, cęterisq; annitentibus monebatur Romanæ sedis Præsul, nè tam insignem lucernam silẽtio tegi pateretur: verùm tantam gratiam quam tẽpore ipsius Dominus manifestare vellet sua authoritate confirmaret. Ad quæ ille tam benignè quàm & sagaciter assensum præbens, literis salutatorijs beatam virginem visitauit; in

Comprobantur scripta S. Hildegardis à summo Pontifice.

B. Bernardi vitam reperiet lector 20. Augusti.

Animatur ab Eugenio Papa ad cõtinuanda reuelationum scripta.

quibus conceſſa Apoſtolica licentia proferendi quæcunque per Spiritum Sanctum cognouiſſet, eam ad ſcribendum paterno affectu animauit: quin & locum, quo illa fouebatur, honorauit; datis ad Abbatem & fratres Cœnobij gratulatorijs ex ſuo nomine literarum apicibus.

Multæ virgines nobiles fiunt religioſæ.

Atque his quidem & tantis viris auctoribus beata Hildegardis cũ fiducia humillima, verbis talibus, quæ non ab homine neque per hominem acceperat, opus pijſſimum ad communem vtilitatem continuauit, ac ſanctæ conuerſationis odorem tam ſuauem, tamq; longè lateque fragrantem aperuit & perfudit, vt ad eam confluerent breui haud paucæ nobilium filiæ, ſub habitu religionis regularibus diſciplinis inſtituendæ: quas quidem omnes cum procedente tempore vnum recluſionis habitaculum, numero increſcente difficulter admodum caperet, iamque de transferendis & ampliandis earum manſionibus mente ſecum tractaret, demonſtratur illi per Spiritum locus, vbi Naha fluuius Rheno confluit; Collis quippè à priſcis temporibus S. Roberto Confeſſori ex nomine attitulatus: quod illum olim patrimonij iure poſſederit, ibique cum beata genitrice ſua Bertha & S. VVuiberto Confeſſore tumulatus ſit.

Mons S. Roberti cælitus ei aſſignatur pro habitatione.

Itaque dum virgo Dei locum trãſmigrationis, quem non corporeis oculis verum interna viſione cognouerat, Abbati ſuo & fratribus manifeſtaret; illis verò hæſitantibus ac moras trahentibus, eò quod diſceſſum eius moleſtè ferrent: decidit illa (vt pridem) in lectum diu-

turnæ

turnæ infirmitatis: adeò vt Abbas (cum & experimento didicisset haud passionis humanæ sed diuinæ correptionis esse quod circa illam gerebatur) & cæteri ad consentiendum diuino se nutu vrgeri conspicerent. Itaque vlterius cælesti edicto haud cõtraeundum censens, ingressus iterùm ad iacentem & afflictam, iubet vt in nomine Domini surgat; abitura ad mansionem sibi cęlitus prędestinatam: cum eccè illa dicto citius surgens, veluti nihil tam prolixo tempore debilitatis passa, stupore & ingenti admiratione cunctos qui aderant perfudit.

Infirmatur dum executio diuinæ voluntatis differtur.

Iterùm conualescit.

Quoniam verò locus præmemoratus partim ad Moguntinæ Ecclesiæ canonicos pertinebat, & fundus cum oratorio S. Roberti possessio erat Comitis Bernhardi de Hildensheim facta per interuentũ fidelium legatione, virgo sancta licentiam sibi & Sororibus suis illic inhabitandi obtinuit. Sicque demum voti compos effecta cum decem & octo virginibus Deo sacratis pristinæ habitationis loco decedens, quantum his quos deserebat doloris & luctus derelinquebat, tantum regioni ad quam accedebat gaudij & exultationis afferebat. Fuêre namque de Bingensi oppido & contiguis villis multi honoratorum & de plebe haud exigua multitudo: qui eam cum grandi tripudio & diuinis laudibus exceperunt.

Commigrat ad Montem S. Roberti cũ sibi commisso grege.

At illa paratum sibi locũ ingressa, diuinam quæ cuncta dispensat sapientiam deuota cordis alacritate magnificare; pusillum suum gregem materno affectu fouere: & regularibus institutis prudenter imbuere. Ne verò alieni

Optimè præest suis.

iuris possessionem videretur inuasisse vel occupare, de donarijs fidelium, quæ fama nominis eius adducti deferebant, locum habitationis suæ, partim dato pretio partim facto concambio à proprietarijs prædictis obtinuit: quem quoniam liberum omninò iam redditum, immunem perpetuo manere optaret. Moguntinæ sedis Archiepiscopum in specialem defensorem ac protectorem sibi asciuit. Post hæc ad intermissa pro tempore scripta alacris rediens, librum visionum suarum in Monte S. Disibodi inchoatum hic consummauit: & quędam de natura hominis & elementorum, diuersarumq; creaturarum, aliaque multa secreta prophetico spiritu manifestauit. Videre etiam est quã præclarè epistolis de diuersis prouincijs ad se directis respondérit: si quis tenorem verborum eius ex reuelatione diuina prolatorũ altius considerare voluerit. Sunt aũt in vnum volumen compilatæ; & suæ & illæ quæ ad se fuerant destinatæ. Quis verò non miretur quòd cantum dulcissimæ melodiæ mirabili protulit symphonia; & literas non prius visas cum lingua edidit antea inaudita? Præter hæc Euangelia quædam exposuit: aliasque typicas expositiones composuit. Magnum etiam est illud & admiratione dignum, quod ea quæ in spiritu audiuit vel vidit, eodem sensu eisdemque verbis circunspecta & pura mente, manu propria scripsit & ore edidit; vno solo fideli viro symmysta contenta: qui ad normã Grammaticæ artis (quam ipsa ignorabat) casus, tempora & genera quidem disponere, verùm ad sensum vel intellectum eorum nihil omninò addere

Monasteriũ omninò liberum reddit.

Præclara quædam eius scripta.

Diuinitùs multa edocetur.

In rem mirabilem.

addere præsumebat vel demere. Inter hæc autèm haud desijt tortuosus coluber excitatis impiorum quorundam animis sanctam virginem subindè hisce & similibus subsannare & diuexare dicterijs; Quid est, quod huic stultæ & indoctę fœminæ tot mysteria reuelãtur? Permisit quoque Deus eam quandoque non modò à communi plebe, verumetiam à propinquis suis, quin & ab aliquãtis qui secum erant, cum eis necessaria deessent haud parum affligi: At post pressuram multiplicis doloris, redijt gratia diuinæ consolationis. Ex contemptoribus siquidem complures effecti munifici, ad eam certatim confluentes, egregijs donis & beneficijs illam affecerunt. Inter quos Philosophus quidam generis ac diuitiarum claritudine admodum conspicuus, cum prius visiones eius tanquam anniles fabulas spreuisset, ac malitiosis verbis sanctam proscidisset, tãdem diuina miseratione illuminatus credidit; & ex Saulo factus Paulus ad eam veniens, veniamque deprecatus, locum illum ædificijs, allodijs, alijsque rebus necessarijs in tantum locupletauit, vt eum communẽ Patrem omnes nominarẽt: qui & post obitum (vti viuens petiêrat) honorificè apud eas sepultus est.

Exercetur rebus aduersis.

Recipit consolationem.

En miram conuersionẽ cuiusdam philosophi.

Porrò murmurationes quæ per deceptionem satanæ quandoque oriebantur in cordibus puellarum suarum, exhortationibus sanctarum scripturatam prudenter admodum sedabat. Inter aduersa & prospera vnum eundemque seruabat animi vigorem & constantiam; intentam tanquam arcum mentem

S. Hildegardis prudentia.

ad omnem disciplinam habens: sicque authoritate modò mansueta modo seuera se suosq; egregiè regebat, alijsque mira orationis suauitate monita salutis dabat. vndè non modò è tota vicinia sed & ex omni tripartita Gallia atque Germania concurrebāt ad eam vtriusq; sexus populorum examina; quib. per Dei gratiam vtriusque vitæ accommoda impendebat exhortamina: ad salutem enim animarum suarum proponebat eis & soluebat quæstiões sanctarum scripturarum. Et quoniam prophetico spiritu cogitationes & intentiones hominum cognoscebat, quosdam vafra & duplici mente ad se quasi ad consultandum, reuera autem ad carpendum accedentes redarguebat: ac emendatos à prauo incepto desistere cogebat: sed & Iudæos ad se veniētes de perfidia cōuictos verbis piæ admonitionis ad Christi fidem exhortabatur. Præuidebat quoque in spiritu vitam hominum & conuersationem, nec non & vitæ præsentis quorudam consummationem: ac secundùm qualitatem morum & meritorum, gloriam & pœnas animarum eorum. Vndè spiritu diuino quandoque impulsa, Coloniam, Treuerim, Metim, Herbipolim, Babenbergam, aliaque diuersa ad loca profecta, Clero & populo, quæ ad vtilitatē animarū pertinebant, iuxtà ea quæ ei Deus reuelauerat, annunciauit: omnibus siquidem omnia facta, omnes Christo lucrifacere satagebat.

Vndique ad se confluētib. dat monita salutis.

Claret prophetiæ spiritu.

Diuersa loca adit prædicans verbū Dei.

1. Corinth. 9.

Ceterùm quicquid de ea dici potest, totum est iucundum & amabile; totum decorum, vtile & honorabile: quia nō solum omni morum sanctitate, & mysteriorum Dei interna con-

Miracula insignia edidit.

tem-

templatione spectabilis, verumetiam miraculorum insignium operatione est & fuit admodum illustris. Nullus siquidem ferè quacunque detentus infirmitate ad eam accessit: qui non protinus diuina cooperante virtute sanitatem sit adeptus. Specialis verò in dæmonibus ex obsessorum corporibus eijciendis ei affuit gratia. Demùm virgo sancta plena dierum & bonorum operũ vitæ præsentis tædio affecta dissolui & esse cum Christo quotidie cupiebat. Cuius desiderium Deus exaudiés, finem suum, sicut ipsa præoptauerat ei reuelauit: quem & sororibus aliquandiu prædixit. Itaque valido correpta languore 82. ætatis suæ anno, ad spõsum cælestem (cum ei animam suam, gregemque sibi commissum eximia animi pietate commendasset) felici transitu demigrauit. Spiritales autem eius filiæ, quarum omne gaudium & solatium ipsa erat, funeri dilectæ matris amarissimè flentes assistebant.

Philip. 1.

Obit felicissimè.

At Christus Dominus, cuiuis apud se meriti esset sponsa sua, in exitu eius euidenter declarauit. Nam suprà habitaculum in quo illa primo crepusculo noctis Dominicæ diei sanctam animam Deo reddidit, duo lucidissimi & diuersi coloris arcus in firmamento apparuerunt; qui ad magnitudinem ingentis plateæ se dilatauerunt, in quatuor partes terræ sese extendentes: quorum alter ab aquilone ad austrũ alter ab oriente ad occidentem procedebant. In summitate verò vbi hi duo arcus iungebantur, clara lux ad quantitatem lunaris circuli emergebat: quæ latè se protendens, tenebras noctis ab habitaculo depellere videbatur.

En præclarũ miraculum tempore emigrationis suæ.

mùm parua, sed crescendo postea immensa; circa quam innumerabiles varij coloris circuli: in quibus singulis singulæ rutilantes Cruciculæ oriebantur cum circulis suis: priore tamé minores conspiciebantur. Et cum hæ in firmamento se dilatassent, latitudine suà ad orientem magis pertingebant: & ad terram versus domum in qua virgo sancta obierat, declinare visæ totum montem clarificabant. Credendum sanè Diuinam bonitatem hoc signo ostendere voluisse, quanta claritate dilectam suam in cælestibus illustrauerit. Nec defuêre alia, antequam sepeliretur, miracula meritum sanctitatis eius testantia. Duo siquidem homines qui sanctum corpus eius spe bona tangere præsumpserunt, à graui infirmitate conualuerunt. Exequijs igitur venerabiliter celebratis, honorificè sepulta est; odore miræ suauitatis de tumulo redolente: vbi & meritis eius, omnibus pio corde quærentibus, multa præstantur beneficia.

Item aliud.

Item sepulchrum eius miraculis celebre.

MARTYRIVM S. FERREOLI TRIBANI: Ex eo quod est apud V. P. Laur. Sur. Coronatus est anno Salutis 303. Marcel. Pap. 7. Dioclet. Imp. 20.

Vide C. Baron. Tom. 2. Annal. & Notat. in Martyr. Roman. 18. Septēb.

Crispinus præses compellit ad sacrificandum Christianos.

CVM per vniuersas prouincias gen' Christianorum à ministris Satanæ sacrilegis ritibus seruire cogeretur, Crispinus quidam, temporis illius Præses, in Viennensi ciuitate iuxta Imperatorum præceptum cœpit ad sacrificandum Christianos cōpellere: sedensque

que pro tribunali, cùm deteſtabili conſilio honoraret obtemperantes, contradicentes verò acriter puniret, atq; in cunctos Dei ſeruos crudeliter ſæuiret, inter alios etiam beatiſſimum Martyrem Ferreolum, habitu ſolo, non officio militantem, quòd eſſet proditus Chriſtianus, ſacrificare compulit, dicens; Parere te antè omnes neceſſe eſt, Ferreole, inuictiſſimorum Principum legibus; quibus & pro militiæ ſtipendijs fidem debes, & pro Maieſtate reuerentiam, & pro honoris augmento irrepræhenſibilem deuotionem. Oportet igitur te obtemperare conſilio, ne diſſimulantem pœna caſtiget. Sacrifica ergo dijs. Quid moraris? Reſpondit Ferreolus; Chriſtianus ſum: dijs ſacrificare non debeo. Imperatoribus, quamdiu ſalua religione licuit, militaui. Opera mea cùm tibi parui iuſſus, legibus diaboli ſacrilegis nunquàm ſeruiui. Aduerſus noxios, non aduerſus Chriſtianos militare conſtitui. Stipendia, quæ commemoras, non requiro. Paſcat ſacrilegum militem ſacrilegus Imperator. Temporalis vitæ lucra non ambio: mihi ſufficit, ſi ſalua religione, liceat viuere Chriſtianũ. Quod ſi id non liceat, paratus ſum mori.

Inter alios S. Ferreolum militem.

Ille verò cõtemnẽs præclarum dat reſponſum Præſidi.

Præſes ad hęc cunctabundus, Et vndè, inquit tibi Ferreole iſthæc tanta moriendi fiducia? Fortaſſis poſt iniuriam legum, poſt contumeliam principum, vitæ deſperatio te inuaſit. Sed patitur hoc planè abolitum eſſe humanitas noſtra, quod in deos & principes contumaciter protuliſti, modò dictorum tuorum te pœniteat, & legibus ſatisfacias; repudiando ſectam Chriſtianorũ, & numinibus ſacrificãdo.

Blanditur ei Præſes.

Ferreolus respondit ; Humanitatem tuam & indulgentiam, quam promittis, tibi vel Imperatoribus tuis deinceps militaturus expectet: quorum legibus iniuriam non facit, qui legem Dei eis anteponit. Ille potiùs reus est, qui diuinitati detrahit , qui insensibilia & caduca veneratur. Ego Creatorem, non creaturam, adoro. Deus verò, qui vniuersorum Dominus est & æternus Imperator, dedit seruis suis per Iesum Christum filium suum fiduciam moriendi. Per quem etiam donat nobis resurgendi spem, vt ad amplioris vitę incrementa, præsentis vitæ detrimenta nobis profutura credamus.

Præclara Martyris vox.

Venitur ad minas.

Præses ait; Vt video, iacturam vitæ iam fecisti. At dignum est tamen, vt etiã tormenta contemnat, qui consilij humanitate non flectitur: quæ tu, nisi sacrificaueris, quàm sint acerba, cognosces. Sed cùm minis haud quaquam cerneret permoueri beatissimum Ferreolum, sisti eũ præcepit, & acriùs verberari. Cumque nec sic, succedentibus sibi ex more tortoribus, eum flecti posse videret, iussit eum oneratum ferro includi in carcere, dicens; Rebellem hunc squalidus & omnem pœnam excedẽs carcer includat; reum se sentiat Maiestatis: careat luce contemptor deorum. Compedito stare non liceat; sedentem quoque ferri deprimant pondera: iacentem etiam ipsa, quę stringit, vastior catenarum colligatio consumat ; donec seueriori quæstioni præparatus, omnia, quæ in criminosos constituta sunt, supplicia percurrat. Quibus dictis , statim ministri Præsidis beatissimum Ferreolum oneratum ferro, in carcerem

Cæditur martyr.

Mittitur in carcerem.

conie-

coniecerunt, adhibitisque custodibus, eum seruare cœperunt denuò præsentandum.

Sponte eius vincula soluuntur. Fugit è carcere. Matth 10.

Illic verò biduo exacto, die tertia diluculo altius (vt fit) depressis sopore custodibus, resolutit sponte vinculis, liberum se Dei seruus agnouit. Et lento accedens gressu ad ostium carceris, patere sibi liberum sensit egressum. Ac secundum Euangelium fugiēs persecutionem, ad extraneam properat regionem. Egressus autem foras portam Lugdunensem, ancipiti defixus consilio, substitit; ac secum deliberans, cui potissimum viæ insisteret, tādem visum est Rhodanum quanquam difficili natatu transmittere. Præmissa itaque oratione, amnem fidus ingreditur; quem deductis blandè vorticibus natādi conatu paucis traiecit impulsibus. Dehinc concito gradu ingressus aggerem publicum, vsque ad Iarem fluuium percucurrit. Vbi à persecutoribus comprehensus, vinctis post tergum manibus ad vicum, cui Briuatæ nomen, ductus est: ibidemque subito instinctu crudelitatis percussus occubuit. Quem fidelis religiosorum ciuium deuotio ad præsidium ciuitatis non longè à Rhodano cum summa veneratione tumulauit. Cuius beneficia per ciuitates sicut expetuntur votis, ita beneficijs frequentibus approbantur.

Iterum cōprehenditur & occiditur à persecutoribus: & claret miracalis.

CERTAMEN GLORIOSVM SS. IAnuarij, Episcopi Beneuentani; & sociorum eius: Ex eo quod est à Ioanne Diacono S. Ianuarij conscriptum. Passi sunt anno Domini 305. Marcelli Papæ 2. Constantij & Galerij Maximiani Impp. 2.

Vide Tom. 2. Annal. C. Baron. & Notat. ad martyr. Rom.

19. Septēb. *apud L. Surium 23. Septembris.*

NVMERIANO Augusto ab Apro socero suo clādestinis insidijs peremptо, & similiter Apro à militibus necé suí Imperatoris ægrè ferētibus trucidato, Diocletianus cuiusdā ex Dalmataia scribæ filius tumultuosa vociferatione Cæsar acclamatus est. Hic vt erat mirè versipellis, Maximianum cōtinuò Herculeū, moribus & feritate haud sibi dissimilem, consortem sibi asciscens iniquo prasatu Reipublicæ summam inuaserunt. Sed quia Carinum Numeriani Germanum, magno Galliarum exercitu instructum, metuendum ducebant, idcircò suis im primordijs lentā in Christianos persecutionem commouerunt, non ignorantes plurimos illi adhærere amicos, quos huius tituli decorabat professio. Vbi aūt Cęsar ille penes Murgum prælio deuictus occubuit, confestim laxatis tyrānidis suæ habenis per vniuersum orbé complices suos direxerunt, qui Christianos omnes aut obscœnis manciparent cæremonijs, aut exquisitissimis pœnis excarnificatos morti addicerent: cruentissimi itaq; satellites, omni sollicitudine, iniquissima suorum iussa dominorum adimpleuêre, ac diram de sanctis carnificinam exercuére.

Diocletianus ex humili genere quippè scribæ filio, fit Imperator.

Persecutio Diocletiani & Maximiani in Christianos.

Multo dein post tempore, cum prænominati Imperatores vna simul imperium deposuissent; ij quidem qui hactenus Cæsarum titulo cum illis Rempublicam administrârant, Constantius nempè Chlorus & Galerius Maximianus, Augusti fuêre appellati: ac ille Maximiano Herculeo in Occidente, hic verò Diocletiano in Oriente succesśêre. Verumenimuerò quantumlibet Constantius Imperator,

rator, qui se cunctis (Christianis autem potissimum) facilem, humanum, amabilemque præbebat, Occidentalis orbis regimẽ administraret; in extremis tamen mundi partibus agens, in Britannnia scilicet, alijsque oris occiuis: res Italiæ ex Galerij Miximiani sententia regi potius videbantur. Eius siquidem arbitrio Præsides atque Proconsules cuncta agere, & in eo quoque, vt Christianos acerbissimè vexarent, eidem morem gerere. Ex quibus vnus (qui Campaniæ præsidebat, Dracontius nomine, cum per totam illam Prouinciam, tum in oppido Misenatium potissimam excitâuit persecutionem. Erat ea tempestate istius Ecclesiæ Diaconus Sosius; vir omni virtute ornatissimus, qui nocte dieque, quanquam cum præsenti capitis sui periculo, incredulos ad fidem inuitabat, & fideles ad imminentes instanter corroborabat, agones. Cuius industria & eximius virtutum splendor cum longè lateque flagrarent, in tãtum apud omnes opinio virtutis eius creuit, vt Ianuarius Beneuentanæ sedis egregius antistes, licet dignitate lõgè superior, sedulus ad illum visitandi gratia properaret: seseque infatigabilem sanctorum laborum comitem adiungeret. Mira sanctorum dilectio; mira & stupenda vtriusque constantia. Nam cum nulla itineris fatigatione frangerentur, nulla terroris intentione retraherentur, quin vicariam sibi exhiberent adfectionem, accidit nutu diuino, vt idem Domini antistes ex more veniens, reperiret illum in cœtu fidelium, sacrosancta Euangelia sonoro iubilo personantem: moxque pater optimus feruo-

Sosius Misenatæ ciuitatis Diaconus.

Ianuarius Beneuẽtanus Episcopus Sosio familiaris.

Præsagium martyrij in Sosio.

rem tantæ alacritatis diu multumque admirans, subitò clericalem verticem eius vidit perspicuam effundere flammam: cuius oblatione perculsus, intellexit protinùs quid coruscationis radiaret illa, quidve portenderet inflammatio cælitus in verticem demissa. Dehinc præparanter accedens, & cõstricto super eum incumbẽs amplexu, flammigerium illud caput spiritualibus delinuit osculis; & coram astantibus martyrij tãdem diademate coronandum iterum iterumque professus est.

Prædicit martyrium Sosij S. Ianuarim.

Cùm igitur Sosius admirãdis pietatis & doctrinæ operibus illustris, vitæ virtutisque proposito strenuè insisteret, & bonus odor alijs ad vitam, alijs secundùm Apostolicam institutionem esset ad mortem: factum est, vt ab his, qui bono perierunt odore, sępissimè ad Dracontiũ Campaniæ Iudicem accusaretur. Quorum frequenti suggestione paganitatis minister in furias actus, lictoribus suis transmissis vinctum eum ad se perduci præcepit. Et quidem fortis athleta Dei tentus à militibus, & coram solio Iudicis præsentatus, stetit interritus. At sceleratus arbiter diu multumque admirans elegãtem eius corporis formam, Aptè, inquit ad illũ, fama corporis cũ fama nõminis tui cõgruit. Sed quia quadam superstitione pollutus asseueraris, necesse est vt accedens libamen offeras & frustreris accusationem, quæ toties de te nostras perculit aures. Ad hæc sanctus responsum reddit paucis: Absit hoc Iudex, absit à me, vt debeam aliquo modo illam maculare religionem, cui ab ipsis incunabulis oblatus, toto corde totaque intentione seruiui.

Accusatur à perfidis apud Iudicem Sosius.

Capitur Sosius.

Constantia eius.

His

His Iudex auditis secum infremuit, & furibundus ad lictores cõuersus ait: Vestras expromite vires, & loquacitatẽ huius audacis validis comprimite flagris, quatenus resipiscens animaduertat ante cuius tribunal assistit. Dixit; & dictum cominus ministri exequentes, totũ corpus sancti fœdissimè laniârunt. Cernẽs verõ dæmonum arbiter, robustissimum Christi militem palæstra illa patienter flagella tolerâsse, stomachando intulit: Hic quia se vultum longanimitatis induisse simulat, claustris est teterrimis deputandus, vt ibi frigore fameque deficiens, & florida ipsius, qua gloriatur, iuuẽta tabescat. Erat tunc beatus Athleta annorum circiter triginta, cùm ad carceris squalores, optimo quoque id indignè ferente, abducebatur. Recluso verò fortissimo martyre in ardua arctaque custodia, Proculus diaconus, & * Eutyces atque Acutius illustrissimi ciues Puteolani, feruore deuotionis accensi, ethnicos clamorosis obiurgationibus increpabant, dicentes: Miseri, dementes, insani, quarè benignum & innocentem verberibus afflixistis, & tenebris addixistis? Nunquid quia vestrarum principis tenebrarum noluit esse famulus, ideò lucernam ardentem, quæ non potest sub modio contegi, carceris obscuritate voluistis extingui? Hæc & his similia vociferantes, ad ergastula properârunt; omnique solamine sanctum Leuitam recreârunt.

Flagellatur dirè S. Sosius, & carceri mancipatur.

Ætas S. Sosij.

Proculi, Eutycis & Acutij zelus.

**Eutyces & Acutius.*

Lictores autem, verbis illorum auditis, statim ad iniquum Iudicem properantes eos detulerunt. Dracontius verò Iudex ilicò eos citatis ad se officijs perductos tali corã astantes furo-

furore est affatus: Miseri, quæ vos fatalis coëgit impulsio, vt huic insano fauētes homini nostra nostrorumque principum decreta paruipēdatis? An nescitis, quāta super huius Sosij complices Imperatorū deferueat indignatio? Ad hæc

Egregium eorum ad Iudicem responsum.

sancti magna constantia tale edidêre responsum: O vtinam, Iudex, cælitus insaniam stolidi huius fuissemus incurrere digni, qui vos vestrosque tyrannos fide contemnit, humilitate despicit; patientia vincit: viceramus & nos irā indignationis non vestrę, sed Dei; qui venturus est ponere orbem terræ desertum: cuius illecebras vos tanta auiditate sectamini, vt meritò filij eius adstruamini.

Dirè vapulant SS. martyres & incarcerantur. Timotheus substituitur Dracontio.

Talibus extemplo dictis Censor exarsit in iras; & sinè mora furens vapulare sanctos penè ad internecionem præcepit. Cæsis ergò martyribus, & cum sancto Sosio in vno conclaui reclusis, Imperator Diocletianus Timotheum quendā paganismi superstitione insignē Campaniæ Præsidem substituit: ita dumtaxat, vt insatiabili feritate fideles persequeretur. Qui adueniēs, mox vbi reperit Sosiū cū socijs apud Puteolanam vrbem ergastulis pro Christi nomine cōclusos macerari, statim & B. Ianuariū,

Comprehenditur Ianuarius à Timotheo Præside Campaniæ.

cuius fama sanctitatis apud omnes in admiratione erat, comprehendi iussit. Et quidē Pręsul eximius tyranno oblatus, cùm nullis blanditijs, nullis minis vel terroribus, ab orthodoxæ intētionis culmine deijci posset, tyrāno in furorem ac rabiem verso, in ardentē mox fornacē toto triduo vehementer accēsum proiectus est. Sed ô immēsam Christi bonitatē, ô admirādā confessionis vim. Sanctus antistes in medijs flam-

flãmis incolumis perſiſtẽs, cõſtanter Euangelicæ veritati teſtimoniũ perhibebat: tandẽ egrediens, nec veſtimẽti nec capilli quidẽ detrimẽtum paſſus, ingenti aduerſarios admiratione deſixit. Sed nequiſſimus Conſul, tãti miraculi magnitudine nequaquam cõmotus, iuſſit protinus maiori iracũdia accẽſus martyris corpus vſque eò diſtrahi, quoad ſolutis neruorũ artuũque compagibus, aliquid de animi cõſtantia & magnitudine remittere videretur. Dum hæc fiunt, duo ex agmine Clericorum, Feſtus ſcilicet Diaconus, & Deſiderius Lector, Sancto ſpiritu admirabiliter inflammati, Nolam properârunt: magniſque clamoribus Conſulem tyrannidis arguunt, quod talem tantumque pontificẽ affligeret, qui omniũ neceſſitatibus ſubleuandis die nocteque inſudaret. Mox & illi compræhenſi, ac vinculis conſtricti, vnà cum Epiſcopo antè rhedam Præſidis Puteolos ſunt protracti; eundemque in carcerem apud Soſium & reliquos confeſſores crudeliter compacti.

Miſſus in ardentem fornacem nihil læditur.

Dirè cruciatur.

Feſtus Diaconus & Deſiderius lector vinciũtur, & carceri mancipantur.

His ita peractis, altera luce, præcepto Tyrãni ſancti martyres in amphiteatrum à beſtijs laniandi producti ſunt. Aderat eum innumerabili vtriuſque & ſexûs & ætatis multitudine Præſes, vt eo ſpectaculo crudeli ſanè ſuam rabiem ſatiaret. Sed ſanctis inſtar mõtium in palæſtra conſiſtentibus, & oculos palmaſque cũ eximia pietate ad cælum leuantibus, beſtiæ catenis ſolutæ, & furibundo impetu in martyres dimiſſæ, mox (dictu viſuque mirabile) omni feritate in ſummam manſuetudinẽ conuerſa, ad pedes ſanctorum procubuêre. Hoc tam ingens mira-

Damnantur ad beſtias.

Feræ bestiæ eos venerantur.

Præses cæcitate punitur.

Sanatur oratione Ianuarij, & multi credunt.

Decollantur SS. Martyres.

Defertur corpus S. Ianuarij Neapolim: & admirandis signis floret.

miraculum vt magnos animorũ motus in populo excitauit, ita Pręsidem denſiſſimis errorũ tenebris miſerè obſeſſum lymphatica intrinſecus rotauit vertigine, vt ſanctiſſimos martyres acrioribus pœnis demens ſubijceret. Sed populi tumultuantis ſeditionem veritus, capitis in eos ſententiam dictauit: cùm eccè ſubito oculorum lumine priuatus cæleſtem vindictã agnouit. Itaque acri dolore ſtimulatus, Ianuarij volens nolẽs implorans ſuffragium, tãdem eo orante lumen recepit: quo ſanè miraculo hominum millia admodum quinque Chriſti fidem ſuſceperunt. Verum ingratus Iudex, nihil placatior factus beneficio, ſed conuerſione tantæ multitudinis actus in rabiem, veritus maximè Principum decreta, lege protinus agere lictorem iubet. Atq; ita beatus Ianuarius cum ſocijs ad ſulphurariã Puteolanam gladio percuſſus, ad Epiſcopalis muneris laudẽ martyrij coronam adiunxit.

Horũ corpora finitimæ vrbes, pro ſuo quæque ſtudio certum ſibi Patronum ex ijs apud Deũ ad optandi, ſepelienda curârunt. Ianuarij corpus Neapolitani diuino admonitu extulêre: quod primo Beneuentum, indè ad monaſterium Montis Virginis, poſtremo Neapolim, Alexandro Sexto Pontifice, tranſlatum, & in cathedrali Eccleſia perhonorificè cõditum, multis miraculis claruit. Sed illud cum primis memorandum, quòd erumpentes olim è monte Veſuuio cinerum & flammarum globos, nec vicinis modò, ſed lõginquis etiam regionibus vaſtitatis metum afferẽtes, exſtinxit. Cuius rei pariter ac beati Martyris, memoriam Græci

quoque

quoque quotannis semel atque iterum celebrãt. Porrò insigne ac perenne miraculum sanguinis eiusdem S. Ianuarij, qui cum ampulla vitrea concretus continetur, & in conspectu capitis Martyris positus colliquescere & fluere perindè ac si recens esset effusus, ad hæc vsque tempora conspicitur, nõ eiusmodi est, vt vnius vel alterius hominis testimonio cõprobetur, sed ita manifestũ, vt ipse Martyris sanguis assidua miraculorum operatione, vocibus quibusdam velut Abel sanguis clamãs per vniuersum Orbem Christianum intonet.

En duo insignia miracula.

MARTYRIVM SS. * EVSTACHII, Theophistis vxoris eius, & duorum filiorum Agapij & Theophisti: Ex eo quod est per Metaphrast. Coronati sunt anno Christi Domini 120. Hadriani Imperator. 1.

** al. Eustathij. Vide C. Bar. Tom. 2. Annal. anno 103 & 120. martyr. Notat ad Rom. 20. Septẽ. apud Suriũ 2. Nouemb.*

EO tempore, quo Traianus Romani Imperij sceptra tenebat expeditionemque in Decebalum Dacorum Regem parasset, Eustachius qui tum * Placidus dicebatur, Primo militiæ ordini propter egregiam militaris virtutis opinionem, qua ipsi Traiano inprimis charus erat, Dux præfectus, tam præclaram strenuamque suo Imperatori in rebus bellicis (b vt & antè in bello Iudaico sub Vespasiano ac Tito agens tum Magistrum equitũ, cum & ipse Traianus ductor esset Decimæ legionis) nauabat operam, vt hostes vel sola aduentûs illius mentione in fugam conuerterentur. Erat eximio corporis animique robore vir; & quanquam profundis errorum tenebris (c hunc

** a Græcis Placidas dictus.*

b *Iosephus de bello Iud. lib. 3. cap. 4. & 13. lib. 4. cap. 2. & lib. 5. cap. 3.*

c *Idem auctor lib. 3. cap. 11. & 18.*

Virtutes Eustachij adhuc gentilis.

inuolutus, & insana idolorum cultura infamis, adeò tamen spectata virtute, vt nihil eius moribus honestius, nihil animi candore splẽdidius, nihil denique eius ingenio suauius videretur. Neque enim sustinebat, vt, dum inclyta victoria externos hostes vinceret, à suis ipse cupiditatibus vitijsque turpiter prostratus iaceret. Ea propter & vitam admiranda quadam prudentia moderabatur, & subditorũ sibi animos beneficijs arctissimè deuinciebat, & pauperes, inopesq́;, non ad ostentationẽ, sed ad occultã virtutis elegantiam larga manu sustentabat. Vibrabat quidem illa strenuè viriliterque hastã militarẽ in hostes, sed multo præclarius piã & munificam dexterã in pauperes & calamitosos exercebat. Erat autè ei vitæ socia Theopistes nomine, pari virtute ac nobilitate fœmina; è qua duos susceperat liberos, quos ita educabat, vt non magis ex corporeis lineamentis quam ex animæ præstantia nobilitateque similitudo appareret.

Vxor Eustachij Theopistes, Traiana olim dicta.

Oblectatur frequenti venatione Eustachius.

Porrò quoties à militari pugna otium aut requies dabatur, frequẽs belli meditatio ad assiduam penè venationem eum prouocabat. Igitur cùm aliquando egresso ad venandum armentum ceruorum haud procul pasci renunciasset explorator, ipse cæteris, ad persequendum gregem dispositis, ingentis formæ ceruũ conspexit; quem vnũ sibi pugnaci dextera sternendum suscepit. Itaque admotis equo calcaribus, in fauces prærupti cuiusdam montis eum persequẽs iam iam se victorẽ putabat: cum repentè contrà naturã in verticem petræ insiliẽs ceruus, venatoris conatus omnes eludit, seseq́;

montis

montis supercilio tutans, placidè à cursu, spectante Eustachio ibidē reficit. Cumq; Dux prędæ mente oculisque inhians viam omnem modumque inquireret, quo difficilem montis ascensum superaret, eccè tibi suprà Cerui caput, Crucis Christi radiantis effigies, quæ prima illi æternæ salutis initia tulit. Nā cum is eo spectaculo attonitus consisteret, subito vox ex illa effigie eius auribus insonuit: Placide, Placide, quid me persequeris?

Crux illi supra caput Cerui apparet.

Placidus hac tā noua forma & voce obstupefactus, partim numinis metu, partim reuerentia, ex equo humi delapsus est. Postquā verò resumptis virib. à stupore sese collegit, Domine, inquit, quis es? Cui Dominus; Ego Christus Iesus, qui humanæ salutis causa è cælo in hunc mundum veni; humanam carnē ex virgine sumpsi; famē sitimque annis triginta admodū tribus pertuli: deniq; ignominiosæ mortis supplicia in Crucis ligno sustinui, vt hominē suo scelere æternis ignibus addictū redimerē, & ad sempiternæ fœlicitatis gaudia transferrē. Tu itaq; proficiscere in ciuitatē & sacerdotem Christianorū accede: cumq; ab eo cū vxore & liberis viuifico baptismate purificatus fueris, protinùs huc reuertere. Tibi .n. rursus apparebo, & ostendā futura, & reddam manifesta salutis mysteria. His auditis Eustachi⁹, instar Pauli, animo repentè mutatus, fœdā sceleratamq; idolorū superstitionem vehementer est execratus. Itaque pudore pariter & dolore affectus, quod dæmonum cultui tamdiu seruijsset, domum abijt, singulatimque omnia, quæque viderat, quæque audierat, vxori narrauit.

Eustachius execratur idola. Actor. 9.

Visio vxoris eius.

rauit. Illa verò eadem nocte secundum quietē haud dissimili visione monita vt Christum indueret, admiratione & gaudio affecta : Mi Domine, inquit ad maritum, quæso te, ne tam fausto magnarū rerum nūcio ingrati, socordes & desides simus ad Christiana sacra percipiēda: quin potius sinè mora ad Christianorum sacerdotē cōtendamus: qui nos salutari lauacro expiatos, ab infelici dęmonū seruitute, ad verā Christi libertatem trāsferat. Nec mora : Nocte cōcubia Placidus & Traiana cum duobus filijs & paucis famulis fideliſſimis, ad insigni pietate & prudētia sacerdotem Ioannem profecti, ab eo catechesi instructi & ritè lustrati sunt. Et Placido quidem Eustachij nomen, Traianæ verò Theophistis impositum fuit. Filiorum alter Agapius, alter Theopistus dictus est. Corporis deindè & sanguinis Dominici viuificis refecti mysterijs incredibili cum gaudio domum reuersi sunt.

Post Catechesim Baptizatur Eustachius cum vxore & liberis.

Mutātur nomina eorū in baptismate.

Intereà Eustachius cum indies Domini misericordiam gustu suauissimo magis magisque perciperet, memor visionis in monte, rursus eā solitudinem petijt; profusisque lachrymis caput humi defixus Dominum obsecrauit, vt clariore adhuc cognitione ad rectum salutis iter citra offensionem perficiēdum eum instrueret. Et eccè mox Dominus solita benignitate huiusmodi voce eū admonuit: Beatus, quidem es, ô Eustachi, & verè beat⁹, qui percepto regenerationis lauacro hęres cælestis regni effect⁹ es. Sed scitō tibi fidei probationem magno & inuicto planè animo subeundam . Nam salutis humanæ aduersarius diabolus, hoc tibi donū inui-

Prædicit ei Christus tētationes.

inuidens, nullum nō mouebit lapidem, vt rursum te prosternat, & à Christianæ dignitatis gradu aliquando deijciat. Sed tu vide etiā atque etiam, vt nullis dæmonum insultibus frāgaris; nullis impugnationibus animum demittas, sed strenuè ac patienter decertes, vt tādem post pugnam inclita cum Iob trophæa erigas. In hodiernum vsque diem diuitijs & gloria & rebus fortiter & præclarè bello gestis elatus fuisti; specie liberorū; bonorum copia; generis nobilitate; alijsque rebus, quibus apud homines fælicitas exprimitur, honoratus cūctis admirationi fuisti. Nunc autem breui his omnibus spoliandus, & opprobrijs hominum extremaque calamitate afficiendus, vide ne animo cōcidas, donumque fidei cum pietate deseras. Si enim acerbum hunc tribulationis calicem admiseris, teque inuictum athletam mea sanè gratia munitum præbueris, ego te pristinis vitæ muneribus ac ornamentis decorabo: ac postremo martyrij corona redimitum æternum illustrabo.

Itemque prosperitatē & martyrij palmam.

His ordine expositis, numinis visio ab oculis eius ablata est; & ipse nunc gaudio, nunc tristitia plenus domum redijt; seseque vna cum pia coniuge ad futuras tempestates assiduis precibus & lachrymis muniuit. Nō multi præterierant dies, cum repentè sæua cōtagio domū eius inuadit; quæ primò quidem seruos & ancillas, indè equos & mulos, & cuncta deniq; animātia miserè depascēs, totam domum vacuā reddit. Igitur rebus omnibus breui exuti, qui paulò antè splendidi & amicis honorati erāt, subitò despecti, vniuersæ ciuitati miserabili spe-

Sæua pestis eius domum inuadit.

ctaculo fuêre. Itaque omnium opprobria ludibriaque quauis afflictione & calamitate grauiora iudicantes, voluntario exilio miseriam suam mitiorem nonnihil reddere decreuerût.

Eustachius cum vxore & liberis, voluntariũ exilium paupertati præfert.

Statuerant pariter AEgyptum petere, ibidemque in extrema potiùs paupertate viuere, quâ tam multos calamitatis testes in patria habere. Sed eccè cum iam prospero satis ventorum flatu mare transmisissent, repentè noua quædâ calamitas, prioribus miserijs longè grauior, in eos irruit.

Erat nauclerus barbaris admodũ & impudicis moribus, libidinis œstro veheméter percitus. Is conspecta Theopistis forma sanè eximia, protinus impuro illius amore exarsit, adeoque scelerata cupiditatis flãma incesus est, vt manu in eam iniecta negaret se aliam pro naulo mercedem accepturum. Cumque Eustachius sese opponeret, & duplicatam mercedẽ promitteret, Barbarus, vxore per vim abducta, toruo aspectu cædem spirare, strictoque ense necem intentans, Hic tibi, inquit ad Eustachium, vel inuito silentium imponet. Eo metu repressus Eustachius, acceptis licet ægrè filijs, cœptũ iter in AEgyptũ luctu lachrymisque miserè oppletus prosecutus est. Hic igitur vir diuinus tanquam sui dimidia parte cæsus, solis comitatus filijs, qui parentem ei in memoriam reuocabant, ibat mœrens quidem, sed Deo tamen gratias agens, fide nequaquam infirmus, quod coniugem à Barbari ludibrio seruaret immunem. Cumque hoc modo grauissimis animi doloribus saucius ad fluuium venisset, qui propter vehementes fluctuum

Nauclerus ei adimit vxorem.

Agit Deo gratias in summa calamitate Eustachius.

ctuum impetus non facilè transmitti poterat, vnum humeris impositum magno conatu traiecit. Eo vero humi deposito, cum alterum accepturus reuerteretur, eccè tibi Leo è latebris prosiliens medium corripit, & rapido cursu volātibus per colla iubis abducit. Eo spectaculo concidens, incredibili dolore sauciabatur; sed mox diuinæ admonitionis memor animo stetit, cursumque ad alterum vnicam posteritatis spem conuertit. Sed quid accidit? O calamitatum acerbitas, ô acerbitatis dolor immēsus. Nondum fluuij ripæ appropinquauerat, & eccè lupa, alterum ore rapiens, eū catulis suis prædam asportat. Quomodò hæc tulit pater; quibus oculis tam miserum & crudele spectaculum sustinuit? Quomodò non protinus animam efflauit? Nec dubium, quin vitam cum morte acerbissima confestim permutasset, nisi Dominus, qui suos in afflictione consolari & cum tentatione prouentum facere nouit, manu sua eum sustentasset.

Leo eius filiū abducit.

Item Lupa alterum.

1. Cor. 10.

Verùm enimuerò diuinæ prouidētiæ beneuolētia tot tantisque calamitatibus inuolutū Eustachiū nequaquam deseruit; sed paulò post maioribus etiam beneficijs & gaudijs mirificè cumulauit. Nā & Leo, fortè in pastores incurrens, puerū illæsum restituit; & lupa, in aratores incidens, repētino terrore perculsa, infantem morsu inoffensum deseruit. Itaq; & pastores & aratores acceptos infantes benignè alue runt, & bestiarum humanitate edocti, nullū similiter humanitatis officium in illos neglexerunt. Illi aūt cognationis mutuæ ignari, paulatim adolescebant: pater verò opibus spoliatus,

Seruantur illæsi pueri. Educantur à rusticis.

vxore & filijs priuatus, in terra ignota manibus sibi victum parabat, assiduis lachrymis & gemitibus immensum doloris pondus sustinens.

Exercet agriculturam Eustachius.

Erat vicus nomine Badisus, in quo terminũ diuturnæ peregrinationis cõstituens alienam terram ad vitæ sustẽtationem colebat, tenuemque admodum victũ duro sanè labore annis 15. sibi comparabat. Propê eũ verò pagũ filij eius illorum hominum, quos diximus, beneficio educabantur. Porrò vxorem eius Theopisten,

Genes. 12. Eius vxor seruatur intacta.

tanquam alteram Saram, nulla affectam contumelia Dominus à nefario concubitu intactam conseruauit marito: & defuncto Barbaro, magna illi in ea regione manendi potestas erat. Hæc autem omnia cum laterent Eustachium: ex his nullam capere potuit consolationem.

Ex diuinam dispositionẽ.

Interea dum hæc fiebant, gens illa barbara, apud quam degebat Theopistes, fractis quæ cum Romanis inierant, fœderibus, incursionem in agros Romanorũ faciebat: & maxima præda abducta, rebusque ex animi sentẽtia gestis salua in suam regionem redijt. Ea res cùm Imperatorem vehementer angeret, animumque ad vindictæ cupiditatem stimularet, ilicò Eustachium requirendum statuit. Adeò namque illius & prudentiæ & viribus confidebat, vt eo Duce victoriã in manibus se habere crederet. Itaque multis magnisque præmijs à Traiano Imperatore ijs, qui eum inuenirent, propositis, duo quidã viri Acacius & Antiochus, quondam Eustachij in re militari ministri, magno confecto itinere, tandem ad hunc vicum

Eustachius ab Imperatore Traiano requiri iubetur.

non

non sinè Dei numine peruenerũt. Et quidem à sancto viro agniti, vultũ eius diuturnis lachrymis exesum, & corpus squalore ac macie confectum, nequaquam cognouerũt. Studiosè autem cum ab alijs, tum ab ipso etiam Eustachio de viro quodam, coniuge, & duobus liberis stipato, inquisiuerunt. Ea res nõ poterat non omnes viri sancti renouare dolores: ille tamen, quãquam magnos animi motus sentiret, ægreque se à lachrymis temperaret, semper tamen ad opem diuinam tacita cogitatione fugiebat; precabaturq; Dominum assiduò, vt animi saltem firmitatem, inuictamque in tantis miserijs constantiam largiretur. Factum est autem, vt ab eo, die quodam orationi attentius incumbẽte, vox cælitus audiretur: Esto bono animo; nam & pristinam gloriam, & cõiugem, & pignora charissima, quæ tantis lachrymis amissa luges, breui recipies.

Agnoscit quærentes se vir sanctus, sed necdum agnoscitur à suis.

Diuinitus lapsa vox eũ consolatur.

Hæc postquam audiuit Eustachius, mixto timori gaudio repletus, quòd suspectas maligni insidias haberet, tandem inquirentes se milites ad hospitium inuitauit: tenuiq; apparatu pro seruitutis ratione excepit. Cumque eos ministrando ab itineris labore recrearet, & illi nũc quærendo, nunc narrando, de Placido eiusque coniuge & liberis diligenter indagarẽt, vir diuinus obortum sæpius lachrymarum imbrem absterfurus secedere cogebatur; ne quo modo externa indicia eum proderent. Intereà cũ illi defixis in eum oculis graues illius mores, vultus modestiã, insignemq; animi magnitudinẽ curiosius attenderent, tandem submurmurare cœpẽre, eum haud absimilem esse illi qui quę-

Excipit quærentes se hospitio.

rebatur. Quid multis ? Erat eius collo plagæ concaua admodum & profunda hostili ferro inflicta; eius plagæ cicatricem (certum agnitionis quæsitę personæ signum) propius accedẽtens cũ essent intuiti, immenso perfusi gaudio, protinùs è mẽsa exiliêre; & bacchico quasi furore moti, eũ ipsum Placidũ esse inclamârunt. Quid aũt dein nõ faciebant? Nunc quidẽ collo eius circũfusi, illud lachrymis rigabãt; nũc pedes prẽhensantes, nunc manus tangentes atque crebrò deosculantes incredibilem animi lætitiam significabant. Indè de vxore filijsq; quẽrentes, Num, inquiunt, falsi sumus? num quem desideramus inuenimus? Ille autem lachrymis oculos infusus interrupta nimio eiulatu voce; Filij quidem, inquit, & vxor, ô amici, periẽrũt: ego verò solus immensis doloribus & miserijs relictus duram hanc & infælicem, quam videtis, exerceo vitam. Hæc eo dicente cõmunis omnium luctus & lachrymæ cõsecuti sunt: certatimque pagi incolæ eò confluxerunt, vt Ducem quondam exercitûs, cumpluribus victorijs inclytum, & prima nobilitate conspicuũ, oculis contemplarẽtur. Sed milites adducto seorsum Eustachio; ei mentem Imperatoris aperuerunt, statimque ablato habitu rustico, splendidis eum vestibus induerunt. Deindè eo accepto reuersi sunt. Et quidem Eustachius, quod hæc non sinè numine diuino euenisse cognosceret, cuncta admisit: ac protinus iter cum illis ingressus, trigesimo demùm die in regiam peruenit. Ibi quanta humanitate, quanto gaudio ac exultatione ab Imperatore excepti sit, nemo pro dignitate explicare queat.

Agnoscitur sandẽ ab eis.

Redit Eustachius ad Imperatorem.

Excipitur summo cum gaudio.

queat. Posthæc Imperator, zona militaris gloriæ rursus ei tradita, belli negotia cũ eo communicauit: & quid ab eo fieri vellet prolixè exposuit. Ille autem maioribus copijs opus esse decernens, vndique militem conscripsit. Accidit tũ, vt vicus ille, qui filios eius nutrierat, duos milites suppeditaret: qui admirabili Dei prouidentia Eustachij filij fuêre. Superabant illi robore corporis alios omnes qui cũ ipsis erant; erantque ea propter Duci inprimis chari: prorsus vt eos & mensa sua aleret, & primo honore dignos iudicaret. Ignorans interim filios esse, intrepidè eos in expeditionem duxit: validoque commisso prælio barbarorum, ingenti edita eorum strage, spiritus compressit; nec ea contentus insigni victoria Hydaspem fluuium traiecit, ac reliquos rebelles subegit: sicque vna expeditione bellum profligauit, Romanumque imperium, vt antè pacatum reddidit.

Conscribit militem Eustachium & duo eius filij ei incogniti militãt.

Debellat hostes.

His præclarè & magna cũ laude gestis, in reditu castra metatur in quodã vico ad hoc valdè apposito; hortis amœnissimis admodũ conspicuo: quorũ vnius quidẽ custodiam vxor Eustachij habebat mercede sibi cõmissam. Ibi tũ duo illius filij mutuæ cognationis prorsus adhuc ignari, cũ, vt fieri solet, ab armis feriantes, varios quos in vita pertulerant, casus sibi inuicem narrarẽt, stupore & gaudio repleti in fraternam agnitionem mirabiliter venêre. Haud procul ab ea narratione aberat Theopistes (nam tentoria propè hortum illum fixerant) quæ, quanquam eos à feris raptos fuisse ignoraret, tamen ex multis minimè dubijs

Duo fratres, Eustachij filij tandem se mutuo agnoscunt.

signis

Item mater eos agnoscit.

signis didicit, se eorum esse matrem. Interim verita ne eis suspecta foret, prudenter se præter communem fæminarum consuetudinem animique mollitiem continuit, totamque se lamentationib. dedens animo agitabat, quonā potissimum modo se veram eorum matrem esse aperiret. Igitur tota nocte lachrymis & precibus transacta, manè Ducem exercitûs adijt,

Theopistes marito loquitur, nec eum agnoscit.

supplexque ab eo petijt, vt eam multis annis exulem vna secum in patriam reducere velit. Ea namque facultate obtenta, & animum oculosque dulci natorū aspectu pascere, & paulatim in certam firmissimamque notitiam venire cogitabat. Precibus eius annuit benigne Dux. Admirans autem mulier Ducis humanitatem, facilitatemque, eum curiosius est intuita: & eccè ex moribus vultûsque figura & corporis lineamentis agnoscit maritum. Stupet vehementer,

Agnoscit tandem maritū.

mentequè attonita aperto hians ore, pudore simul & cupiditate distracta, (multum enim suā inter abiectionem & viri gloriam interesse cernebat) nesciebat quonam modò se eius vxorem esse profiteretur. Prætereà cùm ignoraret quomodò in eam affectus esset maritus, eò quòd tanto temporis interuallo corporibus disiuncti fuerant, multo magis amoris eius impetus retardabatur. Tandem victa amoris vehementia, ex imo miserabiliter ingemiscens, & vberes lachrymarum profundens riuulos: ò virorum clarissime, inquit, qui multos perpessus labores & dolores ex Placido dictus es Eustachius; qui ex apparentis tibi Crucis figura Christianæ pietatis primordia hausisti; qui futura edoctus ex glorioso inglorius euasisti; qui

olim

olim vxore per ſummam iniquitatem in naui priuatus fuiſti; quæ quidem ego ſum miſera & infelix; quam barbarus ille prætextu nauli per vim abſtulit; quando te quidem aſperam & iniquam ſortem acerbè deflentem repulit; me autem in naui detentam per marinos fluctus inhoneſti amoris cupiditate inflammatus auexit: ſed diuina iuſtitia mox eum perſecuta, intactam me & inuiolatã tibi coniugem ſeruauit. Teſtor Deum noſtramque fidem, ô marite, impollutum & inuiolatum noſtrum tibi hucuſq; manet cubile. Si ergò ipſe es cuius hæc ſunt ſigna, quibus agnoſcaris, tu quoque tuam agnoſce coniugem, niſi me ſic affectam aſperneris, & indignã tuo ſplẽdore ducas, Stemus hic pariter & cõmunes magnæ Chriſti prouidentiæ agam⁹ gratias, quæ res noſtras prudenter deduxit.

Hæc profuſis lachrymis dicente Theophiſte, Dux exercitûs non iudicans hæc ſufficere ad fidem faciendam rei periculoſæ, alia omnia diligenter ſcrutatus eſt. Poſtquam autem ſublata omni dubitatione vxorem agnouit; vix mentis compos in amplexus & oſcula ruit. Ortus eſt vtrinque clamor, magno cum fluxu lachrymarum. Tandem Theopiſte prior ad maritum: Et vbi, inquit, chariſſime, ſunt dulces nati? Ille verò animi dolore totus repentè commotus, magno eiulatu reſpondit; ô mulierum fideliſſima Theopiſte, à beſtijs filij noſtri deuorati ſunt: quod ego ſpectaculum crudele nimis hiſce vidi oculis. Illa autẽ nihil ex eo commota, Sed quid, inquit, eſt quod omnipotens & miſericors Deus non poſſit facere, qui nos præter omnem ſpem ſic fecit conuenire? Deindè

Euſtachius agnoſcit coniugem.

singulatim ea omnia, quæ filios inter se narrãtes audiuerat, referens; maritum ingenti admiratione affecit: prorsus vt stupore propemodũ oppressus, arcanam dei sapiẽtiam sine fine suspiceret. Deinde accersitis eis ad se, eosque defixo obtutu contemplans; Et quinam, inquit, vos estis, qua patria oriundi, quo sanguine creti Illi autem se claris quidem parentibus natos esse dicebant, sed quorum splendor & gloria aduersis fortunæ flatibus in summam abiectionem & infœlicitatem deuoluta esset. Cumque eos singulatim cuncta quæ euenerant aperire iuberet, & illi exules vna cum parentibus fuisse dicerẽt, matrisque infortunium non sine lachrymis narrarent, ac postremo ad tremendã illam ferarum historiam venirent; pater eorũ narrationem interrumpens protinus insiluit, eosque peramanter amplexans; ô dulces nati, inquit, ô filij charissimi, ô filij optatissimi; qui priusquã solẽ clare videretis, profundis tentationũ tẽebris circũdati fuistis; & priusquã nosceretis parentes, nouam didicistis orbitatem. Hæc & his similia commixtis lætitia lachrymis proferẽte parente, & parẽtes filios, & filij parẽtes amplectebãtur; duplexq; festũ egit populꝰ & de parta aduersus hostes victoria, & de Ducis familiæ ad vitam, vt ita dicam, reuocatione.

Eu vt benignus Deus omnia suauiter disponat.

Eustachius agnoscit filios suos.

Post hæc autem Eustachius, iussis sequi captiuis, & aliorum spoliorum multitudine, ad vrbem regiam victor profectus est Romam. Antè verò quàm vrbem ingrederetur, Traianus è viuis excesserat, & Adrianus, vir gentili superstitione nefariè pollutus & mente barbarus, im-

Adrianus imperat, redeũte Eustachio.

rus, in Imperium succesſerat. Et ille quidèm venientem Ducem donis muneribusque munifice admodum eſt proſecutus; & vxoris ac filiorum cauſa lætandum ſibi ducens, feſtos dies & ſpectacula ingenti ciuitatis totius gaudio celebrauit. Cum autem amens ad idolorum tẽpla dijs pro parta victoria ſacrificaturus abiret, Euſtachius, qui eius latus vbique honoris cauſa ſtipabat, impietatem execratus, mox eum deſtituit, auctoremq; victoriæ Chriſtum profeſſus, idola ſurda & inanima neq; agnoſcere neque colere voluit.

Imperator Euſtachium omni ſuo honore propter Chriſtum exuit.

Ea propter Imperator ira repletus, primum quidẽ zona militari ac Ducis munere eũ ſpoliauit: deinde cũ vxore & liberis tyrãnico tribunali eũ ſiſti iubẽs, à Chriſto ad cultũ idolorum traducere ſũma ope aggreſſuseſt. Cumq; alternis blãditiæ minæq; nihil prodeſſẽt, ad verbera cruciatuſq; Tyrãnus deſcẽdit. Deducit ergò athletas in ſtadiũ ſęuis obijciẽdos leonib. Aderant illi longa exhauſti inedia, vt crudelius in Chriſti cẽfeſſores irruerẽt, eoſq; ad oſſa vſque diſcerperẽt. Sed ferarũ immanitatẽ Chriſti potẽtia protinꝰ cõpeſcuit; virtuſq; ac fides ſanctorũ vicit egregiè. Nã beſtiæ (dictu ſane viſuque mirabile) teſtes pietatis ac religionis Chriſtianę facti, ſãctis ſua inclinarũt capita eorũq; corpora cũ magna cũ reuerẽtia linxiſſẽt, quiete redierũt. Eo tã prȩclaro miraculo Tyrãnus nequaquã motꝰ, ad cęterã immanitatẽ bouẽ æneũ ad didit: in quẽ vehemẽtiſſimè accẽſũ martyres viuos cõijci iuſſit. Crudele ſane & horrẽdũ ſpectaculũ; ſed quod athletas hos nõ modo nõ exterruit ſed ſũmo gaudio & exultatiõe cumulauit.

Obljcitur Leonibus Euſtachius cum vxore & liberis ſed nihil læduntur

Immane tormentum.

Bos

Bos verò Christi virtute mox refrigerat⁹, nō ad suppliciū, sed ad solatiū potiùs eos recepit: ita vt placidè sinè vllo doloris sensu suas Christo animas traderēt. Apparuit hoc in eorū corporib. quæ triduò post ab ipso Tyranno requisita, non modò integra, sed & candidiora quā prius fuerāt inuēta sūt. Quo miraculo plebs vniuersa commota; Magnum Deum Christianorum exclamauit. Hæc verò & his similia populo clamante & Deum laudante, Tyrannus pudore simul & timore affectus recessit; Christiana verò plebs martyrum corpora sustulit, & cum psalmis & hymnis honorificè in loco sacro cōdidit. Deindè nefaria simulacrorum superstitione paulatim magis magisque quiescente, Christi fideles insignem sanctis martyribus erexêre basilicam: in qua multis magnisque beneficijs Sanctorum gloria per Christi potentiam & gratiam cunctis innotescit.

Suas illæsi Deo tradunt animas.

Populus laudat Christum

S. Martyres honorificè sepeliuntur.

Vide Tom 1. C. Baron. & not. ad mart. Rom.

VITA B. MATTHAEI APOSTOLI & Euangelistæ: Ex ea quæ est per Mataphast. & Ioachimum Perionium.

21. Septē.

MATTHAEVS Alphæi filius, cui & Leui nomen fuit, olim publicanus & pecuniarum exactor, cùm omnes quæstûs faciēdi vias & artes calleret egregiè, inter publicanos principē locum tenere meruerat. Cum verò Christus Dominus aliquandò eius telonium præteriret, & intimas cordis hominis partes occultarum rerum cognitor inspiceret, studiumque virtutis atque latentem in in animo eius ardorem cognosceret, eum Christus, vt se sectaretur, hortatus est; quod ille non

Alphæus Matthæi Pa-rens.

graua-

grauate illico fecit, introduxitque domum suam Christum: vbi ei, adhibitis multis publicanis, alijsque hominibus, quorum de vita Pharisæi malè existimarent, conuiuium apparauit. Quod cùm Pharisæi, qui Christi facta calumniandi causa obseruabant, animaduertissent, illud ei vt probrũ obijcere: quòd cũ publicanis peccatoribusque vesceretur. At ille eam illorũ calumniam ita vel elusit, vel diluit, vt diceret, non valentibus medico opus esse, sed ægris. Atque hoc quidèm modo se Matthæus in Christi disciplinã tradidit, suasq; cupiditates ad Christi Crucem adeò perfectè illisit, vt soli Deo viuens, eiusque vestigia sequens; omnium signorum ac miraculorum ipsius spectator adesset: quippè qui per totum dispensationis diuinæ tempus vnà cum Iesu versatus, socius laborum ac periculorum fuit.

Sequitur Christum vocatus.

Matthæi. 9.

Cùm verò tempus aduenisset, quo Christus suos omnes, atque ex his maximè duodecim, ad omnium gentium salutem constituendam orbem peragrare voluit, diuisis inter se ex præscripto afflatuque Spiritus prouincijs, AEthiopia Matthæo obtigisse dicitur. Itaque cum se totum collegisset, Euangeliũ suum & religionis ac pietatis doctrinam literarum monumẽtis consignauit, vt videlicet, quę alij ore ac lingua docuissent, ea ipse scriptis mandaret. Cùm igitur luculenter totam Christi dispensationẽ explicasset, Parthos adijt; qui nondum Persarum imperio iuncti erant; ipsisque salute nunciata, Palestinæ regionis fines peragrauit; vbi cùm ingenti multitudine varijs linguis prædita congressus est; cũ fame siti, & crebris ærum-

Matthæus in AEthiopiam profectus, conscribit Euangelium.

Adit Parthos: eorũque ingentem multitudinẽ ad Christi fidem conuertit.

nis ac periculis luctatus; quorum alia superstitiosæ impietatis Præsides, alia acerbissimi populorum Tribuni crudelissimè afferebãt. At ille nihilominus tamen Saluatorem Christum & mente & voce libera prædicabat, & eos qui errore decepti fuerant, ad diuinam cognitionem perducebat. Impia igitur gentium superstitione de medio sublata omnes homines vero & soli Deo adiunxit; neque suæ prædicationis doctrinam illis tantùm finibus contineri voluit, sed ad AEthiopiã, quam sortitus fuerat, peruenit: ac primum in vrbe maxima & nobilissima commoratus, duos ibidem magos Zaroës & Arphaxat, falsis quibusdam inanibusque operibus Regem & populum seducentes, inuenit. Persuaserant enim AEgippo Regi populoque se deos esse. Matthæus autem primo suo aduentu eorum præstigias fraudesque aperuit eosque repulit. Nã & eis, quos illi excæcasse videbantur, aspectum, & surdis auditũ restituebat. Angues, quos in homines ita cõcitabant vt grauissima vulnera infligere viderentur, expellebat, vulneraque curabat.

Item AEthiopes.

Magi duo in AEthiopia Zaroës & Arphaxat ab eo repelluntur.

Eunuchus, recipit Matthæum in domũ. suam in AEthiopia.

Erat tum eadem in vrbe Eunuchus reginæ, qui à Philippo baptizat⁹ fuisse in Actis Apostolicis dicitur. Is cum Matthæum hæc omnia facisse animaduertisset, prouoluit se ad eius pedes, Deumque collaudans, recepit eum domũ suam: quo mox amici illius ac necessarij cõfluere cœperũt, auditoque Vitæ verbo crediderũt, & aqua salutari expiati sũt. Plures indè partim miraculis, partim singulari illius eloquentia religionem disciplinamque nostram comprobârunt.

Act. 8.

Hæc-

Hæc aliaq́ue Matthæo, pręclare operante, fideiq́ue Christianæ gymnasium constituente, venit qui nunciaret magos duos cum singulis draconibus aduentare; quorum flatu odoreq́ue teterrimo homines necarentur. Matthæus statim signo Crucis intentato, egredi cæpit: quem cum Eunuchus prohiberet, admoneretq́ue vt sibi potius consuleret, atque è specula tuto feras conspicaretur; Tu vero, inquit, qui times, in specula consiste: Ego, qui nihil timeo, in publicum prodeo. Vix dicendi finem fecerat, cum apertis foribus draconesatque magos, qui eos sequebantur, conspicit. Feræ autem vt primum Matthæum animaduerterunt, ad pedes illius cubantes somno se ac quieti dederunt. Tum apostolus per ridiculum magis, Vbi est, inquit, ars vestra? Excitate eos, si potestis. Equidem si Christum Dominum non rogassem, furor, quē in me concitauistis, in vos omnis retortus recidisset. Cumq; illi arte sua dracones expergefacere conarentur, diuq; id tentātes nihil proficerent, Matthæus inuocato Christi nomine dracones excitauit; eosq; sua lustra sine cuiusdam detrimento repetere iussit. Cum his Apostoli mandatis prompte parerent, seq; ex omnium conspectu, magno sane populi totius gaudio, proriperent, Matthæus ilicò cunctos qui circūstabāt hortari, vt relicta idolorum superstitione, è seruitute draconis diaboli sese eriperent, & ad veram vnius Dei religionē conuersi, oblatam salutem nequaquā negligerent.

En Magorum præstigias.

Matthæus Draconibus imperat.

Inter ea cum luculēto sermone lapsum primi hominis & Christi in terram aduentum explicaret, populumq; ab ore suo suspensū tene-

ret, repente tumultus quidam triſtitiæ luctûſq; plenus exortus eſt. Efferebatur enim cum magno omnium gemitu & multorum eiulatu Regis filius; ad cuius funus ingenti cum multitudine duo quoque magi illi conuenerant. Qui cum illum ab inferis excitare fruſtra conati eſſent, ſuaſêre Regi, vt filiũ, qui ad deorũ conſiliũ raptus eſſet, in deorũ numero reponeret, eiq; templũ ædificandũ curaret: in quo illi' ſtatua omnib. adorãda poneretur. Quod cũ Eunuch⁹ intellexiſſet, Reginã adiẽs ei ſuaſit, vt Matthæũ accerſeret qui filium à mortuis excitaret.

En impium magorum cõſilium.

Accerſitur Matthæus, eumque cum honore introductum Euphiniſia regina ſupplex rogare vt filium ſuum excitaret. Se enim credere, illũ à Deo ſalutis hominum cauſa miſſum, inuocato Chriſti nomine facile defunctum ad vitam reuocare poſſe. Apoſtolus fidem Reginæ admiratus, manus in cælum tetendit; fuſaque ad Deum oratione, Euphronomen (hoc enim Regis filio nomen erat) cum ſumma patris voluptate & admiratione excitauit. Itaque confeſtim coronas & purpuram ei deferri iuſſit, præconeſque miſit, qui ex toto Imperio ſuos accerſerẽt, vt Deum in humana figura latentem cernerẽt.

Excitat filiũ Regis vita functum.

Fit concurſus hominum innumerabilium; qui qui cum cereos & lampades deferrent, thuraq; incendere vellent, adhibito vario ſacrificiorũ genere, tum Matthæus, ne id facerent prohibuit: ſe enim nõ Deum, ſed Domini ſui Ieſu Chriſti ſeruum eſſe; à quo miſſus eſſet, vt ipſi, relicta ſimulacrorum ſuperſtitione & errore, ad veri dei cultum religionemq; reuocarentur. Itaque aurum & argentum coronaſque aureas è conſpe-

En ingentem Regis populique feruorẽ.

conſpectu ipſius tollerent; templumque Deo vero ædificarent; in quod ad Dei verbum audiendum conuenirent.

AEthiopes à Matthæo cõuerſi templũ ædificant.

Hæc illius verba vt Dei oraculum accipiẽtes, tantum architectorum operariorumq; numerum adhibuiſſe dicuntur, vt intra dies triginta opus perfectum abſolutumque ſit. Templo autem nomen Reſurrectionis impoſuit; propterea quòd filij Regis excitatio ei ædificãdo occaſionem attuliſſet. Viginti & tres admodum annos illic præfuiſſe, atque presbyteros & diaconos inſtituiſſe, ciuitatibuſque Epiſcopos præpoſuiſſe, & complura templa fundâſſe dicitur. AEgippum quoque Regem & Euphiniſiam cum Euphronomo filio & Iphigenia ſalutari aqua expiatos, Chriſtianis diſciplinis ſanctiſſime inſtituit.

AEgippus Rex cum omni familia baptizatur.

Et quidem AEgippo vitæ munere præclarè ac ſanctè perfuncto, Hirtarchus regnum adeptus eſt. Is cum Iphigeniam AEgippi filiam in matrimonium accipere cuperet, apoſtolum adijt; dimidium ei regnum pollicitans, ſi hoc virginis in animum inducere vellet. Erat illa iam antè non modò Chriſto conſecrata, ſed & ducentis amplius virginibus præpoſita; quæ ad extremum vitæ ſpiritum Deo caſtitatem ſuam deuouerant. Itaque apoſtolus Hirtarcho virginem Chriſti in coniugem poſtulanti nec planè conceſsit, nec denegauit, ſed tantum eum admonuit, vt conſuetudinem AEgippi ſeruãs, qui omni ſabbatho eò conueniret, vbi verbum Dei prædicaret, ipſe virgines omnes quæ cum Iphigenia eſſent conuocaret: tum illum auditurum quo d coniugium laudibus ornaret, ipſumque

Hirtarchus ſuccedit AEgippo in regno, petitq; à Matthæo Iphigeniam virginẽ Chriſti ſibi coniugem.

En votum virginitatis quam antiquum.

Deo gratum acceptumque esse doceret Omnes autem cum conuenissent, Matthæus hortatus est, vt attentas præberent aures; & quæ iá antè audissent memoria tenerẽt. Ibi tum Apostolus luculento sermone exorsus, inter cętera ait; Coniugia dum inirentur, præclaris honestisque actionibus & officijs ornari, si iustè, si sanctè, si legitimè, si integrè fierent. Veruntamen quòd si seruus quispiam, qui regis sponsam vsurpare audeat, tam graue scelus admittere dicatur, vt quamprimùm viuus exuratur, quomodò rex terrenus (ad Hirtarchum autem hæc dicens orationem conuertebat) æterni regis sponsam sibi vsurpare & in matrimonio ducere poterit? Hirtachus qui Apostoli verba hucusque laudauerat, tum iracundiæ facibus concitatus discessisse dicitur. Ipse verò multò alacrior cœptum sermonem prosequens, cùm cæteros ad audiendum non minùs quàm anteà paratos vidisset, Regem dixit, qui in orbe terrarum dominatu alios teneret, haud diuturnum imperium tenere posse; Regis autem qui cælis præesset, æternum esse dominatum & imperium: eundemque vt lætitia gaudioque maximo eos, qui ipsi fidem seruant, perfundit & afficit, ita eos acerrimis supplicijs subdere, qui ab illius fide deficerent. Quòd si Regis ira & furor pertimescendus esset, quid de Deo existimare deberent? præsertim cum hominis ira, siue tormentis, siue ignibus, siue ferro & sanguine satietur, ad quoddam tempus duret: diuina autem vltio sempiterni ignis in scelestos supplicium statuerit.

Coniugia quando laudabilia.

Discrimen inter Regem terrestrem & cælestem.

Deus super omnia timendus.

Hæc

Hæc aliaque luculentis sanè verbis apostolo prosequente, Iphigenia tum spectãte populo se ad pedes Apostoli misit; orauitque eum eius nomine, cuius apostolus esset, vt sibi sacrisq; virginibus omnibus, quæ Domino ipsius sermone cõsecratę essẽt manus imponeret, quo facilius minas regis possent contemnere. Ille eius precibus adductus, Christique præsidio ac spe fretus, contempto regis odio, velum omnium capitibus apposuisse dicitur: Deumque orasse vt illas famulas suas, quas ex omni numero bonus pastor ad seruandam ornandamque perpetuæ virginitatis castimoniam elegisset, ipse custodiret atque tueretur: & ad omnia virtutum munera & officia duce sapientia ita excitaret atque præpararet, vt victis carnis illecebris, coniugijsque non legitimis repudiatis, vinculo, quod res nulla soluere posset, cum Christo colligarentur. Hæc atque alia eiusdem generis cùm Apostolus virginib. illis benè precatus esset, sacro Missæ peracto, ad arã, in qua CHRISTI corpus confecerat, reuersus est: ibi cùm passis manib. precaretur, eũ lictor ab Hirtarcho rege missus securi percussit. Quod vt populus accepit, ad regiã magno furore contẽdit, vt subitis ignib. eã assumerent. Obuiã fiũt populo furẽti sacerdotes ões ac clerici; qui hortati sũt ne id facerẽt quod volũtate diuinã offẽderet. Eorũ sermone populi furor cõpressus est: & Apostoli martyriũ lætis animis celebratũ. Porro tãtę abstinẽtię beatissimũ hũc Apostolũ fuisse Clemẽs Alexandrinus testatur, vt à carnib. iugiter abstinẽs solis seminibus baccis, atq; olerib. victitarit.

En humilitatem Iphigeniæ Regus filiæ.

En antiquum veli Sanctimonialium vsum.

Securi percussus migrat ad Christum S. Apostolus Matthæus.

In pædag. lib 2. c. 1.

Iphigenia sua omnia cõfert ædificãdo templo in honorem Apostoli.

Cęterum Iphigenia Christi virgo, quidquid auri & argenti & gemmarum habuit, id cum ad sacerdotes attulisset, ea omnia se ita conferre dixit vt cum dignum CHRISTI Apostolo templum ædificassent, quod reliquum esset, egentibus erogarent. Interea Hirtarchus impuro amori tota mente incumbens, omnium nobilium vxores ad eam proficiscì iussit, vt eam siuè precibus siuè cohortationibus ad consensum carnalis copulæ inflecterent. Quo cùm illa nullo modo deduci posset, magos conuocat; qui eam dæmonum præsidio raperent. Sed nihil ars eorum potuit. Itaque alia via rem aggreditur. Incendere constituit locum in quo Iphigenia vna cum cæteris virginibus die noctęque Deo seruiebat. Neque verò subiecti ignes nocere potuerunt, flammaque circum domum tantum apparuit. Quin etiam Angelus vna cum Matthæo visus esse dicitur; qui Iphigeniam bono animo esse iuberet, nec ignem timere; qui in eum, à quo paratus erat, redundaturus esset. Vix angelus finem dicendi fecerat, cùm ventus subitò ortus, suo impetu flammam à domo virginis ad regis palatium transtulit; vt consumptis omnibus, ipse cum filio vnicò ægrè potuerit euadere: quem & protinus cacodæmon inuasit. Cuius impulsu ad Apostoli sepulcrum magno impetu delatus manibus à tergo vinctis paterna scelera palàm cogebatur confiteri; quin & ipsum Regem Elephantia totum infecit; quem morbum cùm medici adhibiti curare non possent, ipse vi morbi coactus in gladium incubuit. Quod vt resciuit populus, magnam ex morte illius cœpit vo-

En impios Hirtarchi Regis conatus in Iphigeniam.

Redduntur diuinitus irriti.

Vltio diuina in Hirtarchũ Regem & miserabilis eius interitus.

pit voluptatem; fratremque Iphigeniæ, Beorũ nomine, qui ſororis opera à Matthæo expiatus erat, regalem poteſtatem adminiſtrare voluit. Is cùm quinque & viginti annos natus regnare cœpiſſet, ad tres & ſexaginta imperium propagauit: Duobuſque ſuſceptis liberis, vnum exercitui præfecit, alterũ regni hęredem inſtituit. Ita pace in Eccleſia AEtiopiæ cõſtituta, Reſpublica Chriſtiana illic Matthæi meritis ac precibus amplificata eſt.

Succedit ei Beorus; frater Iphigeniæ: & pię 37. annis regnat.

MARTYRIVM SS. MAVRICII ET ſociorum eius militum Thebæorum: Ex eo quod Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus conſcripſit. Paſſi ſunt anno Chriſti 297. Marcellini Papæ 2. Dioclet. & Maxim. Imp. 14.

Vide C. Baron. Tomo 2. Annal. & Notat. in Roman.

DIOCLETIANVS Romanæ Reipublicæ Princeps, cum ad Imperium totius orbis electus, omnes prouincias turbari quorundam præſumptione perſpiceret, ad cõſortium Imperij, vel laboris, olim ſibi commilitonem Herculeum Maximianum, Cæſarem fecit: eumque contra Amandum & Aelianum, qui tumultum in Gallia concitauerant, & factioni ſuæ Bagaudarum nomen impoſuerant, deſtinauit. Cui ad ſupplimentum exercitus, legionem Thebæã ex orientalibus militibus ire prȩcepit. Quę legio ſex millia, ſexcentos ſexaginta ſex viros validos animis, & inſtructos armis, antiquorum Romanorum habebat exemplo. Hi igitur milites Chriſtianę religionis ritum orientali traditione à Hieroſolymitanæ vrbis Epiſcopo ſuſceperunt, fidemque ſacram

22. Septẽ.

Bagaudarũ tumultus in Gallia.

Thebæa legio à Zambda, Epiſcopo

Hierosolymitano Christiana fide imbuta.

Eandem Romæ confirmant.

virtuti & armis omnibus præponebant. Ad vrbem quippè Romam itinere attingentes, mox apud beatum Marcellinum Vrbis Pontificem eandem Christianitatis fidem, quam acceperant, confirmauerunt, vt antè gladio interirent, quam sacram fidem leuiter violarent.

Octodorus oppidum est, in Sabaudia.

Electus igitur Maximianus Cæsar cum hoc militiæ robore prçclarè instructus in Gallias tenderet, iamque superatis Alpibus, Octodorú veniſſet, mox idolis suis sacrificaturus exercitú cõuenire iussit; vt datis vtrinq; dexteris peraras dæmonibus consecratas iurarent, cõmuni Marte contra Bagaudarum turbas se pugnaturos, & non nisi victores è prælio discessuros: Christianos verò omnes, tanquam summos & capitales deorũ inimicos, ferro flammaq, persecuturos. Quod vt primum ad Thebææ legionis peruenit notitiã, illa à nefando sacrilegoque iuramento tota abhorrens, vt tãti sceleris committendi necessitatem declinaret, prçterito Octodorensi oppido, ad locum, cui Agauno nomen est, octo millium spatio indè dissitum properant. Quo in loco cum sacri milites Thebææ legionis fessa post laborem tanti itineris curaturi corpora residerent, Maximianus Cæsar legionem requirens, eamque prætergressam esse intelligens, subito iracundiæ furore excandescens, misit eò satellites, qui legionem ad sacramentorum suorum sacrilegia reuocarent.

Thebæa legio impium iuramentum detestatur.

Agaunum locus Sabaudiæ est.

Mauricius, Primicerius; Exuperius, signifer Candidus Senator legionis Thebææ.

Erat eadem in legione Primicerius Mauricius; & signifer Exuperius; & Candidus Senator: qui ita militibus suis præerant, vt amore potius diuinitatis, quam terrore militari, obedien-

obedienda præciperent. Viri militaris gloriæ laude nulli secundi: virtute nobiles, fide in Deum nobiliores: erga Imperatorem fortitudine, erga Deum deuotione certabant. Igitur vt ex satellitibus à Cæsare missis intellêxere, milites omnes libâsse sacrificia; Cæsaremque iubere, vt legio festinanter reuertens, commilitonum pareret exemplo; illi protinus zelo fidei vehementius inflammati, Atqui, inquiunt, vos Cæsari renunciate legionis virtutem ad bellorum vsum paratam esse: ad committenda verò sacrilegia nequaquam. Nos enim vnum verum, æternumque Deum, nō impia dæmonum simulacra, colimus; nos Christum Dei filium adoramus: eique, quam dedimus, fidem ad extremum vitæ spiritum inuiolatam seruamus.

Nolunt dæmonibus sacrificare.

Cúm hoc responso reuersi satellites, nunciant Imperatori, obstinatos legionis animos nullo modo in eo Imperatoris præceptis parere decreuisse. Quo audito, Maximianus iracúdiæ facibus totus succensus: Ergone, inquit, milites mei Imperatoria præcepta & sacrorum meorum ordinem spernunt? Quid? Itane cælestis iniuria meo despectui iungitur, & mecum pariter Religio Romana contemnitur? Sentiat cōtumax miles, me non solū mihi, sed etiam dijs meis dare posse vindictam. Iam igitur fidissimorum meorum turba festinet: decimum quemque morti funesta sors præbeat. Discant æquali nece, quos ordo præmiserit moriendi, qualiter Maximianus vel sibi, vel dijs suis, hac seueritate dederit vltionem. Post hanc vocem, datum ilicò apparitoribus man-

Crudele Maximiani mādatum.

mandatum, vt ad legionem properent, & decimum quemque ferro trucident. Neque sanè perterritis animis Thebæa legio venientes excepit carnifices; sed cuncti martyrij desiderio incredibiliter accensi inter se certare, quis primus glorioſæ mortis fructum percipiat. Perfecto autem scelere, vt Octodorum legio redeat, iubetur. Tunc Mauricius Primicerius, paululum à satellitibus regijs segregatus, ad legionem talem habuisse orationem fertur.

Decimus quisque è Thebæa legione trucidatur, iuxtà vetus supplicium, in delinquentem exercitum exercere solitum.

Oratio præclara S. Mauricij ad suos.

Quòd amore religionis nullam vobis Cæsaris præceptum attulerit formidinem, commilitones optimi, est sanè quod vestræ virtuti gratuler plurimùm. Gaudentibus quodammodò animis ad necem glorioſam commilitones vestros tradi vidistis. Quam timui, ne quisquã quod armatis est facile, defensionis specie beatissimis funeribus manus obuiam afferre tentaret. Sed Christus Iesus, qui exemptum vagina Apostoli gladium propriæ vocis iussioni recondidit, vestras planè mentes manusque prohibuit, ne quisquam diuino operi mortalibus dexteris obsisteret. Hactenus exempla sacris inserta codicibus legebamus: iam nũc per nosmetipsos, quos sequi debeamus, adspeximus. Eccè vallatus sum commilitonum meorũ corporibus, quos de latere meo funestus satelles abstraxit. Adsperſus sum cruore sanctorũ, & sacri sanguinis reliquias vestibus meis porto: num igitur eorũ sequi necem dubito, quorũ admiror exemplum? & vacat cogitare, quid Imperator iubeat, qui sorte mihi mortalitatis æqualis est? Si habere aliquid virium Imperatoria

Matth. 26.

toria præcepta potuissent, circa beatissimorũ trium puerorum corpora Regis Chaldęorum valuisset incẽdium, nec ora leonum lacu clausus euadere Propheta potuisset. Sacramenta olim dedisse nos memini, quòd contemptu lucis istius & desperatione vitæ Rempublicam defenderemus. Iam tunc promisi mei corporis vilitatem, & spospondi hanc Imperatoribus fidem: nec tamen vllus mihi tunc regna cælestia promittebat. Quid, Christo spondente, faciendum est, si hoc potuimus militiæ deuotione promittere? Quinimò fortissimi commilitones, olim deuotas animas subdamus preciosissimæ passioni. Sit nobis virilis animus, fides inuiolata permaneat. Iam cerno ante tribunal Christi stantes eos, quos neci paulò ante satelles regius deputauit. Illa vera gloria est, quę ęternitatem beatã vitæ huius breuitate mercatur. AEquali omnes animo, vna voce responsum satellitibus demus, & id nunciemus: Milites quidem, Cæsar, tui sumus, & ad defensionẽ Reipublicæ Romanæ arma suscepimus; nec vnquam aut desertores bellorum, aut proditores militiæ fuimus; aut ignauæ formidinis meruimus subire flagitium: Tuis etiam obtemperaremus præceptis, nisi instituti legibus Christianis, dæmonum cultus & aras sanguine pollutas vitaremus. Comperimus præcepisse te, vt aut sacrilegijs pollueres Christianos, aut denis interfectis nos terreres. Non inquiras longius latitantes: nos omnes Christianos esse cognosce. Habebis potestati tuæ subdita omnium corpora: auctorem verò suum respicientes Christum animas non tenebis.

Dan 3.
Dan. 7.

En quid promereatur martyrium.

Magis obedire oportet Deo quam hominibus.

En inuictum eorum animi robur.

Dixe-

Dixerat hæc vir sanctus cùm protinùs legio fausta acclamatione dicta cõfirmat: satellites verò cuncta ex ordine Cæsari nunciantes, mox redeunt, vt iterum decimum renouata crudelitate consumant. Nec recusat ceruices suas percussoribus subdere gloriosus miles; donec numerus martyrum completus, reliqui Octodorum redire iubentur. Tunc verò Exuperius cãpiductor correptis legionis suæ signis, hac circũstãtes oratione confirmat: Tenere quidẽ me, commilitones optimi, sæculariũ bellorum signa perspicitis: sed non ad hæc arma prouoco; non ad hæc bella animos vestros virtutemque compello. Neque enim per hos gladios ad regna cęlestia properare potestis. Robore nobis animorum est opus, nihil his armis. Proijciant dexteræ nostræ arma ista cũ signis militaribus: quo mox, præstante Christo, alia vobis signa in regno cæleſti Exuperius monstret. Vadat quin imò funestus satelles, & hæc truculento Regi nunciet: Milites sumus, Imperator, tui: sed tamen serui, quod liberè fatemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiã. A te stipendiũ laboris accepimus. ab illo vitæ exordium sumpsimus. Sequi Imperatorem in hoc nequaquam possumus, vt auctorem nostrũ negemus Deũ: auctorem, velis nolis, tuum. Nõ nos aduersum te, Imperator, armauit ipsa, quæ fortissima est in periculis, desperatio. Tenem⁹ ecce arma, & non resistimus: quia olida hæc corpora morti libenter subdimus, vt animas ad æterna gaudia præmittamus. Si quid in nos vltrà statueris, ignem, tormenta, ferrum; subijci parati sumus: Christiani sumus, persequi Christianos non possu-

Rursus decimus quisque cæditur.

S. Exuperij signifer egregia ad milites oratio.

Desperatio fortissima in periculis.

possumus. Inexpugnabiles istius legionis animos Cæsar, agnosce. Tela proijcimus: exarmatas quidem dexteras satelles tuus, sed armatũ fide catholica pectus inueniet. Occide, prosterne: secandas gladijs ceruices præbemus intrepidi. Hęc nobis iucundiora sunt, dummodo te cum sacrilegis tuis cõtempto, ad regna iam cælestia properamus.

En eximiam martyrum constantiam.

Cum hisce mandatis remeans ad Maximianum satelles, núciat obstinatos in Christi fide virorum animos nullo vel terrore vel mortis supplicio inflecti posse. Tunc verò Cæsar totus in furorem ac rabiem versus, quasi nihil fuisset iterato scelere perpetratum, iubet properè ire exercitũ, legionemq; vniuersam crudeli ferro funditus delere. Nec mora: Circumfusa beatã legionem carnificũ turba ferrum stringit; Deoque suas animas fideli mortis professione cõmendantẽ immanissima tyrannide obtruncat. Licebat tum illic opertã iustorum corporibus terram cernere, sanguinisque precioſi riuulos fluere; crudele quidem hominibus spectaculũ sed Deo precioſum: qui purpuratas martyrũ animas in cælũ recepit. Peracta verò cęde, inter omnes percussores præda diuiditur. Dederat namque facultatem Maximianus, vt quisquis legionis illius militem iugulasset, interempti spolijs vteretur.

Cæsar totam legionem deleri iubet.

Cæduntur ad vnum omnes reliqui martyres.

Diuiditur præda à sicarijs.

Diuisa igitur omni præda, cum ad vescendũ epulandumque victrix turba cõsedisset, eccè tibi veteranus quidam, vltimæ ætatis senio fatigatus, nomine Victor, ad cõtaminatum cędibus locum itineris necessitate deductus est. Qui cum ad epulas pro ætatis veneratione ab omni-

S. Victor miles.

omnibus rogaretur, requirere cœpit, quænam esset causa lætitiæ, quòd inter tot corpora interemptorum, gaudentes exultãteſque possent milites epulari. Dictum est à quodam, quod legio Christianę studio legis, cèremonias Romanas cultumque deorum pariter contemnens data esset neci, vt disciplinæ militaris ordo seuerius deinceps teneretur. Tum victor altè trahens gemitum, grauiterque suspirans, detestatus conuiuas, detestatusque conuiuiũ, exclamat: Heu me, qui per tot annorum militiam ad hanc ætatem veni, & in hac legione militare non merui. Quàm benè inter tales, glorioſæ mortis honore donatos, finem vitæ inuenire potuissem? Saltem, si commilitare indignus eram, vel me antè has duas horas viandi necessitas detulisset, vt senilis pectoris cruor, tantorum virorum victimis misceretur. Obtulerã corpus hoc neci, dummodò tantæ laudis consortio non carerem.

Victoris Veterani militis Virilis Vox.

Talia dicentem prophanorum statim turba vallauit, quæ, vtrum Christianus esset, respondere minaciter iubet. At ille paululùm oculos ad cælum erigens, tali percunctantibus sermone respondit: Longus me viuendi vsus ad hanc quam videtis, perduxit ætatem. Quæcunque in hoc mundo aguntur, aut studium reperit, aut rerum volubilitas agit, aut varius semper casus infestat. Quodcunque volumus, optamus, scimus, aut cupimus; totus mundus caligine submersus, tenebris circumfluentibus latet, nisi nobis aut viam Christus ostenderit, aut lumen Christi affulserit. Quod ego fideli mente perpendens, vtinam vltimo conteſter affectu: quod

Quam vanus mundus.

quod si me ad tempus paulò antè trucidatæ legionis itineris necessitas detulisset, conuiuijs & epulis vestris horum funerum consortium prætulissem. Sed iam nunc præstabit Christus, vt Christianum me, vel ob professionem meā, transire vlterius per beata funera non sinatis. Hæc eum loquentem subita percussoris obtrūcat insania: Ita vir sanctus consortium sanctorum celeri confessione promeruit, cæterisque martyribus eò in loco, sicut morte, ita est honore coniunctus.

Trucidatur S. Victor.

*VITA S. *EMMERAMMI, RATISBONENSIS Episcopi & Martyris: Ex ijs quæ extāt apud V. P. Laurent. Sur. ex Cyrino Ratisponensi Antistite. Claruit anno Domini septingentesimo quinquagesimo.*

* *al. Hiemerammi. Vide C. Baron. in Notat. ad martyr Rom. Item eiusdē Annal. Tom. 8 anno Christi 702. 22. Septē.*

EMMERAMMVS in partibus Aquitaniæ antiqua vrbe Pictauio oriundus, ab ipsis pene incunabulis multis magnisque pietatis ornamentis egregiè decoratus, postquam animum artium maximarum disciplinis ferè omnibus imbuisset, ad summum Episcopatûs honorem peruenire meruit. Erat vir cùm alijs corporis animique dotibus ornatissimus, tum præcipuis naturæ adiumentis ad informandos disciplinis & virtutibus animos præclare instructus. Neque sanè, quod à Deo acceperat, talentum humi defodit, sed prudenter nō minus quam sagaciter expendit: deditque operā, vt quotidie ipsum multiplicato fœnore cum magno cordis gaudio reciperet. Erat ei tātum tamque ardens Dominicas oues pascendi desi-

Patria eius.

Fit Episcopus,

Egregiæ dotes animi in Emmerāmo.

derium, vt per vrbes Gallorum & pagos, vicos quoque & fidelium domos huc illuc prædicãdo discurreret; virtutumque non minus exemplis, quam doctrinis cunctos ad studium virtutis & cælestis patriæ amorem inuitaret. Nec deerat morum & ingenij suauitas; adeò vt regni Gallorum nobiles, ignobiles, locupletes & inopes, ad eum confluerent: eiusque documenta purgatis auribus auidissimè haurirent. Cùm autem ad animos omnium intrinsecus ornandos mentis oculos defigeret, tum nullis neque sumptibus neqae laboribus parcebat: prorsus vt alijs indumenta, alijs alimenta, plerisque etiam ornamenta largiens, cunctos quò vellet pertraheret.

Magnus in eo animarum zelus.

Cumque vir prudentissimus tot bonis floreret, peruenit ad eum fama in quibusdam Europæ partibus, Pannoniæ populum à Christi cognitione penitus alienum idolis nefanda superstitione seruire. Ea re seruus Dei valdè contristatus, vt miseram gentem dæmonis seruitute oppressam in libertatem assereret, confestim relicta domo & immensis facultatibus nobilibusque parentibus & cognatis, alium sibi Episcopum Pictauis substituit; adiunctisque sibi aliquot tantorum laborũ comitibus in Germaniam abijt. Cum autẽ eius gentis linguæ prorsus ignarus verba ad populum facere non posset, calore fidei mirabiliter incensus, per interpretem Vitalem, insigni religione presbyterũ, multa illic præclara sanè cum Auditorum profectu verbi semina iactauit.

Proficiscitur in Germaniã.

Hac igitur solicitudine per Germaniæ fines iter agens, tandem ad vrbem Ratisponensem Baioa-

Baioariorum metropolim peruenit. Eius vrbis gubernacula Dux gentis a Theodo possidebat; cui vir beatus cũ animi sui arcano detecto diceret, se constituisse ad robustam Auarorum gentem in Pannoniã proficisci, vt ibi vel pro Christo mortem oppeteret, vel eo protegente vitam in pace finiret, Dux Theodo, quòd minus rectè sibi cum Auaris siue Hunnis conueniret, rogare cœpit sanctum virum, vt apud se remaneret, suamque gentem adhuc neophytam clariore veri Dei cognitione illustraret. Erat regio illa multis ornamentis egregia, sed quibusdam adhuc idololatriæ reliquijs infecta: quas vir sanctus illo triennio, quod ibidẽ prædicando expendit, penitùs extirpauit; inque omnes regionis latebras doctrinæ suæ lucẽ inuexit. Pauperum ei cura erat incredibilis; adeò vt quidquid fidelium oblatione consequeretur protinùs in eos erogaret.

Venit Ratisbonam.

a Fuit is eius nominis 5. Bauariæ Dux.

Cùm autem terminũ vitæ præsentis sibi instare sentiret, cepit subditos sibi fideles rogare vt orationis ergò Romam sibi petere liceret, vt pastorali cura defunctus, liberiùs in suijpsius cognitione & rerum cælestium cõsideratione versari posset. Per id tempus filia illustris Theodonis Ota vel Vta nomine, impurissimi amoris facibus inflammata, ac tandẽ libidine victa, è Sigibaldo cuiusdam Iudicis filio prolem cõceperat. Cumque in scelere deprehensi supplicium pertimescerent, amboS. Emmerami pedibus aduoluti, multis cum lachrymis eius opem implorârunt. Ille quanquam eorum vicem miseraretur, attamen acriter reprehendens eos, monuit vt animæ potius damnationem quàm

Ota vel Vta Theodonis filia stuprãtur.

corporis supplicia extimescerent: sed nequaquam tamen solita humanitatis pietatisq; subsidia subtrahens, indicta eis satisfactione, attende quæso, quid animus fraterna charitate verè incensus fecerit. Cum nouisset nullatenus veniam eos apud Ducem impetrare posse, secretò mandat, vt in ipsum crimen illud conferant, quo sic facilius pœnas euadant.

Vide eximiã S. viri charitatem.

Interim futurorum haud ignarus, impetrata à Principe ad Vrbem proficiscendi facultate iter instituit. Antè verò profectionem, cuidam VVolfleto eximia pietate presbytero, ad se accersito, cædem suam prædixit, ne quis fortè verò eum istius criminis reum existimaret. Cùm autem trium dierum iter emensus esset, apud fontem quendam perspicuas emanantem aquas concupiti certaminis campum sibi delegit. Neque enim indè recedere voluit, simulans se quidpiam expectare; vt ibidem optatam martyrij coronam perciperet. Interea Ota in stupro apertè deprehensa patris iram vehemèter accenderat: prorsus vt ægrè sibi à manibus temperans Dux, propriam sobolem suo ense iugulare vellet. Sed ab ea crudelitate prohibitus, omnibus rebus & facultatibus priuatam perpetuo in Italia damnauit exilio; in quo ingloria extremum vitæ spiritum concluſit. Erat autem ei germanus Lantbertus nomine; qui sororis suæ ignominia vehemèter offensus, & in rabiem ac furorem conuersus, Episcopum, quod eum tanti sceleris auctorem audierat, requisiuit; cognitoque eius discessu, mox adiunctis sibi comitibus eum persecutus est: ac tandè in pa-

Prædicit cædem suam cuidam Presbytero.

Ota perpetuo damnatur à patre exilio.

Lantbertus frater Otæ persequitur Emmerãm.

in pago Helffendorffo, in quo vir sanctus animam suam Deo per martyrium offerre decreuerat, compræhendit. Stans verò miles Christi in certaminis campo, corde intrepidus diei illius (vt Auctor loquitur) hymnificabat Tertiam. Domum igitur furibũda mente ingressus Lantbertus, mox adductum ad se Episcopum ex oblatæ rei occasione, seculari fastu elatus, ita compellat: Salue Antistes, affinis noster. Quo respondente, Deo teste, se ex carnali commercio nullum prorsus nosse affinem & ad summum Pontificem prouocãte, princeps post contumelias conuiciaque scelerato ore in eũ iecta tandem arreptũ, cui incumbebat, baculum in tanti Pontificis adegit pectus; suisque deindè præcepit, vt in hospitij horreum eum abducerent, & chlamide ac stola spoliatũ, honore, quo dignus esset, afficerent. Nec mora: Milites vt furentis domini animũ mitigarent, funibus eum ad scalam crudeliter alligârunt; & sic demum omnibus iniurijs afficiendũ ac membratim laniandũ statuerũt. Et primò quidem digitis eius, quos eum in principis filiam impudenter coniecisse calumniabãtur, articulatim præcisis; oculis eum, Lantberti vrgente imperio, naribus deindè ac auribus spoliarunt In ijs verò cruciamentis constitutus, nõ modo gemitum nõ edebat, sed pari alacritate & vultu hilari hymnos & psalmos prosequebatur. Necdũ verò tot pœnis exsatiati carnifices, pedes vtroque cum palmis, quarum iam digitos abscideranț, detruncârunt; ipsaq; etiã verenda impudenter abstraxerunt. Interim tamẽ pergebat sanctus Martyr, licet exili iã voce, in hym-

Notatertiæ preces.

Lantbertus insultat S. Episcopo.

Crudeliter tractatur S. Emmerammus.

Vide horrendum supplicium.

Magna eius patientia.

nis psalmisque Dauidicis. Quod cernêtes carnifices, linguæ ministerium illi inuidentes, eâ ferro in os iniecto præciderunt, atque ita corporis trunco relicto abierunt.

Ibi tum martyr sanguine suo inuolutus victor triumphalis exultans, carnificibus abeuntibus, & Clericis è suis latibulis alijsque vicinis accurrentibus, pro sui refrigerio aquam

In vltimo spiritu postulat aquam ad refrigerium.

postulabat. Cui Vitalis presbyter eius respondit: Ecquid pater omnibus membris corporis destitutus refocillationem quæris, cùm satiùs, meo quidem iudicio, mortem tibi optares? Cernens autem Christi martyr secùs presbyteri animum affectum, quam decebat, collecto spiritu, abscissa lingua, vt potuit, explicans, ait ad eum: Non tibi venit in mentem eius cuius te

Loquitur ea linguis.

sæpius admonui, neminem ad mortem festinare debere, sed potius longiora pœnitentiæ spatia optare, vt contractas animi sordes lachrymis in hac vita abluere possit? An verò pigritiæ tuæ molestum videtur, cruentum refrigerare pectus? Eccè nunc temporariæ vitæ hanc ego propono pœnam, vt quoties potum ori tuo applicueris, mentis inops fias, nec tamen cuiquam noceas, sed inobediętiæ de te exemplum

Inobediętiæ pœna.

præbeas, & quidem viri sancti dicta, effectus deinceps secutus est.

Porrò viri, qui erāt cum eo, gloria martyrij triumphantem, ex certaminis campo, ex area quippè sublatum plaustro imponentes, ad pagum publicum, quem Aschaim vocant, auehere: optabant siquidem eum in Ecclesiam Principi Apostolorum ibidem sacram inferre: ne in eorum vilibus ædificijs spiritum efflaret. Verū

ante-

antequàm eò peruenirent anima iã cęlo digna, in campo è corpore exceſſit; tanto cum ſplendore; vt inſtar fulminis oculos omnium perſtringens, apertè ſuam puritatẽ indicaret: qui cãpus poſtmodũ inſigni baſilica in beati martyris honorem, innumeriſque miraculis illuſtri decorat⁹ eſt: ſimiliter & locus paſſionis ei⁹.

Migrat ad Christum vir sanctus.

Vitalis presbyter autem, in eadem ciuitate diu ſuperſtes quamdiu ieiunabat, præclara de ſe virtutis exempla præbebat. Cùm autem peracto ieiunio, certis temporibus alimentum ſumeret, cuiuſcunque potionis genus ore percepiſſet, mox deſtitutus mente, à ſpiritu immundo arripiebatur; commutata facie cum immẽſis ſtridoribus huc illucque diſcurrens, nefanda & turpia proferebat verba; nec tamen alicui nocebat: ita vt cuncta, quæ vir ſanctus prædixerat, in eo complerentur.

En admirandum Dei iudicium.

Et quidem Lantbertus Princeps, eiuſq; crudelitatis adminiſtri diuinam vltionem haud euaſêre. Is namque in exilio vitam miſerrimè finiuit: eiuſque poſteritas omnis perijt: carnifices verò, exceptis duobus, qui ad virum ſancto cruciatus inferendos fuerãt coacti, immundis arrepti ſpiritibus, menteque deſtituti ſuis ipſi corporibus perniciem attulêre. Quin & certaminis eius loci incolæ, quotquot in necem eius conſenſerunt, adeò ex eodem loco diſſipati fuêre, vt nemo eorum illic remãſerit.

En horrendam cæleſtẽ vindictam in viri ſancti extermina tores, & iiſdem conſentientes.

Ceterùm ſacrum eius corpus ad pagum memoratũ Aſchaim perductũ fuit intra ei⁹ Eccleſiæ ſepta perquã honorificè tumulatum. Sed ne ibi perpetuũ requieſceret, cõtinuæ quadraginta diebus horrẽdæ ſanè tẽpeſtates prohibuêre.

Sepultura eius.

Translatio eius Ratisponam.

Cum enim Ratisponensis ciuitas, imò tota illa regio, aquarum inundatione periclitaretur, & quibusdam fidelibus diuinitus reuelatum esset, vt sancti martyris corpus pro ipsorum adiutorio in eam vrbē importaretur, mox Princeps & Sacerdotes, communicato inter se cōsilio, martyris corpus ab eo loco, in quo humatum fuerat auferri, accensisque lampadibus & cereis, non sine maximo miraculo inter tot ventorum flatus per tam longinquum iter nequaquam extinctis, Ratisponam deferri curârunt. Quo vt allatum fuit, mox optata cæli redijt serenitas: tātaque ad eius sepulchrum miracula coruscarunt, quāta scribendo vix compræhendi queant.

Innumeris claret miraculis post obitum.

VITA S. TECLAE VIRGINIS:

Partim ex ijs quæ habētur in Adonis Treuirensis Episcopi Martyrologio, partim apud Cæsarem Baronium.

Vide C. Baron Notat. in Martyr. Rom. & Tom 1 Annal.

23. Septē.

Patria eius. S. Paulus Teclām ad Christi fidem cōuersam ad virginitatem seruandam hortatur.

BTecla, ciuitate Iconio oriunda; beati Pauli prædicatione ad Christum conuersa est: vndè & honoris causa, tanquā nobilissimo titulo, Pauli primogenita nūcupatur. Cum autem sacro baptismate lustrata, haud vùlgaria de se præberet pietatis exempla, idem Apostolus non dubitauit eam, quanquam iam thalamo oppignoratam, sermone suo in perpetuæ virginitatis amorem incendere. Et quidem beata virgo, vt custodem carceris, quo S. Paulus Iconij detinebatur inclusus, sibi conciliaret; gemmis ac muliebri mundo distractis, pecuniam indè acce-

acceptam illi donauit: quo ad beati Apostoli colloquium sibi pararet aditum. Habebat illa spōsum vrbis primarium, genere ac dignitate illustrissimum, corporis quoque & fortunæ bonis ornatissimum, quem tamen, vt cætera omnia quæ mundus admiratur & optat, virgo sancta facilè spreuit, vt cælestium rerum potēs fieret. Vndè ille, ingēti aduersus eam indignatione commotus, virginem Iudici detulit; Quā cum sibi adduci iussisset, & propositum castitatis eius didicisset, eamque Christianam esse, Christumque liberè confitentem audiret, continuò ad bestias damnauit: Interim tamen spe aliqua tam speciosæ virginis à Christo auertēdæ captus, eam nobili cuidam fœminæ, Tryphæna nomine, Cæsaris propinquæ commendauit: quæ cum non modò suasionibus & blāditijs nihil apud Theclam efficeret, sed ipsa insuper Theclæ monitis & precibus à tenebris ad admirabile Christi lumen conuerteretur, sequenti die feris obiecta est: sed in certaminis arenam descendens, stupente populo, tam de bestijs quàm de impietate prostrata triumphum reportauit. Et quidem toto certaminis tempore, astitit ei persona, humana imagine vultum Pauli præ se ferens, eam diuina virtute iugiter corroborans atque defensans.

En feruorem B. Virginis.

Damnatur primò ad bestias.

Conuertit Tryphænam ad Christi fidem,

Obiecta feris nihil lædi-tur.

Porrò indè ad Tryphænæ domum reducta, altera deindè luce iterū feris tradita fuit: sed nudatam virginem neque leones, neque vrsi, neque vlla deniq; ferarum lædere præsumpsit: diuinitus siquidem mansuetæ redditæ, illi blādiebantur. Post quæ in fossam aqua plenam, vbi serpentes adunati & collecti fuerant, à

Item secūdo.

furentibus populis cum vrgeretur, signo Crucis munita insiliuit: omnemque illam serpentum colluuiē virtute diuina à suo corpore fugauit. Sed nec eo miraculo Tyranni crudelitas victa, atrociores adhuc bestias parauit: duobus siquidem rauris ferociſſimis ferro candente stimulatis, vt eam discerperent sanctam alligari iussit. Qui funibus diruptis huc illuc vagabundi, martyre intacta relicta, discurrerunt.

Quarto: Alligatur duobus tauris.

Iis itaque omnibus inuicto robore superatis, demùm eam flammarum incendio cōdemnauit. Accurrunt ilicò apparitores, vt eam in rogum præcipitem darent. At illa animo planè virili & excelso lictores quiescere iubens, spontè pyram ascendit; factoq; Crucis signo, inter medios ignium globos constitit. Eccè verò subitò imber de cælo irruens & ignem extinxit, & virginem illæsam restituit.

Damnatur tandem ad ignem. Seruatur illæsa in medijs flāmis.

Cæterùm hisce tot tantisque victorijs inclitam martyrem Proconsul stupefactus accersit; quæ aut vndè esset quod bestias & ignem superasset sedulò requirit. Respondet virgo, se viui & æterni Dei esse ancillā. Territus autem Proconsul, quod tantæ virtutis esset, edixit sententiam; Theclam, inquit, pietatis ac Dei cultricem relaxo. Dimissa verò in domum Tryphænæ est reuersa; vbi paucis admodum diebus clariore Christi Iesu cognitione Tryphænam eiusque familiam instruxit; ac indè Seleuciam abijt: vbi exemplo & conuersatione vitæ (quæ cunctis adornata virtutibus omnium in oculis mirificè lucebat) & cęlesti etiam doctrina plurimos erudiens, prima omnium fæminarum (vndè & protomartyr à multis cognominatur)

Sententia Iudicis Teclæ absoluitur.

post

post multa certamina duplicis coronæ, virginitatis & martyrij; in pace requieuit: de qua hæc apud S. Zenonem Episcopum Veronensem testata reperiuntur: [*Aduersus Theclam accusator acerrimus linguæ erexit gladium: cum suis sibi ministris publicæ leges inseruiunt. Stimulis acuitur feritas in ferocitatem: & tamen mitior hominibus inuenitur. Ne quid scenæ tã diræ humanitatis deesse videatur; immittuntur etiam marina monstra. Lacinijs omnibus expoliatur puella: vestitur incendio. Inter tot instrumenta mortis, spectatore metuente, secura calcat genera vniuersa terrorum. Incolumis quasi orbe subacto, de illo feralis caueæ loco, iam non miserabilis; sed mirabilis funereo habitu excedit; victi seculi triumphum reportans: quam tot supplicijs omnes crediderant perituram.*] Item hæc apud Gregorium Nazianzenum, hisce versibus.

Fœliciter obit in Seleucia.

In sermone de timore.

Quis Theclam necis eripuit, flammæque periclo?
Quis validos vngues vinxit, rabiemque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis æuo.
Virginitas fluuos potuit sopire leones;
Dente nec impuro generosos virginis artus
Ausi sunt premere: & rigido discerpere morsu.

In præcept. ad virgines.

Cęterum visitur quædam specus propè Tripolim Palestinæ, in qua quandoque beatam Theclam delituisse fertur; quam peregrinãtes Hierosolymam adire solent: referuntque eam assiduis miraculis illustrari. Eaque nõ tantum fidelibus, sed munificentia martyris, etiam infidelibus (penes quos locus ille religiosissimus habetur) impertiri. Eius quoque tumulus, Seleuciæ, miraculorum signis coruscans, totius orientis celebri populorum concursu visitari solet.

Specus Item Sepulchrum eius miraculis illustre.

Vide C. Baron. Not ad Martyr. Rom.

MARTYRIVM S. GERARDI EPISCOPI Canadiensis in Pannonia: Ex eo quod extat apud V. P. Laurent. Sur. Coronatus est anno Domini 1042.

24. Septē. *Patria eius.*

GERARDVS insigni pietate & martyrio illustris Venetijs oriundus, vt primū robustioris ætatis gradum attigit, iam antè monasticæ religionis habitu puer decoratus, Hierosolymam petere statuebat; vt ibidem animum oculosque viuificis illis locorū mysterijs, quæ Christus quondam nostræ salutis causa inambulauit, quæque suo sanguine illustrauit, pascaret. Cumque in Pannoniæ partes, cuius tunc habenas Christianissimus Rex Stephanus moderabatur, veniſſet, atque ad Regem itineris sui causam expositurus accessisset, Rex eius moribus & doctrina mirifice delectatus, clam dimissis socijs, eum apud se inuitum planè retinuit, eique seruando custodes adhibuit. Cernens verò seruus Christi se solū in medijs populi tumultibus relictum, vt strepitus omnes orationi & celæstium rerum studio inimicos euitaret, eremum eius regionis, quam Beel vocant, petijt: ibidemque precibus & ieiunijs toto septennio vacans, soli Mauro Monacho cognitus habitauit.

Cogitat Hierosolymam.

Detinetur in Pannonia à Rege Stephano: cuius vitam habes 20 Augusti. Abdit se in eremo, Beel nuncupata.

Interea Rex Stephanus, profligata gentis impietate, & *Barbarorum moribus edomitis, vt pacis tranquillitatem in suo Regno adeptus est, mox seruum Dei Gerardum ab eremo reuocauit, pontificalique infula decoratum ad Euangelij munus exercendum destinauit. Ea functione quanquàm illibenter susceptā, tanta

** Hungarorum. Educitur ex eremo & creatur Episcopus.*

apud

apud omnes loci illius incolas gratia & auctoritate valuit, vt cuncti eum & vt patrem colerent, & vnicè amarent. Itaque crescente indies fidelium numero, summo studio ac vigilantia per singulas vrbes ecclesias exstruxit: easque mirificè adornauit, Est ad littus Morisij fluminis templum, eius studio fundatum; insigni sanè opere cõspicuum; egregio Christi martyri Georgio sacrum; Sedem Morissenam appellant: in quo Virgini Matri aram erexit; antè quam argenteum collocauit thuribulum; eiusque ministerio duos prouectę ętatis homines adhibuit, qui iugiter illic excubarent, atq; operam darent, ne vlla vnquam hora thymiama ibi deesset. Singulis quoque Sabbathis cum nouem lectionibus (vt in die Assumptionis eiusdem Sanctissimæ Matris) magnisque laudũ præconijs deuotionis suæ officium illic explebat. Cęteris autem diebus matutinis & vespertinis precibus absolutis, bis cum processione eò venire solebat; quæ consuetudo hodieque perseuerat. Porrò laudibus & veneration eiusdem sacratissimæ Virginis tantæ humilitatis obsequio se subdere nouerat, vt si quis reus, clàm à sancti viri familiaribus edoctus, veniã ab ipso per nomen matris Christi peteret, mox audito nomine Matris misericordiæ, pater sanctus lachrymis perfunderetur, & perindè ac si ipse reus esset, à reo veniã peteret: filiumq; suum fore affirmaret, si eam sincerè Dei genitricem crederet. Ipso auctore, ab Hungarica gente non pronunciatur nomen ipsum Matris Dei, sed Dominam eam vocant. Si verò nomen illius pronunciatum fuerit, statim flexis genibus

Sedes Mociſſena: templum S. Georgij.

Sũmo ſtudio pietatis Virginem Mariam colit S. Gerardus.

Hũgari quomodò reuerenter matrem Dei coluerint.

bus & demissis in terram capitibus sese inclinant. Atque adeò Pannonia à sancto Rege suo Stephano, familia B. Mariæ appellata est.

Fecit hoc, ne vinum acesceret.

Erga ministeria Ecclesiastica, magna beato viro cura & solicitudo inerat. Æstiuo tempore in domo Dei vascula glacie plena ponebantur; in quibus lagunculæ & vinum, quod posset optimum inueniri, ad Dominici sanguinis cõsecrationem asseruarẽtur. Nocturno tempore leprosum in suo reponebat lectulo; & arrepta

En quo pacto corpus in seruitutem redigat.

securi, ad siluam solus pergebat, fasciculosque lignorum pro corporis sui castigatione propriis humeris indè reportans, seruorũ suorum labores sæpè anteuertebat ac subleuabat. Cùm illi de loco in locum proficiscendum erat, nõ iumento, sed vehiculo vtebatur: in quo sedens libros à se compositos relegebat. Vestibus cilicinis & ex arietum pilis confectis frequenter vtebatur. Vt autem sanctis hominibus vsuenire solet, aliquando negligentia aurigæ sui, aut qualibet iniuria læsus, leui ira commotus, iussit protinus hominem reum, flagellis cæsum duris vinculis alligari. Parebant verò illi ministri; sed non ignorantes animi eius clementiam & suauitatem, iuxta viam, qua sanctus pater transiturus erat, hominem culpæ obnoxium ad stipitem alligabant; & plagarum vestigia in eius nudo dorso gallinæ aut alterius animantis sanguine exprimebant. Cumque eo peruenisset homo Dei, oblitus seueritatis suæ, ilico è vehiculo exiliens,

Magnæ fuit misericordiæ S. Gerardus.

ad vinctum illum properabat, & modo stipitẽ, brachia, manus ac vincula, modò pedes osculabatur, munera pollicebatur, si veniam & mise-

misericordiam ab homine consequi mererentur. Si cui tum id videre contingeret, illum virum Dei, pro tanta humilitate, & simplicitate dicere non dubitaret, conuersum in puerum illum, quem Saluator imitandum statuit in medio discipulorum suorum. *Matth. 18.*

Libenter versatur in eremo.

Etsi autem episcopalem functionem & dignitatem summa prudentia administraret, attamen eremum non reliquit: sed apud vrbes, ad quas cõcionatur pergebat, cellulas sibi in siluarum secretioribus locis cõstruxit; in quibus ligatus pernoctasse, multasq; afflictiones, soli Deo cognitas, pertulisse memoratur. Cum aliquando pro cuiusdã defensione ad B. Stephanũ Regẽ properaret, in eius regionis parte quadã, pecoribus pascẽdis opportuna, & apta, vir Dei hospitio vsus fuit. In ea autẽ domo sub noctis medium ancilla quædam versatili mola triticum terebat; laboris molestiam cantilena tẽperans. Ea autem cantilena expergefactus vir sanctus, vt ex ministrio id quod res erat intellexit, mox pijs iufusus lachrymis; ô fœlicem, inquit, fœminam, quæ sub alterius potestate constituta debitum seruitutis officium tam suauiter absque vllo murmure persoluit: iussitque ei non minimum pecuniæ pondus deferri.

Debitum seruitutis officium suauiter persoluẽdum.

Postquam autem beatus Rex Stephanus totam Pãnoniam ad veram Christi lucem adduxit, ipso die Assumptionis Virginis Marię, ipse quoq; ad æternam requiem assumptus est. Successit autem ei Petrus Rex; cui cũ omnes Pannoniæ principes fidem suam & amorẽ pariter obligâssent, vnus ex eis, illo exturbato, regiam sibi

Moritur Rex Stephanus.

Quidam per tyrannidem occupat regnum.

sibi auctoritatem per vim vsurpauit. Qui deinde tyrannidem occupãs, ipsis sanctis Quadragesimæ diebus honestissimos sui consilij viros, sudibus ac palis perinde vt immunda pecora interficere non dubitauit, Deinde ad Moriſſenam sedem, Pontificis locum, Paschalia sacramẽta celebraturus, & regium diadema ab Antistite Gerardo, vt sperabat, percepturus aduenit: At illo renuente, reliqui pontifices regali diademate tyrannum adornãt; ornatumq; magno Cleri & populi comitatu in S. Georgij basilicam deducunt. Ibi tunc zelo iustitię sanctus pater repletur, cãdida indutus stola ambonem ascendit, Regemque his verbis per interpretem alloquitur.

Prædicit S. Gerardus impio Regi diuinam vltionem.

Cùm tu Rex Quadragesimam, peccatoribus quidem pro venia, iustis autem pro præmio constitutam, cædibus pollueris, mihique nomen patris eripueris, per te dulcissimis filijs orbato, nullam hodiè veniam mereris. Et quia pro Christo mortem oppetere paratus sum, tibi quæ euentura sunt pronunciabo. Anno tertio regni tui gladius vltionis excitabitur in te; qui tibi regnum improba fraude per vim acquisitum pariter cum vita auferet. Vno indè lustro euoluto, & altero inchoato, immanis in gente illa seditio excitata est: in qua cùm ad Albam Regalem vir Dei proficiscereturr, apud Ecclesiam S. Sabinæ virginis & martyris hospitio vsus, fratribus in cœna instantem certaminis sui diem prædixit. Itaque altera luce peracto Missæ sacrificio, cunctos præsentes panis cælestis fecit participes, lætusque ad martyrium perrexit. Vbi autem ad Danubium intendit,

Prædicit suũ martyrium: & piè seſe præparat.

tendit, turba populi furore repleta eum circũ-
fistit lapidumque imbres certatim immittit.
Ille verò contra benedictionẽ & Crucis signũ
opponens, tunc quidem illæsus permanet. At
impij homines tandem retortis equorum col-
lis currum subuertunt, patremque humi deie-
ctum magno impetu lapidare conantur. Tum
instar protomartyris Stephani primus Panno-
niæ martyr, positis in terra genibus; clamauit
voce magna; Domine Iesu Christe, ne statuas
illis hoc peccatum: quia nesciunt. Hoc cùm di-
xisset, lancea percussus suauiter expirauit. Eo-
dem autem die, magna Christianorum strages
edita est. Corpus verò beati viri cùm in loco
martyrij sui iaceret, nulla sorde commaculatũ
sequenti die à Catholicis viris in Ecclesia Dei
genitricis conditum est. Multis deindè elapsis
diebus, fidissimus sancti viri procurator Regẽ
Andream adijt, orans vt peregrini atque hospi-
tis patris corpus celeriter restituat. Quo impe-
trato, adeò nitidum ac luculentum illud inue-
nit, ac si eo die martyrium obijsset. Itaque cum
hymnis & canticis ad Morissenam sedem illud
transtulit, ibidemque multa cum reuerentia
sepeliuit; vbi multæ gratiæ Catholicis viris
collatæ sunt: non tamen adhuc euidenter; vsq;
ad tempora Ladislai Regis, & Laurentij Anti-
stitis eius Cathedræ à beato viro quinti. Tum
siquidem à S. Romanæ Ecclesiæ Synodo iniun-
ctum est, vt corpora eorum qui Pannoniam fi-
dei prædicatione irrigassent, summo honore
afficerentur. Veniente etiam sedis Apostolicæ
Legato, & Nobilium coacto conuentu, sacrum
huius beati Martyris corpus eleuatũ est, atque

Iactantur in eum lapides.

Moritur lan-ce a confos-sus.

Corpus eius ad sedem Morissenam transfertur.

Is S. Ladis-laus fuit 7. Hungariæ Rex.

Eleuatur.

Miraculis floret.

Miraculis floret.

Regis & Principum humeris translatum, honorificeque depositum eo loco, vbi pro meritis tanti patris superna gratia efficiendis & declarandis miraculis largius coruscat.

MARTYRIVM SS. CYPRIANI, Diaconi Antiocheni, prius Magi; ac Iustinæ virginis: Ex eo quod extat apud Metaphrastem. Tempus passionis patet infrà.

Vide C. Baron. Notat. ad Martyr. Rom. qui ibidem quendam errorē Græcorum castigat.

Iustinæ patria & Parentes.

IVSTINA AEdesio & Cledonia parentibus Antiochię oriunda, primò quidem cum cæteris idolorum cultoribus densis errorū tenebris inuoluta, cùm aliquando Praylium diaconū Antiochenū de lapsu primi hominis deque Christi in terrā aduentu, & redemptionis nostræ mysterijs differentem audisset, statim damnata idolorum impietate, ad Christianæ religionis præstantiam animū adiecit. Hinc percepta tenui quadam veritatis luce, attentas quotidie aures diacono præbebat; summaque dulcedine diuinorum mysteriorum cognitione animum pascebat. Iamq; ardebat desiderio incredibili matrem eorum participem facere, sine quibus ad veram salutem neminē peruenire posse intelligebat. Igitur die quodam, igne Sancti Spiritus vehementius incensa, matrē adiens, Et cur, inquit, ô mater, Deos hominum manibus fictos formatosque tanta superstitione colimus? Cur artificis opera adoramus? An tu ignoras Galilæos (sic enim Christi assectas illic habitantes vocare solēt) dijs nostris multò terribiliores esse (Si enim eorum quisquam idolis apparuerit, dij nostri eorum conspectum

Conuersio eius ad Christum.

Conatur matrem Christianam facere.

ctum sustinere nequeunt: imò protinùs in fugam versi, vel inuiti Christi potentiam confitentur. Mater verò his auditis filiæ suæ exitium timens, Vide, inquit, ô filia, ne hic tuus contemptus deorum ad patris aures dimanet. At verò filia nihil patris iram, nihil supplicium atrocitatem verita, salutarem doctrinam matris auribus instillare pergebat; donec vi veritatis eius expugnata impietas, tacitam visa est præbere assensionem.

Posteà verò vna nocte, eadem quæ à filia audierat marito aperuit; qui animo fluctuans, filiæ pietatem insomnis cum admiratione pertractabat. Tandem diù multumque cogitationibus decertans, somno opprimitur; & eccè Christus angelica stipatus caterua visus adesse, eumque hisce vocibus compellare: Venite ad me, quid fluctuatis? Venite, inquam, & regnum cælorum percipite. Hac visione omnis ab animo dubitatio ablata est; statim vnà cum vxore & filia Optatum requisiuit Episcopum, vt ab eo salutari lauacro expiatus ad Christi castra iungeretur. Nec repulit sanè Aedesium Antistes, sed mirificè tanti viri, qui idolorum sacerdos magnum apud gentem illam nomen obtinebat, conuersione gauisus, eum vnà cum coniuge & filia Christianis sacris initiauit, Crucisque signo munitos armis salutaribus contra hostiles dæmonis insultus præclarè instruxit.

Christus in somnis apparet patri eius.

Aedesium pater Iustinæ cum vxore & filia ab Optato Episcopo baptizantur.

Et quidem patre AEdesio anno vno & mẽsibus sex à percepta salute, vitæ munere cũ laude sanctitatis defuncto, virgo Iustina (quæ antè regenerationis lauacrum Iusta dicebatur)

Moritur piè AEdesius.

admirandis fidei clarebat virtutibus: quas hostis malignus varijs modis sibi expugnandas suscipiebat. Erat in ciuitate literarum candidatus quidam, Aglaidas nomine, honesto admodum loco, patricio genere natus & opibus præstans: qui visa Iustinæ pulchritudine, tanto illius amore incensus est, vt nihil non moliretur, quò cupitis eius amplexibus frui posset. Cumq; cõstantẽ virginis animũ neq; promissis neq; effœminatis blanditijs expugnare posset, demũ haud exigua collecta iuuenum manu, ipsam in via aggressus per vim abducere conabatur; quo vel sic tandem hærentem visceribus pestem extingueret. Sed neque id quidem infœlici ex animi successit sententia. Statim namque vt hoc audax & nefarium facinus in ædibus matris innotuit, exierunt simul cum armis plurimi, ijque fortissimi: Quorum solo cõspectu, iuuenis affeclæ in effusam fugam versi, miser Aglaidas, nullius rei alterius curam gerẽs, inter medios enses virginem amplectebatur: paratus omnia pati potius, quàm ab ea discedere. Ast illa impuram hominis mentem execrata; Crucis signum tãquam arma opponens, collectis viribus repentè sese eius manib. excussit: proculq; eum à se reijciens plurimis affecit cõtumelijs: & vultum pugnis ac sputis egregiè fœdauit. Et hęc quidem quanquã grauia essent & atrocia satis ad omnẽ amoris vim reprimendam, ille tamen, quòd ad extremam amoris processerat amentiam, hoc vnum tamen vel morte grauius putabat, Iustinã nõ assequi.

Aglaidas studiosus, insidiatur pudicitiæ S. Iustinæ.

Egregiè ab ea repellitur.

En vim amoris carnalis, diaboli opera excitati.

Igitur cùm ad impuras cupiditates reprimendas planè inexercitatus esset, totum sese

desi-

desiderijs permisit, omniqúe forti & generosa cogitatione reiecta, solum quod dolor & amor suadebant, exequi statuit.

Cyprianus magus Antiochiæ spondet se Virginis animum libidine incensurum.

Erat ijsdem temporibus Antiochiæ Cyprianus quidam arte magica instructissimus; qui magnum nomen sapientiæ & eruditionis in magicis rebus obtinebat. Eum infœlix iuuenis adijt, & ingentib. oneratum promissis ad Virginis animum impurissimi amoris facibus inflammandum prouocauit. Is verò supercilio eruditionis & sapientiæ elatus, spopondit se mox quidquid vellet effecturum, virginemqúe ea amoris vehementia incensurum, vt vltrò etiam amplexus concupisceret. Nec mora: Cyprianus euocato ex malignis spiritibus vno, quem promptè & alacriter ad hæc flagitia opẽ ferre nouerat, exponit quod fieri velit. Ille eum sine cura esse iubet; tradit vasculum pestifero succo plenum; mandat vt eo virginis aspergat domum; & nisi omnia ex sententia succedent, se de cætero despiciendum, & pro nullo habendum pronunciat. Facit cuncta ex mandato magistri Cyprianus; aspergit domum; adhibet nefanda carmina; Virgo tentatoris sentit insultum. Stupet illa; miratur insolitam libidinis vehementiam; ad preces conuertitur; lachrymatur; Christú adiutorem magicæ fraudis nescia inuocat. Sed crescit magis indè ac magis in virginali pectore amoris flãma: Neque tamen despondet animum generosa virgo; quin potiùs fide, precibus, alijsque spiritalibus armis vndiqúe tecta, carnem instantiùs edomat, hostemqúe infringit; ac tandẽ pudore affectum cum magno metu in fugam cõuertit.

Consulit dæmonem Cyprianus.

Vehementer tentatur S. Iustina carnalibus desiderijs.

Ea fortiter superat.

Ille autem ad Cyprianum reuersus, cùm se victum fateri erubesceret, varijs anfractibus se circumagebat; sed à Cypriano cùm vrgeretur, Vidi, inquit, quoddam signum quod vehementer horrui, neque vllo modo vires illius sustinui. Illo ergò sic condemnato, mox alius priore ad agendum longè peritior accersitur dæmon: qui tamen similibus propulsatus armis cum dedecore, ad eum qui miserat, redijt. Post hæc princeps dæmonum, acre suis minitans supplicium, accessit: Cyprianumque solatus, haud dubiam ei de virgine spopondit victoriam.

Crucis signū dæmonibus intolerandū

Is igitur noua fraude & calliditate instructus, sumpto muliebri habitu, magno sub prætextu pietatis virginem adijt: simulans se eodem virginitatis desiderio inflammatam scire cupere, qua ratione hostiles insidias euitare posset. Cumq; virgo sancta multa eximiæ pietatis documenta proferret, dæmon humana specie tectus, inter verba ad matrimonij dignitatem tanquàm tutiorem salutis viam sermonem conuertit, ac valido argumento, carnalem copulam Deo magis quàm virginitatis votum gratam esse contendit. Quo audito, Iustina dæmonis insidias pertimescens surgit; ac Crucis trophæo de more se consignans, mox dæmonem, quem verè puellam existimabat, euanuisse conspicit.

Dæmon sub specie mulieris virginem Iustinam conatur euertere.

Crucis signo fugatur dæmon à S. Iustina.

Post quæ dæmonum ille princeps ad Cyprianum redire compulsus & fateri coactus est, sola Crucis virtute in fugam se conuersum esse. Quo cognito, Cyprianus prudenter secū hoc modo philosophari: Si tantæ virtutis est Crucis-

Cyprianus conuertitur ad Christum.

cifixus, vt solo Crucis signo inimici eius in fugam vertantur, quanta demùm amentia est, eo relicto, illius sequi inimicos, qui nulla virtute præditi tam facilè terrentur? Hæc secum sagaci mente pertractans, assumptis sceleratæ artis suæ libris, [a] Anthimum, qui tunc temporis Antiochenam cathedram tenebat, supplex adijt: eumque per Christi merita & vulnera cum lachrymis orauit, vt impietatis quibus constrictus tenebatur vincula dissolueret, lustralibusque expiatum aquis in Christi Ecclesiam pœnitentem reciperet: ac protinus magiæ libros igni consumendos illi tradidit. Anthimus, visa viri humilitate animique dolore, gementem supplicãtemque recepit. Receptus intrà Ecclesiæ fores Cyprianus, totam noctem in confessione, gemitibus & lachrymis exegit: nihil non faciens vt scelerũ suorum veniã & Christi gratiam perfectè mereretur. Cumq; Asterius diaconus, cæteris catechumenis iam eiectis, eum pariter exire iuberet, ille & Christi & suæ salutis amore incensus, negauit se foras iturum, nisi omnibus Christianæ religionis initiatus mysterijs, verus Christi Iesu seruus diceretur. Qua viri alacritate & charitate gauisus Anthimus, protinus eum catechesi instruxit; diuinoque expiatum baptismate, octauo die præconem verbi instituit: vicesimo aũt subdiaconum, tricesimo verò diaconũ ordinauit.

Iustinam verò virginem animo sanè per omnia generosam diaconissarum in numerum retulit: virginumque cœtui matrem dedit, & cuncta alia cælestis disciplinæ domicilia spiritalibus armis præclarè munijt. Orthodoxæ

[a] *Claruit is Antiochenus Antistes anno Christi 293 &c. vt patet 2. Tomo Annal. C. Baron.*

Magnus zelus Cypriani magi.

Anthimus ordinat Cyprianũ Diaconum.

Item Iustinam diaconissam.

verò fidei aduersarios quotidiè diuini verbi tuba ad certamen & salutem prouocabat: adeò vt breui extirpatis gentilium erroribus lux veritatis vbique splenderet. Hæc cùm dæmonem incredibili furore ad vindictam de Cypriano sumendam stimularent, Diocletianum (qui tunc Romanis leges præscribebat) excitauit, vt Antiochenum Cyprianum, Christianorum Diaconum exilio damnaret. Damnatus vnà cum Iustina cùm nec siquidē ab opere Euangelij cessaret, fuit nomen eius ad Eutolmiū Comitem Orientis delatum; qui Cyprianum virginemque Iustinam in vincula coniecit: & tribunali suo Damasci præsentari mandauit. Ibi interrogatus Cyprianus, qua de causa desertor deorū & magicæ artis contemptor nunc tanta cupiditate Crucifixum prędicaret, aliosque quamplurimos à cultu deorū abductos ad Christiana sacra traduceret, ita respondit Comiti, vt facilè deorum vanitatem, si furorem nonnihil posuisset, intelligere potuisset, Sed Comes, cuius animus impotenti iræ dominatu oppressus tenebatur, cùm luculētis Cypriani rationibus respondere nō posset, iussit eum suspensum discerpi: Iustinæ verò os oculosq; verberari. Sed non potuit eorum virtus Christi sanguine fundata vllis terreri supplicijs: quin multò constantius & Christum confiterentur, & Comitis impietatem execrarentur.

Sic sentit Baronius in Notat hac die.

Cyprianus post exilium, & Iustina ab Eutolmio in carcerem mittuntur.

Sancti martyres atrociter cruciantur.

Hinc Tyrānus, abiecta victoriæ spe, Cyprianum quidem in carcerem, Iustinam verò in Terentinæ, quod dicitur, monasteriū includi iussit. Indè opportuno tempore, ad secundam productī examinationem, cùm blāditias æquè ac mi-

ac minas generosa animi virtute contemnerent, in sartaginem pice & bitumine horribiliter accensam missi sunt. Sed nihil sanctis flammarum incendium, nihil fœtor fumusque picis nocuêre; prorsus vt eo spectaculo stupefactus Comes, præstigijs dæmonum eos defendi clamaret. Aderat Athanasius quidam homo gloriæ præter modum cupidus; qui Eutolmij amentiam vt magis foueret, & gratiam aliquam apud eum iniret, exclamans ait: Ego mox Christi vestri arguam imbecillitatem. Hæc dicens, inuocato Ioue & Aesculapio, furibunda mente eandem in sartaginem insilijt; existimans se pari ratione cũ sanctis vim ignis repressurum Sed momento à voracibus absumptus flammis dignas suæ stultitiæ pœnas tulit.

Mittuntur in Sartaginẽ.

Temeritatis & blasphemiæ pœnas luit Athanasius quidam.

Videns ergo Iudex res adeò nouas & stupẽdas, & ignem, tãquam ratione præditum, amicum ab inimico discernentem, vix mentis suæ compos omnisque consilij inops, sanctos martyres Nicomediam ad Imperatorem [a] Diocletianum, qui tunc rerum potiebatur, transmisit; qui lectis Eutolmij literis, cùm martyres per omnia suppliciorum genera inuictos intelligeret, capitis in eos sentẽtiã tulit. Fuêre ilicò generosi athletę Christi ad certamen propter fluuium Gallum, ingenti multitudine ad spectaculum concurrente, deducti. Et quidem eo vt peruentum est, Cyprianus de fœminea imbecillitate solicitus, Iustinam luculenta oratione confirmatam ad certamen præmisit. Qua glorioso fine coronata, Cyprianus incredibili cum gaudio eam sequutus, eandem martyrij palmam adeptus est. Iacẽtibus autem

[a] *Reperitur Diocletianũ cum Maximiano fuisse Nicomediæ anno Christi 302. (Tom. 2. Annal. C. Baronij) ibidemque tum sæuissimam de Christianis carnificinam exercuisse.*

humi sanctorum corporibus, cum die noctęq; impij excubarent custodes, nemo eorum reliquias tollere & honore sepulturæ afficere audebat. Acciderat namque cum in martyres iã lata fuisset sententia vt quidam illac iter habens, cui nomen Theodistus, videnśque sanctos ad supplicium abduci, solummodò diceret: Quàm iniustè sancti illi, morti adiudicati fuêre. Hæc simulatque dixisset mox eum assessor Felicius, qui supplicio præerat, ex equo deiecit, paremque Christi martyribus ei quoque mortem attulit. Porrò multo post tempore, sacræ eorum reliquiæ fuêre Romanorum quorundam studio & vigilantia, qui in transmarinas regiones iter fortè habebant, Romam transuectæ; & honorificè admodum tumulatę: affatim curationes, non Romanis solum, sed etiam ijs, qui illuc veniunt ex omni parte, prębentes quotidiè.

Item Theoctistus, propter verba pauciſsima.

Sacræ eorum reliquiæ Romam transferuntur. Miraculis coruscant.

MARTYRIVM SS. COSMAE ET DAMIANI ac fratrum eorundem Antimi, Leontij, & Eupropij: Ex eo quod est apud V. P. Laurent. Surium. fide dignissimum Tempus passionis patet infrà.

Vide Not. C. Baron. ad Martyr. Rom. ac Tom. 1. Annal.

27. Septẽ.

Patria & Parens SS. Cosmæ & Damiani.

TEMPORIBVS Diocletiani & Maximiani in ciuitate AEgęa, Theodota, insigni pietate matrona, geminos fratres Cosmam & Damianum enixa est. Qui ab ipsa genitrice vnà cum lacte pietate imbuti, ac tãdem artium disciplinis eruditi, mirabilem à Deo gratiam consecuti sunt. Nullum enim nõ morborum genus eorum cedebat virtuti; ægritudines & infirmitates omnes ad tactum illorũ fuga-

fugabantur; optata oculorum lux cæcis redibat; dæmones eorum aduentum formidabant; denique nihil non erat quod eorum sanctitatē venerabatur.

Palladia paralytica à SS. Cosma & Damiano sanatur.

Eo tempore erat matrona quædā, Palladia nomine; quæ longo tempore omnium mēbrorum officio destituta, quidquid facultatum pecuniarumve habebat, in medicos fruſtrà expēderat, lectoque affixa omnem salutis spē proiecerat. Quæ, cognita SS. Cosmæ & Damiani virtute, cōfestim eorum opem cum lachrymis implorauit: complexaque pedes illorum per Christi nomen salutem postulauit. Illi verò, explorata mulieris fide, prompto animo optatam ei salutem contulêre. Palladia autem sciens eos ab omni cupiditate muneris esse alieniſſimos, oblataque constanter repulsuros clàm sanctum adijt Damianum, eumque sacramentis terribilibus per Iesu Christi nomē adiurauit, vt munusculum acciperet, neque vllo modò salutare Iesu nomen, spreto munusculo, contēneret. Suscepit ea necessitate constrictus piæ matronæ munus Damianus, quo cognito, Cosmas animo sanè commotus, & immodica triſtitia deiectus, seuerè admodū præcepit, ne Damiani fratris corpus communi secum post mortem sepulcro frueretur. Itaque pia inter eos disceptatione de gratuita seruitute Domini orta, nocte vna Dominus Cosmæ apparens, Quare, inquit, tanta seueritate fratrem corripis propter munus illud, quod non mercedis gratia, sed per nomen meum adiuratus suscepit?

S. Damianus coactus suscipit parvum munusculū.

Id ægrè fert Cosmas.

Christus apparet Cosmæ.

Multis igitur virtutibus & signis clari sancti fra-

fratres, die quadam camelum arte diabolica debilitatum inuenerunt; quem protinus sanitati restitutum illæsum abire permiserũt. Hæc aliaque sanè eximia Christianæ fidei documẽta cum miro omnium præconio, nec sinè animarum fructu, celebrarentur, tandem quoque ad aures Lysiæ Præsidis Algææ peruenerunt; qui sinè mora suo eos tribunali lictorum manib⁹ sisti iussit. Oblatos Præses interrogat, qua prouincia oriũdi, quæq; eorũ nomina & cuius fortunæ essent. Cui martyres respõderũt: Arabiæ prouinciæ ciues sum⁹; nomina, nostra, Cosmas & Damianus: Fortuna autem quid sit ignorantes, ex magno genere Christiani sumus. Habemus autem & alios fratres, quorum nomina, si requiris, sunt hæc; Antimus, Leontius, & Euprepius. His auditis, Præses. Ite, inquit, & eos pariter adducite: vt magnis dijs sacrificetis.

Comprehenduntur SS. Martyres à Lysia Præside in Christianos crudeliß. Teste C. Baron. Tom. 2. Annal. anno Christi 285. Dioclet. & Maximian. 2.

Nec mora. Sancti martyres, futuri certaminis & martyrij auidi, abeuntes, fratres adduxerunt: Præsidemque tormenta & diros cruciatus, nisi sacrificarent, minantem contẽpserunt. Qua iniuria prouocatus Lysias, vinctos manibus pedibusque, quæstionibus subiecit, torsitque vehementer; sed martyres Christo psallẽtes, in supplicijs inuicti permanebant. Quin & præsidi insultantes dicebant; Si quæ crudeliora tibi suppetunt tormenta, ea proferto; vt Christi potentiam in nostra infirmitate cognoscas. Præses ea contumelia lacessitus, Ego, inquit, vos catenis vinctos in mare præcipitari iubeo. Vincti igitur catenis martyres ineffabili gaudio repleti, psallentes pergebant: In vijs testi-

Adducunt etiam suos ipsi fratres ad Præsidẽ.

Torquentur SS. martyres.

testimoniorum tuorum Domine delectati sumus, sicut in omnibus diuitijs. Propter nomen tuum Domine, si ambulemus in medio vmbræ mortis, non timebimus mala, quoniam tu nobiscum es. *Psalm. 118.* *Psalm. 22.*

Hæc aliaque illis psallentibus venerunt ad locum; moxque ministri crudelitatis eos in mare præcipites dedêre. Sed protinùs angeli ministerio soluti ad littus deducti sunt. Ea re intellecta, Præses denuò sibi oblatis, Per deos magnos, inquit, maleficijs vestris & tormenta vincitis, & mare sopitis. Docete ergò & me maleficia ista, vt & ego deinceps sequar vos. Hæc aliaque vbi dixit, duo nequissimi spiritus protinùs adfuêre, qui faciem eius cædebant, torquebantque; adeò vt dolore victus exclamaret: Deprecor vos Christi milites, vt vestris apud Deum orationibus ab hisce me dæmonibus liberetis. Orantibus ergo sanctis martyribus, & dæmonibus repulsis, impius tyrannus ad ingenium redijt; iussitque martyres in carcerem receptos sequenti luce tribunali suo offerri. *Præcipitantur in mare, sed statim diuinitùs liberantur.* *Præses à dæmonibus caditur.*

Oblati tertiò, & minis blanditijsque verborum diu multumq; frustrà oppugnati, tandem incendij damnati sunt. Fuit ilicò ingens pyra allatis vndique sarmentis exstructa; in quam coniecti martyres tanquam in paradiso deambulantes, flāmis interim longè lateque erumpentibus, & alios absumētibus, alios verò ambustos fugantibus, tandem illæsi egressi sunt. Hæc quanquàm Præses vehementer miraretur, non tamen diuinæ virtuti, sed magicæ arti tetra impietatis caligine occæcatus adscribebat. *Damnantur ad ignem.* *Illæsi egrediuntur.*

Vndè

Vndè martyres nouis denuò eculei tormentis torqueri præcepit; sed ijs ab angelo repressis, sanctisq; illæsis planè cõseruatis, mãdauit tyrannus Cosmã & Damianũ in crucem sublatos lapidum imbre necari: Antimum verò, Leontium, & Eupropium, vinctos in carcerem duci. Et his quidem in ergastulum abductis, Cosmas & Damianus Cruci affixi sunt: sed missos in eos lapides nullam non modò vim intulêre, quin potiùs conuersi grauiter eos, qui illos mittebant, vulnerabant. Vidẽs autem insanus Iudex ministros suos vulneratos, furore succensus quatuor militum ordines misit, qui Cosmam & Damianum, alijs fratribus propter crucem positis, sagittis configerent. Sed neque sagittæ quidquam eis nocuêre; verum ingens virorum ac mulierum multitudo, ad spectaculum concurrentium, ijsdem illis sagittis retroactis cõfixa miserabiliter occubuit.

Cosmas & Damianus crucifigũtur.

Cernens igitur Præses omnem suam malitiam sanctorum virtute prostratam, animo, in diuersa distractus, gladio in eos animaduerti præcepit. Illi verè vno ore pariq́ue alacritate Deum laudantes nixi genibus palmisq; ad cælum sublatis, ceruices præbuere; atque ita glorioso martyrio coronati ad regna cęlorũ commigrârunt; quorum corpora Christiani rapiẽtes eodem in loco honorificè sepeliêrunt: vbi in præsentem diẽ innumera beneficia largiuntur. Horũ quoque meritis Iustinianus Imperator ab ægritudine grauissima liberatus, percelebrem in honorem eorundem martyrum erexit basilicam; addiditq; & aliud in Pamphilia ijsdem martyribus templum. Romę verò adeò cele-

Plectuntur capite martyres.

Tumulus eorum miraculis clarus. Vide Procop. lib. 1. & 5. de Aedificatione Iustin. Imper.

celebris ijs exhibetur cultus, vt multi ea propter illos Romæ martyrio coronatos esse crediderint.

*VITA S. *ELEAZARI, COMITIS OPpidi nomine Ariani, qui cũ sancta Coniuge Dalphina vixit continentissimè, Virgoq; permansit: professus illud vitæ institutum, quod vocant de tertia Regula S. Francisci. Excessit ex humanis anno Domini 1323.*

* al. Elzeari. Vide C. Baronon. in Notat. ad martyr. Rom.

ELEAZARVS Comes Ariani, è Narbonensi prouincia oriũdus, patrem habuit Hermongaum à Sabrano, virum insignẽ & potentem; matrem verò Laudunam Albanã vel Albæ: quæ tum ob sanguinis claritatem, tũ ob vitæ integritatẽ accepta ab Eleazaro & Cæcilia mariti sui parẽtibus, Bona Comitissa vocabatur. Itaque pia matrona & mundo planè mortua pulchrum enixa infantem, fertur eum eadem hora cum feruenti deuotione & gratiarum actione Deo obtulisse dicens: Accipe eum tibi seruum Domine, tuæq; benedictionis gratiam ei largire. Quòd si eum nosti diuinæ tuæ voluntati fore rebellem, vbi sacro baptismate erit candidatus, illum sinè mora è medio tollas. Satius enim est, eum innocẽtem & nullis auctum meritis tecum viuere, & mundo emori, quàm in hac mortali vita tuã offendere maiestatem. Vt autem Deus ostenderet se hoc sacrificiũ in odorem accepisse suauitatis, tantam pietatem infantis illius animo in ipsis incunabulis instillauit, vt necdum triennij ætate completa, mirabili erga pauperes commiseratione afficeretur. Nam cum baiularum brachijs

27. Septẽ. *Patria & parẽtes eius.*

Mater eum recens natũ Deo offert. Pia precatio matris eius.

chijs portaretur, in castri Ausoisij porta sæpè pauperes humanissimè intuens, nullo pacto progredi volebat, immò verò etiam sinè intermissione acerbè plorabat, donec prestita eleemosyna eos refectos videret.

Magna infantis commiseratio erga pauperes.

Postquàm autem ætatis quintum excessit annum, quidquid ex ludis puerilibus, vel aliundè acquirere potuit, in pauperes erogabat: infantesque & pueros, quibuscũ sua interdum captabat solatia, præcipuè verò inopes, ad prandium suum inuitabat. Degebat sub cura & moderatione Domini * Guilielmi de Sabrano patrui sui, Abbatis Massilienſis. Ibi & ætate & sapientia mirificè adeò proficiebat, vt in tenera illa ætate cuidam religioso diceret, se magno teneri desiderio ad infidelium regionem proficiscendi, vt illic in confessione Christi per martyrium è vita excederet.

** al. VVilhelmi.*

Educatur sub patruo Abbate Massilienſi.

Zelus fidei.

Actum est autem diuina prouidentia, vt decennis, mandato Sereniss. principis Caroli secundi Hierusalem & Siciliæ Regis, virginem Dalphinam annorum duodecim in vrbe Massilienſi spõsam acciperet: & post 3. annos in Castro Poderij Michaelis, ferijs S. Agathæ coniugium illud ritu solenni celebraretur. Ea solennitate peracta, quarto demum die virgo Dalphina cum multa celebritate ad sponsum suum in castrum Ausoisij adducta est. Ibi tum virgo, diuino amore egregiè accensa, pectoris sui arcana aperuit, seseque ad extremum vitæ spiritum virginitatis votum cõseruare decreuisse, si per sponsum liceret, dixit. Eleazarus quanquam diuini consilij adhuc ignarus, tamẽ, vt erat comis & placidus, libenter ista dicente spon-

Despondetur ei quædam nobilis puella.

Pudicitia sponsæ eius.

ſponſam virginem ſuſtinuit : totaque illa nocte ab omni cupiditate animum egregiè repreſſit.

Attigerat iam annũ ætatis ſuæ quintum decimum; cùm in loco, quem de Saltu vocant, ipſis ferijs Aſſumptionis Deiparæ cæleſti pane refectus, admirabilẽ intra præcordia ſenſit diuini amoris flammam: adeò vt tanquam febri correptus à ſuis in cubiculum duceretur, labãtem præ nimio calore animum collecturus. Ibi conſtitutus, tota mente ſolitudinem cogitabat, vt mundo planè mortuus ſoli Deo deinceps viuere poſſet. Sed interna quadã voce admonitus, ne ſtatum deſereret, illis cogitationibus valere iuſſis, totũ ſeſe ad mentis corporiſque integritatem tuendam collegit. Neque tamen, prudenter ſanè, votum nũcupare, vel voluntatis libertatẽ protinus cõſtringere voluit: ſed ſola Chriſti miſericordia confiſus conſtanter in propoſito perrexit. Vnũ autem hoc ſumma in eo admiratione dignum eſt, quod cõmuni cum ſponſa thoro vtens, nullos nõ dico motus illicitos, ſed nec carnis omnino ſtimulum ſentiret: prorſus vt quo caſtæ virgini propinquior erat, tanto minus pudicitiæ metueret. Erat ei in more poſitum prolixis antè ſomnum precibus incumbere; faciem lachrymis rigare; diuinam opem attentius implorare; cæleſtium rerum meditatione animum paſcere; mentẽ & cogitatione cæli ſpatia peragrare; ſpõſam eodem amore accendere : idque ea cum ſuauitate ac fructu, vt oppreſſis ſæpè ſenſibus, totus in diuinæ benignitatis conſideratione exultaret.

Inſolita cæleſtis gratiæ viſitatione afficitur.

Carnis tentationes in corpore eius prorſus extinctæ.

Migrat ad aliud castrũ.

At verò vbi ad annũ ætatis peruenit vigesimum, nec animus eius in castro Ausoisij optata posset tranquillitate potiri, propter importunam aui eiusque familiæ curam, qua eum splendidis huius mũdi titulis ornatum cupiebant; multa precum instantia in castrum Podij Michaelis, quod erat virginis Dalphinæ ex paterna hæreditate, migrandi copiam obtinuit.

Præclaræ sanè leges, familiæ eius ab eo præceptæ.

Vbi sane nouus paterfamilias, nouo quodam modo familiæ suæ præsidens, hasce insignes leges suis præscripsit: Primo: Vt diebus singulis pia mente integrum Missæ officium audirent. Secundo: Vt viuerent castè & purè: qui nollent domo cederẽt. Tertio: vt qualibet hebdomada animorũ sordibus per cõfessionem elutis, singulis mensibus cęlesti pane sese reficerent. Quarto: Vt nobiles virgines & matronæ à primo diluculo ad vsque prandium precibus & diuinarum rerum commentationi incumberent: à prandio operibus manuarijs sedulò vacarent. Quinto: vt nemo, non dico Diuinam maiestatem, sacrosanctam virginem, vel aliquem Sanctorum blasphemare, falso, vitiosè aut leuiter iurare: sed ne inhonestum quidem verbum proferre præsumeret. Cuius quidem constitutionis violatores hac ratione puniri voluit; vt vel toto prandio, solo pane & aqua contenti coram alijs humi accumberent; vel tota die cubiculo inclusi reatum suũ dignè expiarent. Sextò: vt nulli fas sit ludere tesseris, aut alio vti lusu illicito, turpi ac inhonesto: Si quis contra feciſſet; grauis illũ pœna manebat. Septimo: vt omnes è sua familia, cõmuni paci & charitati assiduò studerent: seditio-

Pœna in blasphemos & periuros.

ditiosos pro ratione culpę puniens. Octauo: vt quotidiè à prādio vel alia hora vespertina (nisi necessitas aliud requirat) fiat ab vno illorum ipso præsente, aliqua collatio de verbo Domini, pro animarū salute. Quis verò hāc Comitis aulā, monasteriū dicere dubitaret; in qua, tam excellens in omni genere virtus vigebat, cælestisque disciplina adeò clarè relucebat?

Quanta vitæ puritas in eius aula.

Ipse Comes reliquos omnes exemplo antecibat, pietateq; sua & morum suauitate omniū animos ad æmulationem virtutis prouocabat. Preces horarias pro Romanæ Ecclesiæ ritu & consuetudine tam piè & attentè persoluebat quotidie, vt audientes nō mediocriter ad pietatem incitarentur. Ieiuniorum vigiliarumq; mirè patiens, aspero insuper cilicio sub vestibus pretiosis carnē edomabat. Sæpè catenulis ferreis rebelles animi motus infringebat, & ad quēlibet versum Psalmi quinquagesimi trinos ictus dorso fortiter infligebat. Octauo verò quolibet die Quadragesimæ & aduentūs, & permultis Sanctorum ferijs, præsertim Virginum, cælesti epulo se muniebat.

Vitæ eius austeritas.

Cæterùm inter alias virtutes præcipua ergà pauperes & leprosos beneuolētia, & benignè faciendi studium summa liberalitate coniunctū, in hoc viro relucebat. Quotidiè siquidē habebat duodecim pauperes &, leprosos; quorum pedes ipse lauabat quotidie, eorumque oris peramanter oscula figebat; ac prostremò cibo potuque refectis largas eleemosynas præstabat. Die quodam venatum in suo comitatu abiturus, omnes antecedere iussit; ipse vero, vno apud se milite cum tonsore

Eximia eius in miseros benignitas, & humanitas.

retento, ad quoddam leprosorum diuertit domicilium; vbi sex horrida percussos lepra reperit. Videbantur eorum labia exesa planè atque absumpta: prorsus vt sine horrore adspici non possent. Quos sanctus iuuenis vt vidit, salutatione humanissimè impartita, salutaribus monitis ad diuini numinis timorem cultumque assiduum hortatus est. Indè singulis peramanter oscula tis, eccè repentè sanitate donati, totam domum odore suauissimo repletam sentiunt. Mirantur illi; stupent: fixisque oculis Eleazarum intuentes, angelumne an hominem esse dubitant. Ille verò cum præstita insuper eleemosyna recederet, igneus quidam & luculentus radius ab eius capite, cunctis cernentibus, emersit: perdurans quousque ille ad suam, quæ procul satis aberat familiam peruenisset.

Sex leprosi eius osculo sanantur.

Diuinitus ei frumentum restituitur.

Porrò cùm magna & penè incredibili esset erga pauperes cõmiseratione, bis extremæ famis tempore horreum suũ ijs exinaniuit; quod bis similiter diuinitùs redũdare inuentum est.

Sanat moribundam.

Apud Arelatem puellam septennem, Constantiam nomine, cum ipsa morte colluctantẽ, manûs suæ impositione matri viuã exhibuit. Sed hæc quanquam eximia, parua tamẽ sunt, si cum solidis eius virtutibus, è quib. sanctitatis opinio certo constat, conferantur. Anno ętatis suę tertio & vicesimo, patre ipsi⁹ ex humanis sublato, Baro factus Ausoisij, Comitatus pariter Ariani oppidi ad eum iusto titulo est deuolutus. Cũ igitur eius Comitatûs ergò tũ primum Italiam peteret, sensit mox subditorum sibi animos vehementer rebelles, adeò vt oppidani toto

Fit Comes Ariani oppidi & Baro Ausoisij.

toto triennio multas illi iniurias, plurima dãna & cõtumelias minimè ferẽdas inferrẽt. Ille verò, quanquam multis modis ab eis lacessitus & diuexatus, tantùm abest, vt vnquã vindictæ cupiditate exarserit, vt etiam Tarentinũ principem, vltionem expetentem, prohibuerit, ne vel leui iustitia in eorum scelus animaduerteret. Ita enim animo constitutus erat, vt eos potissimum charos haberet, qui varijs eũ aduersitatibus ad pietatem & virtutis studium exercebant. Qua sanè patiẽtia id obtinuit; vt posteà ab omnibus illis honoraretur vt Dominus, & amaretur vt pater.

Summa eius intolerandis iniurijs patientia.

Porrò Comitatum & Barionatum suum magno ære alieno obstrictũ & pressum eximia dexteritate alleuiauit: cõstituens homines, qui certos quosdã prouentus ad se reciperent, atq; indè paulatim omne æs alienum dissoluerent. Cùm à Roberto Rege, cui inprimis charus erat, fratre S. Ludouici Episcopi, Neapoli equestri esset onnatus dignitate, alijs circa mũdana occupatis, ipse tota mente cælestibus inhærẽs, non multò post virginitatis votum cum Dalphina sua sponsa emisit, perpetuoq; seruauit: amplexantes tertium ordinem siuè regulam S. Francisci. Præstitere hoc in castro Ausoisij in Narbonensi Gallia seu Prouincia; in qua biennio deindè exacto, ille Neapolim redijt: vbi à Roberto Rege Caroli eiusdem Regis primogeniti & Calabriæ Ducis præceptor constitutus, adolescentem illum præclaris moribus & pietate imbuit. Erat per id tempus penes illum Ducẽ regni totius administratio; Patre eius Roberto Rege in Prouincia agente.

Industria eius in ære alieno dissoluendo.

Factus eques auratus, emittit votũ Virginitatis cum sua sponsa.

Datur Carolo Ducis Calabriæ filio pædagogus.

In cuius aula cùm Eleazarus pauperum causas negligi intelligeret, à Duce eorum se patronũ instituí postulauit. Quod susceptum pietatis munus tam egregiè est executus, vt cum aliquando lotis iam manibus ad mensam accedẽti pauper domum intrans importunè se ingessisset, sciscitans de ipsius supplici libello quid actum esset, ille statim benignè respõdens, Sustine, inquit, parumper, & ego, priusquam cibum sumam, rem tuam expediam. Surgensq; à mensa, recta ad curiam abijt, reuertensque pauperi per omnia satisfecit.

Agit promptissimè aduocatũ Pauperum.

Tandem autem Rex Robertus, filio suo Carolo nuptias facturus, Comitem Eleazarum in Gallias destinauit, vt indè sponsam regio splẽdore & maiestate dignam adduceret. Quo in negotio vir sanctus dum versatur, eccè Parisijs graui correptus morbo, tandem ecclesiasticis munitus sacramẽtis ex huius mortalitatis ergastulo ad immortalitatis gloriã fœliciter migrauit, anno ætatis suæ 28. Cuius corpus in habitu Franciscano apud Minoritas Parisienses primò sepultum, eodem anno Aptam, æquè in ædem Franciscanorum (vti ipse viuens iusserat) translatum est: vbi multis magnisque coruscans miraculis, indies quantæ sanctitatis sit omnibus clarius innotescit.

Moritur Parisijs vir sanctus.

Claret miraculis post obitum.

MAR.

MARTYRIVM S. VVENCESLAI DVcis Boemiæ: Ex eo quod est per Reuer. Ioannem Dubrantum Olomucensem Episcopum lib. 4. & 5. histor. Boemicæ. Passus est, vt patet infrà temporibus Otthonis Imperatoris Germanorum Primi, circa annum Salutis nongentesimum trigesimum sextum.

al Venceslai.

Vide Notat. C. Baron. in Martyr. Roman.

28. Septēb.

SANCTVS VVenceslaus Boëmię Dux, patre religionis nō minus quàm fidei ornamentis cultissimo, Vratislao progenitus, matrem habuit Drahomiram Lucēsem, à Christiana religione longè alienam. Siquidem in omnes pietatis & iustitiæ cultores seuerior immaniorque, quàm Iezabel quondam in Prophetas, graui damno rem afficiebat Christianam. Qua de causa Ludmilla Vratislai Ducis mater, per speciem salutandi Drahomiram, Pragam adiens, filiorum alterum ab ea nutriēdum sibi impetrauit. Erat is VVenceslaus egregia indole puer, quem Paulo sacerdoti suo, sanctitatis opinione celebri, instituendum tradidit; à quo primis rudimentis præclarè imbutus, postmodum Budecum, ad Nycenum presbyterum disciplinis & literis sublimioribus erudiendus est transmissus.

Patria eius & parentes.

3. Reg. 18.

Nutritur VVenceslaus à Ludmilla auia.

Interea patre Vratislao vita functo, Drahomira, filijs adhuc ætate imbecillioribus, regimen inuadit; acstatim odium in Christianos malè diu dissimulatum detegit: edictoque proposito Christianis omnibus religionis exercitia clā palàm interdicit. Secus facientibus carcer, exilia, mors denunciata. Hæc cùm piū auiæ animum vehementer sauciarent, vt tam

Drahomiræ matris eius in Christianos persecutio.

VVenceslaus creatur dux Boëmiæ.

impia tamque immania neptis facinora deleret, nepotẽ Vvenceslaũ magno omniũ cõsensu ad gubernacula Boëmorum promouit; fratri iuniori Boleslao, ad tollendam fraternam discordiam, parte hæreditatis assignata. Igitur Vvenceslao principis thronum Pragę occupãte, mater filium iuniorem moribus suis cõgruentem secuta est, Is Boleslauiam cum suo territorio vltra Albim possidebat: vt potentia & dignitate clarus, ita moribus & vitæ genere prorsus obscurus. At verò VVenceslaus ab omni ambitione inuictus, cunctis pietatis officijs insignis, psalmos laudesque Deo quotidie concinebat; languẽtes inuisebat; laceros nudosque vestiebat; pauperibus alimenta suppeditabat.

VVenceslai egregia pietas.

Drahomiræ conspiratio in Ludmillã socrum suã.

Interim Drahomira dirumpi præ inuidia, secumque nefaria aduersus socrum meditari, quod illa maiore apud VVenceslaum gratia, quam ipsa mater, polleret: religionemque Christianam nimis promoueret. Nec longius nefariè meditata perficere distulit, quàm inuenit audaces perficiendæ cædis sicarios. Instãte exitij die, quem Ludmilla futurum diuinitùs præuiderat, vocat ad se clientulos omnes, & sua cuique persoluta mercede, quidquid præterea in penu, in cella, in horreis, in loculis redundabat, id manu sua in sinus vsusque pauperum trãsfudit: Post hæc remotis arbitris ac solo Paulo sacerdote adhibito, antè arã, facta exomologesi, prouoluitur; cùm eccè eadẽ horã submissi à nuru, Thomas & Gumo, non tam genere quãm scelere nobiles, in sacrarium irrumpunt, ac velo, quo sancta vidua caput vela-

Ludmilla præuidens martyrij sui diem, omnia sua pauperibus distribuit

In templo necatur.

velatum habuit, elisis faucibus prostratam suffocant.

Non defuêre, qui VVenceslaum ex cæde auiæ vehementer perturbatum ad vltionem inflammarent. At ille grauissimis eos verbis corripiens; Nescitis, inquit, quid ore suo dicat Dominus: Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore? Quemadmodum anno nondum euoluto euenit: vtroque scilicet sceleris ministro non solùm miserè, sed etiam notabiliter extincto, nota sua ad posteros transmissa. Nam cùm alter eorum barba rutila insignis, alter malè pedatus esset, non aliter nati natorum, & qui hodie nascuntur ab illis, vel ruffescunt, vel à pedibus laborant. Cæterùm impiæ matri ideò impunitas diuturnior concessa, vt filij pietas hoc clarior euaderet. Tametsi alios quoque præter ipsam matrem molestos sibi infestosq; habuit; quasi parùm idoneus ad exequenda Principis munia; quæ exequi, non per sacra (dicebant) & cæremonias, sed magis per arma & acies oportere.

Nulla in VVenceslao vlciscendi libido.

Deut. 32.

Diuina vltio in sicarios Ludmillæ.

Ante alios Radislaus Gurimensis princeps, Mistibogij filius, vana spe inflatus, quasi solo armorũ terrore VVenceslaus expugnari posset, agros eius incursare; armatos ostendere viros; pacis legatos superbissimè repudiare, non dubitabat. Igitur coactus VVenceslaus militem atque aciem contra Radislaum instruit; videnscque omninò sibi dimicandum esse, classicum cani vetat prius, quàm ipse Radislaum conueniat. Data alloquendi potestate; Si aliter inquit, nisi prælio res pacificari nequit, cur nõ potius sinè magna aliorum clade, sine multo

Radislaus quidam aduersus sanctũ virum insurgit.

VVenceslaus Radislaũ ad singulare certamen prouocat.

insontium sanguine, ipsi inter nos singulari certamine decernimus? victoriæ permissuri, vter vtri imperare debeat. Perindè quasi iam manibus victoriam Radislaus teneret, conditione proposita lætari, instareque, & ad pugnam ineundam festinare. Loricula supercilicinam vestem indutus, paruoque ense succinctus erat Vvenceslaus, cùm in arenam prodiret. At Radislaus cataphractus hastatusque cum longa insuper machera contra sese inferebat; vtrinque interim acie velut ad nouæ rei spectaculum erecta. Nouum enim esse videbatur, vt ipse VVenceslaus, pro imbelli habitus, componere se cum bellatore auderet. Vbi sub ictum ventum est, alter signo Crucis frontem pingit: alter hastam vibrare festinat; idemque subitò Angelos videt, atque hanc vocem velut ab homine promptam ponè se audit: Ne feri: Ac nemine conspecto, qui illam prompserit, vim numinis fauore propitio VVenceslaum prosequentis veritus, humi procumbit; veniam audaciæ exposcit; seque potestati victoris permittit. Alleuat prostratũ VVenceslaus: dataque venia, & dignitate ei restituta, monet vt contumaciam in obsequium debitum vertat, nè post grauius ab irato numine plectatur.

Assumit arma S. Crucis contra hostẽ suũ S. VVenceslaus, & diuinitùs liberatur.

Hęc in Germaniam celeritate nunciata, aulam Cæsaris, apud alios admiratione, apud quosdam irrisione affecerunt. Ottho tunc regnabat; qui Germanorũ primus coronam Cæsaream legitimè sibi traditam in Germaniam intulit, vir illo honore, ob celebrem pietatem, & raram in bellis felicitatem nò indignus; nec alie-

Iste Ottho Imperator Germanorũ primus, regnauit anno 936. & seq.

alienus à VVenceslao, propter eximias ipsius virtutes: & qui vna cũ alijs Germaniæ Principibus maiestatẽ Cæsaream officiosè comiterq; obseruabat. Is Ottho deliberandi causa, diem ad conueniendũ Principibus VVormaciam edixerat; quò vbi VVenceslaus quoq; euocatus sinè vlla dilatione veniisset, dicitur postridiè, dum solenne sacrificium cunctantius sacerdos facit, ipse similiter cunctãtius curiã introijsse, eamq; moram quasi ex ambitione natam Principes adeò ęgrè tulisse, vt consPirarent, ne quis ipsorum venienti assurgere, nec suprà se locũ cõsidendi dare vellet. Persuasum denique Cæsari fuisse, vt sinè vllo honore Boëmum velut arrogantem transmitteret. At Cæsar ex cõspectu duorum Angelorum qui VVenceslaum in curiam deducebant, subitoque ibidem disparuerãt, obstupefactus, throno exilit; aduersum vadit, ipsumque VVenceslaum tantùm non adorat, ac manu mox sua ad subsellia perductũ, assidere sibi proximũ iubet. Cæteris vehementer factum admirantibus, Cæsar facti causam aperit, vicissimque miratur quòd nemo præter se quisquam Angelos, tam clarũ manifestumque sui spectaculum exhibentes, oculis suis aspexerit. Hic Moguntinus Pontifex, se quidem nihil planè vidisse inquit; cæterùm horrore quodam se perfusum fuisse confitetur: ac tunc demum famæ quoque nuper inuulgatæ, quemadmodum videlicet interuẽtu numinis ab hostis impetu seruatus fuerit VVenceslaus, fidem se habere: quando in præsens paria numina eũdum à calumnia vindicauerint: quare indè simul vniuersi errati veniam depręcantur.

VVencesla⁹ vocatur ad imperialia comitia.

Prodigium à Cæsare vi-sum.

Nec

Nec his contentus Cæsar, hunc tam liberalem hospiti habuit honorem, vt quiduis ei à Cæsare petendi potestatem faceret. Existimabat autem Cæsar, glorioſa eum & ambitioſa petiturum. At is brachium diui Viti ex Gallia sub Ludouico Pio Corbeiam in Saxoniã translati, magnaque religione in Boëmia culti: deinde Sigismundi quoque Burgundiæ Regis, propterea quòd Vandalicæ nationis fuerit, reliquias sibi dari postulauit. Ad quæ postulata Cæsar subridens, Feres tu, inquit, primo quoque à reditu nostro in Saxoniam tempore, quas habere cupis, reliquias; interim dona Cæsare digna à nobis accipe: Regium inprimis decus, quo te ex dignitate tua meritò decoramus; deindè tributo absoluimus, quod Carolus quondam Cæsaribus soluẽdum instituerat. Iussit postremò & insignia sua VVenceslaum ferre; fuscam aquilam in clypeo candido. Facilè hoc & illud alterum de tributo amplexus est Vvenceslaus; sed idem caput suum diademate cingi, seque Regem inungi, aut Rex à suis appellari nullo pacto sustinuit: quanquam à Cæsare atque ab alijs Regib. & Principibus Rex in epistolis salutaretur.

Sacras reliquias en quanti fecerit S. VVenceslaus.

Abnuit regiã dignitatem S. VVenceslaus.

Allatis ex Saxonia sanctorum corporũ Pragam reliquijs, VVenceslaus omnia alia ædificia missa faciens, applicare architectum manus ad ædem D. Vito designandam construendamque imperat. Simulque auiæ Ludmillæ corpus in D. Gregorij transferri curat; quod triennio à percepta martyrij corona prorsus tabe incorruptum integrumque apparuit. Interea Drahomira mater magis ac magis furẽs, impia

Construit templa.

Corpus Ludmillæ post triennium incorruptũ.

impia cum filio Boleslao ſęuo admodum & indomito in Vvenceslaum agitabat conſilia; maximè quòd audiret quotidiè tanti eſſe VVenceslaum in ſacerdotes obſequij, vt ſuis ipſe manibus vinum inter ſacra libaque & thura illis ſubminiſtraret; vt iti dem illos domi quemque ſuæ inuiſeret, neceſſarijsque rebus antè tẽpus ſuccurreret; vt denique noctu plerumque vel in ipſa hyeme nudis ad templum incederet pedibus, in quibus Peruigilia celebrabant Sacerdotes. Pauliſper tamen inter hæc ſuam rabiem Drahomira remiſiſſe videbatur, poſtquã certior facta erat, VVenceslaum tædio vitæ aulicæ & curarum publicarum, circumſpicere locum ſepoſitum, in quem cum ſodalib. D. Benedicti ipſe quoque ſodalis futurus diuerteret. Nam & Romam ad Pontificem ſuos iam eum legatos miſiſſe audierat. Sed dum Romanus Pontifex Legatos diutiùs propter domeſticas ſeditiones retinet, dumque interim VVenceſlaus nihil quidquam de ſua cõſuetudine intermittit, mulier moræ impatiens, conceptũ iampridem de tollendo VVenceslao parricidium exequi properat.

En religioſum VVenceslai animum.

Drahomira filio ſuo VVenceslao necem machinatur.

Natalis tunc dies infantuli recens ex Boleſlao editi ſe obtulerat. Ad hunc concelebrandum inuitatus à matre pariter & fratre VVenceslaus Boleslauiam, prius tamen à peccatis omnibus per confeſſionem ritè expiatus & ſacroſancto pane cõmunitus, petit. Prodijt compoſita adulatione obuiam fratri Boleslaus. Mater dein conuiuio adhibita, quo magis ad omne facinus exercita erat, tanto blandius hoſpitem filium habuit, traxitque in ſeram noctem conui-

Inuitatur ad natalitia à fratre ſuo.

conuiuium. At VVenceslaus quanquam intelligeret quo tenderent blanditiæ, & quam ob rem produceretur conuiuium, nõ tamen omisit nocturno tempore solitas in tẽplo Dei persoluere preces. Qua in re occupatum Boleslaus à matre ad scelus vigilantiore excitatus inuadit, atque haud difficulter inermem fratrem, patienterque plagam excipientem interficit; nescius Deum bonis omnibus tam in vita quã morte semper adesse, suorumque curam indefessam gerere? Eadem quippè nocte Rex Daniæ (vide quantò interuallo à Boëmia semotus) per quietem se admonitum oraculo testatus est, vt martyris VVenceslai in Boëmia à fratre obtruncati memoriam sibi colendam susciperet: id quomodo ab ipso factum, cæremoniæ, sacerdotes, templum in Dania diuo VVenceslao dedicatum declarant. Vt interim alia penè infinita miracula data opera transeamus, partim quia nota & illustria, partim quia decantata à nostratibus diebus penè omnibus habentur.

VVẽceslaus à fratre in templo trucidatur.

Visio Regis Daniæ.

Floruit infinitis miraculis post obitũ S. VVẽceslaus.

Boleslaus, parto audacia & scelere principatu, audacter etiam illum & non sinè scelere ab initio gessit, idque non obscurè. Siquidem clara voce, omnib qui aliqua cum diuo VVenceslao familiaritate coniuncti erant, ac præcipuè Sacerdotibus, quicunque sua sponte è Boemia non excederent, carcerem, exilium, cædem denunciauit. Adiecit mater, ne cæsi terræ mandarentur, sed abiecti, vt in campis iacerẽt, esca dilanianda canibus alitibusque. Correptus inter præcipuos ad supplicium Podiuinus quoque toto biennio in furca sub dio pendens, nulla

Boleslai impietas in sacerdotes & Christianos.

Ex vndè innotescat Podiuini cuiusdam sacerdotis sanctitas.

nulla tabe violari, nedum corrumpi cõficiq́ue potuit: donec post haustam terræ hiatu Drahomiram sepeliretur. Nam quo manifestior grauiorq́ue pœna appareret, quæ meritò de crudelissima atque impijssima muliere exigenda fuerat, eò loci, quo adhuc insepulta iacebant ossa occisorum sacerdotum, terra sua sponte dehiscens, viuam Drahomiram vnà cum curru & qui simul vehebantur, absorbuit; solo auriga incolumi: qui ad aram iuxta sitam (nunc haud exstat) equo desiliens accurrit: cùm fortè signum ad corporis Domini adorationem dari, execrante illum Drahomira omnibus maledictis, audisset. Quare locum eum etiamnum, vt execratum, funestumq́ue declinant viatores, qui arcem Pragensem ab occidentali plaga petunt. Puniti & illi diuinitùs, qui Boleslaum assectati, gladios etiam suos aduersus diuum VVenceslaum strinxerunt. Pars enim eorum mente alienata, in rabiemq́ue versa præcipites ex alto deorsum se dabant: quidam in eos gladios, quos nudauerant, incubuêre. Ad hæc, templi paries, quem propè occisus fuit diuus VVenceslaus, velut cædis ipse quoque conscius, aut potius, vt testis foret sceleris sempiterni, nulla vllius opera abstergi eluiq́ue potuit à cruore, quo respersus ex corpore diui VVenceslai fuerat. Quod quidem triennio post Pragam translatum, præterquam quòd à corruptione incolume repertum est, insuper etiam ab omnibus vulneribus erat percuratum.

Drahomira terræ hiatu absorpta.

Necis conscij omnes diuinitus puniti.

Miraculum.

Translatio reliquiarum eius.

VITA ET PASSIO S. CHARITONIS

præclari Confessoris: Ex ea quæ est per Metaphrasten. Claruit anno Dominici Natalis 276. & sequentibus sub Aureliano ac post eum Tacito, Probo ac cæter. Imperat.

Vide C. Baron. Tomo 2. Annal. anno 279.

28. Septē. *Patria eius.*

IN ciuitate Iconiensi Prouinciæ Lycaoniæ, Chariton summus Christi cultor oriūdus, egregium & planè admirandum edidit suæ pietatis documentum. Cùm enim Aurelianus, qui tunc temporis sceptra Romani administrabat Imperij, Christianum nomen inaudita crudelitate opprimeret, sæuisq; propositis edictis terrore loca omnia cōpleret, inter alios Chariton comprehensus, & ab impio Præside de fide ac religione interrogatus, tale ferè dedisse responsum fertur. Tu quidem, ô Præses ferro flammaque Christianos persequeris, & alios quidem inani timore prostratos in fugam vertis, alios fidei armis præclarè instructos in carcerem abripis, & immani cruciatu conficis: sed priùs quam ego spreto summo Deo & Christo Iesu Saluatore meo, (prô scelus) scelestis & inuidis dęmonibus supplex fio, eccè tibi hoc corpus olidum vtiq; & periturum, ad quæuis supplicia intrepidus trado. Nam de patria, de religione, de nomine, quod quæris, nemo est qui non nouit me hac in ciuitate primas obtinere. Sed hæc parui faciens, in eo potiùs glorior, me Teclæ esse discipulum; quæ instar lucidissimi sideris martyrij splendoribus hac in ciuitate resplendet: & Pauli magni præconis veritatis; qui ipsam quoque ad certamina prò Christo subeunda instruxit, adornauitque. Et ideo ego quo-

Præclara S. Charitonis confessio.

Gloriatur se S. Teclæ discipulum Chariton.

quoque eodem cum Apostolo hodie dico: Quis me separabit à charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an periculum, an gladius? *Roman. 8.*

His ad iram motus Præses, confestim iubet sanctum veste nudatum, quatuorque in partes extensum, neruis crudeliter verberari. Eo aliquamdiu fatigatum supplicio rursus interrogat Iudex; Sacrificasne, ô Chariton, dijs immortalibus, an vis tuo corpori plures inferri plagas? Cui martyr: Non, inquit, eis sacrifico. Quinimò, si fieri posset, vel millies vitam hanc in supplicijs pro Christi nomine abijcere paratus sum. His auditis, verbera multiplicata sunt, tanta crudelitate, vt viscera sanctissimi martyris horrendo hiatu paterent. Indè humeris tortorum in carcerem abreptus, secundæ fuit quæstioni reseruatus. Et quidem blanditijs alternis minisque quin & atrocioribus quàm prius cruciatibus, ad labefactandam eius constantiam adhibitis, cum oleum pariter & operam se perdere intelligeret Iudex, iussit denuò ferro vinctum in custodiam tradi.

Cæditur S. Martyr.

Egregia martyris constantia.

Intereà impio Imperatore Aureliano è vita sublato, meritisque pœnis, vt omniũ erat opinio, propter nimiam in Christianos sæuitiam à iusto Iudice Deo affecto, * alius, qui & in Imperio successit, fama clementiæ regni sui fundamẽta stabilire volens, edicta crudelitatis sustulit, & Christianos omnes è vinculis incolumes abire iussit. Tunc verò Chariton, multis magnisq; martyrij certaminib. inclytꝰ, vt perceptа in suo corpore Christi stigmata ad extremũ vitæ spiritũ conseruaret, ad sanctam ciuita-

Mortuo Aureliano Imperatore, Christiani libertate potiuntur.

* Is fuit Tacitus.

tem abire constituit. Iter igitur magno cũ gaudio ingressus, mox in latrones humani sanguinis non minus quàm pecuniæ auidos incidit: qui eum ferro crudelissimè vinctum ad spelũcam suam veluti prædam quandã opimam abduxerunt. Ibi eo ferreis vndique nexibus constricto relicto, illi rursus ad alias atq; alias populabundi se prædas contulerunt. Christi verò martyr, totus ad preces & gratiarum conuersus actiones, incredibili exultabat gaudio, quòd ijs molestijs propter Christum afficeretur. Cumque lætabundus multa secum de infinita Christi bonitate volueret, eccè vipera è latibulis in vas quoddam vino plenum proserpens, sesèq; ad satietatem ingurgitans, pro beneficio, vt ingratorum est consuetudo, maleficium reddẽs, potum pestifero veneno infecit, protinusque recessit. Redeunt interea ad speluncam latrones, vt furore ebrij, ita extrema penè siti confecti. Nec mora: Auidi ad merum certatim conuolant; hauriunt; mortemque ad vnum omnes pariter oppetunt.

S. Chariton Hierosolymam iturus, incidit in latrones.

Latrones veneno diuinitùs extinguuntur.

Ibi tunc solus planè Chariton relictus, quod reliquum erat, precibus & lachrymis se Christo commendare vinctus pergit. Nec deseruit precantem Christus: sed mox diruptis vinculis eum & speluncæ possessorem, & pecuniarum omnium, quas nefarij homines ex prædis, rapinis, & cædibus illic congesserant, ex asse fecit hæredem. Quid igitur? Chariton admirabili Dei bonitate & prouidentia stupefactus, antè omnia ingentem auri argentique vim pauperibus & patribus in solitudine degentibus distribuit: reliquas opes ad nouæ Lauræ fabricã appli-

Chariton omnes eorum prædas possidet.

applicat. Ipsa verò spelunca latronum, in Ecclesiam conuersa, diuinis ibidem operibus insistens, res adeò admirandas gerebat, vt plurimi Iudæi pariter & gentiles ad eum cõfluerent eiusque salutarem doctrinam auidè exciperent. Factum est igitur studio illius & vigilantia, vt Laura sacris quotidiè militibus impleretur, quos monasticis imbuebat disciplinis, imbutosq; deinde Præfecto committebat.

Construit Lauram, Pharum nũcupatam. Item templũ Antiqua Ecclesia nominatum. Iudæos & Gẽtiles multos cõuertit.

Itaque Laura illa & discipulorum numero, & cælesti disciplina optimè instituta, ipse quietis ac solitudinis cupidus, itinere diei vnius ad Hierichũtinas partes vno comitatus discipulo migrauit. Ibi herbis solis iucundè victitans, gratum inprimis Deo, nec hominibus inutile prẹstabat obsequium. Nam fama miraculorum eius longè lateque vagante, magnus indies hominum cœptus est fieri cõcursus: prorsus vt ibi quoque egregio pietatis domicilio cõstituto, rursus ad aliam solitudinis partem, quatuordecim plus minùs stadijs à Thecoorum regione distantem, commigrare debuerit: ne gratissima quies penit⁹ illi interiret. Quanquã nè hic quoque eadem (ob turbas ad ipsum ventitantes) perfrui licuit. Collecta itaq; processu temporis & ibidem haud exigua fratrum cõgregatione, aliã quoque ædificat Lauram: quæ Syriacè Suca, Græcè verò vetus nuncupatur. Cui cum de spiritali patre prouidisset vir diuinus, tota mente in cælo degens, vt vltimum vitæ suæ actum in sola cælestium consideratione exigeret, postremò speluncam quandam in præcipiti & prærupto monte sitam non longè ab hac Laura distantem conscendit:

Commigrat alio.

Secundam Lauram ædificat: & rursus alio migrat.

Tertiã Lauram ædificat Suca dictã.

Adit spelunc-am. cui, ab eo quòd non nisi scalis ad illam ascensus esset, Cremastos, id est, pensilis, nomen inditum fuit. Ibi cùm in omni virtutum exercitatione ætatem penè confeciſſet, iamque viribus destitutus sibi ipsi ministrādo idoneus non esset, ne cui molestiam inferret, pariterque solitudinis dulcedinem amitteret, precibus à Deo è dura silice fontem impetrauit.

Impetrat fontem suis precibus.

Tandem verò vbi fœlix illud diuque desideratum æternæ beatitudinis iter sibi instare cognouit, è spelunca descendens, in sacram Lauram, cui nomen Pharum, vbi primos certaminis sui distillauit sudores, venit: eoque cunctis discipulis conuocatis, luculentum sanè planeque diuinum instituit sermonem; hortatusque omnes ad præsentem certaminis cursum strenuè viriliterque perficiendum, lætus in manus Creatoris animam efflauit.

Fœliciter obit S. Charitom.

DE SOLENNITATE S. MICHAELIS Archangeli. Ex ijs quæ sunt apud V. P. Laur. Sur. ex Doctorum Homiliario.

Vide C. Baron. Notat. ad Martyr. Rom. hoc die & 8. Maij: vbi & de alijs disserit factis reuelationibus.

MEMORIAM beati Michaelis Archangeli toto orbe venerandam haud immeritò Christi colunt fideles, quod is sæpiùs hominibus apparuisse, & sacrorum librorum auctoritate, & veteri Sanctorum traditione comprobatur. Declarat hoc inter alia multa ipsius & opere condita, & nomine consecrata ecclesia; quam è cælo veniens, in Garg. 29. Septē. gano monte, vili quidem schemate, sed cælesti præditam virtute, propria manu condere dignatus est. Quæ qua ratione hominibus innotuerit,

Ecclesia S. Michaelis ab ipso condita.

tuerit, non erit abs re paulò fusiùs explicare.

Garganus mons à quo & vndè dicatur.

Est locus Apuliæ finibus Sipontina ciuitate celebris: in qua vir quidam prædiues Garganus oriundus, huic monti ex euentu suo vocabulum indidit. Huius enim dum pecora, passim per deuexi montis latera pascerentur, contigit, taurum armenti gregis cõsortia spernentem, singularem incedere solitum, & ad extremum redeunte pecore domum, nõ esse regressum. Quem dominus, collecta seruorum multitudine, per deuia quæque requirens, inuenit tandem in vertice eiusdem montis foribus cuiusdam assistere speluncæ. Itaq; ira permotus, cur soliuagus incederet, arrepto arcu, appetit illum sagitta toxicata: quæ veluti venti flamine retorta, eũ à quo iacta est, mox reuersa percussit. Turbati ciues & stupefacti, qualiter res fuerit effecta, (non enim propiùs accedere audebant) consulunt Episcopum, quid facto opus sit. Qui indicto ieiunio triduano, à Deo monuit esse quærẽdum. Quo peracto, sanctus Domini Archangelus Episcopum monuit, in sua eum locum esse tutela, eoque indicio demonstrâsse, velle ibi cultum Deo in sui & Angelorum memoriam adhibere.

Miraculum.

Hac reuelatione cõperta, Antistes vnà cum ciuibus locum illum religionis ergo frequentare cœperũt. Neq; tamen vltra cryptam intrare ausi, pro foribus, quotidiè orationi vacabant. Inter hæc Neapolitani, nefaria adhuc idolorum superstitione polluti, Sipontinos & Beneuentanos bello lacessere tentant. Qui antistitis sui monitis edocti, tridui petunt inducias; vt triduano ieiunio liceret eis, quasi fidelę

patrocinium, S. Michaelis implorare præsidiũ. Quo tempore pagani ludis scenicis falsorum inuitant auxilia deorum. Eccè autem nocte ipsa, quæ belli præcessit diem, adest in visione S. Michael antistiti; preces dicit exauditas: victoriam spondet affuturam; & quarta diei hora præmonet hostibus occurrendum. Læti ergò manè, & de Angelica certi victoria, obuiant Christiani paganis. Atque in primo belli apparatu Garganus mons immenso tremore concutitur: fulgura crebra volant: & caligo tenebrosa totum montis cacumen obducit. Quo terrore in fugam conuersi pagani, partim ferro hostium, partim igniferis impulsi sagittis, Neapolim vsque sequentibus, atque extrema quæque cædentibus aduersarijs, mœnia tandem suæ vrbis moribundi subintrant. Qui aũt euasere periculum, comperto quòd Angelus Dei in adiutoriũ venerit Christianis, (Nam & sexcentos fermè suorum fulmine videbant interemptos) Regi regum Christo continuò colla submittentes, armis induuntur fidei.

Implorant præsidium S. Michaelis Sipontini cõtra hostes suos.

Neapolitani diuina virtute in fugã compelluntur.

Cumque domum reuersi victores, vota Domino gratiarum ad templum referrent Archangeli, vident manè iuxta ianuam septentrionalem instar posterulæ pusillæ, quasi hominis vestigia marmori arctiùs impressa: agnoscunt beatum Michaelem hoc præsentiæ suæ signum voluisse monstrare. Vbi postea culmen appositum, & altare impositum: ipsaque Ecclesia ob signa vestigiorum Apodonia est vocata. Multa fuit inter Sipontinos dubitatio, quid de loco agerent, vtrùm intrare, & dedicare ibi deberent Ecclesiã. Vnde collatione facta, ad meridiem

diem loci illius,beati Petri Apostolorũ Principis nomine condunt dedicantque Ecclesiam: in qua etiam Glorioſæ Virginis & Sancti Præcurſoris ſtatuunt altaria.Tandem Antiſtes,ſalubri reperto conſilio, Romanum Pontificem per nuncium conſulit, quid de his agendũ decernat.Reſpondet ille:Si hominis eſt illam dedicare baſilicam,hoc maximè die,quo victoria obtigit,fieri oportet.Si autẽ aliud ſancto prouiſori loci placuerit,eodẽ præcipuè die illius in hoc voluntas eſt inquirenda. Hoc ergò tempore imminente agamus ambo triduanũ cum ciuibus noſtris ieiunium : SS.Trinitatem rogantes,vt munera, quæ per ſummũ ſuæ voluntatis miniſtrum conferre dignatus eſt, ad certum vſque finem perducat.

Roman.Pontifex conſulitur in re dubia.

Factum eſt,vt ſuggeſſerat Pontifex. Nocte verò conſtituti ieiunij ſuprema, Angelus Domini Michael antiſtiti Sipontino per viſum apparens,Non eſt,inquit,vobis opus hanc,quã ego ædificaui,dedicare Eccleſiam. Ipſe enim, qui condidi,etiam dedicaui.Vos tantùm intrate,& me aſſiſtente patrono precibus locũ frequentate. Et te quidem craſtina die ibi Miſſas celebrante, populus iuxta morem communicet.Meum aũt erit oſtẽdere, quomodò per memetipſum locum ſacrauerim illum. Illi adueniunt manè cum oblationibus,& magna precũ inſtantia intrant regiam Auſtralẽ:& eccè longa porticus in Aquilonem porrecta, atque illã attingens poſterulam, extra quã veſtigia marmori diximus impreſſa. Sed prius quàm huc peruenias, apparet ad Orientem baſilica, qua per gradus aſcenditur. Hæc cum ipſa porticu

S.Michael apparet Epiſcopo Sipontino, iubens vt Miſſas celebret in ſua Eccleſia.

quingentorum ferè hominum, vt videtur, capax, altare venerandũ rubroq; contectũ pallio, propè mediũ parietis ad meridiem ostendit. Erat autem ipsa domus angulosa; non in more operis humani, parietib. erectis, sed instar speluncæ præruptis & sæpiùs eminentibus asperata scopulis; culmine quoque diuersæ altitudinis; quod hic vertice tangi, alibi manu vix possit attingi. Credo, docente Archangelo, Deum non ornatum lapidum, sed cordis quærere & diligere puritatem. Vertex verò montis extrinsecùs partim cornea sylua tegitur, partim virenti planitie dilatatur. Missarum itaq; celebratione cõpleta, magno attoniti gaudio, quiq; redierunt in sua, Episcopus aũt delegata ministrorũ, cantorum sacerdotumq; officio, & mansione cõstructa, omnẽ ibidẽ quotidiè psalmorum, hymnorũ, Missarumq; cursum, cõgruo præcepit ordine celebrari. Nullus aũt huc nocturno tempore ingredi est ausus; sed transacta aurora, matutinas ibidem cõcinunt laudes. Ex ipso aũt saxo, quo sacra tegitur ædes, ad Aquilonem altaris, dulcis & nimium lucida guttatim dilabitur aqua, quam incolę stillam vocãt. Ob hoc & vitrium vas, eiusdem receptui præparatum, argentea pendet catena suspensum; morisque est, populo communicato, singulos ad hoc vasculum ascendere per gradus, donumq; cælestis degustare liquoris. Nam & gustu suauis est, & tactu salubris. Deniq; nõnulli post longas febriũ flãmas, hac hausta stilla, celeri cõfestim refrigerio potiũtur salutis. Innumeris quoq; & alijs modis ibi & crebrò sanantur ægroti, & multa, quæ Angelicæ tantùm con-

Diuina officia quotidiè in ea basilica peraguntur.

Aqua cælitùs manans curat morbos.

congruunt poteſtati, fieri illic miracula comprobantur: maximè tamen eiuſdem die natali; cũ & de prouinciis circumquaq; poſitis plus ſolito conflua turba recurrat, & Angelicæ virtutis maior quodammodo credatur adeſſe frequentia: vt quod ſpiritualiter dixit Apoſtolus, etiam corporaliter agi videatur. Quia Angeli ſunt miniſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis; in Chriſto Ieſu Domino noſtro: qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Innumera ibidem alia fiunt miracula.

Hebr. 1.

VITA S. HIERONYMI STRIDONENSIS Presbyteri præſtantiſſimi Eccleſiæ Doctoris: Partim ex ea quam conſcripſit Marianus Victorius Epiſcopus Reatinus: Partim ex annalibus C. Baron. Exceſſit ex humanis anno à Chriſti Incarnatione, 420. Bonifacij Papæ 2 Honor. 26. Theodoſ. 13. Iunioris Imp. AEtatis verò ſuæ Septuageſimo octauo vel nono. Licet quorũdam alia ſit ſententia.

Vide Tom. 4 & 5. Annal. C. Baron. & Not. ad Martyr. Rom.

MAGNVS planè & ſummæ pietatis ſummæque virtutis & eruditionis vir ſacer Hieronymus, Stridonenſi oppido in Dalmatia oriundus, patre Euſebio inſigniter Chriſtiano, Conſtantij Conſtantini magni filij temporibus, anno Chriſti 342. vel 43. natus eſt. Matris nomen quanquam literis proditum non ſit, certum tamen eſt eam egregia pietate fuiſſe matronam; cuius ſoror Caſtorina, Hieronymi matertera, neſcio quid cum eo diſſidij habuerit: quam ſemel iterumque humaniſſimis literis ad pacem & concordiam

30. Septẽ. *Patria & parẽtes eius.*

vir sanctus inuitauit . Sororem habuit, quæ castitatis propositum, post lapsum, in patria, Iuliano diacono hortante, suscepit: illudque ad extremum vitæ spiritum deindè seruauit.

Paulinianus eius frater.

Frater eius natu minor , qui post eius accessum in Syriam natus fuit, Paulinianus nomine, demum adolescens cum eo in secundo ab Vrbe discessu Hierosolymam petijt. Cæterùm parentes eius diuitijs & opibus splẽdidi, magnaque seruorum familia honestati, ab ipsis incunabulis , moribus & disciplinis ac Christiana præcipuè doctrina eum curârunt imbuendum. Datus illi fuit præceptor, quem Orbilium, ab altero Beneuentano acri atque plagoso, cognominat; qui illum fidẽ pariter literasque doceret. Bonis igitur literis, quarũ tenera adhuc ętas illa capax erat, sanctisq; imbutus moribus, Romam veluti ad primam tum religione, tum doctrina, vrbem erudiẽdus puer est missus. Comes illi tam adolescentiæ & studij quã itineris fuit Bonosus prędiues adolescens; qui cum ab infantia ad florentem vsque adoleuit ætatem: eodem ambo nutricum sinu, ijsdẽ baiulorum amplexibus foti. Porrò Romę, prę-ceptore Donato, nõ modò Græcas Latinasque pariter didicit literas , sed nullum doctrinæ genus reliquit intactum.

Præceptor eius. Epist. 41. Ruffino.

Mittitur Romam. Comes eius Bonosius. Romæ Donatus eius præceptor.

Eo verò tempore quo Romæ inter Grammaticos Rhetores & Philosophos summa cũ laude versabatur, necdũ sacro fonte expiatus, miser suæ virginitatis patitur naufragium: quam sanè, in se emissam deplorans, multis magnisq; extulit præconijs. Veruntamen vbi Romę adolescens per baptismũ Christo renatus (quo nomine

Amittit virginitatem.

mine Vrbs tã ſanctiſſimũ ac prçclariſſimũ virũ ſibi aſſerere iure poteſt, quòd Chriſtianus ex eo quod renaſcitur nõ ex eo quod naſcitur, cẽſeri debeat) priores animæ labes dignis lachrymis alijſq; pœnitentiæ operibus expiauit; Chriſtianam pietatẽ tam ſedulò tamque ardenter vnà cum literis coniunxit, vt Dominicis feſtiſque diebus Apoſtolorum & Martyrũ ſepulcra deuotiſſimè circuiret; totumque, quod à ſtudijs vacabat, tempus religione conſecraret.

Romæ baptizatur: & deinceps continentiſſimè viuit.

Vacat pietati alternatim & ſtudijs.

Poſtquàm verò profanis literis ad plenum eruditus, grauiora ſtudia & Theologiã præcipuè animo ſuo haud ſegniter proponeret, mox eorum Philoſophorũ inſtar, qui diſcẽdi gratia varias luſtrârũt regiones, Gallias primum comite Bonoſo, contẽdit; vt Romani ſtudij grauitatẽ Gallico cothurno ſuſtolleret, & ex omnibus viris doctis, quib. tũc Gallia abũdabat, cũctiſq; bibliothecis, theſaurũ ſibi ſcientiæ compararet. Hinc cũ Treuiris, vbi magnus ille exulauerat Athanaſius, aliquãdiu maneret, prolixum illum S. Hilarii de Synodis librum propria manu deſcripſit: alioſque ibi poſitos antiquos codices, vſus opera amicorum, atq; inter alios Florentij deſcribendos curauit. Nec Treuiros modò, ſed & alias Galliæ oras eũ diligẽter luſtrâſſe, ex eo apparet, quòd locorũ ſitus ac oppidorũ Galliæ nomina optimè calleat.

Abit in Gallias.

Epiſt. 6. S. Hieronymus apud Treuirenſes aliquandò degit.

Epiſt. 41.

Indè verò profecturus in Orientem cum eruditionis tum religionis cauſa cum Bonoſo è Gallijs reuertens Aquileiam peruenit; vbi aliquandò fruitus eſt cõſortio ſanctiſſimorum virorũ S. Valeriani, eius ciuitatis poſt fortunatianum Epiſcopi; Heliodori, Nepotiani, Rufini,

Chro-

Chromatij, Iouini, Eusebij, Bonosi, Florentij, Niceæ Subdiaconi, & Chrysogoni monachi: ad quos omnes intimæ necessitudinis testes eiusdem literæ extant. Eorum verò tres potissimum laudat in Chronico: Florentius, aiés, Bonosus, & Rufinus insignes monachi habentur. Quorum omnium suauissima consuetudine, Aquileiæ aliquantisper detentus, nescio quo improuiso rerum euétu (casum forsan sororis suæ spiritu prophetico prænoscens) indè recedere coactus, in Dalmatiam patrium solum veniens, sororem iuuenculam ætatis lubrico lapsam, primũ viro maximè pio, Iuliano Diacono (qui eam ad meliorem frugem restituit) deindè etiam, per literas Chromatio commẽdauit.

41. 42. 43. 44.

Epist. 41.

37 & 43.

Posthæc peragratis Thracia, Ponto, Bithynia, Galatia, Cappadocia, & Cilicia; in Syria cum Euagrio Antiocheno, in via Comite, viro insigniter erudito, prædiuite ac nobili Antiochiæ consedit. Aliquandò autem agens cum Euagrio in villa eius Maronia, nactus ibidem sanctissimum illum Malchum monachum, totius vitæ ipsius cursum, quam postea factus senex conscripsit, accepit; quo planè Malchij exemplo & aliorum plurimorum monachorũ, quibus Syria tunc florebat, incaluit cor eius ad consectandum vitæ monasticæ institutum: cũ ad Theodosium magni nominis virum, & alios præclaros anachoretas literas dedit; petens eorum precibus solui vinculis seculi. Inter hæc verò temporis spatia, cum quid esset decernendum de statu suo, Deum seruosque Dei ita consuleret, agens Antiochiæ docentem sæpe-

Quid Hieronymus Antiochiæ.

Epist. 38.

ſæpenumerò audiuit Apollinarem Laodicenũ, adhuc inter Catholicos profitentem.

Verum cùm indies maiori Chriſto ſeruiẽdi inflammaretur ardore, nihilque aliud cum animo ſuo quotidiè verſaret, quàm vt illi omnẽ ſuam vitam dicaret, tandem poſt multa variaque conſilia prudenter agitata, placuit monachi ac ſolitarij profeſſionẽ arripere. Nec mora: rebus cunctis rite ordinatis, Syriæ ſolitudinem tanquam portum ſalutis vnum omnium fidiſſimum expetijt: comitibus Innocentio atque Hyla S. Melanij famulo: quibus poſtea acceſſit Heliodorus. His omnibus Euagrius Antiochenus cuncta neceſſaria miniſtrabat; quin & eius impenſis Hieronymo ad ſcribendos libros ſunt antiquarij: (illis enim ſe abundaſſe teſtatur) eiuſdemque Euagrij opera, literæ quæ diuerſis ex locis Antiochiam afferebantur, eidem reddebantur: viciſſimque ad alios mittendæ ab ipſo ille accipiebat. Poſita eſt autem hæc ſolitudo in Chalcide Syriæ; vbi Syri ab Agarenis barbaris diſterminãtur; in qua præter ſparſos hinc inde monachorum greges, nemo, exceptis feris, ſerpentibus, & ſcorpionibus, incolebat: horridum profectò & ipſis etiam monachis, qui ſolitudinem tantum quærerent, habitaculum. Eam igitur ſolitudinem, ingreſſus, mox ſpiritale bellũ generoſo ſanè animo eſt aggreſſus. Orationi lectionique aſſiduo vacans, naturæ ardorem, vitiorumque incentiua crebris frangebat ieiunijs: & ne ſibi vni in vaſta illa eremo viuere videretur, adhuc adoleſcens quaſdam Origenis homilias, quas ille loquebatur ad populum, transferebat. Cumque mens

Arripit inſtitutum monaſticum.

Euagrius neceſſaria illis ſuppeditat.

Epiſt. 6.

Confert ſe Hieronymus in ſolitudinẽ Syriæ: cum ſocijs.

Eius pia ibidem exercitia.

mens varijs ſemper cogitationibus ęſtuans cõſuetam carnis appeteret libertatem, ad eã edomandam cuidã fratri, qui ex Hebræis crediderat ſeſe in diſciplinam dedit, vt poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Plinij, alphabetũ diſceret, & ſtridentia anhelantiaq; Hebraicæ linguę verba meditaretur. Ibi quid laboris insũpſerit, quid difficultatis ſuſtinuerit, quoties deſperauerit, quoties ceſſauerit, & contentione diſcendi rurſus incœperit, teſtem ipſe ſuam, appellat conſcientiam, pariterque Domino gratias agit, quòd de amaro ſemine literarum dulces fructus carpſerit.

Addiſcit linguam Hebraicam.

Cęterùm ingreſſum in eremum tam pręclaræ ſpei adoleſcentem, humani generis hoſtis, qui eum multis ex cauſis reformidare iam cœperat, & à quo magnum ſibi exitium imminere præſagiebat, varijs ac diuerſis tentationum generibus aggreſſus eſt. Et quidem inprimis omnes ſodales, quos ſecum eam in ſolitudinem duxerat, abſtulit: etenim Heliodorus, mutato propoſito, ad patriam, veluti ſorori viduæ ac nepoti ex ea paruulo Nepotiano proſpecturus, remeauit. Innocentius autem & paulò pòſt Hylas eo iã ſecundũ annũ in ſolitudine agẽte, vitæ munere functi ſunt. Solus Euagrius, ex comitibus & amicis in ſolatiũ illi remãſit: Bonoſus nãq; cũ quo educatus & à pueritia honeſtis ſęculi artibus eruditus, quiq; in Galliarum peregrinatione ſocius illi fuerat, ipſe etiam ſolitudinem petijt; inſulã quandam Dalmatio pelago circumſonãte naufragam; cui aſperæ cautes, & nuda ſaxa, ac ipſa ſolitudo terrori eſſent;

Dæmon variis tentationibus illi inſidiatur.

Priuatur ſocijs. Epiſt. 1. & 371.

Bonoſus fit ſolitarius.

sent; & cum iuuenis esset apprimè dives ac nobilis, contempta matre, sororibus & charissimo sibi germano, cum vno tantũ Onesimo in ea orationibus ac ieiunijs vacans manebat. Porrò & ipsum Hieronymum morbis periculosissimis malignus infestauit, venerearumque cogitationum stimulos acutissimos atque perpetuos adeò potenter addidit, vt nullis eos lachrymis, nullis pœnitentiæ dolorisius extinguere posset. Cùm præter alia morborum genera, ardentissima febri in medio Quadragesimæ afflictaretur, iamq; toto frigescente corpore exequiæ veluti morienti parari cœpissent, spiritu ad Christi raptus tribunal grauiter vapulauit, quod Ciceronis lectioni die nocteque vacaret. Nulla interim vel ab æstu morborum vel cogitationum ei dabatur requies; prorsus vt in media eremo, vbi feræ tantum & scorpiones, præruptæ duntaxat cautes, & plantarum solummodò diuersa videbantur genera, sibi inter choros puellarum interesse videretur. Quid verò talibus in tentationibus fortis & in Christo roboratus adolescens egerit, quàm strenuè pugnauerit, quibus ieiunijs & verberibus rebellãtem carnem afflixerit, quibus lachrymis & orationibus Iesum Saluatorem mundi, vt se à tantis hostis impetitionibus erueret, instanter precatus sit: ab ipsomet, qui talia passus est, audiamus.

Vapulat antè tribunal Christi, quia Ciceronianus est.

O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quę exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculũ, putabam me Romanis interesse delicijs. Sedebam

Epist. 22. ad Eustochium.

Nota sancti viri in eremo vitam durissimam.

bam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm AEthiopicæ carnis obduxerat. Quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppresserat, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo; cùm etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantum socius & ferarum, sæpè choris interueram puellarum. Pallebant ora ieiunijs; & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore; & antè hominem sua iam carne præmortuum, sola libidinũ incendia bulliebant. Itaque omnia auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes; rigabam lachrymis, crine tergebam; & repugnantem carnem Hebdomadarum inedia subiugabam. Nõ erubesco confiteri infœlicitatis meæ miseriã: quin potiùs plango me non esse, quod fuerim. Memini me clamantem, diem crebrò iunxisse cum nocte; nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino increpante, trãquillitas. Ipsam quoque cellulam meam quasi cogitationum mearum conscium, pertimescebam, & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum; & vt mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus angelorum; & lætus gaudensque

Quid egerit in varijs tentationibus constitutus.

canta-

cantabam : Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. *Cantic 1.*

Videns autem diabolus se nullo molimine adolescentis animum dimouere ab arrepto proposito posse, nihilque se aut morbis, aut carnis tentationibus profeciſſe, ad secretiores artes, quibus fortiores fideliũ animos quatere, ac decipere solet, & ad malitiæ commenta postremò confugit: vt quem aperta fronte veluti manifestus hostis superare non posset, occultè tanquam amicus, insidians labefactaret ac caperet. Incitauit enim aduersus eum Campenses & Tarsenses, Semiarianos hæreticos; qui fidem eius impeterent, & vel vno, vel altero modo vinctum iuuenem ad se pertraherent. Videbant enim eum adolescentem esse maximæ spei, & qui doctrina & sanctitate Græcos omnes, qui eas & remotiores incolebant oras, iam vinceret. Instant igitur apud eũ, an tres, vel vnã potius confiteatur hypostasim. Cautus ille, & ad insidias dæmonis exercitatus, se vnã, si hypostasis nomine Vsiam: si verò personam intelligant, tres cõfiteri hypostases asseuerat. Non contenti illi sano iuuenis responso, ipsum hypostasis nomen efflagitant, vt simpliciter vnamne, an tres hypostases in diuina credat esse natura, respondeat. Antiochena quoque Ecclesia, quę in tres tũc partes diuisa atque discerpta erat, rapere ad se illũ oppidò festinat, vnaquæque scilicet pro se pars: Meletius, inquam, Paulinus, atq; Vitalis. Hi enim tres, suarum scilicet factionum, Episcopi tunc erant. Ille, qui eô accesserat fundatus in ea petra, aduersus quam portas inferi non præua- *Hæretici ei insidiantur.*

turas Christus promiserat, vt qui Romæ fidem baptismumque susceperat, se id credere, quod Romana credit Ecclesia, constanter asseuerat; seque in ea, qua natus sit, fide, mori velle cunctis respondet. Illi, vt eruditissimum iuuenem ad se pertrahant, dicunt & sese cum Romana pariter sentire Ecclesia, vt hac voce allectus protinùs succumberet. Verùm ille latetes suspicatus dolos, Romam ad Damasum, qui tũc, tempore Valentis scilicet & Valentiniani Imperatorum, Romanã administrabat Ecclesiam, semel iterumq; literas mittit: obsecrãs & multis eum precibus obtestans, vt, quidnam credere & cuinam in Antiochia ex tribus illis adhęrere debeat, nunciare dignetur.

Matth. 16.

Interrogatus, respondet se id credere quod Romana credit Ecclesia. Epist. 57. & 58. Consulit Romanum Pontificẽ in rebus dubijs.

Intereà illi nouis quotidiè calumniis eum impetentes, ea de eo in vulgus sparsêre mendacia, vt *a* virgines in monte Hermon degẽtes, ab eo cœperint vehemẽter abhorrere. Alij verò sub Catholicorũ nomine, cum tamen schismatici essent, illum adeò acriter persecuti sunt, omniq́ue inhumanitatis genere ità affecerunt, vt ex eremo tandem eiecerint. Explicat hæc omnia ipsemet in Epistola ad B. gMarcum * Celedensem, vbi inter cætera ait; Versu cogor clamare vulgato: *Quod genus hoc hominum? quæque hunc tam barbarã morem Permittit patria? Hospitio prohibemur arenæ: Bella ciem, primaque vetant consistere terra.* Quæ idcircò de gentili poeta sumpsimus, vt qui Christi pacem non seruat, pacem saltem discat ab ethnico. Hæreticus vocor, Homousion prædicans Trinitatem. Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes, veras, integras, perfectasq́ue

*a Ad has scribit Epistolam cuius initium: Chartæ exiguitas. Epist. 39 g Epistol. 77. * Chalcidensem.*

Multa patitur à pseudo Christianis.

que personas indefessa voce pronuncians. Si ab Arianis, merito: si ab orthodoxis, qui huiusmodi arguunt fidem, orthodoxi esse desiêrunt: Aut, si eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum AEgypto, id cum Damaso Petroque condemnent; & infrà: Quotidiè exposcor fidem, quasi sine fide renatus sim. Confiteor, vt volunt, non placet; subscribo, non credunt. Vnum tantum placet, vt hinc recedam. Iam iam cedo. Abruperunt partem à me animæ meæ, chariſſimos fratres. Eccè discedere cupiunt: immò discedunt, melius esse dicentes, inter feras habitare, quàm cum talibus Christianis. Et ego ipse, nisi me & corporis imbecillitas, & hyemis retineret asperitas, iam modò fugerem. Veruntamẽ dum vernum tempus adueniat, obsecro, vt paucis mihi mensibus eremi cõcedatur hospitium: aut, si hoc tardũ videtur, abscedo. Domini est terra & plenitudò eius. Ascendant soli cælum; propter illos tantum Christus mortuus sit: habeant, possideant, glorientur. *Psalm. 23.*

Mãsit autem in ea solitudine toto, vt scribitur, quadriennio incredibili quidẽ vitæ austeritate sese exercẽs, & omne tempus modò studijs, modò orationibus impẽdens; nũc ab alijs monachis & anachoretis inuisus, nũc alios ipse inuisẽs: sed & tatis spiritalis vitæ delicijs affluens, vt indè discessisse sæpè pænituerit. Scripsit verõ ibidè annos iam natus plus minus 30. Commentariũ in Abdiam Prophetã; & Pãmachio dicauit: quem tamen post alios triginta annos, cum minus placeret, emendauit. Egressus ab eremo, vel verius hæreticorum persecutioni-

tionibus indè eiectus, Antiochiam Hierosolymamque iuuenis iam repetijt. Adhæsit autem Antiochiæ ex tribus illis qui tũc illam diuexabant Episcopis, Paulino; quod ita à Damaso, ad quem ea de re scripserat, iussus fuerat. Neque tamen ibi consistens monachi aut solitarij hominis professionem omisit. Nam etsi loca vel discendi, vel silentio & quieti vacandi causa sæpius mutaret, ipsum tamen monachi animũ non mutauit: sed literis & precibus semper intentus familiarem hominũ congressum, quoad fieri potuit, semper deuitauit.

Vinit Antiochiæ vt monachus.

Ordinatur illic presbyter. Epist. 61.

Cæterũ Antiochiæ triginta plus minus annorum vir ad presbyterij dignitatem à Paulino euectus est sanè inuitus, ea tamẽ cõditione vt nulli adstrictus esset Ecclesiæ; quippè qui sic cõsentiret in clerũ asciri, vt tamẽ nollet desererе esse monachus, sed pro animi arbitrio liber, quo vellet pergeret: nec vnquã passus fuerit alicui adscribi titulo. Neque semper Antiochiæ, sed partim etiã Hierosolymæ, in agris tamẽ & solitudinibus, versatus est: immô & tũc ab eo Bethleẽ electa & habitare cœpta. Sed & hoc tẽpore Cõstantinopolim quoq; cõtendit, vt Gregorium Nazianzenũ, doctrinæ & sanctitatis fama celeberrimum, audiret; quem & idcircò præceptorem suum meritò gloriatur: Apud quem existens tractatum de visione Isaiæ conscripsit. Imperij habenas Theodosius senior adhuc moderabatur, & Apostolicam Sedẽ Romæ administrabat Damasus, cũ ob alias, tum Antiochenæ præcipuè Ecclesiæ dissensiones, omnes Occidentis Orientisq; Episcopi Romam euocantur. Accesserunt inter alios eò Pauli-

Gregorium Nazianzenum Episcopus Constantinopolit. eius præceptor.

Concilium Roman. celebratur.

Paulinus Antiochiæ, à quo presbyter ordinatus fuerat Hieronymus, & Epiphanius Salaminæ, Episcopi; ambo viro sancto amici, & arcto spiritûs vinculo copulati; quibus visum est Latinum & magni nominis iuuenẽ secum ducere: præsertim quod Damaso multis ex causis notus, & de Antiochenis dissidijs apprimè instructus & eruditº esset: & fortè ipsemet Damasus eũ accersiuit, literæq; Imperiales inuitũ ac renitentẽ Romã venire coẽgerunt. Igitur Vrbem ingressus, cœpit reuisere loca, in quib. à pueritia, nutritus edoctº & baptizatus fuerat; reuisere Apostolorũ martyrumq; templa, quæ olim puer, cùm à grãmaticæ ludo vacaret, venerabũdus obire solebat. Inuenit hic Pammachium, suũ olim condiscipulũ; inuenit alios, tũ veteres ex facie, tum ex sola sanctitatis & doctrinæ fama posteà sibi factos amicos Damaso aũt quã charus, & quã dilectus fuerit, dictu est incredibile. Nouerat enim iuuenẽ iam tunc in eremo degẽtem, ex literis & tractatibus, quos sæpè ad eum miserat; nouerat & egressum ab eremo, Antiochiæ primũ, mox Bethleem manẽtem; vt qui ei munera sapè mittere, & qui ab eò epistolas & quæstionũ solutiones recipere solebat: nouerat ex ingẽti fama, quæ de eius vitæ probitate, & mira abstinentia ferebatur. Concurritur ex Vrbe ad eũ vndique, & vterq; sexûs in promerendo viro secum acriter certat. Non matronæ castæ illum dimittere, non ciues, nõ presbyteri possunt: alijs sanctitas, alijs doctrina, alijs comitas & vrbanitas placẽt. Ille, quod Romæ iam viderit puerum tunc optimæ, spei, animo repetit; ille quòd austeram in eremo

Venit Romã cum Paulino Antiochiæ & Epiphanio Salaminæ Episcopis.

Visitat loca sacra Romæ.

Magno studio colitur à Romanis.

ab eo exactam vitam audierit, attētè vultus cō-
tēplatur & ora: Cōmendat in eo aliquis pres-
byterij dignitatem; aliquis orationis prædicat
puritatem: hic in eo linguarum sciētiam; alter
sacrarū literarū admiratur cognitionē: pariter
suspiciunt, pariter prædicant, & extollunt o-
mnes: & breuiter solus Hieronymus inueni-
tur, in quo omnium oculi, omnium defigantur
obtutus, & in quo vno totius cleri populique
vota suspirent.

Vtitur Damasus eius opera Romæ.

Porrò Damasus vidēs sibi, velut alterū Pau-
lum Petro adiutorem in Vrbem veniſſe, remis-
sis ad Sedes proprias Episcopis, Hieronymum,
vt sibi in Ecclesiasticis causis inseruiret, & par-
tem Pontificij oneris sustineret, secum retinet;
res fidei & omnes quæstiones religionis ei, vti
vndequaque doctissimo & maximè orthodoxo
demādat. Cui functioni strenuè viriliterq; vir
sanctus insistens, non propterea arctam suā vi-
uendi, & in precibus quotidiè coram Deo assi-
stendi omittit consuetudinē. Et quia presbyte-
ri munere insignitus erat, ne tā diuinū sibi cō-
missum talētum occulat, incruentū Christi sa-
crificium, quod in Cruce peractū fuit, Deo pro
salute omniū offert. Nouit hoc Roma, quæ diu

Casula & Calix S. Hieronymi Romæ asseruantur.

sacrificij seruauit casulam, & adhuc eius calicē
seruat, populoque reuerēter in memoriā tanti
viri ostentat. Quin & cū in vindicādo Dei ho-
nore, & Ecclesiæ pulchritudine asserēda nemi-
ni cederet, tum cūcta Ecclesiæ munia vt hone-
stè ac sanctè peragerētur effecit; quicquid etiā
boni vel Antiochię (à qua Petrus Apostolorū
Princeps Romā venerat) vel Hierosolymę (vbi
Ecclesiā quoq; idē fundauit, & Iacobo guber-

nandam

nandã postea reliquit)esset: vt Romę quoq; (vbi Petri sedes manet) obseruaretur procurauit.

Aliæ eius Resgestæ Romæ.

Longum nimis foret alia omnia singulatim hic referre, quæ toto triennio (quo Romæ ipsum morari contigit) ad decorẽ & vtilitatẽ vniuersalis Ecclesiæ fecit, ordinauit atque conscripsit. Et quidem inter alios exantlatos labores, Heluinium atque Iouinianum impurissimos homines ac virginitatis hostes acerrimos egregiè compescuit, ac luciferianos confutauit. Paulinianum adolescentem fratrem suum, qui post eius in Syriam secessum natus fuerat, in vrbem aduocat, vt eum melioribus literis & sanctioribus pariter moribus imbuat. Præterea multos virijs & sceleribus arctissimè vinctos conuertit, & matronas plurimas ad sanctioris vitæ duxit propositum. Inter quas Marcella, Melania, Asella, Albina, Marcellina, Felicitasque celebrantur: sed cæteris præstantior Paula Eustochij & Blesillæ mater; quæ mutata veste monasterium est ingressa, & sanctioris vitæ propositum præclarè adimpleuit.

Multos Romæ cõuertit.

Cùm tot hæc ac tãta vir sanctus Romæ perageret, & omnium ore dignus summo Pontificatu acclamaretur, clerici (ô mortaliũ vita sẽper incerta) in quorum vitia ille sæpè inuectus fuerat, & laici, quos sæpe reprehenderat, &, quod durius videbatur, exẽplo sanctioris vitæ & offuscabat quotidie, & viliores reddebat, Hieronymi famæ detrahere cœperunt, capta occasiõe, quòd nobiles ac diuites matronas lucri & amoris inhonesti causa, sanctioris vitæ prætextu deceperat, & Hierosolymam explen-

Multos patitur Romæ vir sanctus obtrectatores.

Hieronymi famæ ab emulis eius detrahitur.

dæ libidinis gratia ducebat. Subornat⁹ est, quò facilius res crederetur, quispiam rumigerulus, qui se nescio quid inhonesti de sancto cũ Paula vel vidisse, vel audisse assereret: eoque factũ processit, vt vilis ille homũcio, capt⁹, quæstionib. super ea re examinandus subijceretur. Negauit ille, quod priùs dixerat, & insontem clamauit in tormentis, quem antea tanquam scelestũ infamauerat. Moritur intereà Damasus. Hieronymus occasionem regrediẽdi Hierosolymam, cùm ex Pontificis morte, tum ex impia hominum persecutione cõmodè nactus, relicta Roma, magna sanctorum comitãte caterua nauem in Romano portu conscendit, & per Siciliæ & Italiæ fauces, Peloponesi promontoria, & Cyprum nauigans, adolescentem fratrẽ secum ducens, Antiochiæ appellẽs, Hierosolymam & suam lætus reuertitur Bethleem. Non multò post Paula cum Eustochio filia, & Melania Marcellini Cõsulis nepte, multis comitata virginibus eò aduenit. Nã Hieronymi nauigationẽ secuta, post Cyprum Antiochiæ primum appulit: deindè sancta Palestinę terra lustrata, Bethleem, ibi perpetuô Christi militię inseruitura, contendit. Mansit autem ibi per triennũ satis angusto hospitiolo: quousque latius sibi suisque virginibus extruxerit monasterium: Condidit etiam & aliud; vbi Hieronymus & viri degerent, & diuersorium hospitibus ad ea loca pietatis & religionis ergô confluentibus. Erat enim Paula diuitijs inclyta, & Nicopolis in Actiaco litore posita, ad eius, veluti quæ ab Agamemnone descendebat, possessionem maximè pertinebat.

Relicta Roma, Bethleẽ reuertitur.

S. Paula cum Eustochio & alijs virginibus eum sequitur.

Ipse

Ipse autem Hieronymus, qui vsque ab adolescentia monachi egerat vitam, die noctuque studijs, nunc legendo, nũc scribendo, vacabat, & cum alijs fratribus in monasterio labore desudabat: viuebat in paupertate, & (vt Ruffinus ipse testatur) pecunias nec habebat, nec habere volebat; sed tenui victu vestituque cõtentus in cellula latebat; sacerdotium nec ambiens, nec, humilitate damnata, Episcopatum auro redimere festinans. Hospitio omnes tanta benignitate excipiebat, vt etiam pedes illis lauaret; solos detestans hæreticos: quos in tantum persequebatur, vt coram eo hæreses, veluti coram Sole nebulę, euanescerent. Sanctam igitur in sua Bethleem rursus inchoans vitam, & veluti nouus quidam miles ad certamina laboresque consurgens, corpus ieiunijs macerat, mentem studijs, spiritum pascit oratione. Vbi oratio deficit, lectio: vbi lectio, oratio incipit. Somnus non ad delicias, sed ad naturæ capitur necessitatem; in duro non in mollibus, cubat: & vili pallio, non precioso ac nitido tegitur indumento. Ex ore nihil, nisi sanctum, nisi castum procedit: quodcunq; ex eo audieris, Christi sermo est: & in ipso quoque silentio Deum loquitur. Sed præter omnem tam animi, quàm corporis sanctitatem puritatemque, quibus veluti præclara lux quædam mundo irradiat: studijs, nunc aliquid vertendo, nunc commentando, incumbit: summa contentione in eo elaborans, vt extirpatis cũctis hæresibus Ecclesiam à perfidorum insidijs liberet. Canis iam totus aspersus, nihil non modò ex studiorum assiduitate remittit, sed & Didymum illũ Alexan-

Epist. 112.

Sanctissimã ducit in Bethleem vitam.

Vadit Alexandriam, vt consulat

Didymum in dubijs scripturæ. Epist. 65.

andrinum olim Athanasio & Antonio admodùm charũ, atque ob doctrinæ magnitudinem celeberrimum adit, vt & eũ videret, & dubiorum, quæ in scripturis habebat, ab eo solutiones audiret.

Magno studio perdiscit linguam Hebræam. Ioan 3.

Reuersus verò ab Alexandria, rursumq; Hierosolymam & Bethleem suã repetens, magno labore & impendio Barrabanũ, seu verius Barhanina, Hebræum præceptorem noctu audit. Timebat enim ille Iudæos: propterea q; instar Nicodemi, qui in tenebris Christũ adijt, clàm ne factũ à Iudæis resciretur, hoc est, noctu tantùm Bethleem veniens Hieronymũ edocebat; magno enim precio eũ, vt illuc accederet, conducebat. Hisce studijs acriter intento, Ruffinus

Calumniatur hoc eius studiũ Ruffinus.

non minus ineptè, quã impiè obijciebat, quòd Barrabam, dimisso Christo, sequeretur, & Iudaicis incumberet lectionibus: pulchrè sibi ex Euangelio lusum accepisse existimans, si cum Iudæorũ populo clamaret. Non hunc, sed Barrabã: vir ipse, qui velut inter olores anser ob-

Matth. 27. Lucæ 23.

strepere t, & semet sanctorũ doctorumque hominũ numero auderet immiscere. Sed vir sanctus nihil ea Ruffini motus calumnia, vt Ecclesiæ, eius linguæ adiumento genuinas sacrorum librorum relinqueret versiones, nõ modò hoc studium omisit, sed etiã cum Hebræorum eruditissimis omnem Palæstinæ terram circuiuit, vt cuncta illius loca, situs ac regiones, de quib. scriptura meminit, proprijs collustraret oculis, & quod absens audierat, præsens videret.

Crescebat hoc eodem tempore in Bethleem monasteriũ: quod licèt, pro viris virginibusq; ibidem degẽtibus satis capax esset habitaculũ,

tantus

tantus tamen vndiq́ue ad ea loca pietatis causa monachorum erat concursus, vt diuersorium magis amplum Hieronymus ædificare cogitauerit. Mittit propterea Paulinianũ sibi germanum in patriam, iam à Gotthis vastatam, vt semirutas villulas, quæ barbarorũ effugerãt manus, & parentũ communium venderet census: Quod cum præstitisset, Palæstinã reuersus est.

Multum sub eo crescit monachorũ numerus.

Hoc tempore inimicitiæ, quæ olim erant ex causa fidei cum Ruffino, & sopitæ, nõ extinctæ fuerant, in apertas cõtumelias eruperũt. Dum enim ille Hieronymum secum in hęresis suspicionẽ, veluti Origenista esset, trahere suis prȩconijs conatur, & vir sanctus se ab huiusmodi infamia extricare cunctis virib. quærit, necesse fuit apertè in hostem procedere, & amicitiã ab adolescentia cum Ruffino contractam, religionis causa penitùs scindere. Insurgit propterea acriter vir sanctus in Ruffinum, & cunctis viribus insidiantem sibi. proterit hostẽ: & non tantùm in refellendis falsò vitæ obiectis criminationibus, quàm in abigẽda à se hæresis infamia occupatur: tantaq́ue indignatione huius materiam defensionis suscepit, vt stylum, iam ob omissa à multis annis gentilium literarum studia languentem, & propter Hebraicæ linguæ barbariem quandam vitiatũ, quasi tunc à rhetorum schola egressus esset, ita ornatè acuteq́ue exacuerit, vt Ruffinus posteà ne inter doctos quidem haberi Iœperit.

S. Hieronymus falsò à Ruffino tanquam Origenista diffamatur.

Regebat hoc tempore Romanam Ecclesiam Anastasius Papa: eiq́ue Ruffinus libellũ, cui posteà Hieronymus respõdit, dicauit: & in Africa Hipponensem gubernans ecclesiã Augustinus, suæ

suæ doctrinæ ac sanctitatis documenta vbique spargebat. Audiens iam celebrem Hieronymi tum senis, per totũ terrarum orbem diffusam famã (ad eum enim veluti ad oraculum vndique concurrebatur) & se Hieronymi comparatione tanquam nouum quendam in Ecclesiasticis studijs militem esse cognoscens, contrahendæ amicitiæ causa ad eum scribere incipit; interrogans ab eo quædam, tantumque Hieronymo detulit, vt scripta sua illi discutienda miserit; libros dicauerit; & quęstiones aliquot, præsertim quæ sunt de origine animæ, ab eo petierit; & quia propter locorum distantiam & animarum curam proficisci ad discendum in Bethleem non poterat, misit ad eum, qui sua vice quærerẽt, & discerent multa ab Hieronymo, Paulum Orosium, Alipium, & Profuturum quondam presbyterum; qui tamen Profuturus morte præuentus, eò peruenire non potuit.

S. Augustin. scribit Hieronymo.

At non solùm Augustinus, sed totus terrarum orbis senem venerabatur. Seuerus Sulpitius propterea eum inuisit; & sex mẽsibus cum eo mansit: mansissetque, vt ipse ait, perpetuò, si potuisset. Præter studiorum & orationis occupationẽ, quotidie aduenientes ad ea loca Christianos excipiebat, tanta charitate, vt pedes etiam singulorum lauaret. Ad decrepitam & vltimam propemodum iam venerat ętatem, cùm nihil quidquam operæ à studijs remittens, non minus ad orandum alacris, quàm ad legendum promptus surgebat. Mirum erat in corpore, ieiunijs & ætate consumpto, tantũ spiritus, tantum vigere fortitudinis. Quod corpori deerat, supple-

Studium hospitalitatis in S. Hieronymo.

ſupplebat animus,& ſacrarum rerum meditatio mẽtem quotidiè recreabat. Videres hominem à corporeis vinculis abſolutum, veluti auem quãdam à nexibus expeditam, nihil aliud niſi cælum ſpectare ac petere; & quanto magis morti appropinquabat,tanto plus in eo ſpiritus excitabatur: ita vt mortem, demigrationẽ quandam à terrenis ad cæleſtia, à caducis ad æterna,non naturæ diſſolutionem,in eo crederes.Languebant quidem membra, ſed animus vigebat, & in corpore iam iam caſuro,mens ſemper cæleſtia cogitans excitabatur: nec illi, vt cæteris euenire ſolet, vnà cum ſenectute animus frigeſcebat:ſed citò tanquam corporeũ onus depoſiturus,alacrior ad finem tendebat. Sciebat ſe curſum ſuum benè peregiſſe, fidem ſeruaſſe, & in omnibus vt ſtrenuum militem ſub Chriſto duce feciſſe ſtipendia. Propterea ad coronam illi repoſitam, lætus gaudenſque properabat:& veluti imbribus multis ac procellis exagitatus oppreſſusque viator, æternũ quietis,quo ſe reciperet,tectũ optabat; & poſt bellorum turbines,& varias mundi pelagi iactationes,quietum cælorum portum ingredi, & amœnum hortum incolere deſiderabat: & quo magis ſe illi appropinquare cernebat, eo lætior incedebat.

Poſt multos exantlatos labores, lætus ad patriã cæleſtem aſpirat.

Igitur vir ſanctiſſimus cæleſtibus ſemper æſtuans cogitationibus, in leuem tandem incidit febriculam; quæ illũ iam in carne ſua præmortuum dum diuexaret, reputabat animo, mundi,quas pertrãſierat,miſerias omnes; quibus tempeſtatibus iactatus,quibus perſecutionibus exagitatus fuerit; quomodo in hac vita nihil

Incidit in infirmitatem.

nihil certum, nihil beatum inueniretur: Orbis dominam concidisse Romam videbat: vrbes potentissimas redactas in cinerem considerabat. Quid non exire ex his miserijs, & in amplexus sponsi volare ille cuperet? quid nō corporis abiecto carcere, expeditum in cælū tendere? Aderant iuxtà eum monachi, & Christo dicatæ virgines, & ex varijs sanctorū locorum vndique, qui ad talis viri exitū confluxerant, homines; quos omnes ille læto & alacri vultu ad humilitatem, patientiam, charitatem, cæterasque hortabatur virtutes; & lamentantes, ne sibi cælestem inuiderent patriam, precabatur: quando se nihil aliud optasse semper aiebat, quàm ad eum peruenire diem, vndè illi ad cælestem beatitudinem aditus daretur.

Hortatur circunstantes ad pietatem.

His & huiusmodi verbis sanctos omnes, qui aderant, postquā est adhortatus, versus ad spōsum, quem sibi iam adesse videbat, illi spiritum suum placidissimè reddidit: multis charus miraculis: Humatus post mortem in Bethleem fuit; exequijs illi ex Christiana religione, ritè anteà celebratis. Translatus indè posteà Romā est, vna cum Christi Saluatoris nostri præsepio 7. Idus Maij, eo scilicet die, quo præceptoris eius Gregorij Nazianzeni festum agitur: iacet autem beatissimus vir omni præconio maior, & quem cuncta suspirent secula, super Exquilias; proprio ei iuxta Præsepe Domini erecto altari, vbi sacra adhuc eius seruatur tunica, in Ecclesia S. Mariæ Maioris.

Obdormit in Domino.

Corpus S. Hieronymi cum præsepio Domini, Romam trāslatum.

Tunica eius Romæ asseruatur.

Ceterùm quod viro sanctissimo antiquitas Leonem tāquam ab eo curatum adpinxit (cum id reuera à Gerasimo Abbate actum testetur Sophro-

Sophronius)hieroglyphico significauit, vehementem eius,quasi leonis, in hæreticos rugitum vel vastam Syriæ solitudinem quam inhabitauit.Porrò præter eximia ea opera,quorum Catalogus extat,varia alia insignia, quæ interciderunt conscripsit. Plura quoque extant de eius vita & rebus gestis, sub virorum quidem clarorum nomine, Eusebij,Cyrilli, Augustini & incerto quodã auctore impudenter & mendaciter conficta;quæ cum prolixè & egregiè Tom.4.& 5.Annal.C.Baron.refutentur: superuacaneum duximus eorum vlterius hic meminisse.

c.107. Picat. Spir.

Multa conficta de S. Hieronymo.

FINIS TOMI TERTII.

Annumeror Bibliothecæ Fratrum Capucinorum Paderbornæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


S IOANNIS EVA


Th 3
2404
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN